Bañes
de Justo
&
Jure.

R. P. F.

DOMINICI BAÑES,

ORDINIS PRAEDICATORVM,

Theologiæ Salmanticæ Primam Cathedram regentis.

Decisiones de Iure & Iustitia.

IN QVIBVS QVID ÆQVVM, VEL INIQVVM SIT, Et qua ratione ad æquitatem, & iustitiam recurrendum in omnibus negotijs, & actionibus, tàm publicis, quàm priuatis, tàm Ecclesiasticis, quam sæcularibus, & in omnibus pariter vniuersorum hominum contractibus, & commercijs, copiosè explicatur.

CVM INDICE RERVM OMNIVM, QVAE IN HOC opere continentur, summa diligentia ordine Alphabetico non inconcinnè digesto.

VENETIIS, MDXCV.

Apud Minimam Societatem.

FRATER DOMINICVS
Bañes Lectori Salutem.

POST Commentarios in Secundam Secundę Diui Thomæ de Theologicis virtutibus à me iam olim in communem vtilitatem editos, non parùm ad alios consequentes de Cardinalibus virtutibus cōscribendos & in publicum proferendos excitabar. Audiebam enim à plurimis, & partim ipse experiebar, quantùm Sacræ Theologię discipuli vbique ex illorum frequenti lectione proficerent. Verùm quotidianis lectionibus, & varijs non parui ponderis ac momenti vrgentibus negotijs implicatus, id quod tantopere optaram, hactenus perficere non potui. Iam verò opportunitatem nactus, decisiones de Iure & Iustitia ante annos quatuor à me compositas, & Regia facultate, vt moris est, legitimè ex cōmissione Salmanticensis Academiæ per sapientissimum ac integerrimum virum Franciscum Sanctium Sacræ Theologiæ Salmanticensem Complutensemq; Magistrum, necnon in Cathedrali Salmantina Ecclesia Magistralis præbendæ dignissimum Canonicum examinatas & approbatas, libenti ac fidenti animo palàm Theologorum scholæ proferendas decreui. Scio non defuisse interim Theologos non infimi nominis, qui diligentia freti, sua, vel aliena cogitata de argumento eodem fidenter euulgauerint. Sed ea res tantum abest, vt me ab instituto auocauerit, vel ipsem minuerit, quo minùs crederem, præsentes meos labores non minorem fructum, quàm præteritos allaturos, nec minorem apud Theologorum scholam gratiam assequuturos; vt potiùs ob eam causam tantò hilarior, & animosior factus sim: quantò in illorum scriptis instructior docendi methodus, & stylus compendiosior cum maiori perspicuitate à Lectoribus desiderabatur. Etenim cùm, (vt habet Philosophus,) sapientis sit ordinare: non ex multitudine eorum quæ dicuntur, sed ex distincta ipsarum assertionum ad propria & prima principia reductione, Doctorum scripta æstimanda & amplectenda sunt. An vèrò in nostris scriptis eam legem, quam alijs præscripsimus, seruauerimus; alij incorruptiùs iudicabunt. Vnum scio, (pie Lector,) me plus laboris in meo conciso docendi stylo impendisse, quàm si aliena scripta confusiùs in vnum congererem & coaceruarem. Quam ob rem futurum spero, eos qui has nostras Decisiones de Iure & Iustitia sincerè & atten-

tè perlegerint, inuenturos, me, dum breuis esse laboro, non parcum in rebus enodandis, neque in verbis concinnandis obscurum fuisse. Denique obserua, in hoc secundo volumine Commentariorum in Secundam Secundæ, duntaxat me illa pertractare voluisse, quæ de Iustitia & Iniustitia strictim & propriè dictis dubitari poterant. Reliqua verò, quæ ad Religionis virtutem, & alias Iustitiæ, quas vocant potentiales, & imperfectas, partes attinet: cum Commentarijs de fortitudine, & temperantia, & hominum statibus, copiosiùs in tertio volumine iuuante Domino, & vita comite, quam totiùs prodibunt. Interim plurimùm vale in Christo Seruatore.

Ex nostro Prædicatorum Sancti Stephani Salmanticensis Conuentu, in die solenni corporis Christi. Anno Domini 1594.

Obserua inter columnas cuiusque paginæ quinque literas medias A.B.C.D.E. indicare vtriusque columnæ portiunculam in Indice designatam, vbi indicatum inuenias.

INDEX RERVM OMNIVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR,

Summa diligentia ordine Alphabetico ita distinctus, vt nec superfluus nec diminutus videatur.

C

Cambium.

Domi-

E

Ecclesia.

Iustè

Ius

Libe-

Promissio

Pastus

Inter

Vsuram

FINIS.

COMMENTARII
FR. DOMINICI BAÑES
SVPER SECVNDAM SECVNDAE S. THOMAE.

Quæstio Quinquagesimaseptima, De Ivre.

Prologus Auctoris.

CONSIDERATIO de Iure & Iustitia omnibus, qui grauiora tractant studia, communis est. Philosophi quidem morales eam sibi propriam arbitrantur. Inter quos Princeps Aristoteles libro 5. Ethicorum exactissimè illam prosequitur. Ibidemque eiusdem interpretes similiter vtriusque Iurisconsulti titulos de Iustitia & Iure designarunt, vt paret. ff. de Iustitia & Iure. Item Gratianus quatuor primas Decreti distinctiones de Iure & Iuris differentia disposuit: atque in eisdem locis omnis vtriusque Iurisperitorum multitudo de Iure & Iustitia sermonem facit. At verò sacra nostra Theologia, quæ omnibus scientijs prædominatur, & de omnibus, quantùm ad finem æternæ vitæ attinet, iudex est: hanc etiam tractationem de Iustitia & Iure, vt hominum saluti consulat, sibi legitimè ascribit. Nam, vt ait Apostolus ad Titum. 2. Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo. Sobriè quidem, erga nos ipsos. Iustè ad proximos. Piè erga Deum. Theologi itaque munus est de iustitia & iure, quatenus ad spiritualem vitam attinet, dubitationes dissoluere. Quapropter inter Theologos D. Isidorus lib. 5. Etimologiarũ per multa capita singularem tractatum edidit: ex quo Gratianus vbi suprà, ferè omnia desumpsit. Magister autem Sententiarum pauca quidem, nec satis opportunè de Iustitia & Iure collegit. Nam in 3. Sententiarum distin. 37. agens de præceptis secundæ tabulæ, quædam circa quintum & septimum mandatum de pertinentibus ad iustitiam profert, & iterum in 4. Sententiarum dist. 15. dum de tertia parte pœnitentiæ ageret, scilicet, de satisfactione, quædam miscet quæ ad iustitiam attinent, scilicet, de restitutione. Vnus autem D. Thom. inter omnes scholasticos, quicquid ad Iustitiam attinens à Theologo cognoscendum erat, suis numeris absolutum dedit, ab ista Quæst. 57. vsque ad 122. differens etiam de partibus potentialibus virtutis iustitiæ. Sed nos in hoc opere duntaxat quæ ad partes subiectiuas pertinent, quæ propriè sub iustitia continentur differemus, vsque ad Quæst. 78.

DVBITATVR ante omnia in hoc proœmio cuiusnam facultatis sit magis proprium de iure & iustitia disserere? Num Philosophia moralis; An sacra Theologia; An vero vtriusque iuris peritia primas tenere debeat in hoc munere præstãdo? Ad hoc respondetur, & sit prima conclusio. Ad moralẽ Philosophiã propriè & directè spectat de iure & iustitia quæstiones definire quatenus homo ordinatur ad conuictũ politicũ & finẽ naturalem. Ratio est, quoniam ad philosophiam moralem spectat de humanis actibus iudicare, in quibus reperitur ratio virtutis & vitij, at verò iustitia post prudentiam primum locum inter virtutes obtinet, ergo.

B Secunda conclusio. Sub eadem ferè ratione pertinet ad Iuris ciuilis peritos, quos vulgo Legistas vocamus, definire de quistionib. Iustitiæ & iuris iuxta normã humanarum legũ. Hæc conclusio magis indiget explicatione quàm probatione. Dixi enim sub eadẽ ferè ratione, hoc est respectu eiusdem finis moralis philosophi. Cæterum peritia illorũ qui Iuri ciuili operã dant, non erit scientifica nisi rõnes humanarũ legũ ex philosophia deduxerint, & tunc exercent illi officiũ moraliũ philosophorũ: & reuera sũt philosophi morales ex parte, scilicet, ex materia Iustitiæ, & adhuc imperfecti nisi fuerint dialectici.

Tertia conclusio. Ad sacram Theologiam maximè pertinet de Iustitia & Iure perscrutari vsque ad
C minima respectu boni spiritualis & finis supernaturalis. Pro cuius intelligẽtia. Nota quod sicut gratia dicitur perficere naturam non solum in se ipsa, sed etiam eleuãs illam ad aliquid altius & diuinius: Ita sacra Theologia quando conuenit cum aliqua scientia in obiecto materiali, non solum perficit illam scientiam intra suos limites & in se ipsa, sed etiam eleuat obiectum illius, ad suam rationem formalem eminentiorem. v. g. metaphysicus considerat de Deo, de illius vnitate, immutabilitate, æternitate, & omnipotentia. Sed hæc omnia attributa Theologus profundiùs attingit: & distinctiùs cognoscit, vt videre est apud Diuum Dionysium in tractatib. de diuinis nominibus, de mystica Theologia, & de cœlesti hierarchia. Vbi eadem quæ alias metaphysici contemplantur, multò diuinius ipse distinguit. Ad hunc itaque modum sacra Theologia cum sit practica saltẽ eminenter, considerat omnia quæ philosophus moralis multò altiùs & diuiniùs quam ille. Cõfirmatur ex illo Sap. 8. Vbi

dicitur de diuina sapientia. Sobrietatē enim & prudentiam, & iustitiam & virtutem docet. Vbi fit mētio quatuor virtutum Cardinalium. Nā per sobrietatem intelligitur omnis temperantia: per virtutē aūt, fortitudo. Vbi obiter obserua quare primo loco posuit sobrietatem, cum tamen prudentia sit prima omnium virtutum. Ratio huius est, quoniā in natura corrupta ad acquirendam prudentiā, necessariū est exercitiū tēperantiæ, quā vocat sobrietatē: nihil n. magis impedit iudiciū prudētiale quā vitia carnalia quæ cā sunt hebetudinis & cæcitatis mentis.

Sit quarta conclusio, ad Iuris Canonici peritos pertinet canones ecclesiasticos discere: præsertim illos qui accōmodantur ad cās fori exterioris decidendas. Si quid vero aliud considerant mutuatum accipiunt partim à Theologis partim à Iure ciuili. Probatur & explicatur ista conclusio, quoniam in toto corpore Iuris canonici cōtinetur triplex differentia canonum: quidām enim desumpti sunt ex sacris literis, aliquando ex definitionibus Conciliorum circa fidem vel circa sacramenta. Hæc omnia constat, quòd legitimè pertinent ad Theologiam sacrā. Sunt alij Canones propositi vt regulæ ad decidendas lites ecclesiasticas. Et isti vt in plurimū habent suā rationē & fundamentū in Iure ciuili. Itaq; si à iure canonico auferantur, quæ pertinent ad Theologiā & ad ius ciuile ferè nihil remanebit nisi quædam cæremonialia. Et cōfirmatur tota doctrina præcedens, quoniā supra scientias quas naturali ratione cognouit Arist. non est introducta alia scientia in mundo nisi illa quæ deducta est ex fide reuelata. Hæc aūt est sacra Theologia, ergo necesse est, ꝙ Iuris canonici periti am reducamus vel ad sacrā Theologiam vel ad moralē philosophiam, sicut & Iuris ciuilis reduximus peritiam. Nihilominus ex prædictis deducamus vnū corollarium, videlicet, ꝙ prudēs Theologus, quoties occurrerit aliquis casus conscientiæ decidendus, de quo decernunt leges siue ecclesiasticæ, siue ciuiles, dēt consulere Iurisperitos, nisi alias ipse cognouerit illas leges sufficienter. Ratio huius est, quoniam Theologo satis est nosse legem naturalem & diuinam & quamuis non erat alienum ab illo scire oēs leges ecclesiastica: tū quia Theologus diuinis intēdens reb. quæ pluriminæ sunt & multā habent subtilitatē, non valebat tantā sarcinā legū memoria tenere: idcirco accepit diuina prouidentia sui laboris auxiliatores dominos Canonistas quemadmodū in lege veteri, vt hī Numerorū cap. 34. erant quidā Leuitæ inferioris classis: quorū officiū solūmodo erat portare vasa & ornamēta inuoluta tabernaculi: quæ sacerdotes superioris ordinis tangebāt & disponebāt intra tabernaculū: ita se habent Canonistæ & Theologi, ꝙ Theologi intrāt tabernaculū & facultatē habent differendi de quiditate & effectib. sacramētorū & aliorū instrumentorū fidei & religionis. At vero Iuris canonici periti solū debent curare fideliter memoria tenere quæ in sacris Canonib. continentur cū literali intelligētia ad obsequiū Theologorū. Interdum ēt opus habēt ex Iure ciuili rationes acquirere ad decidendas causas ecclesiasticas, vt meliùs munus suum possint perficere. Atque in hoc iuris Canonici periti nostri temporis excellentiam habent.

DIVISIO HVIVS TRACTATVS de Iustitia & iure.

VNIVERSAM consideratione de Iustitia & iure in quatuor partes diuidit quidē D. Tho. In prima parte agitur de Iustitia. In secunda parte de partibus illius. In tertia parte, de dono Spiritus sancti correspondenti sibi: quod est pietas. In quarta parte, de præceptis Iustitiæ. Duæ priores partes magnum negotiū nobis in hoc opere facessunt: præsertim ab ista q. 57. vsque ad 78. Aliæ verò posteriores breuissime expediuntur à D. Tho. in q. 121. & 122. Iam vero illa pars de iustitia rursus diuiditur in quatuor partes. Primo quidem disputatur de Iure, quod est obiectum iustitiæ. Secundo de ipsa Iustitia. Tertio de iniustitia. Quarto de iudicio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm ius sit obiectum iustitiæ.

AD Primū sic proceditur. Videtur, quòd ius non sit obiectum iustitiæ. Dicit enim † Celsus Iurisconsultus, quòd ius est ars boni & æqui. Ars autem non est obiectum iustitiæ, sed est per se virtus intellectualis. Ergo ius non est obiectū iustitiæ. Inf. q. 60. art. 1. cor. In digesto recet. lib. 1 tit. 1 in prin.

2. Præterea. Lex sicut † Isidorus dicit in libr. Etymolo. iuris est species. Lex autem non est obiectum iustitiæ, sed magis prudentiæ. Vnde & † Philosophus legispositiuam partem prudentiæ ponit. Ergo ius non obiectum iustitiæ. Lib. 5. Etymo. ca. 3. in prin.

3. Præterea Iustitia principaliter subijcit hominem Deo. Dicit enim † August. in libr. de moribus ecclesiæ, quòd iustitia est amor Deo tantum seruiens, & ob hoc bene imperans cæteris quæ homini subiecta sunt. Sed ius non pertinet ad diuina, sed solum ad humana. Dicit enim † Isidorus in libro Etymolog. quòd fas lex diuina est, ius autē lex humana. Ergo ius nō est obiectum iustitiæ. Lib. 6. Etymo. ca. 6. tom. 1. Capit. 15. cic. med. tom. 1. Lib. 5. capit. 2.

SED contra est quod † Isidorus dicit in eodem, quòd ius dictum est, quia est iustū. Sed iustū est obiectū iustitiæ. Dicit enim † Philosophus in quinto Ethicorū, quòd omnes talem habitum volunt dicere iustitiam, à quo operatiui iustorum sunt: ergo ius est obiectum iustitiæ. Lib. 5. ca. 1. in prin. Lib. 5. ca. 1. in prin. ci. tom. 5.

REPONDEO dicendum, quòd iustitiæ proprium est inter alias virtutes, vt ordinet hominem in his, quæ sunt ad alterum. Importat enim æqualitatem quandam, vt ipsum nomē demonstrat, dicuntur enim vulgariter ea, quæ adęquantur, iustari. Aequalitas autem ad alterum est. Alię autem virtutes perficiunt hominem solum in his, quæ ei conueniunt secundum seipsum. Sic ergo illud, quod est rectum in operib. aliarum virtutū, ad quod tendit intentio virtutis quasi in propriū obiectum,

obiectum, nō accipitur nisi per cōparationē ad agentē. Rectū verò quod est in opere iustitię, ēt prēter comparationē ad agētē, constituitur per cōparationē ad aliud. Illud. n. in opere nostro dicitur esse iustū quod respondet secundū aliquā ęqualitatē alteri, puta recōpensatio mercedis debitę pro seruitio impenso. Sic ergo iustū dicitur aliquid, quasi habens rectitudinē iustitię ad quod terminatur actio iustitię, ēt non considerato qualiter ab agēte fiat. Sed in alijs virtutib. non determinatur aliquid rectū nisi secundū quod aliqualiter fit ab agente. Et propter hoc specialiter iustitię prę alijs virtutibus determinatur secundum se obiectum, quod vocatur iustum. Et hoc quidem est ius. Vnde manifestum est quod ius est obiectum iustitię.

AD Primū ergo dicendū, ꝙ consuetū est, ꝙ nomina à sui prima impositione detorqueantur ad alia significanda. Sicut nomē medicinę impositum est primo ad significandum remedium quod prestatur infirmo ad sanandū; deinde tractū est ad significādā artē, qua hoc fit: ita ēt hoc nomen, Ius, primò impositum est ad significandum ipsam rē iustā. Postmodum aūt est deriuatum ad artem, qua cognoscitur quid sit iustū. Et vlterius ad significandū locum, in quo ius redditur: sicut dicitur aliquis comparere in iure. Et vlterius dicitur etiam quod ius redditur ab eo, ad cuius officium pertinet iustitiam facere: licet etiam id quod decernit, sit iniquum.

AD Secundū dicendū, ꝙ sicut eorum quę per artem exterius fiunt, quędā ratio in mente artificis præexistit, quæ dicitur regula artis: ita ēt illius operis iusti, quod ratio determinat, quędā ratio præexistit in mente, quasi quędā prudentię regula. Et hoc si in scriptum redigatur, vocatur lex. Est enim lex secundum † Isidor. constitutio scripta. Et ideo lex nō est ipsum ius, propriè loquendo, sed aliqualis rō iuris. Lib. 5. Etimol. ca. 2. Ius à prin.

AD Tertiū dicendum, ꝙ quia iustitia ęqualitatē importat. Deo aūt non possumus ęquiualens recompensare; inde est, ꝙ iustum secundū perfectam rationē non possumus reddere Deo. Et propter hoc non dicitur propriè ius lex diuina, sed fas: quia videlicet sufficit Deo, vt impleamus quod possumus. Iustitia tamē ad hoc tendit, vt homo quantum potest, Deo recompenset, totaliter animam ei subijciēs,

SVMMA ARTICVLI.

CONCLVSIO est affirmatiua. Conclusionem istam directè probat Diuus Thomas ex testimonijs Isidoris & Aristot. Deinde in articulo explicat conclusionem & differentiam, quæ est inter iustitiam & alias virtutes colligens triplicem differentiam inter obiectū iustitiæ & obiecta aliarū virtutū. Differentia quidē iustitiæ ab alijs est, ꝙ illa est ad alterū: quæ æqualitatē importat. Hinc colligitur prima differentia inter obiectum iustitiæ, & obiecta aliarum virtutum: scilicet, ꝙ rectū in operatione iustitiæ, prēter cōparationem ad agentē, constituitur per comparationē ad alterum. Secunda differentia est, ꝙ iustum siue ius dē aliquid ad quod terminatur actio iustitiæ, non considerato qualiter ab agente fiat. Tertia differentia est, ꝙ iustitia determinatur obiectū secundū se. Alijs vero virtutib. Cardinalib. non determinatur obiectū secundūm se, & à parte rei. Et hæc est differentia quæ aliter solet dici, scilicēt, quòd medium iustitiæ est medium rei, medium autem aliarum virtutum est mediū rationis.

COMMENTARIVS.

NOTANDVM primò, pro huius articuli & sequentium intelligentia, ꝙ hoc nomen ius multipliciter vsurpatur. Primò & principaliter, vt nominet illud quod fit per actionē iustitię: & ad quod terminatur. Secundò accipitur pro lege quæ est regula faciendi ipsum ius seu iustum. Tertiò accipitur pro ipsa peritia legum. Quartò pro sententia iudicis, qui præcipit iustum fieri. Denique accipitur pro ipsomet loco publico vbi istæ sententiæ feruntur. Vt patet in c. 1. de in ius vocando, lib. 2. tit. 2. Nobis tamen in præsenti de iure primo modo agēdum est. Notandū est secundò, ꝙ nomina iustitiæ, iustificationis, & iusti, dupliciter accipiuntur in sacris literis: vno modo generaliter pro omni virtute vel omni actione virtutis quæ secudū regulā rōnis & legis exercetur. Itaque iustus idē est, ac; studiosus & omni virtute præditus. In hac acceptione intelligitur illud Abacuc c. 2. iustus ex fide viuit. & ad Roma. 8. Vt iustificatio legis impleretur in nobis. Illud Matthæi 6. Attendite ne iustitiam vestrā faciatis corā hominib. & ponit exemplū in eleemosyna, & ieiunio quæ propriè non sunt iustitiæ specialiter dictæ opera. Altera acceptio est specialior, quatenus iustitia nominat virtutem condistinctam inter quatuor virtutes cardinales. Et ita iustus dicitur ille qui huius virtutis actiones exercet. Iustificatio aūt dicetur rectitudo illa quæ inuenit in huius virtutis officijs. Vt solutio debiti est iustificatio. Et in hac secunda acceptione nobis procedendū est in præsentibus disputationibus. Magister Soto de Iustitia & iure lib. 3. q. 1. meritò reprehēdit Buridanū qui negat ius accipi pro obiecto iustitiæ, sed solùm pro ipsa lege.

DVBITATVR primò circa præditas differentias sint ne bene & verè assignatæ. Arguitur primò pro parte negatiua. Etenim D. Tho. vī sibi contrarius in prima & secunda differentia, inter obiectum iustitiæ & obiecta aliarum virtutum, Probatur: nā prima differentia, ponit ordinē actionis iustitiæ ad ipsum agentē, dū inquit præter cōparationē ad agentē, sed in secunda differentiam vī negare talē ordinem, dum inquit, non considerato qualiter fiat ab agente, ergo non sunt bene assignatę istę differētiæ.

Arguitur secundò, ex Arist. 2. Ethicorum cap. 4. asserente, quòd contingit operari temperata non temperatè, ergo non est differentiā inter obiectum

iustitiæ & obiectum temperantię quantũ ad hoc, ꝙ in operatione circa obiectũ iustitiæ contingat attingere obiectum absque debita dispositione agentis secundùm formalem rationem virtutis iustitiæ.

Arguitur tertiò, ex doctrina D. Thom. vnr sequi duo inconuenientia. Alterum est, ꝙ habitus iustitię non sit intrinsecè determinatus ad bene operandũ circa suum obiectũ: sed sit omnino indifferens, ita vt salua ratione obiecti formalis aliquando malè quis operetur reddendo debitum propter malum finem vanæ gloriæ. Alterum est, ꝙ habitus iustitiæ in sua operatione non respiciat bonitatem agentis magis quàm habitus artis quæ solum respicit & intendit bonitatem artificiati. Est enim perfecta operatio artificis si artificiatum sit perfectum & conforme ideæ, etiam si artifex sit aliàs vitiosus.

Arguitur quartò. Vr esse implicatio contradictionis, ꝙ aliquid habeat rõnem specificã & non genericam. v.g. ꝙ aliquid habeat rationem hominis & nõ animalis, ergo similiter impossibile est ꝙ aliqua actio habeat rationem formalem iustitiæ obiecti, & ꝙ non habeat rationem virtutis quę est ratio generica. At vero si actio iustitiæ respicit obiectum, non considerato qualiter fiat ab agente, verificabitur, ꝙ illa actio habet rationem formalem specificam iustitiæ & non genericam. Probatur minor, quoniam de ratione virtutis est, ꝙ taliter fiat ab agente, & quando & vbi oportet & propter finem bonum.

Arguitur quintò, Aut D. Tho. loquit in illa secunda differentia materialiter de obiecto iustitiæ, aut formaliter. Si loquitur materialiter, profectò nõ assignat differentiã inter obiectũ iustitiæ & obiectum temperantię. Possimus.n. designare obiectũ et temperantiæ materialiter, cui nihil desit de his quæ pertinent præcisè ad temperantiæ materiã, desit tñ aliquid quod pertinet ad rõnem virtutis in cõi. v. g. si quis loco & tempore debito comedat quantũ sibi conuenit. At vero ordinet istam actionẽ ad hypocrisim & vanã gloriã aut aliũ turpẽ finẽ. Tũc profectò inuenitur materiale obiectũ tẽperantiæ sine debita dispositione agentis: sicut cùm quis soluit debitum sine debita dispositione agentis. Si autem D. Tho. loquitur de obiecto iustitiæ verè specificante actionem, implicat contradictionem, ꝙ agens operetur propter malum finem. Corrumperet enim rationẽ virtutis, & per consequens rõnem iustitię.

Deniq; arguit contra tertiã differentiã: quælibet virtus per se loquẽdo desumit suã specie ab obiecto per se: vt quilibet habitus operatiuus, ergo nulla est specialis rõ & differẽtia in iustitia ipsa cur determinemus ei obiectũ secundùm se & nõ alijs virtutib.

Propter obscuritatẽ D. Tho. doctrinæ in hoc articulo quidã illã reijciunt: sicut Buridanus vbi supra, q. 1. lib. 5. Ethic. Alij vero interpretes D. Tho. putant esse intelligẽdã doctrinã huius articuli materialiter. Ita sanè vt saluet materiale obiectũ iustitiæ & materialis actio iustitiæ absq; vera rõne virtutis. Huius sententię est Caietanus. Et fuit doctissimus Victoria & Soto vbi supra. Nobis tñ salua eorum autoritate non videtur, ꝙ D. Tho. materialiter loquatur.

Pro decisione ergo difficultatis sit prima conclusio. Impossibile est, ꝙ specificatio iustitiæ & virtutis inueniatur formaliter in aliqua actione, nisi illa actio vndequaque sit bona omnibus mõdis & ex omnib. circunstantijs. Hæc conclusio efficaciter probat quarto argumento facto pro parte negatiua.

Secunda conclusio. Possibile est, ꝙ detur obiectũ & actio quæ materialiter pertineant ad aliquam virtutem & obligationem illius, ita vt satisfaciat homo præcepto illius virtutis per talẽ actionẽ. v.g. Ieiunat quis in quadragesima adimplet præceptum de tem-

A perantia, eo tempore, ẽt si hoc faciat propter hypocrisim. Similiter dat eleemosynam pauperi virgini quam ex præcepto naturali tenebatur dare, sed intendit stuprum, ille materialiter impleuit præceptũ naturale misericordiæ. Dr aut actio materialis alicuius virtutis, cui nihil deest de proprijs pertinẽtib. ad speciẽ illius virtutis, præterquã quod apponitur mala circumstantia aliqua vel contra aliã virtutem, vel contra rationẽ genericã virtutis. Atq; in hoc nõ differt iustitia à reliquis virtutibus, sed differentia est, ꝙ rectitudo ẽt materialis respectu iustitię commensuratur secundum commensurationem quandam ad alterum. At vero in alijs virtutibus omnis commensuratio rectitudinis ẽt materiali cõmensu-

B ratur secundum commensurationem ad operãtem.

Tertia conclusio. Quando D. Tho. inquit in secũda differentia, ꝙ iustum dr aliquid quasi habens rectitudinem iustitiæ ad quod terminatur actio iustitiæ, non considerato qualiter ab agente fiat, loquutus est formaliter de actione veræ virtutis iustitiæ. Probatur quoniam intentio D. Tho. est agere de vera iustitiæ virtute & incipere à diffinitione illius, ergo in hac qõne & articulo loquitur de iure & iusto prout est obiectum formale veræ iustitiæ ad quod formaliter terminatur actio iustitiæ. Aliàs profectò non procederet D. Tho. scientificè, vt decet grauissimum authorem. Hæc doctrina multo magis explicabitur in solutione argumentorum.

C Ad primum argumentum respondetur. Nullam esse contradictionem inter primã & secundã differentiam, cum.n. dicit in secunda differentia, non cõsiderato qualiter ab agente fiat, intelligenda sunt hæc verba secundũ abstractionem mentis. Nam vt est in cõi proloquio abstrahentium non est mendacium. Est igitur D. Tho. sensus, non quidẽ negare prærequiri commensurationem & comparationẽ ad agentem in rõne generica virtutis, imo hoc asserit in prima differentia cùm inquit propter comparationem ad agentem: sed intendit asserere, ꝙ ratio specifica differentiæ iustitiæ non est cum considera tione actuali ad ipsum agentem: sed præsupponendo istam considerationem in ratione virtutis generica tanquam in materia, ẽt intelligitur cum compa

D ratione ad alterum, non considerato tunc qualiter ab agente fiat talis actio. Exemplum huius põt esse in relatione de prædicamento ad aliquid. Relatio.n. & est accidens sicut & reliqua prędicamenta prętęr primum, & ex hac parte conuenit ei esse in hoc vel in illo subiecto. At vero secundũ propriã rõnem relationis penes quã diuersificatur ab alijs accidentib. non consideratur vt est in subiecto, neq; id explicatur, sed vt est ad aliud. Idẽ exemplũ põt poni in accidentib. respectiuis comparãdo illa cũ absolutis. v.g. scientia & albedo conueniunt in genere qualitatis, cum tamen scientia vltra hoc, quod est calificare subiectum sicut albedo specificatur per ordinem &

E cõmensurationem ad aliquid extrinsecum, quod est obiectum: ita prorsus se habent iustitia & temperantia, ꝙ vtraque in ratione generica virtutis bonũ facit habentem. At vero iustitia differt ab alijs virtutibus per hoc ꝙ rectificat habentem illam in ordine ad alterum. Simili modo potest expũcari doctrina D. Thom. 1. 2. q. 62. Vbi ait, ꝙ in quibusdam operationibus bonum vel malum attenditur secundum commensurationem ad alterum, in quibusdã vero operationib. attenditur solum secundum commensurationem ad operantẽ. Ac si diceret D. Tho. quòd oẽs operationes virtutis secundum rationem genericam habent rationẽ boni per ordinẽ ad habẽtem & operantẽ. At vero quædã operationes vtranque rationẽ boni & genericam & specificã habent

per

per ordinẽ ad habentẽ & operantẽ. Aliæ vero opera

A tiones specificam differentiam habent per comparationem & commensurationem ad alterum.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd testimonium illud Arist. non militat contra nos sed militat, contra eos qui dicunt D. Tho. materialiter loqui de obiecto & actione iustitiæ) non considerato qualiter fiat &c.) In quorum sententia possumus respondere, quòd quanuis verum sit testimonium Aristotelis: adhuc est differentia, quòd actio materialis iustitiæ consideratur per quandam commensurationem ad alterum.

Ad tertium argumentum negatur sequela. Imò nos ponimus habitum & actionem iustitiæ virtu-

B tis cum omnimoda determinatione ad bonum, & quanuis respiciat commensurationem ad alterum: tamen præsupponit conuenientiam ad seipsum.

Ad quartũ argumentũ respondetur, quòd probat efficaciter nostram primam conclũsionem.

Ad quintũ patet, ex doctrina tertiæ cõclusionis.

Ad vltimum argumentum respondetur, quòd est specialis ratio, quare acturi de iustitia designamus specialem quæstionem de obiecto illius, ponusquam cum agimus de alijs virtutib. Et rõ differentiæ est, quoniam obiectum iustitiæ habet specialem commensurationem cum lege ipsa, & non solum consideratur in illo quid ratio operantis eligat, vt mediũ

C virtutis (hoc enim determinatum est ex natura rei & propterea dicitur medium iustitiæ medium rei.) At medium aliarum virtutum dicitur mediũ rationis. De qua re plura dicemus in q. seq.

Dvbitatvr secundo. Circa conclusionem articuli, ex Arist. 5. Ethic. cap. 7. Vbi ait esse differentiam inter iustum & ius. Nam iustum dicitur esse anteaquã fiat, ius vero importat iniuriæ emendationẽ: & similiter distinguit inter iniustũ & iniuriam. Nã iniustum dicitur esse etiam antequã fiat: iniuria vero cum fit, ergo ius nõ est obiectum iustitiæ. Probatur consequentia, quoniam iustitia non solũ habitualis, sed ẽt actualis est voluntas faciendi quod iustum est antequam fiat & exerceatur: ergo tunc debet habere obiectum. At vero secundum Arist. non est ius nisi cum fit, ergo nõ habet rationem obiecti iustitiæ. Item D. Tho. art. seq. dicit, quòd ius est opus ad æquatum alteri, ergo non est obiectum iustitiæ, sed operatio iustitiæ. Probatur consequentia, quia est actio illius, ergo, &c.

Respõdetur ad hãc dubitationem, quòd vniuersi diffinientes iustitiam diffiniunt illã per comparationẽ ad ius tanquã ad obiectum, vt videbimus qõne sequenti. Ad argumentũ est Arist. respondetur, ꝙ secundum translationem antiquã non est contra nos testimoniũ illud. Habet enim loco iuris, iustificationem, & ita bene constat differentia posita ab Arist. Respondetur secundo, ꝙ si sequamur translationẽ Argiropili dicẽdum erit, ꝙ Arist. in illo loco accepit nomen iuris in lingua Græca specialiori quodãmodo vt dicrectè cõtrariatur iniuriæ, quæ vr importare actionẽ inferendi illa. Nos aũt in præsenti disputatione vtimur nomine iuris, vt sic idẽ quod iustum.

Ad testimonium D. Tho. respondetur dupliciter. Primo, ꝙ actio cuiuslibet habitus, aut virtutis põt dupliciter considerari: vno modo quantũ ad executionem, vt est in exercitio, & sic erit effectus illius habitus, aut virtutis. Altero modo potest cõsiderari prout est in intentione habentis habitum, & sic habet propriã rationem obiecti talis actio: præsertim cum illa actio est exterior, vt reddere depositum, restituere alienũ. Atque isto modo bene dicit D. Tho. quod ius est opus iustitiæ: quoniã ipsa operatio exterior tenet se ex parte rei debitæ, quæ redditur alteri.

A Imo aliquãdo ipsamet operatio exterior est res quę redditur alteri, sicut lectio mea est ius debitum vniuersitati. Respondetur secundo, ꝙ commune est in scientijs, vt nomina obiectorum transferantur ad actione: & vice uersa. Quemadmodum etiam in religione Christiana dicimus sacrificium non solũ esse hostiam oblatam, sed etiam ipsam sacrificationem, hoc est actionem sacrificandi.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ius conuenienter diuidatur in ius naturale & ius positiuũ.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd ius non conueniẽter diuidatur in ius naturale & ius positiuum. Illud enim quod est naturale, est immutabile: & idem est apud omnes. Non autem inuenitur in rebus humanis aliquid tale: quia omnes regulæ iuris humani, in aliquibus casibus deficiunt, nec habẽt suam virtutem vbique. Iustitia q. 60. art. 1. co. Et 1. 2. q. 95. art. 4. co. Et 5. Ethicorũ. lect. 12. col. 2. fol. 1.

C Ergo non est aliquod ius naturale.

2. Præterea. Illud dicitur esse positiuum quod ex voluntate humana procedit. Sed non ideò aliquid est iustum, quia à voluntate humana procedit, alioquin voluntas hominis iniusta esse non posset. Ergo cùm iustum sit idem quod ius, videtur quod nullum sit ius positiuum.

3. Præterea, Ius diuinum non est ius naturale, cùm excedat naturam humanam.

D Similiter etiam non est ius positiuũ: quia non innititur autoritati humanæ, sed autoritati diuinæ. Ergo inconuenienter diuiditur ius per naturale & positiuum.

SED contra est, quod † Philosophus dicit in 5. Ethicorum, quòd politici iusti hoc quidem naturale est, hoc autem legale, id est, lege positum. L. 5. Ethicor. c. 7. in prin. to. 5.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut † dictum est, ius siue iustũ, est aliquod opus adæquatum alteri secundùm aliquem æqualitatis modum. Dupliciter autem potest alicui homini esse aliquid adæquatum. Vno quidem modo ex ipsa natura rei, puta cùm aliquis tantum dat, vt tantundem recipiat: & hoc vocatur ius naturale. Alio modo aliquid est adæquatum vel commensuratum alteri ex condicto, siue ex communi placito, quando scilicet aliquis reputat se contentum, si tantum accipiat. Quod quidem potest fieri dupliciter. Vno modo, per aliquod priuatum condictum, sicut quod firmatur aliquo pacto inter priuatas personas. Alio Art præc.

E

modo, ex condicto publico, putà cùm totus populus consentit quòd aliquid habeatur quasi adæquatum & commensuratum alteri: vel cùm hoc ordinat princeps, qui curam populi habet & eius personam gerit: & hoc dicitur ius positiuum.

A D primum ergo dicendum, quòd illud quod est naturale habenti naturam immutabilem, oportet quòd sit semper & vbique tale. Natura autem hominis est mutabilis: & ideo id quod naturale est homini, potest aliquando deficere. Sicut naturalem æqualitatem habet, vt deponenti depositum reddatur. Et si ita esset, quòd natura humana semper esset recta, hoc esset semper seruandum. Sed quia quandoque contingit quòd voluntas hominis depraua tur, est aliquis casus in quo depositum non est reddẽdum, ne homo peruersam voluntatem habens, malè eo vtatur, vt putà si furiosus vel hostis rei publicæ arma deposita reposcat.

A D secundum dicendum quòd voluntas humana ex communi condicto potest aliquid facere iustum in his, quæ secundùm se non habent aliquam repugnantiã ad naturalem iustitiam: & in his habet locum ius positiuum. Vnde Philosophus dicit 5. Ethico r. quod legale iustũ est, quod ex principio quidem nihil differt sic, vel aliter: quando autem ponitur, differt. Sed si aliquid de se repugnantiam habeat ad ius naturale, non potest voluntate humana fieri iustum: putà si statuatur, quod liceat furari, vel adulterium committere. Vnde dicitur Isai. 10. Væ qui condunt leges iniquas.

Lib. 1 c. 7 in princ. tom. 1.

A D tertium dicendum, quod ius diuinum dicitur quod diuinitus promulgatur. Et hoc q idem partim est de his, quæ sunt naturaliter iusta, sed tamen eorum iustitia homines latet. Partim autem est de his, quæ fiunt iusta institutiõe diuina. Vnde etiam ius diuinum per hæc duo distingui potest, sicut & ius humanum. Sunt enim in lege diuina quædam pręcepta, quia bona: & prohibita, quia malo. Quædam vero bona, quia pręcepta, & mala, quia prohibita.

SUMMA ARTICVLI.

IN art. 2. quærit D. Tho. Vtrùm ius conueniẽter diuidatur in ius naturale & ius positiuum. Prima conclusio est affirmatiua. Secunda conclusio notetur in solutione ad primũ. Naturale ius quantùs per se sit immutabile: tamen aliquando pôt deficere in exercitio propter naturam hominis mutabilis. Tertia cõclusio notetur in solutione ad tertium. Ius diuinum quod diuinitus promulgatur, potest proportionabiliter diuidi sicut ius politicũ ab Arist. videlicet, vt dicamus ius diuinũ aliud immutabile, & in illo ordine quasi naturale, aliud positiuum. Hanc conclusionem explicat D. Tho. quia in lege diuina sunt quædam præcepta quia bona & quædam prohibita quia mala. Alia vero sunt bona, quia præcepta sunt, & mala quia prohibita.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR itaq; principaliter circa conclusionem art. Vtrùm diuisio iuris in naturale & positiuum sit prima & bona diuisio.

Arguitur primo pro parte negatiua. Lex est quadruplex, scilicet, æterna, naturalis, humana, & diuina. Ita diuidit D. Tho. 1.2.q.91. Igitur ius saltẽ dẽt esse quadruplex, & per cõsequẽns diuidi in quatuor mẽbra. Probatur cõsequẽtia. Quia lex est ratio & regula iuris, vt dicit D. Tho. art. 1. ad secundũ huius qõnis. Igitur multiplicata regula & mensura dẽt multiplicari mẽsuratũ.

Arguitur secundo. Si ius naturale & positiuũ distinguuntur, maximè in hoc quòd ius naturale est quid immutabile: positiuũ aũt est mutabile. Sed ius naturale ẽt est quid mutabile, vt patet de reddendo deposito dicitur esse naturale ius: & tamẽ in aliquo casũ non est reddendum depositũ ẽt petenti, ergo. Et confirmatur, quia ius positiuum interdũ mutat ius naturale, ergo minus mutabile ẽ quã illud. Probatur. Quoniam iure naturali omnia sunt cõia, & tamen iure positiuo facta est diuisio rerum & dominiorum, ergo ius positiuum immutat ius naturale.

Arguitur tertiò. Ius naturale vt definitur à Iurisconsultis. ff de iustitia & iure. & Instituta de iure naturali gentium & ciuili: est, quod natura omnia animalia docuit, & vt ibi adijcitur, naturale ius, nõ humani generis proprium sed omniũ animalium quę in terra, quæ in mari nascuntur, auiumque cõe est, ergò propriè naturale ius non est ius quod est obiectu iustitiæ, quæ solis hominibus competit: sicut & lex secundũ proprietatem & veram rationem legis non inuenitur in bruis, sed solum metaphoricè, vt ait D. Tho. 1.2.q.91. art. 2. ad tertium. Confirmatur. Si quid pertineret ad ius naturale maxime esset religio erga Deũ & venerari parentes, & vim vi posse repellere: sed hæc omnia ad ius naturale pertinere negant Iurisconsulti vbi supra. l. 2. & 3. sed aiunt pertinere ad ius gentium. Imo & D. Tho. art. seq. ius naturale etiam brutis conuenire asserit.

Denique arguitur quartò. Prædicti Iurisconsulti diuidunt ius in ius naturale, ius gentiũ & ciuile, ergo non sufficit diuisio bimẽbris posita in articulo.

Circa hanc dubitationem aduertendũ est, fuisse olim errorem antiquissimum negantium esse aliquod naturale ius. Ita refert Arist. lib. 1. Ethic. ca. 3. & lib. 5. c. 7. & D. August. lib. 3. de doctrina Christiana, ca. 14. Alius error fuit modernior negantiũ esse aliquod ius positiuũ, quem tenuit Vvicleff, & vniuersi Lutherani qui negant esse aliquam vim in legibus humanis obligantẽ in foro conscientiæ. Atq; ideo ipse Lutherus combussit omnia Pontificũ iura & Bullas Pontificias & Sanctorum Patrũ Decreta vt referunt historiographi moderniores. v.g. Ioãnes Coclæus in actib. & scriptis Lutheri, anno Domini 1526. Videatur etiam Roffensis in art. 37.

PRO decisione huius veritatis, sit prima conclusio. Error ẽ manifestè cõtrarius philosophię morali & fi-

& fidei, asserere omne ius esse positiuum, & negare esse ius naturale. Probatur primo ex Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, vbi respondet Propheta, iniquis qui dicunt; Quis ostendet nobis bona? Acsi diceret, in nobis ipsis est impressio luminis naturalis quo cognoscimus bonum & Deum. Vnde Ioannis 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ. Quæ duo testimonia non solùm de illuminatione gratiæ, sed etiam de illuminatione naturali explicantur communiter. Sed est locus necessario explicandus de illuminatione naturali, ad Roman. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt. Hoc est, non habentes legem Decalogi scriptam: sicut habebant Iudæi; naturaliter, hoc est ex naturali instinctu & illuminatione naturali Dei, non ex illuminatione gratiæ, quæ legis sunt faciũt, non dicit omnia sed quædam: huiusmodi legem nõ habentes ipsi sibi sunt lex qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium perhibente illis conscientia ipsorum. Probatur secundò conclusio ratione. Certum est secundùm fidem catholicã aut legem scriptam aut positiuam fuisse peccatum. Etenim Cain peccauit maximum peccatum occidens fratrem suum Abel. Et ante diluuium dicitur in sacris literis, quòd multa erat malitia hominum super terram, ergo erat lex naturalis. Probatur consequentia. Quia vbi non est lex nec præuaricatio est. Probatur tertiò conclusio. Præcepta de cultu diuino vsque adeo sunt immutabilia, vt per nullam potentiam possint dispensari neque immutari, ergo non sunt positiua præcepta sed sunt naturalia. Imo secundùm communem opinionem Thomistarum omnia præcepta Decalogi sunt indispensabilia, vt patet apud D. Thom. 1.2. q. quæst. 108. & apud Soto lib. 2. de iustitia, quæst. 3. art. 8. ergo huiusmodi præcepta naturalia sunt. alioquin poterant dispensari ex beneplacito hominum legislatorum. Confirmatur. Quia inter ea quæ præcipiuntur & prohibentur, quædam dicuntur præcipi, quia bona sunt, & quædam prohibentur, quia mala, ergo secundùm se ex natura rei habent bonitatem vel malitiam, ac proinde ius naturale est. Quarto probatur conclusio vera secundum philosophiam moralem. Sic enim sensit Arist. esse quoddam ius naturale & quoddam legalem seu positiuum, vt patet lib. 1. Rhetoricorum cap. 3. & lib. 1. magnorum moral. cap. 34. & 1. Ethicor. cap. 3. & lib. 5. cap. 7. Diuus Isidorus lib. 5. Etymol. cap. 4. & refertur à Gratiano dist. 1. can. ius naturale est commune omnium nationum, & quod instinctu naturæ non constitutione humana habetur. Cicero etiam iuris naturalis mentionem facit, vt patet in lib. de Inuentione, de Legibus, de Aruspicum responsis. Et deque iste error negantium ius naturale similis est errori in naturalibus quem habuerunt Heraclitus & Cratillus qui aiebant, nullum esse verum nisi quod vnicuique apparet. Sic etiam videntur hi in moralibus errare negantes esse aliquod ius secundùm se ex natura rei, sed quod humano beneplacito constituebatur, illud erat ius.

Secunda conclusio. Diuisio iuris quam D. Tho. ponit in artic. est maximè philosophica desumpta ex Arist. lib. 5. Ethic. cap. 7. Pro cuius explicatione notandum est primò, quòd D. Tho. quanuis Theologicè intendat agere de iure & iustitia, tamen prudenter & de industria voluit priùs definire & diuidere rationem iuris secundùm ordinem naturæ quem præsupponit gratia & fides & Theologia, ac deinde in solutione ad tertium docuit, Quomodo ius diuinum quod est supra ordinem naturę, poterat diuidi proportionabiliter in ius immutabile & quasi naturale in ordine gratiæ & ius positiuum ex beneplacito Dei. Notandum est secundò vt ostendamus quomodo inter se se opponatur membra prædictę diuisionis, quatuor esse differentia inter ius naturale & ius positiuum. Prima differentia est ex parte causæ efficientis. Etenim naturalis iuris efficiens causa est ipse Deus vt autor naturæ. Iuris autem positiui efficiens causa est homo secundùm triplicem modum quem D. Tho. docet in art. Primo quidem per singulare pactum inter eos qui ad inuicem contrahunt & sic iustum pretium erit illud de quo conuenit inter ementem & vendẽtem. Secũdo modo per condictum publicum in quo cõueniunt communiter qui emunt & vendunt, & sic iustum pretium erit alicuius rei illud quo communiter res venditur in foro publico. Tertio modo constituitur iustum seu ius positiuum lege Principis vel statuto reipublicæ vel ministrorum illius. Inter hos prædictos modos aduertenda est differentia. Primo quidem quòd pretium primo & secundo modo constituum patitur aliquam latitudinem secundùm magis & minus, non enim consistit in indiuisibili. At verò iustum pretiũ postremo mõ consistit in indiuisibili: aliquando quantùm ad maius, aliquando quantum ad minus, raro autẽ quantùm ad vtrunque. Exemplum primi est in taxatione tritici. v.g. quòd tritici faneca nõ possit vendi vltra ducatum. Nihilominus potest vendi iustissimè citra ducatum propter abundantiam tritici sicut in foro publico valet. Ita sanè vt si cariùs vendatur, etiam si non excedat taxationem pragmaticę teneatur venditor ad restitutionem. Exemplum secundi est in censibus quos vulgo dicimus *ac al quãtar*, quorum pretium statutum est lege quantum ad minimum, videlicet, vt non dentur minùs quã quatuordecim pro annua pensione vnius, sic tamẽ quòd si quis velit dare viginti pro illo censũ, iustum esse poterit pretium. Cæterùm quantùm ad vtrunque licet posit respublica condere legem iusti pretij, tamen non occurrit exemplum nisi fortè in quotidianis taxationibus rerum comestibilium quæ in foro væneunt. Item etiam est alia differentia inter hos tres modos, quòd primus modus ita subordinatur secundo & tertio quòd præsuponit non esse aliter statum per illos, similiter se habet secundus modus ad tertium: præsupponit enim quòd non sit aliter statutum per tertium modum.

Secunda differentia principalis inter ius naturale & positiuum est ex pater causæ exemplaris & regulæ, quoniam regula & exemplar iuris naturalis est lex æterna quatenùs imprimitur mentibus hominum mediante lumine naturali ostendente quid sit bonum & iustum. At verò ius positiuum habet pro regula legem humanam, quæ debet regulari per legem naturalem, inquantum nihil debet continere qd legi naturali repugnet, imo debet habere cõuenientiam cum lege naturali, vt docet D. Tho. in hoc artic. ad secundum. & 1.2. quæst. 95. Secundò in hac differentia maximè obseruandum est, quòd quemadmodum in Physicis speculatiuis necesse est attendere ad materiam & sensum, vt comptehendamus principia naturalia (alioquin errabimus sicut Plato errauit propter nimiam à materia sensibilibus abstractionem.) Ita etiam ad cognitionem moralium principiorum necesse est vt non solũ attẽdamus speculationem per nosmetipsos quid naturale lumen dicet, & quid exillo colligatur: sed oportet attendere ad documenta seniorũ

& maiorum & prudentum, qui secundum doctrinam Arist. 6. Ethicor. c. 11. ita venerandi sunt vt illorum dicta & documenta in moali philosophia habeantur pro demonstratione. Hæc doctrina confirmatur ex illo Prouerb. cap. 1. Audiens sapiens sapientior erit. Animaduertet parabolam, & interpretationem eius, verba sapientum, & ænigmata eorum. Et Ecclesiastes capit. vlt. Verba sapientum quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi. Quibus verbis significat, quòd verba sapientum excitant ad bene operandum, & confirmant vehementer in bona operatione.

Tertia differentia sumitur ex parte extensionis siue amplitudinis potestatis. Etenim ius naturale omnes obligat: sicut omnibus communis est rationalis natura. At verò ius positiuum obligat tãtum subditos Principi legislatori.

Quarta differentia consideratur secundùm immutabilitatem vel mutabilitatem vtriusque iuris. Etenim ius positiuum mutabile est per se loquendo secundùm legislatoris beneplacitum. Ius autem naturale simpliciter & per se loquendo immutabile est, sicut & sua regula est immutabilis & firma. In qua differentia maximè obseruandum est: quòd ius naturale non in omnibus principijs parem immutabilitatem retinet. Quædam enim sunt immutabilia: ita vt per diuinam potentiam mutari nõ possint v.g. Bonum est agendum, malum est fugiendũ. Non est periurandum, non est falsum testimonium dicendum. Alia verò sunt immutabilia quidem per totam naturam & potestatem humanam, sed mutabilia per diuinam potentiam absolutam Dei. v.g. Non est occidendus innocens, ita immutabile est ius istud naturale: quòd non sit in toto orbe potestas in oppositum. Nihilominus videtur Deus de facto dispensare in isto iure. Dum præcepit Abrahæ, vt immolaret suum filium innocentem: & iterũ filijs Israel præcepit, vt interficerent infantes Innocentes Amorrhæorum, & Cananæorum. Veruntamen sapientioribus & prudentioribus Theologorum videtur quòd illa non fuerit propriè dispensatio: sed potiùs fuerit mutatio materiæ circa quã versatur illud ius, scilicet, vitam alienam innocentis. Sed cùm Deus sit dominus vitæ & mortis, sicut ipse potest occidere innocentem: ita potest concedere hanc facultatem alteri tanquam ministro diuini beneplaciti. Cæterum propriè dispensatio esset quãdo, manente materia legis & iuris, fieret licitum oppositum eius, quod præcipitur per legem. Ac proinde ijdem Theologi dicunt: quòd præcepta Decalogi sunt indispensabilia, etiam per diuinam potentiam. Et ratio est, quoniam si Deus concedit alicui vt accipiat rem & vxorem vicinitiam mutat materiam præcepti tanquam Dominus absolutus omnium rerum: & ipse qui accipit vxorem vicini, non accipit rem alienam, neque attrectat vxorem alienam. His tamen non obstantibus, negare non possumus, quin huiusmodi præcepta habeant aliquam varietatem & mutabilitatem quanuis contingat ex parte materiæ: quod quidem non contingit in alijs præceptis; v.g. Non falsum testimonium dices. Alia sunt præcepta quę vt in plurimum, stantibus humanis moribus rectis & compositis, non variantur: sed aliquando necesse est variari propter malitiam alicuius hominis. Cuiusmodi est præceptum de reddendo deposito, quod respicit ius naturale. At verò propter malitiam deponentis: quia petit depositum gladium ad occidendum innocentem, non debet depositarius depositum reddere gladium: imo tenetur nõ reddere, vt docet Diuus Thomas in solutione ad primum. Hoc autem non contingit quia ius naturale mutetur secundum se sed, quia mutatur ille cui reddendum erat depositum, & cui adæquandum erat tale ius. Ratio huius doctrinæ ea est, quoniam in illo eventu est aliud ius naturæ quod est defensio innocentis aut reipublicę. Imo etiam concurrit præceptum de non occidẽdo. Quòd si tunc redderem depositum gladium essem ego cooperans ad mortem alterius. Et quoniam ista præcepta de defensione innocentis & de non occidendo, sunt principaliora & vniuersaliora quã illud præceptum de reddendo deposito, idcirco non reddendum est. Possumus duo exempla in naturalibus pro explicatione huius nostræ doctrinæ proferre. Primum sit. Videmus enim quòd in naturalibus quædam ita sunt necessaria vt per nullam potẽtiam possint variari. v.g. quatuor & tria sunt septem. Alia vero sunt quæ per nullam naturalem potentiam variari possunt. v.g. cælum est: Angelus est. At vero per potentiam Dei absolutam aliter se possunt habere. Alia vero sunt necessaria naturaliter, quatenùs vt in plurimum ita contingunt. v.g. Hominem nasci duobus pedibus & duabus manibus: licet aliquando videamus aliter contingere. Alterum exemplum est valde accommodatum ad explicandam rationem, quare quædam naturalia præcepta aliquando aliter se habeant. Videmus enim in rebus naturalib. quòd quantùs graue habeat naturalem inclinationem ad motum deorsum, tamen aliquando quasi obliuiscitur illius naturalis inclinationis particularis, & non quidem propter violentiam, sed propter bonum vniuersi ascendit sursum ne detur vacuum. Ad quod quidem bonum omnis res naturalis habet superiorem quandam inclinationem magisque dominantem, quàm propriam particularem inclinationem. Ita contingit in moralibus, quòd quædã præcepta naturalia inferiora cedunt superioribus præceptis quantùm ad exercitium quando simul exerceri nequeunt. Vt patet de præcepto de reddẽdo deposito gladio, quod cedit in prædicto eventu alijs præceptis superioribus de defensione innocentis, & de non occidendo. Et hoc est egregium documentum.

Quarta conclusio, Si velimus Theologicè & à prima origine iuris diuisionem in tota sua latitudine constituere: aliter procedere debemus, quam D. Thom. in articulo, moralis philosophi officiũ exercens, processit. Hæc conclusio non aliter probatur quàm si vniuersalem diuisionẽ iuris ante oculos proposuerimus. Ius itaque in tota sua latitudine primum omnium diuidatur in ius diuinũ, cuius Deus est actor; & in humanum cuius homo est conditor. Rursus ius diuinum diuiditur in diuinum pertinẽs ad naturæ ordinem, & in diuinum pertinens ad ordinem gratiæ. Exemplum prioris membri sunt præcepta Decalogi. Exemplum secundi sunt præcepta Theologicarum virtutum. Deinceps tertio diuiditur ius diuinum pertinens ad naturæ ordinẽ in ius naturale & ius superadditum ex beneplacito Dei. Dicitur autem ius naturale non solum quia pertinet ad ordinem naturæ, sed quia naturali instinctu luminis naturalis cognoscitur & obligat: vel per consequentiam euidentem ex illo lumine naturali, qualiter multa præcepta Decalogi deducuntur. At vero ius diuinum pertinens ad ordinem naturæ, sed superadditum iuri naturali à Deo: est illud quod per specialem reuelationem Dei constituitur hominibus in ordine ab bonam gubernationem reipublicæ secundùm humanam politiã. Talia sunt præcepta iudicialia veteris legis: quæ ex parte obiecti & materiæ non excludunt ordinem naturæ, huiusmodi sunt multa Exod. 22. Denique ius diuinum pertinens ad ordinem gratiæ diuiditur iuxta doctrinam D. Thomæ in solutione ad tertium, in ius connaturale ipsi gratiæ & immutabile: & in ius positiuum. Exemplum primi membri, sunt præcepta de virtutibus Theologicis, fide quibus omni tempore impossibile fuit placere Deo. Exemplum secundi sunt præcepta de sacramẽtis tam veteris quã nouæ legis. Nam sacramenta veteris legis quanuis non conferant gratiam, significant illam. At vero in lege noua certum est quòd conferunt gratiam: sunt autem pertinentia ad legem positiuam in nouo testamento. Circa prædictam diuisionem obseruandum est quòd diuisimus ius in magna vniuersalitate, non solum vt est obiectum iustitiæ specialiter dictæ: sed etiam ut est obiectum omnis virtutis cuius actus est in præcepto. Pertinet enim ad iustitiã legalẽ, obseruare leges, ac propterea merito ea quę cadunt sub præcepto dicuntur ius. Aduerte secũdo breuiter, quòd non vltra diuisimus ius humanum: quia huiusmodi diuisionem ad sequentem articulum reseruamus.

Ad argumenta in oppositum reliquum est respõdere. Ad primum respondetur, quòd considerando ius præcisè secundùm ordinem naturę vt à moali philosophio consideratur, sufficienter diuiditur in illa duo membra. Non enim inuenitur lex quæ non sit vel naturalis vel positiua. Etenim lex æterna naturalis est. Et rursus lex naturalis lex diuina est. Cæterum quantùs sit aliqualis differentia inter legem æternam & legem naturalem, quòd lex naturalis dicitur quatenus naturæ hominum indita est ab autore naturæ: & lex æterna dicitur quatenus est in ipso Deo, & quatenus ipsa lex naturalis regulatur ab illa, sic etiam dicitur æterna. Nihilominus non propterea oportet distinguere ius æternum contra ius naturale & positum. Et ratio est, quia lex æterna respectu hominum in quibus est lex naturalis, respicit idem ius quòd lex naturalis: sunt enim subordinatæ istę leges. Quemadmodũ causæ inferiores & causæ superiores. Vnde sicut non oportet distinguere quoddam animal genitũ ab alio animali, & aliud genitum à Sole: sic non oportet distinguere ius quod est obiectum legis naturalis, à iure quod est obiectum legis æternæ. Eadem enim æqualitas regulata lege naturali regulatur lege æterna. Quapropter consequentia argumenti nihil valet. Hęc prædicta solutio videtur conuenientior, quam alia quæ assignatur à Magistro Soto lib. 1. de iustitia, artic. 1. quæst. 3. ad primum. Vbi dicit, quòd propterea non diuiditur ius æternum, quia ius est æquitas quæ in temporalibus rebus constituitur. Sed tamen hæc doctrina non videtur omnino vera. Etenim non minus æternum est hoc quod dicimus, quod tibi non vis alteri ne feceris: quam quod dicimus in speculatiuis quatuor & tria sunt septem, ergo ius non dicitur quia temporaliter sit constitutum: quãuis temporaliter exerceatur inter homines. Sed dicitur ius quatenus est obiectum iustitiæ, ad quod terminatur, vel terminari actio iustitiæ potest.

Ad secundum argumentum respondetur ex doctrina quæ explicata est in tertia & quarta differentia inter ius naturale & ius positiuũ. Ad hoc etiam facit quod inquit Arist. lib. 1. Etchicor. c. 3. iustum mathematicum non esse exigendum in moalib. Ad confirmationem argumenti respondetur cum D. Tho. 1. 2. quæst. 49. quòd ius naturæ multipliciter potest dici. Vno modo propriè & positiuè, quatenus lex præcipit aliquid fieri vel prohibet. Altero modo dicitur aliquid esse secundùm ius naturæ negatiuè quatenùs lex naturalis non determinat aliquid fieri vel non fieri circa rem illam, & hoc modo dicimus quod stando in iure naturæ omnia sunt communia, hoc est lex naturalis non determinauit rerum diuisionem & appropriationem. Dicimus ergo quod circa ius primo modo nunquam facit ius positiuum mutationem aut nouitatem. At vero circa ius naturale secundo modo potest ius positiuũ facere, imò fecit aliquam mutationem & nouitatem, nempè diuisionem rerum & appropriationem illarum.

Ad tertium argumentum non possumus conuenienter respondere vsque ad articulum. 3. sed dicimus breuiter quòd ius naturę definitur à Iurisconsultis non quidem propriè, sed prout est aliquid quod materialiter habet quandam æqualitatem etiam in brutis, qualis est coniunctio maris & fœminæ; at vero sicut in brutis non est propriè iniuria, ita neque in illis propriè ius. Nos vero agimus de iure moali modo vt est obiectum iustitiæ, ac propterea ius naturæ appellamus quod soli naturæ rationali proprium est.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ius gentium sit idem cum iure naturali.

AD Tertium sic proceditur. Videtur quòd ius gentium sit idem cum iure naturali. Non enim omnes homines conueniunt, nisi in eo quod est eis naturale. Sed in iure gentium omnes homines conueniunt. Dicit enim † Iurisconsultus, quòd ius gentium est, quo gentes humanæ vtuntur. Ergo ius gentium est ius naturale. † 2. q. 95. ar. 4. ad 1. & 5. Ethic. lectu. 12. col. 1. fin. In dig. esto veteri lib. 1. tit. 1. lege. 9.

2. Præterea. Seruitus inter homines est naturalis: quidam enim sunt naturaliter serui, vt † Philosophus probat in 1. Politici. Sed seruitutes pertinent ad ius gentium, vt † Isidor. dicit: ergo ius gentium est ius naturale. Lib. 1. Politic. c. 1. & 4. tom. 5. Lib. 1. Etimol. c. 6. Art. præced.

3. Præterea. Ius, vt † dictum est, diuiditur per ius naturale & positiuum. Sed ius gentium non est ius positiuum. Nõ enim omnes gentes vnquam conuenerunt, vt ex communi condicto aliquid statuerẽt: ergo ius gentium est ius naturale.

SED contra est, quod † Isidor. dicit, quòd ius aut naturale est, aut ciuile, aut gentium: &, ita ius gentium distinguitur à iure naturali. Lib. 5. Etimol. ca. 4. in princ.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut † dictum est, ius, siue iustum naturale est quod ex sui natura est adæquatum vel commensuratum alteri. Hoc autem potest Art. præced.

A

est contingere dupliciter. Vno modo secundùm absolutam sui considerationē: sicut masculus ex sui ratione habet commensurationem ad fœminam, vt ex ea generet, & parens ad filium, vt eum nutriat. Alio modo aliquid est naturaliter alteri commensuratum, nō secundùm absolutam sui rationem, sed secundùm aliquid, qd̄ ex ipso sequitur, putà proprietas possessionum. Si enim consideretur iste ager absolutè non habet vnde magis sit huius, quàm illius. Sed si consideretur ad opportunitatem colendi, & ad pacificum vsum agri, secundùm hoc habet quandam commensurationem ad hoc, quòd sit vnius & non alterius: vt pater per † Philosophum in 2. Politic. Absolutè autem apprehendere aliquid non solùm conuenit homini, sed etiam alijs animalibus: & ideo ius quod dicitur naturale secundùm primū modum, commune est nobis & alijs animalibus. A iure autē naturali sic dicto recedit ius gentium, vt Iurisconsultus dicit: quia illud omnibus animalibus, hoc solum hominibus inter se commune est. Considerare autem aliquid, comparando ad id quod ex ipso sequitur, est proprium rationis. Et ideo hoc idem est naturale homini secundum rationem naturalem, quę hoc dictat. Et ideo dicit Caius † Iutisconsultu Quòd naturalis ratio inter omnes homines constituit; id apud omnes gentes custoditur: vocaturque ius gentium. Et per hoc pater responsio ad Primum.

Lib. 2. c. 1. text. 5.

In digesto veteri lib. 1. titul. 1. leg. 9.

A D secundum dicendum, quòd hunc hominem esse seruum, absolutè considerādo, magis quàm alium, non habet rationem naturalem, se ſ solùm secūdū aliquā vtilitatem consequentem: inquantum vtile est huic, quòd regatur à sapientiori: & illi quod ab hoc iuuetur, vt dicitur in 1. † Polit. Et ideo seruitus pertinens ad ius gentium est naturalis secundo modo, sed non primo modo.

Lib. 1. ca. 3. in fine, præcipuè text. 1.

A D tertium dicendum, quòd quia ea quæ sunt iuris gentium, naturalis ratio dictat, putà ex propinquo habentia æquitatem: inde est quòd non indigent aliqua speciali institutione, sed ipsa naturali ratio eam instituit, vt † dictum est in autoritate inducta.

Aug. 1. & in fin. corpore ar.

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA conclusio. Ius naturale quod est alteri adęquatum secundùm absolutam considerationem est commune omnibus animalibus.

Secunda conclusio. Ius gentium recedit à iure naturali in prædicta consideratione.

Tertia conclusio. Ius naturale quod est adæquatum alteri secundùm aliquid quod inde sequitur, est homini proprium & naturale, & hoc apud Iurisconsultos vocatur ius gentium.

COMMENTARIVS.

B

DVBIVM primum circa primam conclusionem D. Thomæ; An sit verum quòd ius naturale reperiatur in brutis. Pro parte negatiua arguitur primò. In brutis nulla est iustitia, ergo non est ius. Probatur consequentia. Quia iustum est obiectum adęquatum iustitiæ, ergo solum est respectu iustitiæ, & ⁊ vbi iustitia reperitur. Confirmatur. Quia ratio iuris est lex, in brutis nō est lex nec ratio, ergo nec ius naturale.

Secundò arguitur. Eadem ratione sequeretur quòd in alijs rebus etiam inanimatis v.g. in lapide esset ius naturale. Consequens est falsum, ergo in brutis non est ius. Sequela probatur. Quia etiam in lapide est quædam naturalis commensuratio illius ad suam proprietatem & ad finem sibi debitum.

C

Tertiò arguitur. Nam secundum Arist. 5. Politicorum cap. 7. Ius politicum diuidiatur in ius naturale & ius legales, sed bruta non habent ius politicum ergo nec naturale nec legale. In oppositum est Diuus Tho. Et in doctrina eius sit prima conclusio. In brutis non est proprie ius naturale. Hoc probant prædictæ rationes, nec Diuus Thom. oppositum docet cum inquit, quod ius naturale quod importat absolutam commensurationem rerum est commune nobis & brutis. Nam loquitur de communitate secundum analogiam.

D

Vnde sit secunda conclusio. Ius naturale solum ponitur in brutis per quandam similitudinem & proportionem. Hæc sequitur ex prima cōclusione. Pro cuius intelligentia, nota quòd homo habet triplicem inclinationem & sibi respondent tria iura. Prima inclinatio est communis hominibus & omnibus reb. v.g. cōseruare seip sum & huic rndet præceptū naturale de omnib. medijs necessarijs ad suā conseruationem acquirendam. Alia inclinatio est communis hominibus & brutis, ⁊ videlicet, quòd apprehendant bonum proprium & coniungantur in se inuicem ad procreandam sobolem, ex quo oritur ius inter patrem & filium, & inter masculum & fœminam. Tertia inclinatio, est propria soli homini, quæ videlicet exercetur media ratione & discursu, vt quòd neminem lædere debeamus. Huic respondet ius quod est lumen rationis & omnia principia ad quæ immediatè inclinat intellectus practicus.

E

Dicimus ergo in cōclusione quòd quia bruta cō ueniunt cum omnibus in quibusdam operationibus sequentibus apprehensionem & inclinationē naturalem quemadmodum in homine ponimus simpliciter ius, vbi est simpliciter & formaliter iustitia & similiter apprehensio finis & mediorum formaliter: ita & brutis quodammodo & per proportionem & similitudinem ad nos, ponimus ius naturale, quemadmodum communiter philosophi solent ponere quandam rationem discursus in brutis: quæ quidem non est propriè discursus, sed habet proportionem & similitudinem cum discursu hominis formali, De quo vide Diuum Thomam 1.2. quæst. 13. artic. secundo, & ibi interpretes. Sit aterum exemplum ad hoc etiam explicandum. v.g. coniunctio maris cum fœmina communis est hominibus cum brutis: sed tamen est differentia. Nam brutis ab authore naturæ tantum indita est illa commensuratio maris cum fœmina, quibus commensurationis ratio est ipsa lex æterna quæ est in Deo. At vero in hominibus vltra hoc est etiam ratio formalis legis naturalis inditæ ab ipso Deo cui liberè obedit & exercet coniunctionem illam maris & fœminæ conformiter vel difformiter ad ipsam legem. Volumus ergo dicere in conclusione, quod huiusmodi coniunctio maris & fœminæ est verè & propriè ius naturale respectu hominum, quando conformiter ad legem exercetur ab hominibus. At vero in brutis dicitur ius naturale, quia eadem actio secūdum materiałem substantiam exercetur ab illis iuxta inclinationem naturalem. Ex dictis etiam colligo, quod cum aliqua proprietate competit ius naturale etiam brutis, quatenus commensuratio maris & fœminæ habet rationem in lege æterna, & est obiectum legis æternæ & iustitiæ distributiuæ: quę est in Deo secundum quam ipse Deus facit æqualitatem ipsis rebus, tribuēs vnicuique inclinationem & potentiam & operationem secundum quod naturæ rei debitum est. Quod si quis obijciat hanc rationem iuris naturalis communem esse homini cū plantis & lapidibus: at vero à Iurisconsultis & à Diuo, Thoma dicitur specialiter quod ius naturale cōmune est hominibus cum brutis, ergo non bene explicatum est hoc ius secundum rationem communem homini cum alijs rebus omnibus. Respondetur, quod aliquid specialius est in animalibus, propter quod ius naturale potiùs dicitur commune homini cum brutis, quæ conueniunt cum homine in genere animalis immediato. Etenim non solum homo, sed etiam animalia operantur cum quadam cognitione finis, quanuis non cognoscunt proportionem mediorum ad finem, vt à nobis explicatum est. 1.2. quęst. 6. de voluntate. & quæst. 1. Hinc est ꝗ ad ꝗn homo qui ē animal rōnale, & facit aliquid quod est contra naturale ius primo modo, quod sibi commune est cum brutis; tunc vehementiùs reprehenditur ex comparatione ad bruta quæ in illis operationibus seruant perpetuò tenorem iuris naturalis. v.g. si homo indebito modo se habeat circa vxoris vsu vel erga filios, meritò obijcitur illi, quòd sit pegior brutis & feris animalibus. Iuxta illud Ieremiæ Threnorum capit. 4. Lamiæ nudauerunt mammas lectauerunt catulos suos. Filia populi mei crudelis. Ad hoc facit quod dicit Isaiæ. cap. 1. Cognouit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Simile est illud Ieremiæ. 8. Miluus in cælo cognouit tempus suum. Hinc est, quòd peccata. Sodomiæ specialiter dicuntur esse contra naturam: quia sunt contra ordinem communem brutis & hominibus, quanuis alia omnia peccata sint cōtra naturam rationalem. Sic ergo quando Iurisconsulti dicūt, Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit, loquuntur de illis actionibus in quib. bruta operantur cum quadam cognitione finis secundū quandam commensurationem sibi inditam in æstimatiua naturali: quæ est quasi quædam rationi iusti naturalis. Cæterum notandum est iuris gentium æqualitatem placuisse Iurisconsultis significare per iustitiam quæ non nisi ratione humana exercetur: hoc est colere Deum: & parentes venerari, de quo agemus dubio sequenti.

A

DVBITATVR secundo. Vtrum ius gentium sit naturale. Arguitur primo pro parte affirmatiua, ex dictis à Diuo Thoma, & Arist. & Iurisconsultis. Nam D. Tho. in præsenti articulo expresè ait, Ius gentium esse ius naturale consideratum secundum aliquid quod inde sequitur: quanuis non sit ius naturale priori illo modo qui communis erat brutis. Item Diuus Thomas in lectione. 10. lib. 5. Ethicorum cap. 7. Explicans Arist. dicit, quòd iuxta Arist. sententiam ius gentium comprehenditur sub naturali iure. Item Iurisconsulti vbi supra, hoc ipsum videntur sentire: dum aiunt, quòd colere Deum, venerari parentes, ius gentium est. Constat autem nihil naturalius esse rationali naturæ quam colere Deum, ⁊ venerari parentes.

B

Secundò arguitur ratione. Omne quod colligitur per bona consequentiam ex principijs moralibus ius naturale est, sed ius gentium colligitur ex huiusmodi principijs, ergo est ius naturale. Probatur maior ex D. Thom. 1.2. q. 95. art. 2. & probatur etiam ratione, & à simili, quoniam conclusio physica, quæ colligitur ex principijs physicis per bonā consequentia pertinet ad ordinem naturalis luminis, ergo conclusio moralis quę necessariò sequitur ex primis principijs moralibus, pertinet ad ius naturale morale. Et confirmatur, quia omnia præcepta decalogi vel ferè omnia sunt conclusiones primorum principiorum moralium, videlicet, bonum secundum rationem est prosequendum, & malum fugiendum. Item quod tibi nō vis alteri ne feceris. Ex istis colligitur, non esse furandum, non occidendum, &c. quæ sunt præcepta naturalia. Confirmatur secundo vehementius. Nam simplicem fornicationem esse illicitam de iure naturæ est, & tamē non est primum principium: sed conclusio deducta ex primo principio. v.g. coniunctio maris & fœminæ inter hominem naturaliter ordinatur, non solū ad generationem animalis, sed etiam ad debitam educationem hominis, qui est animal rationale. Sed quia hoc sine perpetua coniunctione maris & fęminæ commodè fieri non potest, quantum est ex natura rei: idcirco simplex fornicatio & varius concubitus dicitur esse contra ius naturale. Similiter & proportionabiliter cùm in hoc principio morali & naturali, quod homines tenentur se ipsos sustentare inferatur necessariò, quòd agri sunt colendi. Et rursus ex alia propositione certa moraliter, videlicet, non possunt agri conuenienter coli nisi rerum diuisio fiat & earum appropriatio, eo quòd homines negligentes sunt in cultu communium bonorum. Cùm ergo ex dictis inferatur, quod fiat rerū diuisio, & fiant propria rerū dominia, consequens est, vt hæc pertineant ad ius naturale. Constat autē, quòd rerum diuisio dicitur esse de iure gentium, ergo ius gentium ius naturale est.

C

D

E

Tertiò arguitur. Si ius gentium esset ius positiuum, sequitur, quòd possit mutari, & abrogari humana voluntate principis. Et quanuis princeps peccaret abrogando, nihilominus factum teneret. Sequela videtur manifesta, quia ius positiuum solum pendet ex legislatoris beneplacito. Consequēs tamen falsum est, quia in tali euentu nemo condemnaret proprios dominos rerū qui defenderent bona sua vel à principe vel ab alijs qui intentarēt illa vsurpare. Denique arguitur, ius gentium apud omnes gentes bene institutas custoditur & debitum esse iudicatur: & si quis oppositum faciat iudicatur male facere, ergo iniquum humana constitutione

cutione sancitum est. Probatur consequentia, quia nullus princeps potuit toti mundo legem ferre de huiusmodi iure seruãdo, ergo ius naturale est istius modi ius gentium.

In hac difficultate dissoluenda sciendum est, quòd Iurisconsulti distinguunt ius in ius naturale & ius gentium asserentes ius naturale esse commune homini cum brutis, ius autem gentium diffiniunt ex eo, quòd gentibus commune neque brutis competit. Et profectò quantum videtur, ius gentiũ diffiniunt & denominant non ex eo, quòd à gentibus sit institutum, sed ex eo, quod inuenitur in gentibus & non in brutis. Ex quo colligitur, quòd nomine iuris gentium includunt ius naturale, quod proprium est rationalis naturæ, de quo loquitur Diuus Thomas in tertia conclusione. Et simul etiam includunt ius gentium, quod gentes stabilierunt, in quo & gentes conueniunt. At vero Theologi nomine iuris gentium in communi vsu loquendi excludimus ius naturale, non solum quod est commune nobis cum brutis: sed etiam quod est proprium rationalis naturæ. Similiter est æquiuocatio in hoc nomine ius ciuile. Potest enim denominari ex eo, quòd vis illius iuris communis est ciuitatibus, vel ex eo, quòd à ciuitatibus vel earum principe institutum est. Et in hac secunda significatione vtuntur hoc nomine Iurisconsulti, in qua etiam significatione nos solemus appellare leges regni, quæ ab ipso Rege regni institutæ sunt eadem æquiuocatio potest esse in hoc nomine ius humanum, vt dicatur, vel quod homines habent in vsu, vel quod homines instituerunt.

Pro decisionẽ veritatis, sit prima conclusio. Ius gentium & ius humanum, & ius ciuile, si priori modo accipiatur, commune est ad ius naturale proprium rationalis naturæ & ad ius positiuum. Conclusio probatur quantum attinet ad ius gentium, ex doctrina Iurisconsultorum vbi supra asserentiũ diuinum cultum & venerari parentes esse ius gentium, cum tamen sit res certissima, quòd hæc præcepta sunt maxime naturalia rationali naturæ. Similiter ijdem Iurisconsulti, vt patet in Emanumissiones. ff. de Iustitia & Iure. aiunt seruitutes esse de iure gentium. Et tamen etiam constat seruitutem introductam fuisse iure positiuo. Cæterùm quantũ ad ius humanum. Probatur conclusio, quòd vtroque modo conueniat. Etenim secundum Isidorum libro Etymolog. c. 2. quem citat D. Tho. art. 1. arg. 3. Ius differt ab eo quod dicitur fas, eo q; ius est inter homines ipsos: Fas autem erga Deum. Cum igitur ius humanum, quod est inter homines, versetur circa æqualitatem ex natura rei, & circa æqualitatẽ ex lege positiua: consequens est, quòd ius humanũ posit esse etiam positiuum. Deinceps probatur conclusio quantum attinet ad ius ciuile. Quoniã Arist. lib. 5. Ethic. c. 7. diuidit ius politicũ, quod cõstat esse idem atque ciuile, in naturale & positiuum: quod ille appellat legale hoc est lege positum, ergo ius naturale etiam positiuum continetur, sub iure ciuili. Probatur secundo ratione eadem conclusio, quoniam ius gentium, & ius humanum & ciuile in priori illa significatione nihil aliud importat, quàm ius illud quo vtuntur gentes vel homines vel ciues: sed gentes & homines & ciues vtuntur iure naturæ & positiuo, ergo conclusio vera.

Secunda conclusio. Ius humanum in secunda acceptione conuertitur cum iure positiuo: & sic diuiditur ius gentium & ciuile. Hæc conclusio habet duas partes. Et probatur prima. Ius humanum in priori significatione nihil aliud est quam ius ad homine constitutum, sed hoc ipsum dicitur ius positiuũ, quod homines posuerunt, ergo. Altera pars conclusionis asseritur à D. Tho. 1. 1. quæst. 95. artic. 4. Vbi citat & explicat Isidorum lib. 5. Etymologi. cap. 5. Quò circa aduertendum est, quod nulla est difficultas in eo quod asseritur, ius ciuile contineri sub iure positiuo. Est enim ius ciuile quod populus seu ciuitas, seu princeps ciuitatum sibi proprium constituit. Vt ait Isidorus vbi supra cap. 5. & Iurisconsulti vbi supra. Sed tota difficultas est in explicãdo, quomodo ius gentium sit pars iuris positiui. Nihilominus probat hoc multipliciter. Primo ex Cicerone lib. 2. de Inuentione cap. 5. Vbi ait rerum diuisionem tribuendam esse iuri positiuo. At rerũ diuisio introducta est iure gentium, ergo ius gentium positiuum est. Quòd autem hoc intelligat Diuus Thom. pater ex 1. 2. quæst. 94. art. 5. ad tertiũ Vbi ait, rerum diuisionem & seruitutem non esse introductas à natura sed per hominum rationem. Cæterùm quod ex doctrina Diui Thomæ potest afferri in oppositum in hoc artic. leue est. Etenim in corpore articuli, & in responsione ad argumentum, solum negat ius gentium pertinere ad ius naturæ priori illo modo: vt brutis commune est. Cetera cum dicit pertinere ad ius naturæ: posteriori modo loquutus est in gratiam Iurisconsultorum, qui nomine iuris gentium intellexerunt, quo gentes vtuntur. Quapropter æquiuocatio est in ipso nomine ius gentium. Nec Diuus Thom. sibi contrarius est: quoniam in hoc articulo loquutus est more Iurisconsultorum: accipiens nomen iuris gentiũ prout commune est naturali & positiuo. At vero in 1. 2. loquutus est de iure gentium prout distinguitur ab omni iure naturali, non solum ab illo quod dicitur esse commune homini cum brutis, sed etiã à iure naturali proprio rationalis naturæ, quo pacto ferè sempre sumitur apud Theologos, & ita dicit Turecremata super distinct. 1. decreti capit. ius autẽ, quod ius gentium pertinet ad ius positiuum. Ratione vero probatur conclusio, quantùm ad istã secundam partem: quoniam ea quæ iure naturæ præcipiuntur vel prohibentur, sunt vel per se bona, vel per se mala. Sed non omnia de iure gentiũ sunt huiusmodi, ergo non omnia sunt de iure naturæ. Probatur minor. Nam rerum diuisio, quæ de iure gentium dicitur, non est per se bona: neq; rursus communis rerum possessio est per se mala. ergo ius gentium non præcipit quæ per se sunt bona vel per se mala. Antecedens probatur, quia legitur in Actibus Apostolicis, quòd fidelibus in primitiua ecclesia erant omnia cõmunia: quod perfectissimæ charitatis signum erat. Nam distribuebatur vnicuique prout cuique opus erat. Sicut modo in religionib. approbatis & reformatis omnia sunt communia. Deinde probatur conclusio ex differentia inter ius naturæ & inter ius gentium & ius ciuile positiuũ. Etenim quod est ius naturæ vel est principium per se notum vel conclusio quæ ex illo per necessariã consequentiam colligitur. At vero ea quæ introducta sunt iure gentium neque sunt principia per se nota: neque ex illis per necessariam consequentiã deducuntur, quanuis colligantur per consequentiã vsque adeo probabilem & vtilem humanæ societati, vt nullæ sint nationes, quæ talem consequentiam non admittant. Sint exempla vtriusque iuris, naturalis quidem: in illo principio: quod tibi non vis: alteri ne feceris, & in illa conclusione, non est furandum, non falsum testimonium dicendum. Exemplum verò iuris gentium, in illa conclusione, rerum diuisio facienda est: propria dominia distribuenda:

quæ quidem non est principium per se notum, sed conclusio, quæ colligitur ex alijs principijs, scilicet, agri sunt colendi ad sustentationem humanæ vitæ, & pacem Reipublicæ seruandam. Ex quibus ita licet colligere sub sumendum, scilicet, sed supposita hominum malitia, neque agri communes commodè colerentur, neque pax in republica retineretur, ergo expedit, vt rerum diuisio fiat. Iam vero ius ciuile positiuum illud est, quod minorem habet conuenientiam quam ius naturale: & ideo minus commune est gentibus: quanuis habeat aliquã conuenientiam cum iure naturali. Cuius exemplũ sit in illa lege Hispaniæ, quod fures suspendatur, quæ sequitur ex illo principio malefactores sunt puniendi. Non tamen per necessariam consequentiam, sed per conuenientem regno Hispaniæ.

Tertia conclusio. Ius gentium est quasi medium affinitatem habens cum iure naturali & ciuili positiuo: quoniam cum iure naturali conuenit. Primo in hoc quòd neutrum ius oportet esse scriptum. Secundo conueniunt in hoc quòd ad sui promulgationem non requiritur conuocatio hominum: sed in omnibus nationibus absque præcone acceptatur. Tertio, quia ius gentium habet modum iuris naturæ: quia ius naturæ est principium vel conclusio necessaria. At vero ius gentium est quasi modus quidam maximè necessarius, vt ius naturæ seruetur. Quarto conueniunt in hoc, quòd ius naturæ & ius gentium vbique apud omnes gentes custodiatur: etsi oppositum fiat, omnes iudicant malè fieri. Cæterum quanuis ius gentium conuenientiam habeat cum iure ciuili positiuo: tamẽ multum differt ab illo. Vt videbimus sequentibus. Quapropter absolutè loquendo nomine iuris positiui, non solemus intelligere ius gentium propter affinitatem quam ius gentium habet cum iure naturali.

Nihilominus sit quarta conclusio, ius gentium possibile est abrogari ex humano beneplacito, ita vt etiam si culpabiliter fiat, talis abrogatio, facta tamen teneat. Explicatur hæc conclusio. Si Rex Hispaniarum vellet modo abrogare rerum diuisiones in suo Regno & de consensu Regni: quanuis non biliter mortaliter peccaret cõtra bonã gubernationẽ Regni, tũ facta abrogatio valeret, & oia essent communia: neque quisquam aliquid proprium possideret. Hæc conclusio est Magistri Soto libro 5. de Iustitia & iure, quæst. 1. artic. 5. Vbi ait, esse quædam de iure gentium ita necessaria ad humanum conuictum, vt dispensare in illis non liceat. Imo forsan dispensatio facta esset irrita. Exemplum ponit in rerũ diuisione. Veruntamen ille potest intelligi, si sola Principis authoritate fiat dispensatio, absque consensu Regni. Etenim quanuis Regnum dicatur trãsferre in Regem totam suam authoritatem, tũ hoc intelligitur seruatis seruandis non solum iure naturali, sed etiam iure quod cõ est omnibus gentib. id circo nos diximus de consensu regni. Nunc igitur probatur conclusio. Ius gentium est positiuum eo modo, quo diximus, sed de ratione intrinseca iuris positiui est, vt sicut ex hoium beneplacito & cõstitutione cõstat, ita ex eodem possit abrogari, ergo &c. Probatur minor, ex Aristot. libr. 5. Ethicorum cap. 7. & confirmatur à simili. Nam ius ciuile propterea potest abrogari: quia vim habet ex hominum beneplacito, etiam si abrogatio malè fiat, ergo proportionabiliter poterit abrogari ius gentium ex beneplacito Principis & Regni, quorum interest gaudere iure gentium, & in eorum potestate est renuntiare tali iuri. Probatur conclusio secundo, & intendimus ostendere, quod etiam ius gentium posit in aliquo euentu abrogaris. Et est argumentum. Ea quæ sunt de iure gentium non sunt per se bona: neque ea quæ iure gentium prohibentur per se mala ita, quin pro loco & tempore possint variari, ergo non solum abrogatio facta teneb it: sed etiam erit licita aliquãdo. Explicatur & confirmatur ista ratio. Quoniam rerum diuisio & proprietas dominiorũ, quæ iure gentium dicitur introducta, iustissimè & sanctissimè olim in primitiua ecclesia: & nunc in religionibus locum non habet. Non igitur vniuersaliter est per se bona rerum diuisio. Probatur consequentia: quoniam ea quæ sunt per se bona & iure naturæ obligant, nunquam desinunt obligare propter præfectionem cõmunitatis. Hoc dixerim quasi respondens tacitæ obiectioni. Poterat enim aliquis obijcere, quòd reddere depositum est iustum naturale: & tamen in aliquo euentu non est licitum reddere depositum, vt in superioribus dictum est. Ergo non obstat quominus ius gentium sit ius naturale & per se bonum, quòd in aliquo euentu non sit seruandum. Cui obiectioni responsum est in hoc quòd diximus, quòd per se bonum non desinit obligare propter perfectionem communitatis. Imo gratia & sanctitas & charitas perficit naturã. Est aliud exemplum, quoniam seruitus eorum, qui capiuntur in bello iusto, iure gẽtium introducta est, sed in hoc iure mutationem fecit ecclesia, vt Christiani quantumlibet in bello iusto caperentur non sint serui. Et hoc in fauorem Euangelij & baptismi, ergo quę sũt de iure gentium non pertinent ad ius naturæ, alias ecclesia non haberet authoritatem circa illa immutanda. Ex hac doctrina sequitur, quod Sarraceni qui capti sunt in bello Granatensi vltimo, ante annos viginti meritò potuerunt in seruitutem redigi in pœnam Apostasiæ & rebellionis à fide Catholica. Ratio huius est, quia quemadmodum in fauorẽ Euangelij statutum est ab Ecclesia: Vt Christiani non possent fieri serui; Ita etiam in pœnam Apostatarum, & rebellantium reuocari potuit illa gratia & permitti, vt ius gentium erga huiusmodi rebelles exercetur. Eo vel maximè: quòd ipsi Sarraceni quos ex nostris bello capiebant in seruitutem redigebant & vendebant. Accessit etiam ad iustificationem huius negotij authoritas Pij Quinti, & Catholici Regis Philippi Secundi, quorum consensu huiusmodi Sarraceni in seruitutem sunt redacti. Habemus itaque ex prædictis, quòd ius gentium non est ex natura sua immutabile: quin potius aliquando potest licitè mutari. Aliquando vero tametsi licitè non abrogetur: tamen abrogatio facta valet, dummodo fiat de consensu Principis & populi sibi subditi. Cæterùm Rex Hispaniæ non poterit abrogare ius gentium, quod sibi commune est cum Rege Galliæ. v. g. quòd tempore belli legati vtriusque Regis pacificè recipiantur. Hoc enim ius gentium est, quod colligitur ex illo principio, quòd pax & tranquillitas Reipublicæ est finis belli, Legati autem negotium pacis agere præsumuntur: ergo audiendi sunt in pace. Item etiam, quia bellum indicitur per sententiam Principis contra aliam rempublicam. Ergo sicut in sententia forensi audiendus est reus si vult audiri: multo magis in sententia contra aliam Rempublicam audire oportet iustificationem, vel satisfactionem quam intendit Regnum illud ad euitanda mala quæ ex bello sequuntur. Dicimus ergo, quod ius illud de pacificè recipiendis legatis, nõ potest abrogari ab vno Principe sine consensu alterius. At vero de consensu vtriusque partis poterit abrogari.

Ad argumẽta vero proposita in principio dubij, respondetur ad primum quod desumebatur ex illis testimonijs: Respondetur, quòd in illis est sermo de

de iure gentium in priori acceptione. & significatione prout in prima conclusione explicatum est.

Ad secundum argumentum respondetur negandum minorem. Si intelligatur quod ius gentium per necessariam consequentiam colligitur ex principij naturalibus. Et per hoc patet ad primam confirmationem. Ad secundam confirmationem respondetur simpliçem fornicationem esse illicitam, iure naturali certissimum est. Et oppositum contrariatur fidei Catholicæ quãuis corruptis & vitiosis hominibus non omnibus appareat necessitas consequentiæ ex principijs per se notis lumine naturali: tamen tenentur se subijcere sententiæ doctiorum & studiosorum, qui iudicant de necessitate consequentiæ & condemnant simpliçem fornicationem tanquam legi naturali contrariam. At vero diuisio rerum non colligitur absolutè per euidentem consequentiam, & quanuis peccatu esset abrogare tale ius, tamen de consensu partium abrogatio facta valet.

Ad tertium respondetur, quòd iã diximus quòd Principes absque consensu populi non potest abrogare ius gentium de rerum diuisione.

Ad vltimum negatur consequentia. Ad probationem respondetur, quod non opus est, quod aliquis singularis Princeps totius orbis legem tulerit de iure gentium: sed sufficit, quod ex beneplacito communi hominum & ex consuetudine tale ius fuerit introductum tanquam maximè conueniens cum iure naturali. Et certè argumentum probat, quòd ius gentium magna habet affinitatem cum iure naturali.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm debeat specialiter distingui ius paternum & dominatiuum.

Infra. q8. 58. art 7. ad 3. & 2. dist. 44. q. 2. ar. 1 co. & 5. Ethic. co. lec. 11.

AD Quartum sic proceditur. Videtur quod non debeat specialiter distingui ius paternũ & dominatiuum. Ad iustitiam enim pertinet reddere vnicuique quod suum est, vt dicit † Ambros. in 1. de Officijs. Sed ius est obiectum iustitiæ: sicut † dictum est. Ergo ius ad vnumquenque æqualiter pertinet: & sic non debet distingui specialiter ius patris & domini.

Lib. 1. de officijs. c. 81. circa fineto. 1. Art 1. huius quæst.

Art. 1. ad primum.

2. Præterea, Ratio iusti est lex: vt † dictum est. Sed lex respicit commune bonum ciuitatis & regni: vt suprà † habitum est. Non autem respicit bonum priuatum vnius personæ, aut etiam vnius familiæ. Non ergo debet esse aliquod speciale ius vel iustum dominatiuum vel paternum, cum dominus & pater pertineant ad domum, vt dicitur in. 1. † Politic.

1 2 q. 90. art. 2.

Cap. 3 tomo. 5.

3. præterea, Multæ aliæ sunt differentiæ graduũ in hominibus, vt puta quod quidam sunt milites, quidam sacerdotes, quidam principes. Ergo ad eos debet aliquod speciale ius vel iustum determinari.

SED contrà est, quod † Philosophus in 5. Ethic. specialiter à iusto politico distinguit dominatiuum & paternum, & alia huiusmodi.

Lib. 5. ca. 6. circa fi. to. 5.

RESPONDEO dicendum, quòd ius, siue iustum dicitur per conmensurationem ad alterum. Alterum autem potest dici dupliciter. Vno modo quòd simpliciter est alterum sicut quod est omnino distinctum: sicut apparet in duobus hominibus, quorum vnus non est sub altero, sed ambo sunt sub vno principe ciuitatis. Et inter tales secundum † Philosophum in 5. Ethic. est simpliciter iustum. Alio modo dicitur aliquid alterum non simpliciter, sed quasi aliquid eius existẽs. Et hoc modo in rebus humanis filius est aliquid patris: quia quodammodo est pars eius, vt dicitur in 8. † Ethic. & seruus est aliquid domini: quia est instrumẽtum eius, vt dicitur in 1 † Polit. Et ideo patris ad filium non est comparatio, sicut ad simpliciter alterum. Et propter hoc non est ibi simpliciter iustum, sed quoddam iustum, scilicet paternum: & eadem ratione, nec inter dominum & seruum, sed est inter eos dominatiuum iustum. Vxor autem, quanuis sit aliquid viri, quia comparatur ad eum sicut ad proprium corpus, vt patet per Apostolum ad Ephe. 5. tamen magis distinguitur à viro quàm filius à patre, vel seruus à domino. Assumitur enim in quandam socialem vitam matrimonij. Et ideo: vt † Philosophus dicit inter virũ & vxorem plus est de ratione iusti, quam inter patrem & filium, vel dominum & seruum: quia cùm vir & vxor habeant immediatam relationem ad domesticam communitatem, vt patet in 1. † Politic. ideo inter eos non est etiam simpliciter politicum iustum, sed magis iustum œconomicum.

Lib. 5. ca. 6. circa fi. nem to. 5.

Lib. 5. ca. 22. to. 5.

Lib. 1. Politic. ca. 5 & 4. to. 6

Lib. 5. Ethic. c. 6. in fin. tomo 5.

Lib. 1. ca. 2. elicitur, & ca. vii. to. 5.

AD Primum ergo dicendum, quòd ad iustitiã pertinet reddere ius suum vnicuique: supposita tamẽ diuersitate vnius ad alterum. Si quis enim sibi det quod sibi debetur, non propriè vocatur hoc iustum: & quia quod est filij, est patris, & quod est serui, est domini: ideo non est propriè iustitia patris ad filiũ, vel domini ad seruum.

Ad

AD secundum dicendum, quod filius inquantum filius, est aliquid patris: & similiter seruus inquantum seruus, est aliquid domini. Vterque tamen prout consideratur, vt quidam homo, est aliquid secundum se subsistens ab alijs distinctum. Et ideo inquantum vterque est homo, aliquo modo ad eos est iustitia. Et propter hoc etiam aliquæ leges dantur de his quæ sunt patris ad filium, vel domini ad seruum. Sed inquantum vterque est aliquid alterius, secundum hoc deficit ibi perfecta ratio iusti vel iuris.

AD tertium dicendum, quòd omnes aliæ diuersitates personarum, quæ sunt in ciuitate, habent immediatam relationem ad communitatem ciuitatis & ad principem ipsius: & ideo ad eos est iustũ secundum perfectam rationẽ iustitiæ. Distinguitur tamen istud iustum secundum diuersa officia. Vnde dicitur ius militare, vel ius magistratuum, aut sacerdotum: nõ propter defectum à simpliciter iusto, sicut dicitur ius paternum & dominatiuum, sed propter hoc quòd vnicuique; conditioni personæ, secũdum proprium officium aliquid proprium debetur.

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA conclusio. Inter ciues, quorum neuter est sub potestate alterius vterque tamen sub vnius Principis, est iustũ simpliciter. Ratio huius est, quia simpliciter est iustum ad alterum.

Secunda conclusio. Inter patrem & filium non est iustum simpliciter, sed iustum quod dicitur paternum: & inter dominum & seruum non est etiã iustum simpliciter, sed iustum dominatiuum.

Tertia conclusio. Neque inter virum & vxorẽ est simpliciter iustum politicum: est tamen potior ratio iuris quàm inter patrem & filium: quæ dicitur œconomica. Ratio primæ patris est, quia vir & vxor non ordinatur immediatè in bonum commune Reipublicæ. Ratio secundæ patris, quia potissimum coniunguntur, vt socij ad exercendum maritale consortium.

COMMENTARIVS.

DVBITARE possemus qualiter Arist. & D. Tho. loquentes de iusto simpliciter, ponunt illud solum in conciuibus sub eodem principe. Nam profecto inter homines diuisiorum regnorum est iustitia simpliciter, vt inter Gallos & Hispanos, inter quos & exercerunt contractus iusti. Respondetur breuiter, quòd Diuus Thom. & Aristot. loquuntur de iusto legalis, non per hoc volentes excludere iustum naturale, quod est inter homines diuersorum regnorũ, quod est iustum simpliciter.

DVBITATVR circa secundam cõclusionem, de veritate illius & arguitur pro parte negatiua. Primo, inter patrem & filium est vera amicitia, ergo est propriè iustum. Antecedens est D. Tho. 2. 2. quæst. 24. arti. 8. & infra. Consequentia vero probatur quia sicut iustitia & iustum est ad alterum, ita amicitia. Secundo, inter patrem & filium in diuinis est iustitia propriè, ergo & in humanis. Antecedens patet ex D. Dho. 3. par. q. 1. artic. 3. Vbi dicit, quod filius satisfecit patri de rigore iustitiæ. Consequentia vero probatur. Nam filius in diuinis magis vnum est cum patre & magis desubstantia patris quam filius in humanis.

Tertiò arguitur. Inter hominem gratũ & Deũ est simpliciter iustum, licet homo gratus sit filius adoptiuus & seruus Dei, ergo Antecedens patet ex D. Tho. 1. 2. q. 114. Vbi ponit meritum simpliciter inter hominem & Deum. Et confirmatur. Nam inter hominem conditum in puris naturalibus & Deum authorem naturæ est meritum: vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 114. Ergo multo magis reperietur iustum inter filium naturale gentium à patre.

Quartò. Inter filium emancipatum & patrem est iustũ simpliciter, ergo inter filium dum est sub tutela parentum. Antecedens patet. Nam inter illos sunt contractus ciuiles emptionis & venditionis, in quibus simpliciter est iustum. Consequentia vero probatur. Quia quando filius emancipatur, non desinit esse aliquid patris per naturam aut ex substantia illius genitus, sicut antea, ergo, &c. Et cũ firmatur. Nam quanuis filius sit genitus à patre, & dependeat in fieri: tamen non dependet in conseruari: sed per ipsum conseruatur suppositum distinctum existens: eo vel maximè quod semen non est aliquid de substantia patris sed superfluũ quoddã.

Quinto sequeretur, quod eadem ratione inter duos fratres non esset propriè iustũ. Consequẽs est falsum, ergo &c. Sequela patet, quia etiam vterque est aliquid patris, sicut dextra & sinistra est aliquid hominis, ergo &c.

Sextò. Inter patrem & filium est ius naturale, ergo est simpliciter ius. Consequentia patet, quia ius naturale est membrum simpliciter iuris, ergo vbi illud reperitur, reperietur iustum simpliciter. Antecedens vero patet, quia inter se commensurantur secundùm absolutam rationem: & etiam quia si filius occidat patrem, maximè læditur ius naturæ.

Caietanus in hoc articulo nõ solum dicit, quòd inter patrem & filium formaliter non est iustum simpliciter: verum etiam quo inter eosdem secundùm quod homines, non est tale ius: & probat ex D. Tho. hic ad secundum. vbi distinguens patrem à filio, qua ratione sunt diuersi ordinis, dicit quòd quodammodo est inter illos iustum, ergo non simpliciter. Et eiusdem sententiæ videtur esse Soto de iustitia & iure lib. 3. q. 1. art. 4. & multi ex magistris. Pro huius explicatione supponendum est primò, quod ad iustum simpliciter requiruntur tres conditiones. Prima, quod sit ordo ad alterum. Secunda, quòd sit debitum simpliciter. Et tertia, quod sit æqualitas. Secundo est supponendum, quod simpliciter, dupliciter dicitur. Primò prout distinguitur contra secundum quid aut metaphoricum, qualiter homo viuus dicitur simpliciter homo ad differentiam hominis picti. Alio modo simpliciter dicitur aliquid quod omnibus modi est tale. Distinctio ista est Arist. 2. Topic. in fin. lib. Et ea vtitur D. Tho. 3. p. q. 50. art. 5. & possumus addere tertium modum quo aliquid dicitur simpliciter. Videlicet, quando dicitur tale absque aliqua depẽdentia: quomodo Deus solus dicitur ens bonus simpliciter. Et pro-

proportionabiliter possumus distinguere triplicē modum quo aliquid dicitur secundùm quid. Primò, quia per metaphoram & non verè dicitur.v.g. pictura dicitur homo. Secundò, quia licèt verè & propriè dicatur tale, non sufficit tamen denominare totum. Sicut album quod dicitur de AEthiope secundum dētes. Et tertio per hoc quod aliquid dicitur dependenter qualiter accidens secundum quid est ens.

Prima conclusio. Non est iustum simpliciter inter patrem & filiū: si simpliciter dicatur illud quod omnimodo est tale. Hoc pater ex Arist. 5. Ethic. ca. 6. Et ex D. Tho. in præsenti. Et probatur ratione illius. Nam filius non est, simpliciter alter à patre, id-est, non omnimodo diuersus, ergo ius inter illos nō est simpliciter omnibus modis. Antecedens patet ex Arist. vbi supra. & 8. Ethic. c. 11. Et 1. Polit. c. 3. &. 1. œconomic. c. 5. Præterea, quia inter patrem & filium non est æqualitas simpliciter. Hæc autem requitur ad ius simpliciter. Antecedens est Arist. 8. Ethic. cap. 14. Et consequentia est manifesta, quia si deficit aliqua cōditio iusti simpliciter: iustum quod ibi reperitur, non erit omnimodo tale. Tandem probatur, quoniam ad virtutem pietatis pertinet reddere parentibus debita, vt Theologi conueniunt. Pietas vero non est iustitia simpliciter sed pars potentialis iustitiæ, ergo inter patrem & filium nō est iustum omnimodo. Etenim si iustum simpliciter esset: esset subinde simpliciter iustitia seruans tale ius: ac proinde non ad pietatem pertineret talis actus.

Secunda conclusio. Nihilomilus simpliciter est iustum inter illos, idest, verè & propriè & non metaphoricè. Cōclusio ista colligitur ex D. Tho. quest. seq. art. 2. quem locum interpretans Magist. Soto lib. 3. de iustit. q. 2. art. 2. expressè tenet nostram sententiam. Probatur primo ratione. Nam inter illos propriè & verè est debitum & æqualitas & habitudo ad alterū prout sufficit ad verum ius, ergo propriè & verè est ius. Consequentia patet, quia solum illa tria sunt de essentia iuris proprij. Antecedens verò per singula probatur primò, omnium sententia est debitum maxime filij ad patrē: patris autem ad filium vel est debitū vel aliquid altius. Quòd vero sit æqualitas saltim moralis. Probat. Quia ad æqualitatem moralem sufficit commensuratio proportionalis. Hæc verò est filij ad patrem, ergo &c. Maior patebit quęstione sequenti. Minor probatur. Nam filius verè & propriè reddit patri debitum proportionale, quod ex præcepto iuris paterni debet. Etenim certum est filium probum implere omnia præcepta ad quæ tenetur ex vi iuris paterni, eo modo quo potest, ergo inter illos est æqualitas proportionalis. Quàm vt commodiùs intelligamus supponendum est, quòd æquale dicitur dupliciter. Vno modo absolutè: quod contingit in commutationibus emptionis & venditionis. Alio modo secundùm proportionem, vt cum quis non reddit quod absolutè debet, reddit autem quod potest & ad quod tenetur hic & nunc. v.g. debens mille & reddens centum quia non plus habet. Et quanuis Vtraque æqualitas conueniat in hoc quòd exercēs illam impleat præceptum: est tamē discrimen, quod qui æqualitate absoluta adimplex præceptum, manet omnino liber. AEqualitate uero proportionali adimplens præceptum, manet liber hic & nunc: non tamen absolutè. Vnde si venerit ad meliorem fortunam, & diues factus fuerit, tenebitur plenum debitum soluere. Et hoc modo est æqualitas inter patrem & filium, & redditio æquiualentis proportionalis. Quod vero hæc æqualitas sit ad alterum prout sufficit ad iustitam, Probatur. Quia taliter pater & filius sunt diuersi etiam formaliter, quòd inter illos potest esse actio & passio etiam moralis. ergo sufficienter filius est alter à patre. Antecedēs patet ex argumentis in principio positis. Consequētia vero probatur ex Diuo Thoma quæstione sequenti, artic. 2. Vbi explicans quid requiratur ad iustum verum & proprium, solùm dicit requiri illā diuersitatem quæ sufficit ad actionem & passionē. Et confirmatur. Nam hac ratione dicit D. Thom. quod inter partes eiusdem hominis est solum iustitia metaphoricè, quia non est actio & passio inter illas quasi inter diuersa supposita: sed quasi inter instrumenta eiusdem operantis. Cum ergo filius & pater qualitercunque consideretur sunt supposita & personæ inter quas est passio & actio, verè & propriè erit habitudo & commensuratio ad alterum. Et denique conclusio probatur. Quia D. Thomas & Aristot. ideo non ponunt ius simpliciter inter patrem & filium, quia non immediatè respiciunt bonum commune: bene tamen mediate. Quod vero mediatè respicit aliquam rationem communem verè & propriè est tale.

Tertia conclusio. Iustum inter patrem & filium non reperitur perfectum. Probatur. Quia non perfectè reperiuntur omnes conditiones iusti. Non enim perfectè & omnino filius est alter neque perfectè reddit æquiualens, ergo, &c. Ex quo sequitur quòd non dicitur iustum istud sine dependentia & habitudine. Imo vero dependet & respicit per se iustum ciuile: non tamen ita quòd ratio iuris analoga sit. Secundò sequitur, quòd diuiditur optimè ius in ciuile, paternum, & dominatiuum, tanquam in membra formaliter diuersa. Tertiò sequitur, quòd proportionabiliter sentiendum est de iure inter seruum & dominum, inter virum & vxorem: atque inter patrem & filium loquuti sumus, supposita differentia quam ponit D. Tho. in articulo, quæ amplius patebit solitudinibus argumentorum.

Ad primum argumentum respondetur, quòd amicitia quæ est charitas, proprie est inter patrem & filiū, quia illa immediate & per se respicit Deū, ac sub inde cōiungit oēs hoīes qui ordinat ad Deū. Verumtamen loquēdo de amicitia naturali, illa nō proprie reperitur inter patrem & filium. Quia pater quando diligit filium amat illum quasi seipsum & non distinctum à se. Inter verò seruum & dominum multò minus est amicitia ista: quia dominus diligit seruum propter commodum proprium, quod est contra rationem amicitiæ. Seruus vero diligit dominum amore quodam seruili & multum inæquali: Similiter inter virum & vxorem licet maior ratio amititię reperiatur: quàm inter prędictos, tamen adhuc non est proprie amicitia, quia semper vir diligit tanquam caput, vxor vero diligit tanquā subiecta. Quocirca non est inter illos æqualitas amicitiæ.

Ad secundum respōdetur, quòd inter patrem & filium in diuinis non est iustum: quia non est debitum propriè. Nihilominus difficultas est de filio secundū quod satisfacit in natura assumpta, qualiter videlicet sit satisfactio ad alterum. Quidam enim explicant per hoc quòd satisfacit patri, qui alius est. Alij verò per hoc quòd satisfacit Deo qui in alijs personis à filio reperitur. Nihilominus istæ solutiones non explicant qualiter filius satisfatias de iustitia sibi ipsi. Vnde alij dicunt quòd verbum vt sustētans naturam humanam, habet rationem formalē erius suppositi, saltim formaliter. Neque ista solutio

solutio mihi placet, quia constituit diuersitatem ex natura rei in Christo Domino inter suppositum diuinum & humanum. Igitur respōdeo dupliciter ad argumentum quod procedit etiam de filio sibi ipsi satisfacienti. Primò, quòd licet nō sit alter omnino, nihilominus tamē in rigore satisfacit: quia rigor iustitiæ nō attēditur ex omnimoda & rigorosa diuersitate suppositorum: sed ex solutione debiti æqualis omninò, & ex proprijs, sicut filius exoluens patri centum quæ debet, de rigore satisfacit, licet nō sit omnimoda diuersitas inter illos. Secūdò respondetur, q̄ in iustitia requiritur diuersitas satisfacientis, ea solū quæ sufficit, vt inter satisfacientē & cui fit satisfactio sit actio aut passio moralis. Et quia in Christo Domino taliter facta est coniunctio naturarū q̄ ratione vnius potest habere actionē ad seipsum in alia natura, perinde ac si essent in diuersis suppositis; Consequēter est diuersitas quæ sufficit ad actiones morales, cuiusmodi est satisfactio rigorosa. Exēplum horū omniū est in obediētia quā Christus in humana natura exercet in ordine ad suppositum diuinum. Verè enim & propriè obedit Deo licèt à Deo non distinguatur.

Ad secundum de merito rndetur, q̄ nullo modo Deus dr obligari ex iustitia commutatiua respectu creaturarum: quia nullo mō est debitor. De quo. 1. parte, q. 21. diximus. Nihilominus tn opus meritoriū dr de iustitia cōmutatiua exigere præmiū quia inter se proportionantur, quia tn istud meritū est à Deo liberè donante gratiā, consequenter non facit Deum debitorem respectu nostri. Vnde August. ait, Factus est omnium redditor nulli debens.

Ad quartum respondetur, q̄ inter filiū emancipatū & patrē, ita reperitur iustitia sicut inter alios ciues. Nihilominus tamen debitū naturale ad quod tenetur filius etiam emancipatus, quia cōtrahit naturā ex patre non pōt satisfacere ad æqualitatē. Vn semper manet cum obligatione honorandi parētes & illos alendi si graui laborent necessitate. Ad confirmationem rndetur, q̄ filius hēt duo. Primum q̄ si ex patre. Secundū q̄ fiat & conseruetur suppositū diuersum ab illo. Ex prima consideratione filius habet quandā vnitatem cum Patre non solum ph, sicam sed moralem. Quare ab Arist. dr aliquid patris. Et in Scriptura filius appellatur fructus parentum, quia est quasi fructus arboris non omnino diuersus ab illo, & licet ex parte deficiat à ratione iustitiæ rigorosa: fundat tamen illā in secunda cōsideratione, qua videlicet consideratur vt diuersum suppositū.

Ad quintum respondetur q̄ in opinione Iurisconsultorum inter fratres qui viuunt sub tutela parentum non est proprie ius. patet in l. frater à fratre. ff. de condictione indebiti. Nihilominus tamē nos in timius considerantes hanc rem, propriè & verè ponimus ius licet imperfectè.

Ad sextum respondetur, q̄ variatur appellatio in prima consequentia, quando enim dicitur est iustum naturale simpliciter. simpliciter, applicat suū significatum ad naturale. Et sensus est, ius quod reperitur inter patrem & filium est naturale simpliciter. In consequenti vero applicat ad iustum. Et sensus est inter patrem & filium est ius perfectum.

Ex his facile intelligitur modus loquēdi D. Tho. in articulo, quādo videlicet loquēs de iure paterno, dicit non esse simpliciter, sed quodāmodo. Illud quodāmodo, nō est dictio diminuēs veritatē & proprietatē iuris: sed explicans deficientiā cuiusdā perfectionis: vt explicatum est. Et hoc colligo ex solutione ad secundum, quem locum Caiet. adducit cōtra nostram sententiam. Nam dicit, q̄ inter patrem & filiū vt homines sunt, est iustum quodammodo. Et quidē certū est in opinione omniū q̄ inter illos secundùm q̄ homines vere est iustum, ergo illud, quodammodo, non dicit deficientiam proprietatis.

DVBITATVR circa tertiam conclusionem; Vtrùm ius quod reperitur inter virum & vxorem sit perfectiori modo ius, quam quod est inter patrē & filium. Pro parte negatiua arguitur primo. Iustū istud est œconomicum, ergo non ita est perfectè iustum sicut ius paternum. Oeconomicū enim solùm respicit iustum vnius domus.

Secundò. Maior vnitas est vxoris & viri quam filij & patris, ergo minus est de rigore iusti. Consequentia patet ex D. Tho. in art. Et antecedens probatur Genes. 2. Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.

Pro explicatione sciendum est, q̄ vir & vxor cōsiderantur dupliciter. Primò in ordine ad vsum matrimonij. Secundò in ordine ad regimē domus. Dico ergo q̄ si cōsiderētur primo modo: magis iustū est & reperitur inter vxorem & virum quā inter filium & patrem. Probatur. Quia est æquiualens traditio corporū, vt patet. 1. Cor. 7. Vir potestatem non habet sui corporis sed vxor: non habet potestatem sui corporis sed vir: Nolite fraudari inuicē. Secūdò dico. Ad regimen si attendamus: minus est iusti inter illos, quā inter Patrem & filium. Patet. 1. Corinth. 11. vbi vir appellat caput vxoris. Quocirca maximam inæqualitatē inter se habent: eo vel maxime q̄ vxor subdita est totaliter viro. Vnde Genes. 2. dicitur; Educta de costa viri. In quo non solū denotatur q̄ homines inde procedentes mutuam deberēt inter se habere dilectionem: quia ab hominis vnius principio descendunt, vt ait August. 11. de Ciuit. cap. 21. sed etiam denotatur qualiter vxor subdita debeat esse viro. Etenim non ex capite viri educta est, quia nō habebat æqualitatem cum capite: neque ex pedibus, quia nō seruiliter subditur viro: sed ex costa, quæ media est, & circa cor. Vbi & amor & media subiectio denotatur.

Ex his sequitur, q̄ vir non habeat simpliciter ordinariam potestatem erga vxorem: habet tamen illam in ijs quæ pertinent ad regimen domus. Vnde aliquando poterit illā aliqualiter punire, irritare vota illius, & similiter irritare omnes contractus, quos illa fecerit, etiam circa facultates suæ dotis.

Ad primū, aliqui dnt ius œconomicum secundū quid appellari ius. Et ita vnt sibi colligere ex D. Tho ma in vltimis uerbis articuli. Mihi tamen vr q̄ licet secundùm præcisam rationem qua œconomicum est, sit multum deficiens à iure: tamen ex ea parte qua respicit bonum commune, & ordinatut non solum in bonum reipublicæ, sed in bonum speciei humanæ, appellabitur verè & propriè ius.

Ad secundum rndetur, q̄ nunquam vxor fit vnū realiter cum viro, aut efficitur pars illius. Sed solum metaphoricè: Qua rōne, quæ copulantur in aliquo siue corporis siue animæ vnum dicuntur. Neque valet illa consequentia: sicut non valet propter virtutem relinquet homo patrem & matrem, ergo magis vnum est cum virtute, quam cum Patre.

QVESTIO LVIII.
De Iustitia.

DEINDE considerandum est de iustitia. Circa quam quæruntur duodecim.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm cõuenienter diffiniatur iustitia, quòd est perpetua & constans voluntas, ius suum vnicuique tribuens.

4.d 33. q. 3.ar. 1. ad 3. Et veri. q. 1. art 5. ad 12. † In if. veteri lib. 1. fit. t.l.10. in princ. Li. 5. ca. 1 nouõ ge à prin. tomo. 5.

AD Primum sic proceditur. Videtur quòd incõuenienter diffiniatur iustitia à † Iurisperitis, quòd iustitia est perpetua & constans volontas, ius suum vnicuique tribuens. Institia enim secundum Philos. in 5. Ethicor. est habitus, à quo sunt aliqui operatiui iustorum, & quo operantur & volunt iusta. Sed voluntas nominat potentiam, vel etiam actum: ergo inconuenienter iustitia dicitur esse voluntas.

2. Præterea. Rectitudo voluntatis non est voluntas: alioquin si voluntas esset sua rectitudo, sequeretur quòd nulla voluntas esset peruersa. Sed secũdùm † Anselmũ in lib. de Veritate, iustitia est rectitudo: ergo iustitia non est voluntas.

In dialogo de veritate, c. 13.

3. Præterea. Sola Dei voluntas est perpetua. Si ergo iustitia est perpetua voluntas, in solo Deo erit iustitia.

4. Præterea. Omne perpetuum est constans, quia est immutabile. Superfluè ergo vtrunque ponitur in diffinitione iustitiæ, & perpetuum & constans.

5. Præterea. Reddere ius vnicuique, pertinet ad principẽ. Si ergo iustitia si vnicuique ius suũ tribuens, sequitur quod iustitia non sit nisi in principe, quod est inconueniens.

Ca. 15. citata mediũ, tom. 1.

2. Præterea. August. † dicit in libro de Moribus Ecclesiæ, quòd iustitia est amor Deo tantum seruiens, non ergo reddit vnicuique quod suum est.

RESPONDEO dicendũ quòd prædicta iustitiæ diffinitio conueniens est, si rectè intelligatur. Cũ enim omnis virtus sit habitus, qui est principium boni actus, necesse est quòd virtus diffiniat per actũ bonũ, qui est circa ea quæ ad alterũ sunt, sicut circa propriã materiam virtutis. Est autem iustitia præcipuè circa ea quæ ad alterum sunt, sicut circa propriam materiam, vt infrà † patebit. Et ideò actus iustitiæ per comparationem ad propriam materiam virtutis & obiectum tangitur, cum dicitur: Ius suũ vnicuique tribuens. Quia vt † Isidorus dicit in lib. Etymolog. Iustus dicitur, quia ius custodit. Ad hoc autem, quod aliquis actus circa quancunque materiam sit virtuosus, requiritur quòd sit voluntarius, & quòd sit stabilis & firmus: quia † Philosophus dicit in 2. Ethic. quòd ad virtutis actum requiritur: primò quidem, quòd operetur sciens: secundò autẽ, quòd eligens, & propter debitum finem: tertiò, quod immobiliter operetur. Primum autẽ horum includitur in secundo: quia quod per ignorantiã agitur, est inuoluntarium: vt dicitur in 3. † Ethic. Et ideo in diffinitione iustitiæ primò ponitur voluntas, ad ostendendum quòd actus iustitiæ debet esse voluntarius. Additur autem de cõstantia & perpetuitate, ad designandam actus firmitatẽ. Et ideo prædicta diffinitio est cõpleta diffinitio iustitiæ, nisi quòd actus ponitur pro habitu, qui per actũ specificatur: habitus enim ad actũ dicitur. Et si quis vellet eã in debitã formã diffinitionis reducere, posset sic dicere, quod iustitia est habitus, secundùm quẽ aliquis constanti & perpetua voluntate ius suũ vnicuiq; tribuit. Et quasi est eadẽ diffinitio cum ea, quam † Philosophus ponit in 5. Ethic. dicẽs: quod iustitia est habitus, secundùm quem aliquis dicitur operatiuus secundùm electionem iusti.

Art. seq.

Lib. 10. c. 9. incipit, Ingenio- sus: parũ à princ.

Libro. 2. Ethic. c. 4. tom. 5.

Li. 3. ca. 1. tom. 5.

Li. 5. c. à med. to mo. 5.

Li. 5 ca. 1. & 5. simul tom. 5.

AD primũ ergo dicẽdũ, q̃ volũtas hic nominat actũ, nõ potentiã. Est aũt consuetũ q̃ apud autores habitus per actus diffiniũntur: sicut † Augustinus dicit super Io. quòd fides est credere quod non vides.

Trac. 79. in Ioann. paulo à prin. tom. 9.

AD secundũ dicendũ, q̃ neque ẽt iustitia est essentialiter rectitudo, sed causaliter tantum. Est tamen habitus, secundũ quem aliquis rectè operatur & vult.

AD tertiũ dicẽdũ, q̃ voluntas põt dici perpetua dupliciter. Vno mõ ex parte ipsius actus, qui ppetuò durat. Et sic solius Dei voluntas est perpetua. Alio mõ ex parte obiecti: quia si aliquis vult perpetuò facere aliquid. Et hoc requiritur ad rõnem iustitiẽ. Non enim sufficit ad rõnẽ iustitiẽ, q̃ aliquis velit ad horã in aliquo negotio seruare iustitiã: quia vix inuenitur aliquis qui velit in omnib. iniustè agere, sed requiritur q̃ homo habeat voluntatem perpetuò & in omnibus iustitiam conseruandi.

AD quartum dicendum, quòd quia perpetuum non accipitur secundùm durationem perpetuam actus voluntatis, non superfluè additur, Constans. Vt sicut per hoc, quod dicitur, Perpetua voluntas, designatur, quòd aliquis gerat in proposito perpetuò iustitiam conseruandi: ita etiam per hoc, quòd dicitur cõstans, disignetur q̃ in hoc proposito firmiter perseueret.

AD quintum dicendum, quòd iudex reddit quod suum est per modum imperantis & dirigentis: quia iudex est iustum animatum & princeps est custos iusti, vt dicitur in 5. Ethi. † Sed subdit reddunt qd̃ suũ est vnicuique per modũ executionis.

AD sextum dicendum, quòd sicut in dilectione Dei includitur dilectio proximi, vt supra † dictum est: ita etiam in hoc quòd homo seruit Deo, includitur quòd vnicuique reddat quod debet.

Quæst. 25 ar. 1.

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA conclusio est affirmatiua. Secunda conclusio. Hæc diffinitio potest reduci ad illã, scilicet, Iustitia est habitus secundùm quem constanter quis reddit vnicuique quod suum est.

COMMENTARIVS.

DVBIVM est circa primam conclusionem. Videtur enim quòd non sit vera. Arguitur primò. In illa definitione nullum ponitur genus, ergo nõ est bona, si dicas subintelligitur habitus.

Contra. Habitus non est immediatũ genus quia inter iustitiam & habitum mediat virtus, tam virtus moralis quam Cardinalis.

Secundò. Per charitatem tribuitur suum ius vnicuique, ergo non est proprium iustitiæ. Probatur antecedens. Quia charitas respicit omne bonum alterius, & fugit omne malum, ergo, &c. Antecedens patet 1. ad Corinth. 13. Charitas non inflatur, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt. Et ideo D. August. de moribus ecclesiæ dicit, quòd iustitia est amor Deo seruiens. Et Arist. 8. Ethicor. cap. 1. dicit, quòd si esset amicitia, non requireretur iustitia.

Tertiò arguitur. Proprietates illę, quæ ponuntur in definitione iustitiæ, videlicet, perpetua costansque voluntas, sunt communes omni virtuti, ergo non particulariter debentur iustitiæ neque in ea poni debent. Nã ibi non ponunt tanquã genus: ea sub inde deberẽt esse peculiaris & propriæ iustitiæ. Cõfirmatur. Nã D. Tho. dicit ad secũdũ rectitudo quã dicit iustitia non est rectitudo voluntatis, ergo mãle diffinitur per hoc quod sit constans voluntas.

Quartò arguitur. Quoniã iustitiæ sunt tres actus necessarij, ergo male diffinitur per vnum. Antecedens patet. Nam proprius actus illius est honestè viuere, neminem lædere, & ius suum vnicuique tribuere: vt ait Vlpian. ff. de iust. & iure, in l. iustitia.

Quartò arguitur. Ius multipliciter diuiditur, imo diuersa ratione vt ex supradictis patet, ergo non est obiectum iustitiæ constituens illã in ratione vnius virtutis formaliter. Et confirmatur. Nam ius paternum & ius religiosum non exercentur à iustitia sed à virtute pietatis & religionis, ergo ius absolutè nõ est obiectum iustitiæ.

Sextò arguitur. Iustitia legalis est simpliciter iustitia, & tã non per se hẽt tribuere iustum alteri, ergo, &c. Minor probatur. Nam si. v.g. ciuis non ita accuratè respiciat bonum commune ciuitatis, ille peccat contra iustitiam legalem: & tamen non tenetur alicui facere restitutionem.

PRO decisione sit prima conclusio. Prædicta diffinitio optima est. Probatur. quia est communis Theologorum & etiam Iuristarum cum Vlpiano. Et etiam Aristot. 5. Ethicor. cap. 1. Ciceronis lib. 5. de Inuent. c. 5. & lib. 2. officiorum. c. de iustitia. Cõsimilem ponit D. Ambr. lib. 1. officio. cap. 24. vbi dicit, q̃ iustitia est virtus ius suũ vnicuique tribuẽs. Idem D. August. li. 19. de Ciuit. Dei c. 21. & lib. 1. de liber. arbit. cap. 13. Vnde conclusio debet esse certa.

Secunda conclusio. Iustiia hic diffinitur non secundùm quòd est virtus communis omnibus virtutibus idemque cum illis: sed secundùm quòd est specialis virtus essentialiter distincta ab alijs includẽs sub se iustitiam legalem distributiuã & commutatiuam. Pro intellectu huius nota. Quòd communiter iustitia in vsu Scripturæ & Sanctorum accipitur prout nominat omnem virtutẽ: quia in omni virtute est aliqualis ratio debiti. Ita illud intellige, Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. Et illud; Nisi abundauerit iustitia vestra. Alio modo sumitur specialiter à Theologis, prout nominant virtutem quandam residentem in voluntate. Probatur modo conclusio. Nam iustitia vt communis est, non habet vllã diffinitionem neque explicat essentiam virtutis: sed quandam rationem ibi consideratam, ergo hæc diffinitio non est de iustitia sic accepta. Antecedens patet, quia omnes virtutes in nullo essentialiter conueniunt, præterquam in ratione generica, ergo iustitia generaliter accepta cum nõ significet rationem genericam virtutum non difinietur neque importat aliquid essentiale illis, sed quandam debiti rationem. Ex quo euidenter, sequitur q̃ iustitia hic diffinita importat, specialem rationem ab alijs virtutibus distinctam.

Tertia conclusio. Hic sumitur iustitia vt includens sub se non solum tres species cõmemoratas, verũ ẽt vt includit omnes partes potẽtiales iustitiæ quæ respiciunt debitum simpliciter: vt sunt pietas & religio. Prima pars probatur, quia eam iustitiã definit hic D. Thom. de qua in sequentib. disputat de illis tribus speciebus iustitiæ. Videlicet legali, distributiua, & commutatiua, ergo &cæt. Secunda vero pars probatur. Nam ius quod respicitur à iustitia hic definita, non coarctatur ad iustum perfectum, sed ad iustum verum & simpliciter. Cùm ergo iustum verum dicatur de iusto quod attendit pietas & religio, consequenter diffinietur iustitia, prout communis est etiam his virtutibus. Et cõfirmatur. Nã illud est ius quod ponitur in diffinitione iustitiæ, de quo egimus in quæst. præcedenti, sed in illa determinauimus de iusto paterno seruili & vxoris & probauimus esse verum in illis, ergo iustitia hic definita includit etiam partes potentiales: quæ respiciunt debitum simpliciter. Dixit autem simpliciter debitum, quia debitum secundùm quid, non sufficit, vt aliqua virtus comprehendatur simpliciter sub iustitia hic diffinita. Quare liberalitas quæ respicit debitum secundum honestatem nec dicitur iustitia, nec in hac diffinitione includitur.

Ad argumenta respondetur. Ad primum argumentum respondetur, quòd quandoque species qualitatis commode diffiniuntur per genus mediatum qualiter Aristot. definit habitum per dispositionem: & hoc vel maximè fit quando tale genus est receptũ ab omnib. & manifestũ. Et ita in proposito

sito, quia actus vel habitus secundum omnes est genus est manifestũ & notũ, non verò virtus aut Cardinalis virtus: optimè diffinitur iustitia per habitũ.

Ad secundum argumentum respondetur concedendo quòd charitas respicit omnes bonum, non tamen qua ratione est debitum. Vnde oportuit ponere virtutem specialem quæ respiciat bonum debitum vt sic. Licet enim charitas, vt est virtus vniuersalis & inferens alias virtutes, versetur circa iustum debitum simpliciter; non tamen quia illud sit materia propria charitatis: sed quia est materia charitati subiecta, qualiter intelligitur illud Pauli; Charitas nõ agit perperam. Illud vero D. August. quòd iustitia est amor Dei intelligitur causaliter, quatenus, videlicet, adimpletio cuius vis boni ex amore procedit, ad Roman. 13. Qui diligit proximum legem impleuit. Hoc modo multoties nomẽ virtutis imperantis tribuit actibus imperatis: qualiter mors pro Christo dicit maxima charitas. Licet sit actus fortitudinis: & illud. Plenitudo legis est dilectio. & D. Tho. hac quæst. art. 6. omnes actus reliquarum virtutum qui à iustitia diriguntur, iustitiam appellat. Ad illud vero Arist. respondetur ex D. Thom. ibi, quòd si omnes essemus amici, omnia essent cõmunia. Vnde non indigeremus iustitia quæ applicat rem vero domino.

Ad tertium, quòd illæ particulæ peculiari ratione ponuntur in definitione iustitiæ. Primò ad denotandum discrimen iustitiæ ab alijs virtutibus: quia sola ipsa in voluntate ponitur. Secundò, quia peculiaris difficultas est in voluntate ad tribuendum alteri ius suum: quę non inuenitur in hoc, quòd voluntas eligit proprium bonum, respectu verò alieni retardatur & impeditur voluntas ab vtilitate ipsa proprij boni. Quocirca requiritur peculiaris constantia & firmitas in iustitia. Vnde Sapien. 5. dicitur. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, scutum inexpugnabile æquitatem. quæ omnia ponuntur ad denotandam constantiã & firmitatem iustitiæ. Ad confirmationem respondetur, quòd licet omnis virtus suo modo ordinetur ad rectitudinẽ habentis, vnde dixit Arist. 1. Magnorum moralium cap. 22. quòd virtus est optimus habitus: aliter tamen aliter rectificant. Quædam enim rectitudinem essentialem tribuunt, vt charitas & gratia. Aliæ vero dicuntur rectificare potentiã: qui moderantur passionem illius constituentes mediũ inter excessum & defectum. Vt temperantia respectu concupiscibilis. Fortitudo respectu irascibilis Aliæ autem rectificant eo solùm quia ordinant potentiam ad rectum. Et hoc modo iustitia dicetur rectitudo voluntatis. Et sic Anselmus in Dialogo de veritate. & cap. 13. dicit enim iustitiam esse rectitudinem propter se: loquitur causaliter, quia videlicet causat rectitudinem. Hæc amplius explicantur infra artic. 9. & 1. 2. quæst. 60. art. 2. & 3.

Ad quartum respondetur, quòd per vnum actũ in diffinitione iustitiæ positum reliqui actus explicantur. Nam eo ipso quòd ius alteri tribuimus, ipsũ non lædimus: & in hoc honeste viuimus. Eo vel maxime quod honeste viuere est commune omni virtuti. Arist. vbi supra, ait: virtus est honesti ad honestum. Vnde nõ debuit poni in definitione specifica virtutis. Et similiter lædere est actus negatiuus: quare non debuit poni in definitione positiui.

Ad quintum, aliqui ex Thomistis dicũt, iustum in definitione positiuũ solum accipi pro giusto perfecto. Quare ibi non includitur iustum paternum, aut dominatiuũ: quod isti appellant secundũ quid & improprium. Isti tamen deseruntur: quia Diuus

A August. lib. 19. de Ciuit. cap. 21. sub hac diffinitione claudit non solum pietatem: sed etiam religionem & iustum illius. Neque ratio istorum aliquid valet. Nam bene stat quòd obiectum alicuius potentiæ aut habitus sit analogum: & in quibusdam reperiatur secundùm quid: & nihilominus quòd specificet & det vnitatem maiorem, quàm habet in se. Patet in ente, quòd specificat intellectũ & habitum scientiæ Metaphysicæ: tamen dat vnitatem intellectui. Vnde in nostra sententia respondetur, quòd omne ius verum, etiam si non sit perfectum, includitur sub obiecto iustitiæ: ac subinde sub virtute ipsa. Ad confirmationem quæ difficilis est, respõdetur quod idem actus potest pertinere ad diuersas virtutes, à
B quibus secundum diuersam rationem producitur: maximè insubordinatis. Exemplum est in demonstratione physica quæ secundum materiam producitur ab habitu physico, secundum verò formam & modum producitur à Dialectica. Similiter actus pœnitentiæ formaliter producitur à pœnitentiæ virtute: est tamen ibi dilectio intrinsecè respiciens habitũ charitatis. Ita in proposito formaliter ius paternum exercetur à pietate: inuenitur tamen ibi ratio iustitię secundum quod ius patri tribuitur, vnde etiam respicit iustitiam.

Ad vltimum respondetur, quòd inferius patebit artic. 5. & infra qualiter lędens iustitiam legalem &
C & bonum commune non semper teneatur ad restitutionem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm iustitiam semper sit ad alterum.

AD Secundum sic proceditur. Videtur quòd iustitia non semper sit ad alterum. Dicit enim Apostolus ad Roman. 3. quòd iustitia Dei, est per fidem Iesu Christi. Sed
D fides non dicitur per cõparationẽ vnius hominis ad alterum. Ergo neque iustitia.

Supra q. 6. 17. art. 4. & inf. art. 2. cor. & ad tertiũ. & vir. q. 3. art. 7. ad 12.

2. Præterea. Secundum † Augustinum in lib. de Moribus Ecclesiæ, ad iustitiam pertinet ob hoc, quod seruit Deo bene imperare cæteris, quæ homini sunt subiecta. Sed appetitus sensitiuus est homini subiectus, vt patet Genes. 4. vbi dicitur: Subter te erit appetitus eius, scilicet peccati, & tu dominaberis illius. Ergo ad iustitiam pertinet dominari proprio appetitui. Et sic erit iustitia ad seipsum.

Capit. 15. circa medium. to. 1.

E

3. Præterea. Iustitia Dei est æterna. Sed nihil aliud est Deo coęternum: ergo de ratione iustitiæ nõ est, quòd sit ad alterum.

4. Præterea. Sicut operationes quæ sũt ad alterũ, indigẽt rectificari: ita ẽt operationes quę sunt ad seipsũ. Sed ꝑ iustitiã rectificant operationes, secũdũ illud Prou. 11. Iustitia simplicis diriget viã eius. Ergo iustitia nõ est solũ circa ea q̃ sũt ad alterum

rum, sed etiam circa ea quæ sunt ad seipsum.

A Deo coæternum.

Libr. 1. in ca. de iustitia in principio.

SED contra est, quod † Tullius dicit in 1. de Offic. quòd iustitię ea ratio est, qua societas hominum inter ipsos & vitæ cõmunitas continetur. Sed hoc importat respectum ad alterum: ergo iustitia est circa ea quæ sunt ad alterum.

Quæst. præced. art. 1. 2. & 3.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra † dictum est, cùm nomen iustitię æqualitatem importet, ex sua ratione iusti
B tia habet, quod sit ad alterum: nihil enim est sibi æquale, sed alteri. Et quia ad iustitiam pertinet actus humanos rectificare, vt † dictum est: necesse est quod æqualitas ista quam requirit iustitia, sit diuersorum agere potentium. Actiones autem sunt suppositorũ & totorum, non autem propriè loquendo partium, & formarum, seu potentiarum. Non enim propriè dicitur quod manus percutiat, sed homo per manum: neque propriè dicitur quod calor calefaciat, sed ignis per calorem: secundũ tamen similitudinem quandam hæc dicũtur. Iustitia ergo propriè dicta requirit diuersitatem suppositorum, & ideo non est nisi vnius hominis ad alium. Sed secundũ similitudinem accipiuntur in vno & eodẽ homine diuersa principia actionum, quasi diuersa agentia: sicut ratio & irascibilis & cõcupiscibilis, & ideo metaphoricè in vno & eodem homine dicitur esse iustitia, secundum quod ratio imperat irascibili & concupiscibili: & secundũ quod hæc obediunt rationi, & uniuersaliter secundum quod vnicuique parti hominis attribuitur quod ei conuenit. Vnde & † Philosophus in 5. Eticho. hanc iustitiam appellat, secũdum metaphoram dictam.

Arist. præced. & qõ. 57. art. 1. & 1. 2. q. 115. art. 1.

Lib. 5. ca. vlti. to. 5.

AD primum ergo dicendum, quod iustitia quæ fit per finem in nobis, est per iu
ficatur impius: quæ quidem in ipsa debita ordinatione partium animę consistit, sicut sup̃a † dictum est, cùm de iustificatione impij ageretur. Hoc autem pertinet ad iustitiam metaphoricè dictam, quæ potest inueniri etiam in aliquo solitariam vitam agente. Et per hoc patet responsio ad secundum.

Prima secundę qõ. 113. art. 1.

AD tertium dicendum, quòd iustitia Dei est ab ęterno, secundum voluntatem, & propositum æternum. Et in hoc præcipuè iustitia consistit: quanuis secundum effectum non sit ab æterno: quia nihil est

AD quartum dicendum, quòd actiones, quæ sunt hominis, ad se ipsum sufficiẽter rectificantur, rectificatis passionibus, per alias virtutes morales. Sed actiones quæ sunt ad alterum, indigent speciali rectificatione non solùm per comparationẽ ad agentem, sed etiam per comparationẽ ad eum, ad quem sunt. Et ideo circa eas est specialis virtus, quæ est iustitia.

SVMMA ARTICVLI.

Prima conclusio. Affirmatiua de iustitia propriè loquendo.

Secunda conclusio. Inter patres eiusdem hominis & potentias eiusdem animæ est iustitia metaphorice.

COMMENTARIVS.

HIc articulus post illa quæ diximus articulo vltimo præcedentis quæstioni parum habet difficultatis. Intendit. n. Diuus Thom. explicare illam particulam, vnicuique: ita sanè, vt necessarium sit ad iustitiam propriè dictam, quòd exerceatur circa aliud suppositum. Quæ doctrina est Aristot. lib. 5. Ethicorum cap. vltimo. Imo vero cap. 1. dicit iustitiam solam ex omnibus virtutibus esse bonum alienum, eo quod agit ea quæ cõferunt alteri. Hoc ipsum docet Diuus Hieronymus super Psalmum. 14. Vbi ait omnes alias virtutes delectare magis habentem, & ipsi prodesse. Circa quã doctrinam duo breuiter aduerte. Primum est, quòd diuersitas suppositorum, quæ dicitur necessaria ad rationem iustitiæ propriè & strictè dictæ, intelligenda est secundum ordinem naturæ. Cæterum si Deus assumeret humanitatem terminatã
D immediatè ad ipsum Deum: nichilominus poterat esse in operationibus illius hominis satisfactio iustitiæ de condigno: quanuis ipse Deus non esset aliud suppositum à supposito hominis satisfatientis. Sufficeret enim, quòd illud suppositum, & haberet rationem duorum suppositorum, & duobus modis suppositaret. Quatenus subsisteret in duabus naturis substantialibus & intellectualibus. Et probatur hoc quia ille homo propriè obediret. Obedientia autẽ propriè dicta debet esse ad alterum. Imo vero nunc de facto propriè obediebat sibi Christus Dominus, quatenus suppositum filij erat verus homo obediens. & verus Deus cui obediebatur. Neque ratio Di
E ui Thomæ in articulo oppositum huius concludit. Quoniam omnes Theologi secundum fidem Catholicam asserunt in Christo Domino esse duplicẽ voluntatem, & duas operationes voluntatum harum satis distinctas. Et nihilominus philosophi dicunt. Quòd voluntas est inclinatio totius suppositi, & quòd actio voluntatis actio suppositi. Quemadmodum ergo non licet inferre ex hoc quòd in Christo Domino est duplex voluntas & duplex actio voluntatis, quòd sit in eo duo supposita: quanuis actiones suppositorum sint: propterea, quòd in Christo est maximum mysterium duarum naturarum in vno supposito: ita vt in Christo sit vera ratio iustitiæ, non licet inferre, quòd sunt in eo distincta

suppositа. Alterum satisfatiens, alterum cui fit satisfactio. Sed sufficit, quòd sint duæ naturæ substantia les diuersis rationib. suppositатæ in vno suppósito. Et profecto si Aristot. cognouisset mysterium incarnationis, sentiret nobiscum in hac parte. Secundo notandũ est, q̃ iustitia dr̃ specialiter respicere bonũ alterius, & alterum delectare: non quia verus iustus nõ delectetur in operib. iustitiæ (est enim de ratione virtutis in communi, quòd faciat habentem promptè & delectabiliter operari) sed quia iustitia quantum ad effectum pertinentem ad suam speciem, terminatur ad bonum alterius, neque sistit in propria vtilitate & delectatione operantis: sed extenditur ad delectationem & vtilitatem alterius: propterea ita loquutus est Aristo. & Diuus Hieronymus. Intelligimus autem hic nomine iustitiæ etiã omnes eius partes potentiales. Omnes enim debent esse ad alterum, & respiciunt bonum alterius.

Circa secundam conclusionem videatur Diuus Augustinus libro. 2. de Genes. contra Manichæos cap. 11. vbi ait iustitiam pertinere ad oẽs animę partes. Et libr. 19. de Ciuitas. cap. 21. inquit esse iustitiã, quod ratio imperet & appetitus obediat. Quæ omnis intelligenda sunt de iustitia metaphorice.

Aduerte denique in solutione ad tertium argumentum D. Tho. quomodo non requiritur ad hoc, quod iustitia sit in aliquo etiam actualiter, quod alter ad quem dicitur iustitia realiter existat. Exemplũ est in diuina iustitia quæ est Dei voluntas æterna reddendi vnicuique quod sibi competit secũdũ sua rationem & operationem. At vero creaturæ circa quas, ipsa iustitia diuina effectum erat habitura fuerunt in tempore. Exemplũ etiam esse potest in humanis, tenetur enim aliquis ex iustitia seruare legatum paterni testamenti in fauorem nepotis qui nondum natus est.

A Cùm ergo ad iustitiam pertineat exterius facere aliquod opus secundum se iustum, videt̃ quòd iustitia non sit virtus moralis.

SED contra est quod † Gregorius dicit in 2. morali, quòd in quatuor virtutibus, scilicet temperantia, prudentia, fortitudine, & iustitia, tota boni operis structura consurgit. Lib. 2 capit. 36 in prinop.

RESPONDEO dicendum, quòd virtus humanum, & ipsum hominem bonum facit: quod quidem conuenit iustitię. B Actus enim hominis bonus redditur ex hoc, quod attingit regulam rationis, secũdum quam humani actus rectificãtur. Vnde cùm iustitia operationes humanas rectificet, manifestum est quod opus hominis bonum reddit. Et vt † Tullius dicit in 1. de Officijs ex iustitia præcipuè viri boni nominantur. Vnde sicut ibidem dicit. In ea virtutis splendor est maximum. Libr. 1. in cap. de iustitia circa prinop.

A D primum ergo dicendum, quod cũ aliquis facit quod debet, non affert vtilitatem lucri ei, cui facit quod debet, C sed solũ abstinet à damno eius, sibi tamen facit vtilitatem, inquantum spontanea & prõpria volũtate facit illud quod debet: quod est virtuo, è agere. Vnde dicitur Sapien. 8. q̃ sapientia Dei sobrietatem & iustitiam docet, prudentiam & virtutẽ, quibus in vita nihil est vtilius hominib. scilicet virtuosis.

A D secundũ dicendum, quòd duplex est necessitas, vna coactionis: & hæc quia D repugnat volũtati, tollit rationem meriti. Alia autem est necessitas ex obligatione præcepti, siue ex necessitate finis: quando scilicet aliquis non potest consequi finem virtutis nisi hoc faciat: & talis necessitas non excludit rationem meriti, inquantũ aliquis hoc q̃d̃ sic est necessarium, volũtariè agit, excludit tamen gloriam supererogationis: secundum illud 1. Corint h. 9. Si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit.

A D tertium dicendum, quòd iustitia E nõ consistit circa exteriores res quãtũ ad hoc, q̃ est facere quod ꝑtinet ad artẽ, sed quantum ad hoc, q̃ vtitur eis ad alterum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm iustitiam sit virtus.

† Ethico. lect. 1. & tertia.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod iustitia nõ sit virtus. Dicitur enim Lucę 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutile sumus: qd̃ debuimus facere, fecimus. Sed non est inutile facere opus virtutis. Dicit. n. † Ambrosius in 2. de Officijs. Vtilitatem non pecuniarij lucri æstimationem dicimus, sed acquisitionẽ pietatis. Ergo facere q̃ quis dẽt facere, non est opus virtutis. Et aũt opus iustitiæ: ergo iustitia non est virtus. Li. 1. 2. capit. 6. circa prin. 10. 1.

2. Præterea. Quod fit ex necessitate, nõ est meritorũ. Sed reddere alicui quod suum est, quod pertinet ad iustitiam, est necessitatis. Ergo nõ est meritorium. Actibus autem virtutum meremur: ergo iustitia non est virtus.

3. Pręterea. Omnis virtus moralis est circa agibilia. Ea autem quæ exterius constituuntur, non sunt agibilia, sed factibilia: vt pater † Philosophũ in nono Mataphy. Li. 9. tex. 16, to. 3.

SVMMA ARTICVLI.

CONCLVSIO est affirmatiua, quia competit ei definitio virtutis, quòd bonum facit habentem & opus eius bonum reddit.

QOM-

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo intendit D. Tho. explicare genus immediatum iustitiæ, quod est virtus humana siue moralis: quam definiuit Arist. lib. 2. Ethicorum cap. 6. quæ est, Bonum facit habentem & opus eius bonum reddit. Aduerte secundo, egregiam doctrinam in solutionibus ad primum, & secundum argumentum aduersus nostri temporis hereticos: qui volunt auferre meritum à votis monasticis, quasi necessitas præcepti diminuat rationem meriti. Cùm tamen reuera nõ diminuat rationem virtutis, quę ex natura sua habet actum meritorium. Ex eadem doctrina possumus colligere quàm falsa & periculosa sit opinio eorum, qui negant in Christo Domino obedientiam præcepti moriendi fuisse meritoriam quantum ad substantiam obediendi & quantum ad speciem. Sed aiunt fuisse meritoria propter intensionem actus, quæ non erat in præcepto. Quæ doctrina mihi semper visa est plus quam periculosa, & nunc videtur quoniam Apostolus ad Philippenses. 2. Exaltationem Christi attribuit tanquam præmium humilitati & obedientiæ Christi vsque ad mortem crucis: non quia libentius & intensius se humiliauit & obediuit quam tenebatur. Ait enim, humiliauit semetipsum Dominus noster Iesus Christus factus obediens vsque ad mortem, &c. propter quod exaltauit illum, &c. Ratio item Philosophica destruit eã opinionem. Quoniam actus obedientiæ secundum propriam rationem specificam meritorius est: siquidem est actus virtutis. Est autem indifferens ad rationem meriti, quòd actus virtutis cadat sub præcepto, vel sub consilio. Imo cæteris paribus magis meritorius est actus, qui cadit sub præcepto, quàm qui cadit sub consilio tantum. Cùm igitur in Christo Domino obedientia præcepti moriendi fuerit actus virtutis proprie: necesse est secundum propriam speciem & substãtiam fuisse meritorium & non solum propter maiorem intensionem quã non tenebatur habere. Vnde procedit illa opinio ex mala intelligentia liberi arbitrij definitionis & actionis liberæ, putant enim necessitatem præcepti coniunctam cum efficacia gratiæ & cum eius necessitate destruere indifferentiam voluntatis & libertatis. Quod demonstrauimus. 1. part. quæst. 19. art. 10. esse plusquam falsum.

Rursus nota circa solutionem ad primum, vbi quòd ait Diuus Thomas, quòd qui facit quod debet non affert vtilitatem lucri. Intellige quòd non negat absolutè non afferre vtilitatem ei cui soluit. Diximus enim supra quòd iustitia hoc habet peculiare, quod respicit bonum alterius siue delectabile siue vtile siue honorificum. Sed solum intendit D. Thom. negare quòd non affert vtilitatem lucri supererogationis. Circa solutionem ad tertium argumentum. Aduerte, quod facere, si propriè & formaliter loquitur non refertur ad bonum facientis, sed ad bonum rei factæ. Dicitur enim facere propriè de operatione transeunte per quã aliqua res recipit in se formam. Atque ita ars respicit per se loquendo bonum artificiat, & ideo vt sic, non est virtus moralis ad quam pertineat bonum facere habentem. Cæterum agere, propriè loquendo, dicitur quando ipsa actio ordinatur ad bonum ipsius agentis. Quemadmodum vsus & vti, propriè loquendo ordinatur ad bonum vtentis. Atque ita virtus humana, cuius proprius actus est vsus, facit bonum habentem. Similiter agibile vt sic, quod obiectum humanæ rationis respicit bonum agentis. Huius doctrinæ sit exemplũ. Cum statuarius facit imaginẽ propter pretium tunc illa fabricatio qua ratione ordinatur ad statuam sculpendam, dicitur factio & artis operatio. Sed qua ratione ordinatur ad bonũ ipsius fabricantis, videlicet, vt reddat ius debitum ei qui pretio conduxit illum, dicitur vsus artis habens respectum ad vsum internum voluntatis mouentis manus artificis ad opus: vt sit iustus in reddendo debitum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm iustitia sit in voluntate sicut in subiecto.

3. dist. 33. q. 6. ar. 4. q. 3. vit. q. 1. art. 5. co fin. Et 5. Ethi con. lect. 1. co 2.

AD Quartum sic proceditur. Videtur quòd iustitia non sit in voluntate sicut in subiecto. Iustitia enim quandoq; veritas dicitur. Sed veritas nõ est volũtatis sed intellectus: ergo iustitia non est in voluntate sicut in subiecto.

2. Præterea. Iustitia est circa ea, quæ sunt ad alterum. Sed ordinare aliquid ad C alterũ est rõnis: Iustitia ergo nõ est in volũtate sicut in subiecto, sed magis in rõne.

3 Præterea. Iustitia non est virtus intellectualis, cùm non ordinetur ad cognitionem: vnde relinquitur quòd sit virtus moralis. Sed subiectũ virtutis moralis est rationale per participationem, quod est irascibilis & concupiscibili, vt patet per † Philosophum in 1. Ethicorum. Ergo iustitia non est in voluntate sicut in subiecto, sed magis in irascibili & concupiscibili. Lib. 1. capit. 10. 5.

SED contra est, quod † Anselmus dicit, quòd iustitia est rectitudo voluntatis, propter se seruata. In dialogo de veritate. ca. 13.

RESPONDEO dicendum, quòd illa potentia est subiectum virtutis, ad cuius potentiæ actum rectificandum virtus ordinat. Iustitia autem non ordinatur ad dirigendum aliquem actum cognoscitiuum. Non enim dicimur iusti ex hoc, quòd rectè aliquid cognoscimus: & ideo subiectum iustitię non est intellectus, vel ratio quæ est potentia cognoscitiua: sed quia iusti in hoc dicimur, quod aliquid rectè agimus, proximum autem principium actus est vis appetitiua, necesse est quòd iustitia sit in aliqua vi appetitiua sicut in subiecto. Est autem duplex appetitus, scilicet voluntas, quæ est in ratione, & appetitus sensitiuus consequens apprehẽsionẽ sẽsus, qui diuidit̃ ꝑ irascibilẽ & cõcupiscibilem: vt in 1. habitũ est. Red-

1.2.q.17. art. 2. dere autem vnicuique quod suum est, non potest procedere ex appetitu sensitiuo: quia apprehensio sensitiua non se extendit ad hoc, quòd considerare possit proportionem vnius ad alterum sed hoc est proprium rationis. Vnde iustitia non potest esse sicut in subiecto in irascibili vel concupiscibili, sed solùm in volũtate. Et ideo † Philosophus diffinit iustitiã Lib. 5. Ethic. c. 1. & 5. ad fi. Art. 1. huius q. p actũ volũtatis, vt ex supra † dictis patet.

A D primo ergo dicẽdum, quod quia voluntates est appetitus rationalis: ideo rectitudo rationis, quæ veritas dicitur, voluntati impresse, propter propinquitatem ad rationem, nomen retinet veritatis. Et inde est quod quandoque iustita veritas vocatur.

A D secundum dicendum, quòd voluntas fertur in suum obiectum consequenter ad apprehensionem rationis. Et ideo quia ratio ordinat in alterum, voluntas potest velle aliquid in ordine ad alterum: quod pertinet ad iustitiam.

A D tertium dicendum, quòd rationale per participationem non solùm est irascibile & concupiscibile, sed omnino appetitiuum, vt dicitur in 1. † Ethicorum: Lib. 1. ca. vlt. to. 5. quia omnis appetitus obedit rationi. Sub appetitiuo autẽ comprehẽditur volũtas: & ideo voluntas potest esse subiectum virtutis moralis.

SUMMA ARTICVLI.

CONCLVSIO est iustitia solum est in voluntate tanquam in subiecto.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR circa conclusionem D. Thomæ, an sit vera. Arguitur primo pro parte negatiua. Iudicium est actus iustitiæ, vt docet D. Tho. infra quæst. 60. & tamen est actio intellectus, ergo habitus iustitiæ non est in voluntate: vel saltim n n solum est in voluntate. Probatur consequentia. Quoniam habitus & actus debẽt esse in eodem subiecto.

Secundo agitur. Operatio exterior, qualis est solutio debiti, est actio iustitiæ. & tamen est subiectiuè in potentia executiua, ergo iustitia non solum est in voluntate.

Argumentum est Caietani in hoc loco contra illam præmissam Diui Thomæ, quod principium proximum actus est vis appetitiui.

Tertiò arguitur. Voluntas ex natura sua determinata est ad bonum secundum rationem prosequendum: propter ea enim dicitur appetitus rationalis, ergo non indiget habitu iustitiæ superaddito. Probatur consequentia, quia habitus ponuntur ad determinandam potentia. Confirmatur primo, quia propterea voluntas non indiget habitu temperantię & fortitudinis, quia ex natura sua determinata est ad volendum obiectum harum virtutum tãquam proprium bonum, sed ponuntur istę virtutes in appetitu sensitiuo, vbi est difficultas propter emergentes passiones inordinatas, ergo voluntas non indiget habitu iustitiæ: siquidem est determinata tanquam ad proprium bonum ad bonum rationis. Confirmatur secundo à simili: propterea enim materia prima æqualiter se habet secundum se ad omnes formas, quia ex natura sua habet immediatum, & intrinsecum ordinem ad formam substantialem: sed voluntas cùm sit appetitus rationalis ex natura sua habet immediatum ordinem ad bonum rationis, ergo sicut non indiget habitu temperantiæ ad volendum obiectum temperantiæ, non indigebit habitu iustitiæ ad volendum obiectum iustitiæ. Vtrunque enim est bonum rationis.

In hac difficultate dissoluenda, nemo negat conclusionem Diui Thomæ quam cõfirmat definitio iustitiæ assignata è Iuriconsulti. Vt in articulo primo satis dictum est. Est etiam sententia Arist. lib. 5. Ethicorum cap. 1. Diui Anselmi in Dialogo de verita. cap. 15. quam conclusionem ex Philosopho demonstrat D. Tho. 1.2. q. 56. art. 6. Neq; enim est pręsentis loci ad vnguem distinguere differentiam inter iustitiam & alias virtutes ex parte subiecti. Quapropter ad argumenta proposita breuiter respondendum est.

Ad primum respondetur. Quod omnes actus, qui versantur ex natura sua circa formale obiectũ alicuius virtutis, dicuntur actus proprij & eliciti ab illa virtute vbicunque resideat illa & illi. Ita dicimus confessionem fidei exteriorem esse actum fidei proprium & elicitum ab illa: vt explicatũ est supra in q. 3. art. 1. Similiter oratio ad ipsum Deum est in intellectu, & tamen dicitur actus elicitus à virtute religionis quæ est in voluntate. Similiter admonitio fraterna, quanuis sit actus intellectualis est tamen elicitus à misericordia quæ est in voluntate. Ad eundem igitur modum non est mirum quòd iudicium sit actus elicitus à iustitia quę est in voluntate quanuis illud sit in intellectu. Quoniam ex natura sua iudicium ordinatur ad finem propriũ ipsius iustitiæ. Caietanus autem super hunc articulum tenet operationes exteriores iustitiæ non esse elicitas ab ipsa iustitia. Idem videtur sentire de iudicio, quòd non sit actus elicitus à iustitia.

Nobis tamen iuxta doctrinam D. Tho. non videtur necessarium quod omnis actus qui dicitur proprius alicuius virtutis, sit in eadem potentia cum virtute. Sed sufficit, quòd secundum se ordinetur ad finem virtutis. Nam propterea D. Thom. vbi supra q. 3. asseruit confessionem exteriorem fidei esse actum proprium fidei. Et non loquitur solum de actu imperato, alias enim sequeretur quòd actus temperantiæ diceretur actus proprius charitatis, siquidem imperatur ab illa. Aliquid ergo specialius est in confessione exteriori fidei ad hoc, q̃ dicat actus proprius ipsius fidei. Videlicet, q̃ pertinet ad perfectionem & integritatẽ actus fidei, quæ est in hominibus: vt protestatio fidei sit non solùm in intellectu, sed etiam in confessione exteriori. Et per hoc patet ad secundum argumentum. Dicimus enim q̃ operatio exterior iustitiæ, qualis est solutio debiti, est actus elicitus ab ipsa virtute iustitiæ. Quòd autem Diuus Thom. ait in primo articulo, q̃ illa potentia est subiectum virtutis, à cuius potentię actu rectificantur virtutes: intelligendum est de actu

actu principali, & primario ipsius virtutis, non autem de alijs actibus secundarijs, qui tantum ex natura sua ordinantur ad proprium finem virtutis.

Ad tertium iam diximus, quòd non est præsentis loci omnino distinguere: qua ratione temperantia & fortitudo differant à iustitia ex parte subiecti. Nunc autem breuiter respondetur, quòd voluntas non est determinata ex natura sua ad quodlibet bonum rationis, nisi sit proprium. Dicitur enim amabile quidem bonum: vnicuique autem proprium. Propterea igitur indiget voluntas speciali habitu determinante ipsam, vt promptè & delectabiliter operetur bonum rationis quod est ad alterum. At vero ad temperantiæ & fortitudinis bonum agendum tota difficultas est in appetitu sensitiuo. Et idcirco in illo solum ponuntur istæ duæ virtutes, fortitudo & temperantia. Ad primam confirmationem negatur minor. Imo voluntas ex natura sua ad bonum rationis, quod est ad alterũ non est determinata. Ad secundum respondetur, q̃ potius illud simile potest fauere nobis: quia quanuis materia prima sit ex natura sua determinata ad formam substantialem vt sic; non est tamen determinata ad quamlibet formam specificam & indiuidualem: sed necesse est, quod determinetur ab agente mediantibus dispositionibus materialibus. Sic etiam voluntas est determinata ex natura sua ad bonum rationis in communi: verum vel apparens bonum: & tamen ad bonum proprium non ponimus aliquas dispositiones & habitus determinantes: sed sufficit quòd respectu proprij boni & veri secundum rationem auferatur difficultas quæ est in appetitu sensitiuo, vt statim voluntas inueniat se facilem & promptam ad operationes temperantiæ & fortitudinis. Ad operationes verò iustitiæ necesse habet determinari per habitum, vt promptè & delectabiliter operetur, sicut oportet.

ARTICVLVS V.

Vtrùm iustitia sit virtus generalis,

Iust. q. 6. & 7. & q. 59. art. 1. Et 1. 2. q. 60. art. 3. & 5. Eth. lect. 1. 2. & 9.

AD Quintum sic proceditur. Videtur quòd iustitia non sit virtus generalis. Iustitia enim cõdiuiditur alijs virtutibus, vt patet Sapien. 8. Sobrietatem & iustitiam docet, prudentiam & virtutem. Sed generale non condiuiditur, seu connumeratur speciebus sub illo generali contentis: ergo iustitia non est virtus generalis.

2. Præterea. Sicut iustitia ponitur virtus cardinalis: ita etiam temperantia & fortitudo. Sed temperantia vel fortitudo non ponitur virtus generalis: ergo neque iustitia debet aliquo modo poni virtus generalis.

3. Præterea. Iustitia est semper ad alterum: vt supra † dictum est. Sed peccatum, quod est in proximum, non potest esse peccatum generale: sed diuiditur cõtra peccatũ, quo peccat homo cõtra se ipsũ: Art. 2. huius quæst. ergo ẽt neq; iustitia est virtus generalis.

SED contra est, quod † Philosophus dicit in 5. Ethicorum, quòd iustitia est omnis virtus. Lib. 5. c. 1. & 2. to. 5.

RESPONDEO dicendum, quòd iustitia, sicut dictum est †, ordinat hominem in comparatione ad alium. Quod quidem potest esse dupliciter. Vno modo ad alium singulariter consideratum: alio modo ad alium in communi secundum scilicet quod ille, qui seruit alicui communitati: seruit omnibus hominibus qui sub communitate illa continentur. Ad vtrunque ergo se potest habere iustitia secundum propriam rationem. Manifestum est autem, quòd omnes qui sub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem sicut partes ad totum. Pars autem id quod est, totius est: vnde & quodlibet bonum partis est ordinabile in bonum totius. Secundum hoc ergo bonum cuiuslibet virtutis siue ordinantis aliquem hominem ad seipsum, siue ordinantis ipsum ad aliquas alias personas singulares, est refertibile ad bonum commune, ad quod ordinat iustitia. Et secundùm hoc actus omnium virtutum possunt ad iustitiam pertinere, secundùm quod ordinat hominem ad bonum commune. Et quantum ad hoc, iustitia dicitur virtus generalis. Et quia ad legem pertinet ordinare in bonum commune, vt supra † habitũ est, inde est quòd talis iustitia prædicto modo generalis, dicitur iustitia legalis: quia scilicet per eã homo concordat legi ordinãti actus omnium virtutum in bonum commune. Art. 2 huius quæst. 1. 2. q. 90. artic. 2. & argu. 4. q. præced.

A D primum ergo dicendum, quòd iustitia condiuiditur seu connumeratur alijs virtutibus, non in quantum est generalis, sed in quantum est specialis virtus: vt infra † dicetur. Art. 7. & 12. huius quæst.

A D secundum dicendum, quòd temperantia & fortitudo sunt in appetitu sensitiuo, id est, in concupiscibili & irascibili. Huiusmodi autem vires sunt appetitiuæ quorũdam bonorum particularium, sicut & sensus est particularium cognoscitiuus. Sed iustitia est sicut in subiecto in appetitu intellectiuo, qui potest esse vniuersalis boni, cuius intellectus est apprehensiuus. Et ideo iustitia magis potest esse virtus generalis, quàm temperãtia vel fortitudo.

AD tertium dicendum, quòd illa quæ sunt ad seipsum, sunt ordinabilia ad alterum: præcipuè quantum ad bonum commune. Vnde & iustitia legalis secundùm quod ordinat ad bonum commune, potest dici virtus generalis. Et eadem ratione iniustitia potest dici peccatum commune. Vnde dicitur 1. Ioã. 3. quòd omne peccatum est iniquitas.

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA conclusio. Iustitia dicitur virtus generalis secundùm quòd ordinat hominem ad bonum commune.

Secunda conclusio. Eadem iustitia dicitur merito iustitia legalis quatenus per eam homo concordat legi ordinanti actus virtutum ad bonum commune.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm iustitia, secundùm quod est generalis, sit idem per essentiam cum omni virtute.

2.2.q. 60. ar. 3 ad 2. & art. 7. cor. & 3. dist 9.q.1. art 1.q.2. cor. & 5. Ethi lect. 2 fin Lib.2.c.1. fin & 10.5.

AD Sextum sic proceditur. Videtur quòd iustitia secundùm quod est generalis, sit idem per essentiam cum omni virtute. Dicit enim † Philosoph. in 5. Ethicor. quòd virtus & iustitia legalis est eadem omni virtuti: esse autem nõ est idem. Sed illa quæ differunt solùm secundùm esse, vel secundùm rationem, non differunt secundùm essentiam: ergo iustitia est idẽ secundùm essentiam cum omni virtute.

2 Præterea. Omnis virtus, quæ non est idem per essentiam cum omni virtute, est pars virtutis. Sed iustitia prædicta, vt ibi dem † Philosophus dicit: non est pars virtutis, sed tota virtus: ergo prædicta iustitia est idem essentialiter cũ omni virtute.

Rodd lib. & c. 10. 5.

3 Præterea. Per hoc quòd aliqua virtus ordinat actum suum ad altiorem finem, non diuersificatur secundùm essentiam habitus: sicut idem est essentialiter habitus temperantiæ, etiam si actus eius ordinetur ad bonum diuinum. Sed ad iustitiam legalem pertinet, quòd actus omnium virtutum ordinentur ad altiorem finem, idest, ad bonum commune multitudinis: quod præeminet bono vnius singularis personæ: ergo videtur quòd iustitia legalis essentialiter sit omnis virtus.

4 Præterea. Omne bonum partis, ordinabile est ad bonum totius. Vnde si non ordinetur in illud, videtur esse vanum & frustra. Sed illud quod est secundùm virtutem, non potest esse huiusmodi. Ergo videtur quòd nullus actus possit esse alicuius virtutis, qui non pertineat ad iustitiam generalem, quę ordinat in bonum cõmune. Et sic videtur q̃ iustitia generalis sit idem in essentia cum omni virtute.

SED contra est, quod dicit † Philosophus in 5. Ethic. quòd multi in proprijs quidem possunt virtute vti: in his autem quę ad alterum sunt, non possunt. Et in 3. † Politic. dicit, quòd non est simpliciter eadem virtus boni viri, & boni ciuis. Sed virtus boni ciuis est iustitia generalis, per quam aliquis ordinatur ad bonum commune: ergo non est eadem iustitia generalis cum virtute communi, sed vna potest sine alia haberi.

Lib. c.c.t. paulò ante fin.

Lib. 3. Politic. c. 3. et 5.

RESPONDEO dicendum, quòd generale dicitur aliquid dupliciter: vno modo per prædicationem, sicut animal est generale ad hominem & equum, & alia huiusmodi. Et hoc modo generale oportet quòd sit idem essentialiter cum his, ad quę est generale: quia genus pertinet ad essentiam speciei, & cadit in deffinitione eius. Alio modo dicitur aliquid generale secundùm virtutem sicut causa vniuersalis est generalis ad omnes suos effectus, vt sol ad omnia corpora, quę illuminantur vel immutantur per virtutẽ ipsius. Et hoc modo generale non oportet quòd sit idem in essentia cũ his, ad quę est generale: quia non est eadem essentia causę & effectus. Hoc autem modo secundùm † prędicta, iustitia legalis dicitur esse virtus generalis, inquantũ scilicet ordinat actus aliarum virtutum ad suum finem: quod est mouere per imperium omnes alias virtutes. Sicut enim charitas potest dici virtus generalis, inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum diuinum: ita etiam iustitia legalis, inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune. Sicut ergo charitas quæ respicit bonum diuinum vt proprium obiectum, est quædam specialis virtus secundùm suam essentiam: ita etiam iustitia legalis est quædam specialis virtus secundùm suam essentiam, secundùm quod respicit commune bonum vt proprium obiectum. Et

Art. 5 huius quæst.

sic

sic est in principe principaliter & quasi architectonicè: in subditis autem secundariò & quasi administratiuè. Potest tamen quælibet virtus secundùm quod à prædicta virtute, speciali quidem in essentia, generali autem secundùm virtutem, ordinatur ad bonum commune, dici iustitia legalis. Et hoc modo loquendi iustitia legalis est idem in essentia cum omni virtute, differt autem ratione. Et hoc modo loquitur Philosophus. Vnde patet responsio ad primum & secundum.

AD tertium dicendum, quòd etiam illa ratio secundùm hunc modum procedit de iustitia legali, secundum quod virtus imperata à iustitia legali, iustitia legalis dicitur.

AD quartum dicendum, quòd quælibet virtus secundùm propriam rationẽ ordinat actum suum ad proprium finem ilius virtutis. Quòd autem ordinetur ad vlteriorẽ finem siue semper, siue aliquando, hoc non habet ex propria ratione, sed oportet esse aliam superiorem virtutem, à qua in illũ finem ordinetur. Et sic oportet esse vnam virtutem superiorem quæ ordinet omnes virtutes in bonum commune, quę est iustitia legalis: & est alia per essentiam ab omni virtute.

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA conclusio. Iustitia generalis seu legalis, quæ respicit bonum commune vt proprium obiectum, est specialis virtus distincta secũdùm essentiam ab omnibus alijs virtutibus.

Secunda conclusio. Huiusmodi iustitia legalis residet principaliter & quasi architectonicè in Principe: in subditis vero residet secundario & administratiuè. Iustitia legalis quodammodo potest dici eadem per essentiam cum omnibus virtutibus, distincta tamen secundum rationem.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm sit aliqua iustitia particularis præter iustitiam generalẽ.

Sup. ar. 5. & 6. Et in 1.2.q. 59. art. 1. Et 2.2.q.60. art. 3 & 5. Ethic. lec. 8. 2. & 3.

AD Septimum sic proceditur. Videtur quòd non sit aliqua iustitia particularis præter iustitiam generalem. In virtutibus enim nihil est superfluum, sicut nec in natura. Sed iustitia generalis sufficienter ordinat hominem circa omnia quæ ad alterum sunt. Ergo non est necessaria aliqua iustitia particularis.

2. Præterea. Vnum & multa non diuersificant speciem virtutis. Sed iustitia legalis ordinat hominem ad alterum secundùm ea quæ ad multitudinem pertinent, vt ex † prædictis patet. Ergo non est alia species iustitiæ quæ ordinet hominẽ ad alterum in his quæ pertinent ad vnam singularem personam.

6. Art. 5.

3 Præterea. Inter vnam singularem personam & multitudinem ciuitatis, media est multitudo domestica. Si ergo est iustitia alia particularis per comparationem ad vnam personam præter iustitiam generalem, pari ratione debet esse alia iustitia œconomica, quæ ordinet hominem ad bonum commune vnius familiæ: quod quidem non dicitur. Ergo nec aliqua particularis iustitia est præter iustitiam legalem.

SED contra est quod † Chrysost. super illud Matth. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, dicit: Iustitiam autem dicit vel vniuersalem virtutem, vel particularem auaritiæ contrariam.

Hom. 15. in Matth. inter princip. & media, to. 2.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut † dictum est, Iustitia legalis non est essentialiter omnis virtus, sed oportet præter iustitiam legalem, quæ ordinat hominem immediatè ad bonum commune, esse alias virtutes, quæ immediatè ordinãt hominem circa particularia bona: quæ quidem possunt esse vel ad seipsum, vel ad alteram singularem personam. Sicut ergo præter iustitiam legalem oportet esse aliquas virtutes particulares, quæ ordinant hominem in seipso, putà temperantiam & fortitudinem: ita etiam præter iustitiam legalem oportet esse particularem quandam iustitiam, quæ ordinet hominem circa ea, quæ sunt ad alteram singularem personam.

Art. præced.

AD primum ergo dicendum, quod iustitia legalis sufficienter quidem ordinat hominem in his, quæ sunt ad alterum: quantum ad commune quidem bonum, immediatè; quantum autem ad bonum vnius singularis personæ, mediatè. Et ideò oportet esse aliquam particularem iustitiam, quæ immediatè ordinet hominem ad bonum alterius singularis personæ.

AD secundum dicendum, quòd bonum commune ciuitatis, & bonum singulare vnius personæ non differunt solùm

secun-

secundùm multum & paucum, sed secundùm formalem differentiam. Alia enim est ratio boni communis & boni singularis, sicut alia est ratio totius & partis. Et ideo Philosopus in 1. Polit. dicit: quòd non bene dicunt qui dicunt ciuitatem, & domum, & alia huiusmodi differre solum multitudine & paucitate, & non specie.

Ad tertium dicendum, quòd domestica multitudo secundùm Philosophum in 1.† Polit. c. distinguitur secundùm tres coniugationes, scilicet vxoris & viri, patris & filij, domini & serui: quarum personarum vna est quasi aliquid alterius. Et ideo ad huiusmodi personas non est simpliciter iustitia, sed quædam iustitiæ species, scilicet œconomica, vt dicitur in 5. † Ethicorum.

Ei 1. c. 1. circa prin. tom. 5

Lib. 1. ca. 2. & cap. vlt. to. 5.

† Libro 5. Ethi. c. 6. in fi. & c. vlt. to. 5.

SVMMA ARTICVLI.

CONclusio vnica. Præter iustitiam legalē oportet esse particularem quandam iustitiam quæ ordinet hominem ad alteram singularem personam immediate.

COMMENTARIVS.

MENS D. Thomæ in his tribus articulis ea est, vt ostendat an iustitia sit genus, & an sit tam extensa quam est virtus humana. An potius sit genus subalternum, & simul species virtutis humanæ. Possumus autem doctrinam præcedentium articulorum ad tria documenta redigere.

Primum documentū sit. Iustitia generalis seu legalis dicitur generalis secundùm iusluentiam & causalitatē, non tamen secundùm prædicationem.

Secundum documentum est. Huiusmodi iustitia non est genus quod cum humana virtute conuertatur. Sed est species virtutis distincta secundùm essentiam à reliquis virtutibus, sicut charitas est species distincta virtutibus: quanuis sit virtus generalissima secundùm influentiam.

Tertium documentum sit. Iustitia in communi considerata diuiditur in iustitiam generalem seu legalem, & in iustitiam particularem, sicut genus proximum in suas species.

Pro maiori intelligentia horum documentorum quatuor sunt à nobis differenda. Primo quidem, quomodo iustitia generalis seu legalis habeat propriam & perfectam rationem iustitiæ. Secundò, quomodo sit eadem per essentiam cum omnibus virtutibus. Tertiò Constituemus seriem quasi prædicamentalem specierum iustitiæ, & dubitabimus de bonitate diuisionis. Quartò & vltimo differemus de iustitia legali. An diuidatur & quomodo diuidatur.

DVBITATVR ergo primò, Vtrùm iustitia generalis habeat veram perfectamque ratione iustitiæ. Arguitur primò pro parte negatiua. Iustitia generalis non magis retinet rationem iustitiæ quam liberalitas: sed liberalitas non habet perfectam rationem iustitiæ, ergo neque iustitia legalis.

A Probatur maior, quoniam liberalitas propterea non habeat veram & perfectam rationem iustitiæ, quia deficit à propria ratione debiti, si quidem liberalis ex proprijs bonis non aliàs debitis tribuit alteri: sed similiter iustitia legalis tribuit communitati ex proprij ipsius tribuentis bonis, verbi gratia quando ciuis pro bono publico exponit periculo fortunas suas propriosque labores & etiam vitam si oportuerit, ergo eadem est vtriusque ratio.

Arguitur secundò. Vera & propria ratio iustitiæ consistit in hoc, quòd sit virtus reddens alteri ius suum: sed iustitia legalis non reddit alteri quod suum est, ergo, &c. Probatur minor. Qui peccat contra iustitiam legalem non tenetur ad restitutionem, ergo non aufert à republica quod illius est. Et B confirmatur. Quoniam qui peccat contra iustitiam commutatiuam, tenetur ad restitutionem. Immò ille qui peccat contra iustitiam distributiuam tenetur ad restitutionem, vt postea videbitur. At vero qui peccat contra iustitiam legalem non tenetur aliquid restituere. v.g. Ciues qui non tribuunt eleemosynam in communibus necessitatibus, existente mandato Principis præcipientis quòd omnes ciues diuites contribuant talibus necessitatibus, peccant contra iustitiam legalem, vt ait D. Thom. infra quæst. 118. artic. 3. & 4. ergo deficit illi Propria ratio debiti iustitiæ.

Arguitur tertiò. Iustitia legalis ordinat bona singulorum ciuium ad bonum commune tanquam bona partium ad bonum totius: sed inter partes & C totum non est perfecta ratio iustitiæ, vt patet ex dictis in artic. vltim. quæst. præced. & in arti. 2. præsentis quæst. ergo iustitia legalis non est perfecta iustitia. Probatur maior ex D. Thom. art. 5.

Denique arguitur. Pietas est virtus per quam reddimus patriæ & reipublicæ atque parentibus debitum ius: sed pietas nō est perfecta iustitia, ergo neque iustitia lagalis. Maior probatur ex D. Thom. infra quæst. 101. art. 1. q. 102. art. 3. Et etiam ex Tullio lib. de somno Scipionis, & li. 2. de Inuentione. Consequentia vero probatur, quia vtriusque eadem est ratio.

D Sed pro altera parte arguitur primò. Iustitia legalis est præstantior quam particularis: sed particularis est propriè & perfectè iustitia, ergo legalis. Maior est D. Tho. in artic. 12.

Arguitur secundò. Si iustitia legalis non esset propriè iustitia: pari ratione neque distributiua esset perfectè iustitia. Consequens tamen falsum est, quoniam aliàs sola iustitia commutatiua esset propriè iustitia: & sic non essent species iustitiæ. Sequela vero probatur. Quoniam iustitia distributiua ordinat commune bonum ad bonum singulorum ciuium: sicut viceuersa iustitia legalis ordinat bonum singulorum ad commune bonum: ergo eadem est vtriusque ratio quantum ad perfectionem iustitiæ.

E Probatur consequentia. Quoniam quando ex vna parte ad alterum extremum, non est perfecta iustitia neque etiam ex parte illius extremi ad illam partem non est perfecta iustitia. Vt patet in hoc exemplo. Nam si filij ad patrem & serui ad dominum non est perfecta iustitia: neque etiam erit perfecta patris ad filium neque domini ad seruum.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Iustitia legalis non habet tam exactam rationem iustitiæ sicut iustitia particularis ex parte cuiusdam conditionis, quæ ad iustitiam requiritur, scilicet, quòd sit ad alterum. In hac enim conditione excedit iustitia particularis ipsam legalem.

Hanc conclusionem probat tertium & quartum argu-

argumentum eorum quę proposita sunt pro parte negatiua. Quoniam profecto ratio alterius, non est tam exacta inter ciuem & rempublicam sicut inter duos ciues. Quapropter ex hac parte perfectior potest dici iustitia particularis quam legalis.

Nihilominus sit secunda conclusio. Iustitia legalis absolutè loquendo habet perfectiorem rationem iustitiæ quam iustitia particularis. Quemadmodum dicimus quod mathematicæ sunt perfectiores alijs scientijs quo ad claritatem: & nihilominus simpliciter & absolute loquendo multo perfectior est metaphysica propter dignitatem obiecti. Probatur primò conclusio. Quoniam iustitia legalis comparata particulari excedit in ratione debiti. Cæterum in ratione æqualitatis, & in ratione ad alterum, habet quantum satis est ad propriam rationem iustitiæ, ergo simpliciter & absolute loquendo est perfectior. Probatur consequentia. Quia ratio debiti est B potissima conditio iustitiæ. Quod autem ex alijs duabus conditionibus habeat quantum satis est ad rationem iustitiæ propriam; Probatur ex D. Tho. art. 5. vbi ait esse ad alterum contingit dupliciter, scilicet, ad alterum singulariter consideratum, & ad alterum in communi. Ad vtrunque autem ait se potest habere iustitia secundùm propriam rationem iustitiæ: atque ita diuisit iustitiam legalem à particulari. Cæterum ratio æqualitatis propriè & perfectè inuenitur in iustitia legali: si quidem per illā reddit homo quantum debet reddere reipublicæ secundùm legem. Præterea D. Tho. in art. 7. ad secundū & tertium intendit ostendere propriam & perfectam rationem iustitiæ inuenirī in iustitia legali. Ait enim in solutione ad secundum, q̃ bonum cōmune ciuitatis & bonum singulare vnius personæ non differunt tantum secundùm multum & paucū: sed secundùm differentiam formalem. Vbi dat intelligere q̃ obiectum iustitiæ legalis & obiectum iustitiæ particularis habent suas differentias specificas contrahentes genus iustitiæ. Item D. Tho. in solutione ad tertium argumentum intendit docere, quòd iustitia legalis est propriè iustitia: & quòd non est eadem ratio de iustitia œconomica quæ non est simpliciter iustitia. Præterea D. Tho. diuisit tr. statum istum de iustitia in duas partes. In prima agit C de iustitia perfecta & de speciebus illius vsq; ad q. 79. In secunda verò parte à quæstione 80. & deinceps agit de partibus iustitiæ imperfectis, ergo iustitia legali: de qua agitur in priori parte, est perfectè iustitia. Deinde Arist. 5. Ethicor. c. 1. & 2. multa prædicat de iustitia legali, cum quibus non stat illā non esse propriè & perfectè iustitiam. Eandem conclusionem probant illa duo argumenta quæ pro altera parte sunt proposita. Et denique probatur conclusio. Quoniam ius circa quod versatur iustitia legalis est propriè ius, ergo ipsa iustitia est propriè & perfectè iustitia. Probatur antecedēs. Quoniam ius illud habet immediatum ordinem ad bonum commune in ratione debiti, ergo est perfectum ius, & E multò magis quam illud quod versatur inter duos ciues particulares.

AD argumenta vero in oppositum respondetur. Ad primum quidem distinguendum est duplex debitum, aliud morale aliud legale. Legale quidem illud est ad quod soluendum tenetur aliquis ipsa lege. Morale autem accipimus non prout significat vniuersaliter omne illud quod ad mores hominum pertinet. Sic enim debitum morale est etiam legale, sed debitum morale specialiter dicimus illud ad quod reddendum tenetur aliquis ex morum honestate. Prioris generis debitum, simpliciter est debitum, & tale est quòd inuenitur in iustitia legali: si quidem ciues possunt compelli à iudice ad reddendum tale ius reipublicæ. Cæterum morale debitum est duplex. Aliud quod necessario seruandum est ad morum honestatem, & si nulla lege præcipiatur à republica. Aliud est commodum & vtile ad seruandam morum honestatem. Prioris generis debitum inuenitur ingratitudine, secundi generis debitum in liberalitate & magnificentia quod non est simpliciter debitum sed secundùm quid, & per hoc patet ad primum.

Ad secundum respondetur, q̃ iustitia legalis tribuit reipublicæ debitum & qui illam violat tollit ius & debitum à republica, non tamen tenetur restituere nisi aliquando interueniat læsio iustitię cōmutatiuæ: & ratio est, quia illud debitum nondum est appropriatum reipublicæ, sed adhuc est accommodatum ipsi ciui. Aliquando vero admiscetur ratio iustitiæ commutatiuę vt in principe & ministris reipublicę qui tenentur ex officio prospicere bonū reipublicę. Et isti tenentur ad restitutionem si illorum negligentia vel malitia aliquod damnū emergit & cessat bonum & lucrum reipublicę. Et ratio est, quia huiusmodi ministri tenentur ex contractu & promisso prouidere bonum commune sub promisso fidelitatis. Similiter tenentur ad restitutionē qui vsurpant bona iam fisco appropriata ab ipsismet solutoribus: etiam si antea non tenerentur ex C iustitia commutatiua appropriare illa.

Ad tertium respondetur, q̃ partes quę sunt separatæ ab ipso toto sunt in duplici differentia. Quędā quę necessario, idest, non liberè habent ordinem ad totum & dependent ab illo sicut filius qui habet necessarium ordinem ad patrem velit nolit, & seruus ad dominum, inter huiusmodi partes & totum nō potest esse iustum perfectum. Alię verò sunt partes quę voluntarie & libere habent ordinem ad totum ipsum: sicut ciues habent ordinem ad rempublicā, qui absque iniuria reipublicę possunt transmigrare ab illa in alteram vel in alterum regnum. Dicimus ergo q̃ inter huiusmodi partes & totum bene potest esse exactè & perfectè iustitia, siue legalis, siue D commutatiua siue distributiua.

Ad vltimum respondetur cum D. Tho. infra q. 101. art. 3. ad 3. q̃ patria potest considerari dupliciter. Vno modo qua ratione est principium natiuitatis nostrę. Et hoc modo colimur patriam virtute pietatis. Sicut enim filij à parentibus dependent: ita nos ab illa. Et eadem virtute pietatis quisque debitum cultum reddit. Et isto modo non est perfecta ratio iustitię inter ciues & patriam, patrem & filium: sed imperfecta. Semper enim manemus debitores & ad patriam & ad patrem. Alio modo consideratur patria, vt est quædam respublica & locus habitationis multorum ciuium sub vno principe, cui per accidens est quòd sit principium natiuitatis E eorum. Dicimus ergo quòd isto modo respicitur patria à iustitia legali, cuius commune bonum est proprium obiectum illius: & isto modo est propria & perfecta ratio iustitię inter ciues & patriam, quatenus quędam respublica est.

AD argumenta vero quę in fauorem partis affirmatiuę proposita sunt: respondendum est quatenus militant contra primam conclusionem. Ad primum aliqui dicunt iustitiam legalem esse præstantiorem virtutem, non autem perfectiorem iustitiā quàm sit iustitia particularis. Quemadmodum D. Thom. 1. 2. q. 66. art. 3. ait, quòd ratio virtutis magis competit virtutibus moralibus quàm intellectualibus: eo q̃ morales tribuunt vsum & facultatem

boni

boni operis: quod non competit virtutibus intellectualibus. At verò in specie & ex parte obiecti præstantiores sunt virtutes intellectuales. Ad eundem modum aiunt philosophandum esse de iustitia legali & particulari: quòd iustitia legalis sit perfectior virtus, sed non perfectior iustitia quam particularis. Et iste modus dicendi non caret sua probabilitate. Et adijciunt rationem, quoniam in rebus respectiuis, quales sunt virtutes, aliunde sumitur ratio generis, aliunde speciei. Genus quidē ab intrinseco ex parte modi. Species vero ab extrinseco ex parte obiecti. At vero res absolutæ, vt aiunt ipsi, omnino ab intrinseco sumunt rōnem generis & speciei. Verumtamen probabilior sententia nobis videtur, q̃ iustitia legalis non solum sit perfectior virtus, verumetiam perfectior iustitia quam particularis. Neque enim bene potest intelligi quomodo absolute loquendo maior perfectio competat generi si species de qua prædicatur sit imperfectior alia specie, quæ ad inuicem comparantur sub illo genere. Imo verò absolute loquendo maior perfectior generis attenditur quatenus per differentiam perfectioré contrahitur. Et hoc verificatur tam in genere substantiæ quam in genere qualitatis etiam respectiuis qualitatibus. v. g. Homo absolutè loquendo perfectius animal est quam leo: quia differentia specifica qua contrahitur animal ad speciem hominis, perfectior est. Similiter albedo est perfectissimus color propter differentiam specificam determinantē genus. Deinde metaphysica absolutè est perfectior scientia quam mathematicæ: quanuis istæ quo ad modum procedendi clariorem habeant, & maioré perfectionem quam metaphysica: tamen quia metaphysica versatur circa nobilius obiectum dicitur simpliciter perfectissima omnium naturalium scientiarum. Ad hunc ergo modum cum ad inuicē comparantur iustitia legalis & particularis sub hoc genere, iustitia, non bene intelligitur quomodo absolute loquendo legalis sit perfectior virtus, & quòd differentia specifica contrahens genus virtutis ad iustitiam legalem non sit perfectior, quam differentia specifica iustitiæ particularis. Neque doctrina D. Tho. allegata supra contradicit nobis: imo iuuat, quia ille ex parte obiecti cōtemplatur nobilitatem virtutis. Nos autem intendimus consequenter q̃ obiectum iustitiæ legalis est perfectius obiecto iustitiæ particularis. Dicendum ergo est ad argumentum, quòd secundùm quid perfectior est iustitia particularis, quam legalis, scilicet, ex parte vnius conditionis iustitiæ, videlicet q̃ sit ad alterum. Est enim iustitia particularis magis ad alterum quā legalis.

Ad secundum argumentum negatur q̃ iustitia legalis non sit perfectè iustitia sicut distributiua. Vtraque enim, vt explicatum est, sufficienter est ad alterum, quantum attinet ad veram & propriam rationem iustitiæ.

DVBITATVR secundò, Vtrùm iustitia legalis distinguatur secundùm essentiam ab alijs virtutibus. Arguitur primo pro parte negatiua ex testimonijs Arist. 5. Ethic. c. 1. quæ refert D. Tho. art. 6. in 1. & 2. argumento. Neq; solutio D. Tho. videt satisfacere, scilicet, quòd iustitia legalis dicatur ab Aristotele esse eadem per essentiam cum reliquis virtutibus: quia iustitia legalis imperat & ordinat, aliæ vero virtute suscipiunt eius imperium. Contra quam solutionem replicatur. Imperans & imperatum, mouens & motum secundùm Arist. lib. 7. & 8. Physicor. distinguuntur inter se, ergo non est bona ratio, dicere quòd iustitia legalis est eadem per essentiam cum reliquis virtutibus: quia illa est imperans & aliæ imperantur. Imò contrarium videtur colligi, scilicet, quod distinguatur ab alijs virtutibus. Deinde Arist. in Moralibus, vt ipse postlicetur. 5. Ethicor. Oportet loqui apertè absque inuolucris verborum & sententiarum: sed ille ait apertè iustitiam legalem esse idem secundum essentiam cum reliquis virtutibus, ergo absque aliqua metaphora in proprio sensu est intelligendus. Item ipse. 3. Ethicorum cap. 6. tribuit fortitudini secundum se quòd versetur circa pericula mortis propter bonum cōmune. Et lib. 4. cap. 2. tribuit magnificentiæ q̃ versetur circa magnos sumptus propter bonum commune. Ergo iustitia legalis quæ respicit tanquā proprium obiectum bonum commune eadem erit cū magnificentia, & fortitudine secundum essentiam. Id ipsum videtur docere D. Tho. 1. 2. quæst. 60. art. 3. ad 2.

Arguitur secundo ratione. Omnis virtus secundum se est ordinata & determinata ad bonum cōmune, ergo non opus est ponere specialem virtutē iustitiam legalem: vt ordinet actus virtutum ad bonum commune. Antecedens probatur, tū quia omnis virtus est perfectio habentis, quæ ordinatur ad bonum commune, sicut bonum partis ad bonū totius: tū et quia omnis virtus inclinat ad operationē suā cum omnib. circunstantijs debitis actui virtutis, scilicet, vt actus exerceatur quando & vbi & quomodo & quantum oportet propter bonum finem. Est autem bonum commune finis virtutum, ergo ex natura sua habet quælibet virtus ad bonum commune ordinari.

Arguitur tertiò. Omnis virtus secundùm se & ex natura sua est actus iustitiæ, non iustitiæ particularis, ergo iustitiæ legalis. Maior probatur. Quia omnis actus virtutis ex natura sua est meritorius, sed omnis actus meritorius est actus cui debetur præmium à gubernatore communi, ergo ordinatur ad bonum commune. Et confirmatur ex Matthæi. 7. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Et ponit exemplum. Cum ergo facis eleemosynam, &c. Tu autem cum ieiunas. Ergo eleemosyna & ieiunium sunt actus iustitiæ.

Quarto arguitur & vltimo. Omnis virtus distincta secundum essentiam à reliquis virtutibus, habet actum distinctum ab actibus aliarum virtutū: sed iustitia legalis non habet huiusmodi actum distinctum, si quidem semper versatur circa aliarum virtutum actus, referendo illos in bonum commune, ergo non est virtus distincta secundum essentiā ab alijs.

De hac difficultate Buridanus lib. 5. Ethicorum quæst. 4. & alijs sentiunt iustitiam legalem esse idem per essentiam cū oī virtute. Et allegatur Eustachius lib. 5. Ethic. capit. 1. & afferunt simile ad explicandam hanc sententiam. Et enim sanitas non distinguitur secundum essentiam ab ipsis humoribus proportionatis. Ad hunc modum aiunt iustitiam legalem non distingui à reliquis virtutibus. Est enim iustitia ista quasi quædam sanitas animæ, quæ consurgit ex consonantia omnium virtutum.

Nihilominus opposita sententiam multò probabilior est & conformior doctrinæ Aristote. 5. Ethic. cap. 1. & 2. Vbi ait iustitiam legalem præstantiorem esse alijs virtutib. Quod quidē verificari non posset nisi distingueretur per essentiam ab illis. Et iterum ait. Sæpè contingere homines esse bene affectos erga priuatum bonum alterius: non tamen erga publicum bonum. Et horsum affert dictum Biantis philosophi. Magistratus virum indicat. Et ob hāc rationem distinguit iustitiam legalem, quę versatur circa bona & commoda publica à iustitia particulari. Et præterea ex ipsis rationibus formalibus obiectorum distinguit vtramque iustitiam. Item lib. 3. Politicorum cap. 10. ait non esse eandem virtutem boni viri & boni ciuis, & quòd iustitia legalis est virtus boni ciuis. Quæ omnia verificari non possunt, si iustitia legalis est idem secundum essentiam cum reliquis virtutibus moralibus. Huius sententiæ videtur quibusdam esse Diuum Chrysostomum, homil. 15. super Matth. in illis verbis, Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Vbi ait: quam vero iustitiam? Vtique rationalem, quę ex aduerso aduersitatis opponitur. Et paulo inferiùs super illud, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: Inquit, pro virtute & pietate & defensione cæterorū: solent quippè iustitiam omnera prorsus animi appellare virtutē. Hæc Chrysostomus. Cuius testimonium citat Diuus Thomas in art. 7. in argumento in contra. Et in priori loco testimonij intelligit iustitiam particularem: in secunda parte, intelligit iustitiam legalem. Sed profecto verba Chrysostomi non multum vrgent. Imo vero videntur fauere sententiæ quæ asserit iustitiam legalem non distingui ab alijs, cum inquit, solent quippe iustitiam omnē animi appellare virtutem. Nisi forte quis velit aliter construere verba Carysostomi. Vt sit sensus, solent quippe iustitiam omnem, id est communem & vniuersalem, appellare virtutem. Scilicet virtutem quādam. Nostra tamen sententia est Diui Thomæ art. 6. & 7. & 1. 2. quæst. 66. art. 3. ad secundum argumentum. & sequūtur illam plurimi Theologorum doctissimi. Ratio autem Diui Thomę in articulo vehementer comprobat istum veritatem. Denique probatur optima ratione. Prudentia monastica quæ versatur circa agibile proprium & particulare, quę distinguitur secundum essentiam à prudentia politica, quæ versatur erga agibile politicum & cōmune ciuitatis, ergo virtutes quæ versantur erga particularia bona ex parte voluntatis distinguuntur à iustitia & virtute, quæ versatur circa publicum & commnue bonum. Antecedēs est expresè Arist. lib. 6. Ethicorū cap. 8. & Diui Thomæ supra quæst. 45. art. 11. & quæst. 50. art. 1. Consequentia vero probatur, quoniam iustitia legalis correspondet ex parte voluntatis prudentię politicę quę est in intellectu. Vtraque enim versantur erga bonum commune. Prudentia quidem dirigendo: iustitia vero agendo & actum eliciendo. Et confirmatur, quia facilius multiplicantur & distinguantur virtutes quæ sunt in potentijs appetitiuis, quàm quę sunt in intellectu sed prudentia cum sit in intellectu distinguitur alia circa priuata bona, alia circa bona publica: quæ distinctio specifica iudicatur ab omnibus moralibus philosophis, ergo multo magis iustitia multiplicabitur & distinguetur, cùm sit in voluntate circa bonū particulare & bonum commune. Maior manifesta est, quoniam vnica tantum prudentia monastica versatur circa omne agibile proprium: cum tamē circa idem agibile proprium multiplicentur plurimæ virtutes in potentijs appetitiuis.

Ad argumenta in oppositū respōdetur. Et primò ad testimonia Arist. quæ adducit D. Thom. ipsemet optime respondet. Ad replicam vero dicitur quòd mens Diui Thom. non est docere, quod simpliciter loquendo iustitia legalis sit eadem per essentiam cum reliquis virtutibus: sed intendit id quod nos in tertia conclusione ipsius notauimus, scilicet, quòd iustitia legalis quodammodo potest dici eadem cum alijs: propterea quòd in illis est impressio à iustitia legali per quam ordinantur ad bonum commune. Volumus itaque dicere, quòd actus cuiuslibet virtutis potest quodammodo dici actus iustitiæ legalis propter illam ordinationem passiuam, qua ordinatur ad bonum commune. Et ita voluti Aristoteli satisfacere D. Thomas. Cæterùm ille habitus iustitiæ legalis, quem posuimus in prima conclusione distingui, nunquam est dicendus idem per essentiam cum alijs virtutibus: neque actus proprius qui elicitur ab illo, erit actus alterius virtutis. Ad id quod obijciebamus, quia Aristot. deberet loqui clarè & apertè in moralibus, respondetur: quod moraliter loquendo satis apertum est, q̃ minister accipiat nomen eius cuius minister est. Ita ipsæ virtutes morales accipiunt nomen iustitiæ legalis, quatenus illi ministrant ordinatę ab illa ad bonum commune. Ad alia testimonia respondetur, quod referri ad bonum commune non competit magnificentię & fortitudini formaliter ex propria ratione specifica: sed quatenus ordinantur à iustitia legali ad bonum commune, quod est proprium obiectum illius. Quemadmodum eisdem virtutibus non competit referri in bonum commune ex propria ipsarum ratione: sed quatenus à charitate referuntur in illud bonum diuinum quod est proprium illius obiectum.

Ad Testimoniū D. Tho. respondetur, quòd ipse ibi satis se explicat. Ait enim quod virtus quæ à iustitia legali imperatur etiam iustitię nomen accipit. Et sic illa virtus à iustitia legali in ista acceptione non differt nisi tantum ratione.

Ad secūdum respondetur, quod quanuis omnes virtutes habeant ex natura sua aptitudinem vt possint referri & ordinari ad bonum commune: tamē nunquam ordinantur nisi, vt subsunt imperio legalis iustitiæ. Cæterùm ille finis competit virtutib. non ex propria specie, sed ex motione superiori virtutis, quæ est iustitia legalis.

Ad tertium respondetur, quod actus cuiuslibet virtutis potest dupliciter accipi. Vno modo vt ordinatur ad bonum particulare, quod est obiectum propriū cuiusliber virtutis. Alio modo vt est opus debitum secundum legem, quæ lata est de actione virtutis, videlicet, quatenus est actus ciuis, qui est pars communitatis. Siquidem priori modo considerentur isti actus: nondum intelligitur esse meritum. Sed cum posteriori modo considerantur iam intelligitur vt ordinatur ad bonum commune. Ac proinde qui est præses communitatis tribuit præmium studiose operanti: quatenus à iustitia legali permouetur ad operandum. Ad confirmationem iam patet ex dictis, quomodo eleemosyna & ieunium potest dici actus iustitiæ legalis.

Ad vltimum nego minorem. Imo iustitia legalis habet actum proprium & realiter distinctum ab actibus aliarum virtutum. Quod vt in plurimum actus ille inuenitur coiunctus cum actu imperato alterius virtutis: hoc non tollit distinctionem virtutis. Quemadmodum actus prudentiæ vix poterit inueniri nisi circa materiam aliarum virtutum moralium, & tamen constat esse virtutem distinctam secundum essentiam ab illis. Verū est tamen, quod potest esse actus iustitiæ legalis in quodam actuali proposito obseruandi legem in omnibus propter bonum diuinum, vbi nullus actus alterius præter prudentiam exercetur virtutis.

DVBITATVR tertio circa diuisionem iustitię. Sed antequam dubitationem proponamus, operæ pretium est obseruare ordinem quem habet iustitia legalis ad reliquas iustitiæ partes. Quem ordinem ostendemus partientes iustitiam in communi in omnes

omnes suas partes. Est enim prima diuisio iustitiæ A
anologa. Alia est enim iustitia vera & propria: Alia
metaphorica & similitudinaria, qualis est eiusdem
ad seipsum & inter patres eiusdem suppositi. Quæ
quidem iustitia in præsenti consideratione seorsũ
reliquenda est. Agendum est autem nobis de iusti-
tia, prout est ad alterum cõstituens æqualitatem. Et
hæc rursus diuiditur in iustitiam cardinalem &
perfectam: & in iustitiam adiunctam cardinali im-
perfectam. Cardinalis & perfecta iustitia est, quæ
versatur circa ius perfectum. Cardinali vero adiũ-
cta est, quæ versatur circa ius imperfectum habẽs
modum cardinalis virtutis: dificiens tamẽ ab illius
perfectione. Huiusmodi est religio & pietas, de qui-
bus agit Diuus Tho. à quæst. 80. & deinceps. Tertiò B
diuiditur iustitia cardinalis in iustitia generalẽ seu
legalem, & in iustitiam particularem. De legali qui-
dem diximus hactenus quid sit, & quodnam sit eius
obiectum. Particularem vero iustitiam D. Thom.
diuidit infra quæstione 61. art. 1. Legalem vero nos
intendimus diuidere in dubio sequenti. Sed prius
necesse est examinare secũdam diuisionem. Argui-
tur enim contra illam. Perfectum & imperfectum
non multiplicant speciem rerum, ergo illa diuisio
non est generis in diuersas species. Respondetur di
stinguo antecedens. Si enim perfectio sit de intrin-
seca ratione rei, quæ dicitur perfecta: & imperfe-
ctio sit de intrinseca ratione rei quæ dicitur imper-
fecta: nego antecedens. Si autem perfectio vel im- C
perfectio non sit de intrinseca ratione rei quæ dici
tur perfecta vel imperfecta: verum est antecedẽs:
sed nihil probat contra nos, quoniam in illa diuisio
ne perfectio quę ponitur in definitione virtutis car
dinalis seu iustitiæ cardinalis est de intrinseca ratio
ne ipsius. Imperfectio verò est de intrinseca ratione
virtutis quæ dicitur cardinali adiuncta. Non quia
in ratione virtutis sit imperfecta: sed quia in ratio-
ne iustitię deficit in aliquo necessario ad perfe-
ctam rationem iustitiæ cardinalis. Est exemplum
ad explicandam istam doctrinam. Visio beatifica &
fides sunt in genere cognitionis supernaturalis tan-
quam perfectum & imperfectum: sed tamen quia
perfectio est de intrinseca ratione visionis beatifi- D
cæ, & imperfectio est de intrinseca rõne cognitio-
nis fidei, differunt isti duo actus plusquam specie.

Secundo arguitur contra eandem diuisionem.
Liberalitas & affabilitas sunt partes potẽtiales iusti-
tiæ cardinalis. Et tamen non sunt propriè & verè iu
stitiæ; ergo secunda diuisio analoga est: sicut & pri-
ma, aut certè membrum diuisum non est iustitia ve
ra & propria. Respõdetur, quòd nos non asserimus
omnem partem potentialem iustitiæ cardinalis esse
verè & propriè iustitiam: sed veram & propriam
iustitiam diuidimus in cardinalem & in cardinali
adiunctam. Itaque ea pars iustitiæ cardinalis, quæ
respicit veram rationem debiti legalis, deficit autẽ,
quia non potest æquale reddere, hæc est vera & pro
pria iustitia: quamuis sit imperfecta qualis est reli- E
gio & pietas. Illæ autem partes potentiales iustitiæ,
quæ deficiunt à perfecta ratione iustitiæ, propterea
quòd non retinent rationem debiti legalis: non ha-
bent veram rationem & propriam iustitiæ. Huius
differentiæ ratio à priori potest assignari. Nam in-
ter illa tria quæ sæpè diximus necessaria ad rationẽ
iuris, videlicet, quod sit ad alterum, item quòd im-
portet rationem debiti & denicq; rationem æquali-
tatis. Defectus primæ conditionis constituit iustitiã
metaphoricam: defectus vero secundæ constituit ra
tionem iustitiæ tantum patris potentialis. Defectus
denique tertiæ constituit rationem imperfectæ iu-
stitiæ, sed veram & propriam.

Tertiò arguitur contra eandem diuisionem &
contra tertiam. Religio & pietas sunt excellentio-
res quam iustitia particularis, imo religio post vir-
tutes Theologales primum dignitatis locum tenet:
vt docet Diuus Thomas infra quæst. 81. arti. 6. Er-
go sunt perfectiores iustitiæ: quam iustitia particu-
laris & iustitia legalis. Respondetur religionem
& pietatem esse perfectiores virtutes, quàm iustitia
particularis: imò vero religionem esse præstantio-
rem virtutem, quam omnis iustitia legalis: tamen
nõ sunt pstantiores in rõne iustitię. Hęc solutio con
formis est doctrinæ quam protulimus in hoc artic.
dub. 1. circa finẽ in solutione cuiusdã primi argumẽ
ti. Nec tñ est cõtra secũdæ solutioni quã illic assigna B
uimus. Vbi diximus quod non bene intelligit quod
iustitia legalis sit perfectior virtus particularis, &
quod non sit perfectior iustitia. Etenim ibi loqueba
mur de duabus speciebus iustitiæ perfectis. At vero
religio & pietas non sunt species perfectæ iustitiæ.
Vnde non inconuenit, quod sint perfectiores virtu
tes etiam in sua specie, non autem perfectiores iu-
stitiæ quam legalis & particularis.

DVBITATVR vltimo. Vtrum iustitia legalis
sit species subalterna vel atoma. Videtur, quod sit
atoma species. Primo quoniam charitas est vna spe
cies atoma, cuius actus & officiu est referre omnes
actus aliarum virtutum bonum diuinum, ergo si-
militer iustitia legalis cuius officium est referre om
nes actus virtutum in bonum commune, quod est
illius proprium obiectum, erit vna species atoma
virtutis. Hoc exemplo vtitur Diuus Thom. arti. 6.
vt explicet nobis rationem iustitiæ legalis.

Secundo arguitur. Non possumus nos imaginari
nisi duas diuisiones iustitiæ legalis. Prior quidem
in qua constituatur quædam species iustitiæ legalis
quæ dicitur Epicheia. Altera in qua diuidatur iusti-
tia legalis tanquam genus in species, videlicet in
iustitiam legalem quæ residet in Principe architec-
tonicè, & in iustitiam legalem: quæ residet in mi-
nistris vel subditis Principi administratiuè: sicut
dixit Diuus Thomas artic. 6. conclusione secunda.
sed neutra istarũ diuisionum est generis in species,
ergo est species atoma. Probatur minor quantum
ad priorem diuisionem. Nam Epicheia est tantum
pars potentialis iustitiæ, non subieua, ergo non est
species iustitiæ. Probatur antecedens, quia D. Tho.
differit de Epicheia non in hac priori parte, tracta-
tus, de iustitia, sed in posteriori parte scilicet, in q.
120. post tractatum omnium partium potentialiũ
iustitiæ. Probatur eadem minor, quantum ad secun
dam diuisionem. Idem formaliter est obiectum (sci
licet bonum commune) respectu iustitiæ legalis
quæ est in Principe, & quæ est in subditis, ergo ea-
dem est virtus specifica legalis. Sed pro alia parte
est Arist. 5. Ethic. cap. 10. Vbi constituit vnam par-
tem iustitiæ legalis Epicheiam: quæ latinè dicitur
æqualitas. Item Diuus Tho. loco citato, arti. secun-
do. ad primum docet hoc ipsum.

Secundò arguitur, & probatur, quòd iustitia le-
galis quæ est in Principe distinguatur specie à iusti-
tia legali, quæ est in ciue. Quoniam prudentia prin-
cipalis siue monarchica quæ residet in Principe seu
Monarcha distinguitur specie à prudentia politi-
ca & monastica, quæ est in ciuibus, ut docet Di-
uus Thom. supra quæst. 50. art. 2. & Arist. 6. Ethico-
rum cap. 8. sed iustitia legalis in ipso Principe cor-
respondet ex parte voluntatis prudentiæ quæ est
in intellectu Principis: iustitia vero legalis quę resi-
det in ipsis ciuibus, correspondet etiam ex parte
volun-

volũtatis prudẽtiæ politicæ quæ est in intellectibus
ipsorum, ergo sicut ipse prudẽtię distinguuntur spe A
cie, ita ipsę iustitiæ legales debent distingui specie.
Et confirmatur quoniam iam diximus supra dub.
2. faciliùs multiplicantur & distinguuntur virtutes
morales ex parte appetitus quã ex parte intellectus
sed ex parte intellectus distinguunt specie pruden-
tia regnatiua & prudentia politica, ergo iustitię cor
respondentes illis distinguuntur specie.

Denique arguitur. Virtus Architectonica distin-
guitur specie à virtute vsiuali & administratiua, sed
iustitia legalis quę est in Principe habet se vt virtus
Architectonica secundum, quòd est in Principe: se
cundum autem, quò est in ciuibus se habet vt admi
nistratiua & vsiualis, vt docet Diuus Thomas ar- B
tic. 6. ergo differunt specie.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Iu-
stitia legalis generaliter dicta diuiditur primum in
Epicheiam, & iniustitiam legalem strictè dictam.
Pro intelligentia huius cõclusionis. Notãdum est,
q lex à qua denominatur iustitia legalis, duplicem
finem habet. Alterũ intrinsecum & immediatũ,
quem immediatè respicit ipse legislator. Alterũ ex-
trinsecum & mediatum sed magis principalẽ: quẽ
principaliter respicit ipse legislator. Sit exemplum.
Est lex de non aperiendis portis ciuitatis tempore
belli: ne hostes ciuitatem occupẽt finis immediatus
& intrinsecus huius legis est ille, quẽ verba imme-
diatè præ se ferunt ne hostes in ciuitatem irruant. C
Finis vero remotus, sed magis principalis est salus
& incolumis status reipublicę. Iustitia igit legalis in
ampla & generali acceptione, respicit vtrumque fi
nem indifferenter. Et secundum hanc consideratio
nem accipitur à nobis in præsenti, tanquam genus
quod diuiditur in Epicheiam siue equitatem, & iu-
stitiam legalem strictè dictam: quæ quidem respi-
cit tantum finẽ proximum legis. Epicheia verò seu
equitas respicit tanquam proprium obiectum finẽ
remotum, sed magis intẽtum à legislatore. Et hinc
est, q iustitia legalis attendit ipsa verba legalia sicut
scripta sunt: æquitas verò prętermissis verbis ipsius
legis aliquando sequitur legem secundum id quod
postulat iustitiæ ratio & cõmunis vtilitas. Accom- D
modatur autem nomen iustitiæ legalis propter pe-
nuriam nominum iustitię illi quę respicit verba le-
gis. Quemadmodum diuidit Arist. dispositionẽ in
habitum & dispositionem: ita vt nomẽ generis ap-
proprietur speciei imperfectiori. Conclusio itaque
ad hunc modum explicata habetur ex Arist. & D.
Tho. locis citatis in primo argumento eorum, quæ
fecimus pro parte affirmatiua. Item habetur apud
Arist. lib. 1. Rhetorices. ca. 11. & lib. 2. magnorũ mo-
ralium cap. 1. Probatur autem conclusio prẽter ar-
gumenta. Primò quoniã vt docet D. Tho. in q. 51.
art. 3. & 4. synesis & Gnomi sunt diuersæ virtutes
partes potentiales prudentiæ. Nam synesis iudicat
de rebus agendis secundum regulas communes. E
Gnomi verò iudicat de eisdem rebus prẽter regulas
communes: per altiora quędã & vniuersaliora prin-
cipia: sed iustitia legalis strictè dicta correspondet
ex parte voluntatis iudicio synesis secundum com-
munes regulas. Æquitas verò correspondet iudicio
Gnomi prẽter regulas cões per altiora principia &
vniuersaliorem finem, ergo distinguuntur specie.

Secundò arguitur. Obiectum iustitiæ legalis spe
cialiter dictæ & obiectum æquitatis distinguuntur
formaliter: ergo ipsæ virtutes sunt distinctæ specie.
Probatur antecedens: quia regula & regulatũ men
sura & mensuratũ in ratione obiecti virtutis distin
guuntur formaliter: sed obiectum æquitatis est ra-

tio & mensura obiecti legalis specialiter dictæ iu- A
stitię: ergo distinguuntur formaliter ista obiecta.
Minor explicatur in exemplo posito in illa lege de
non aperiendis portis ciuitatis tempore belli. Vbi
manifestum est, q salus ciuitatis & tranquillitas
reipublicæ status est regula & mensura, per quam
debemus metiri, an illo tempore hostes debeant
arceri, an introduci intra ciuitatem, si speratur vi-
ctoria ex ingressu illorum. Vltimo probatur con-
clusio. Obiectum æquitatis habet peculiarem diffi
cultatem quandam supra obiectum iustitię legalis
specialiter dictæ: ergo requiritur specialis virtus ad
vincendam illam difficultatem. Antecedens proba
tur experientia. Videmus enim sæpè homines alias
doctos Iurisque peritos & zelum legis habentes: & B
tamen vsq; adeo scrupulosè hærent verbis & lite-
ris ipsius legis: vt nulla ratione etiam vtiliori ad bo
num commune permoueantur, vt attendant legis-
latoris intentum. Hinc est quòd Paulus Iurisconsul
tus ait: l. si seruum. ff. de verb. oblig. Dicit enim
citans Celsum dicentem: quòd in eo genere quæ-
stionis in quo agitur de bono & æquo: plerumque
sub authoritate iuris scientię periculosè erratur.
Vide Diuum Thom. infra quęst. 66. art. 5. ad secun-
dum argumentum. Vbi refert aliud dictum Iuris-
consulti huic simile. Item Cicero in Oratione pro
Cecina, inquit quoties aliqui in iudicio habent cau
sam pro bono & æquo: si contrà, literis & verbis, C
& vt dici solet, summo contenditur iure: solent hu
iusmodi iniquitati æqui & boni nomen dignita-
temque opponere: & dicere, Iurisconsultorum au
thoritati non oportere obedire. Arist. etiam ubi su-
pra c. 13. Rhetoricorum inquit. Arbitrium eligi, vt
præualeat bonum & æquum: quoniam in foro &
apud iudicis tribunal magis prestat iustum legale.
Hinc etiam illud Prouerbium ortum habuit, sum-
mum ius summa iniuria. Etenim summum ius in
hoc prouerbio non accipitur pro eo quod est rigor
& seueritas iuris: nunquam enim iuris rigor est in-
iuria. Sed summũ ius idem est, acsi diceretur sum-
mitas atque superficies iuris, quod est id quod ver-
ba & literis legis sonant. Contingit sæpè, q intus
lateat summa iniuria. Tunc autem maximè à vero
iure disceditur & fit summa iniuria: cùm iudex hæ
ret literis & verbis legis: & non attendit voluntã-
tem & beneplacitum legislatoris. Cæterùm iusti-
tia legalis specialiter dicta ita adhęret literis verbis-
que legis, vt parata sit & subordinata limitari per
beneplacitum & voluntatem legislatoris secundũ
æquitatem iustitiæ. Et idcirco Paulus Iurisconsul
tus. ff. de regulis iuris. asserit hanc regulam in om-
nibus quidem, maximè tamen in iure, scilicet, æ-
quitatem spectandam esse. Et ob hanc causam
ascripsit sibi æquitas hoc nomen, quod videtur ge-
nericum omni iustitiæ, scilicet per Antonomasiam
& excellentiam quandam: eo quòd iustitia legalis
strictè dicta si comparetur cum æquitate ipsa, quas- E
si seorsum illi opposita, est iniquitas. Omnis
enim æquitas quæ in illa inuenitur debet esse sub-
ordinata virtuti æquitatis: quæ sic dicitur per ex-
cellentiam.

Secunda cõclusio. Iustitia legalis eadem & vna
est secundum speciem atomam in principe & sub-
ditis. Probatur quia est idem obiectum formale iu
stitię legalis quæ est in Principe & subditis. Probat
antecedẽs. Princeps per equitatem procurat bonũ
commune prẽter leges communes, similiter per iu
stitiam legalem strictè procurat bonum commune
per communes regulas: sed hoc ipsum efficiũt sub-
diti per æquitatem & per iustitiam legalem strictè
dictam,

dictam, ergo idem est obiectum formale vtriusque. Hanc conclusionem probant argumenta facta in principio huius dubij, pro parte negatiua, sed necesse est ad illa respondere quatenus militant contra primam conclusionem.

Ad primum respondetur negando consequentiam. Obiectum enim charitatis est vnum & idem formaliter secundum speciem, neque particularis difficultas est in referendis actibus virtutis omnis in bonum diuinum, præter illam quæ est in diligendo Deum. Cæterum vt iam ostendimus obiectum iustitiæ legalis variatur secundum speciem & formalem rationẽ obiecti respectu iustitiæ legalis quę dicitur æquitas, & respectu iustitiæ legalis specialiter dictæ. Item maior difficultas est in procurando bono communi præter regulas communes, quàm in procurando illo per communes regulas & leges. Quapropter non est eadem ratio de charitate & iustitia legali.

Ad secundum argumentum respondetur, quantum ad priorem partem: quòd Diuus Thomas in tractatu de æquitate seu Epicheia seruauit ordinem & naturæ & disciplinæ. Naturæ quidem, quoniã processit ab imperfectioribus iustitijs ad æquitatẽ quæ omnium perfectissima est. Disciplinæ verò, quoniã prius egit de illis iustitijs quę attendunt communes regulas & leges. Reposuit tamen in vltimum locũ æquitatem, quæ præter communes regulas iustum operatur, corrigens opera aliarum virtutũ iustitiæ. Altera pars argumenti probat secundam conclusionem neq; obstat primæ. Similiter non est soluendũ primum argumentum in oppositum: fauet enim primæ conclusioni. Neque obstat secundæ.

Ad secundum verò in oppositũ respondetur quatenus militat contra secundam conclusionẽ. Facilius quidem multiplicari virtutes vt in plurimum in voluntate, quàm in intellectu: quoniam intellectu simplicior & perfectior potentia est, quam ipsa voluntas. Ea vero quę in inferioribus dispersa sunt, solent adunari in superioribus. Cæterum interdum contingit oppositum, videlicet, q̃ in intellectu multiplicentur lumina, per quæ res illustrantur & perficiuntur: & ex parte voluntatis non multiplicetur inclinatio & propensio an res ipsas. Exempli gratia in intellectu, sunt duo habitus circa prima principia. Alter qui dicitur intellectus circa speculabilia principia. Alter vero qui dicit synderesis circa principia practica & moralia. Ex parte vero voluntatis neque sunt duo habitus, imo neque vnus respectu boni connaturalis quod ostenditur per illa diuersa lumina: sed ipsa voluntas absque habitu super addito, est propẽsa & inclinata in huiusmodi bonũ: imò voluntas est ipsa propensio & inclinatio. Item est aliud exemplum. Ex parte intellectus est alius habitus circa prima principia & alius circa conclusiones in speculabilibus: & tã ex parte voluntatis vnus & idem habitus virtutis est circa media eligibilia & circa finem virtutis. V.g. Vnus habitus temperantiæ facit bonam intentionem circa illam materiã, & bonam electionem mediorum ad finem intentum: cum tamen in intellectu etiã in practicis sunt quatuor habitus siue virtutes ad operationem virtutis temperantiæ & cuiuslibet; scilicet Eubulia & Synesis & Gnomi & prudentia. Ad istum modũ dicimus in præsenti, q̃ cum distinctione prudentię in monasticã & politicã, potest esse identitas secundum essentiã iustitię legalis in subditis & Principe.

Ad vltimum negatur minor. Propriè loquendo: nõ enim iustitia legalis in Principe est Architectonica secundũ naturam suam nec respicit secundum naturam suam nisi eundem finẽ quẽ respicit iustitia legalis in subditis, scilicet bonũ commune. Virtus autem Architectonica, idest superintuiens ex natura sua debet habere vt iuersaliorem finem. Verũ est tamen q̃ dicit D. Tho. in art. 6. Iustitia legalis prout residet in Principe est quasi Architectonica quoniam licet ipsa secundũ se nõ magis habeat Imperare in Principe quam in subditis: tamen ratione subiecti, quod est ipse Princeps, deseruit magis ad imperium: quã prout est in subditis, quorũ est obedire Principi ad procurandum bonum commune. Imo vero ad eundem modũ omnis virtus quę residet in Principe põt quodam modo dici Architectonica: quę vero residet in subditis vsualis & quasi ad ministratiua. Et ratio est quoniam Princeps imperat omnes actus aliarũ virtutum quatenus a iustitia legali ordinantur ad bonum publicum. Subditi vero exequuntur huiusmodi actus de quibus imperat Princeps propter eundem finem boni publici.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm iustitia particularis habeat specialem materiam.

AD Octauum sic proceditur. Videtur q̃ iustitia particularis non habeat materiam specialẽ. Quia super illud Gen. 2. Fluuius quartus ipse est Euphrates, dicit Gl. Euphrates frugifer interpretatur, nec dẽ contra quos vadat: quia iustitia ad omnes animæ partes pertinet. Hoc autem nõ esset, si haberet materiã specialem: quia quęlibet materia specialis ad aliquam specialem potentiam pertinet. Ergo iustitia particularis non habet materiam specialem. 1. 2. q. 60. art. 2. col. & 3. d. 38. q. 2. art. 1. qo. 3. & 2. Ethic. lect. 8. col. 2.

2. Præterea, Aug. dicit in lib. 83. † quæstio. q̃ quatuor sunt animæ virtutes, quibus in hac vita spiritualiter viuitur, scilicet temperantia, prudentia, fortitudo, & iustitia: & dicit q̃ quarta est iustitia, quæ per omnes diffunditur. Ergo iustitia particularis quæ est vna de quatuor virtutib. Cardinalibus, nõ habet spãlem materiã. Lib. 83. q. 61. in. 4.

3. Pręterea. Iustitia dirigit hominem sufficienter in his, quæ sunt ad alterum. Sed per omnia quæ sunt huius vitæ, homo potest ordinari ad alterum: ergo materia iustitiæ est generalis & nõ specialis.

Sed contra est, quod † Philosophus in 5. Ethic. ponit iustitiam particularem circa ea specialiter, quæ pertinent ad communicationem vitæ. Lib. 5. c. 1. tom. 5.

Respondeo dicendum, q̃ omnia quæcunq; rectificari possunt per rõnem, sunt materia virtutis moralis, quæ diffinitur per rõnem rectam: vt patet per Philos. in 2. Ethic.

2. † Ethic. Possunt aũt per rationem rectificari & interiores animæ passiones, & exteriores actiones, & res exteriores, quę in vsum hominis veniunt: sed tamen per exteriores actiones & per exteriores res, q̃bus sibi inuicem hoĩes cõicare possunt, attenditur ordinatio vnius hoĩs ad alterum: secundum aũt interiores passiones considerat rectificatio hoĩs in seipso. Et ideo cùm iustitia ordinetur ad alterum, non est circa totam materiam virtutis moralis, sed solum circa exteriores actiones & res secundum quandam rationem obiecti specialem: prout scilicet secundum eas vnus homo alteri coordinatur. Lib. 2. c. 3. & 6. 10. 5.

Ad primum ergo dicendum, q̃ iustitia pertinet quidẽ essentialiter ad unã partẽ aĩæ, in qua est sicut in subiecto, scilicet ad voluntatẽ, quæ quidem mouet per suum imperium oẽs alias aĩę partes. Et sic iustitia non directè, sed quasi per quandã redundantiam ad omnes alias animę partes pertinet.

Ad secundum dicendum, q̃ sicut suprà † dictum est, virtutes cardinales dupliciter accipiunt. Vno modo, secundum qd̃ sunt speciales virtutes habentes determinatas materias: alio modo, secundum qd̃ significant quosdã generales modos virtutis: & hoc modo loquitur ibi † August. dicit enim q̃ prudentia est cognitio rerũ appetendarum & fugiendarum. Temperãtia est refrenatio cupiditatis ab his quę t̃paliter delectant. Fortitudo est firmitas animi aduersus ea, quæ t̃paliter molesta sunt. Iustitia est quæ per cæteras diffunditur, dilectio Dei & proximi, quę scilicet est cõis radix totius ordinis ad alterum. 2. 2. q. 61. art. 3. & 4. Eodẽ libr. & c. in arg. citatis.

Ad tertium dicendum, q̃ passiones interiores, quæ sunt pars materię moralis, secundum se non ordinant ad alterum, quod pertinet ad spãlem rõnem iustitiæ, sed earũ effectus sunt ad alterum ordinabiles, scilicet operationes exteriores. Vnde non sequitur quòd materia iustitię sit generalis.

SVMMA ARTICVLI.

Conclusio vnica affirmatiua. Iustitia solum est circa actiones exteriores, & res secundum quandam obiecti rationem specialem, scilicet, prout secundum illas vnus homo ordinatur ad alium.

Bañes de Iustitia & Iure.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm iustitia sit circa passiones,

AD Nonum sic proceditur. Videtur, q̃ iustitia sit circa passiones. Dicit enim Philosoph. in 2. † Eth. quòd circa voluptates & tristitias est moralis virtus. Voluptas autem, idest, delectatio, & tristitia sunt passiones quædam, vt suprà † habitum est cùm de passionibus ageretur: ergo iustitia cùm sit uirtus moralis, erit circa passiones. 4. dist. 15. q. 1. art. 1. q. 2. ad secundum. Lib. 2. c. 3. tomo 5. 1. 2. q. 23. art. 4.

2. Præterea. Per iustitiam rectificantur operationes, quæ sunt ad alterũ. Sed operationes huiusmodi rectificari non possunt nisi passiones sint rectificatæ: q̃a ex inordinatione passionum prouenit inordinatio in p̃dictis operationibus: Propter concupiscentiam enim venereorum proceditur ad adulterium. Et propter superfluum amorem pecuniæ proceditur ad furtum: ergo oportet, quòd iustitia sit circa passiones.

3. Præterea. Sicut iustitia particularis est ad alterum: ita etiam & iustitia legalis. Sed iustitia legalis est circa passiones: alioquin non se extenderet ad omnes virtutes, quarum quædam sunt manifestè circa passiones: ergo iustitia est circa passiones.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in † 5. Ethic. q̃ est circa operationes. Lib. 5. c. 1. & 2. 10. 5.

Respondeo dicendum, q̃ huius quęstionis veritas ex duobus apparet. Primò quidem ex ipso subiecto iustitię, quod est voluntas: cuius motus uel actus non sunt passiones, vt suprà † habitum est, sed solùm motus appetitus sensitiui passiones dicuntur. Et ideo iustitia non est circa passiones: sicut temperantia & fortitudo, quę sunt irascibilis & concupiscibilis, sunt circa passiones. Alio modo ex parte materię: quia iustitia est circa ea quę sunt ad alterum, non autem per passiones interiores immediatè, ad alterum ordinamur, & ideo iustitia circa passiones non est. 1. 2. q. 27. art. 3. & q. 59. art. 4.

AD primum ergo dicendũ, q̃ non q̃libet virtus moralis est circa voluptates & tristitias, sicut circa materiã: nã fortitudo ẽ circa timores & audacias. Sed oĩs virtus moralis ordinat ad delectationẽ & tristi-

tiam, sicut ad quosdã fines cõsequentes: quia, vt Philos. dicit in 7. Ethic. † Delectatio & tristitia est finis principalis, ad quẽ respicientes vnumquodq;, hoc quidem malum, hoc quidem bonum dicimus. Et hoc modo pertinent etiam ad iustitiam, quia non est iustus qui non gaudet iustis operationibus, vt dicitur in † 1. Ethic.

Ad secundum dicendum, q̃ operationes exteriores mediæ sunt quodãmodo inter res exteriores, quæ sunt earum materia: & inter passiones interiores, quæ sunt earum principia. Contingit autem quandoq; esse defectum in vno eorũ sine hoc, q̃ sit defectus in alio. Sicut si aliquis surripiat rem alterius non cupiditate habendi, sed voluntate nocendi. Vel è conuerso, si aliquis alterius rem concupiscat, quam tamen surripere non velit. Rectificatio ergo operationum, secũdùm quod ad exteriora terminantur, pertinet ad iustitiã. Sed rectificatio earum secundùm quod à passionibus oriuntur, pertinet ad alias virtutes morales, quæ sunt circa passiones. Vnde surreptionem alienę rei iustitia impedit, inquantum est cõtra æqualitatem in exterioribus constituendam. Liberalitas verò inquantum procedit ab immoderata concupiscentia diuitiarum. Sed quia operationes exteriores non habẽt speciem ab interioribus passionibus, sed magis à rebus exterioribus, sicut ex obiectis: ideo per se loquendo, operationes exteriores magis sunt materia iustitiæ, quàm aliarum virtutum moralium.

Ad tertium dicendum, q̃ bonum commune est finis singularum personarum in communitate existentium, sicut bonum totius finis est cuiuslibet partium. Bonũ autem vnius personæ singularis non est finis alterius. Et ideo iustitia legalis, quę ordinatur ad bonum cõe, magis se potest extẽdere ad interiores passiones, quibus homo aliqualiter disponitur in seipso, quàm iustitia particularis, quæ ordinatur ad bonum alterius singularis personæ: quamui iustitia legalis principalius se extendat ad alias virtutes quantum ad exteriores operationes earum, inquantum scilicet præcipit lex, fortis operafacere, & quæ temperati, & quæ mansueti, vt dicitur in † 5. Ethic.

Li. 5. Ethi. c. 2 à med. o. u 5.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio est negatiua.

Secunda conclusio in solutione ad primum. Omnis virtus moralis ordinatur ad delectationem & tristitiam sicut ad quosdam fines consequendos.

Tertia conclusio in solutione ad secundum. Rectificatio operationũ, secundùm quod ad exteriorẽ materiã ordinantur pertinet ad iustitiã: sed secundũ quod à passionibus oriunt, pertinet ad alias virtutes morales, quæ fiunt & versant circa passiones.

Vltima conclusio ad tertiũ. Iustitia legalis magis se pót extendere ad passiones, quam iustitia particularis: sed simpliciter loquendo non est circa passiones, sed circa operationes. Intentio D. Tho. in his duobus articulis est inquirere dniam iustitiæ quæ desumitur per ordinem ad actionẽ illus: quæ est reddere alteri ius suum, & per ordinem ad obiectum quod est ipsum ius quod alteri tribuitur. Actus autem omnis uersatur circa materiam aliquã, quæ dicitur materia circa quam, quæ quidem eadẽ est cum obiecto secundùm rem: sed tamen actio virtutis imponit ipsi materiæ circa quã versatur, formam: constituens in illa medium quod est obiectum formale quod operatur virtus. Quemadmodum faber lignarius respicit secundùm artem suã lignũ tãquam materiam circa quam uersatur eius ars. At vero quatenus imprimit figuram in ipso ligno, intelligitur ratio obiecti in ligno operato ab arte. In his itaq; duobus articulis agit D. Thom. de materia circa quã uersatur iustitia. Pro quorũ intelligentia notandũ est primò, q̃ hæc vocabula operatio & passio significatione quadam ampla dnt̃ de omnibus actionibus & passionibus, siue sint voluntatis siue appetitus sensitiui, siue potentiæ exteriores executiuæ. At verò qm̃ actio appetitus sensitiui fit quadam cum alteratione physica organi in quo subiectatur appetitus: accõmodatum est hoc nomẽ passio, vt significet tm̃ actiones appetitus sensitiui. Reliquæ vero actiones voluntatis & potentiarum exteriorum retinent nomen operationis. Imo qm̃ per passiones bene vel male disponitur homo in ordine ad seipsum: At vero per operationes disponit̃ bene vel male in ordine ad aliud, ideo est in vsu loquendi philosophorũ moraliũ, vt illæ tm̃ actiones voluntatis & potentiæ exteriores dicantur operationes, per quas homo ordinatur ad alterum: non aũt illæ quæ ordinantur ad seipsum: ẽt si sint sine passione. Notandũ est secundo. Iustitiã legalẽ aliquò modo nõ appropriare & determinare sibi materiã spãlem, sed vniuersalẽ aliarũ virtutũ. De qua iustitia põt intelligi testimonium illud glossę quod citat D. Tho. ar. 8. arg. 1. Quod quidẽ est D. Aug. lib. 2. de Genes. contra Manich. c. 10. Intelligi ẽt potest alterum testimoniũ quod citatur ibidem arg. 2. ex Aug. lib. 83. quæst. q. 61. siquidẽ de legali iustitia maxime verificantur illa testimonia: quamuis D. Tho. aliter soluat illa argumenta. Asserit ẽt D. Th. hanc explicationem artic. 9. ad tertium. Et ratio eius est manifesta. Quoniam iustitia legalis ordinat ciues & bona ipsorum ad bonum publicum tanquã bona partiũ ad bonũ totius, & tãquam medium ad finem. Passiones aũt redactæ ad mediũ rationis sunt bona ipsorũ ciuium, ergo eas ẽt ordinat iustitia legalis ad bonũ publicum. Notandum est tertiò, q̃ si velimus ualde propriè & formaliter loqui, iustitia legalis versatur tantum circa operationes & non circa passiones. Hęc doctrina videtur D. Tho. artic. 9. ad tertium. vbi inquit, quòd principalius iustitia legalis versatur circa operationes etiam illarum

rum virtutum, quæ respiciunt passiones, v. g. fortitudo, vt à iustitia legali imperatur, principaliter respicit exteriorem actionẽ scilicet aggressionem in bello aut etiam fugam ipsam quatenus expedit bono publico. Idipsum insinuauerat D. Tho. in solutione ad tertium: non enim dixit absolute iustitiã legalem respicere passiones tanquam materia, sed loquitur comparatiue, scilicet q̃ magis est circa passiones quam iustitia particularis.

ARTICVLVS X.

Vtrùm medium iustitiæ sit medium rei.

AD Decimum sic proceditur. Videtur quòd mediũ iustitiæ nõ sit medium rei. ratio enim generis saluatur in omnibus speciebus. Sed virtus moralis in 2. Ethic. † diffinit̃ esse habitus electiuus in medietate existens determinata rõne quo ad nos: ergo & in iustitia est mediũ rõnis, & nõ rei.

2. Præterea. In his, quę simpliciter sũt bona, non est accipere superfluũ & diminutũ, & per cõsequẽs nec mediũ: sicut patet de virtutibus, vt dr̃ in 2. Ethic. † Sed iustitia est circa simpliciter bona, vt dr̃ in 5. Ethic. ergo in iustitia non est medium rei.

3. Præterea. In alijs virtutibus ideo dr̃ esse medium rationis & nõ rei, quia diuersimodè accipitur per cõparationẽ ad diuersas personas: quia quod vni est multũ, alteri est parum, vt dr̃ in 2. Ethic. † sed hoc ẽt obseruatur in iustitia. Nõ enim eadem pœna punitur, qui percutit Principem, & qui percutit priuatam personam: ergo etiam iustitia non habet medium rei, sed medium rationis.

Sed contra est, qd̃ † Philos. in 2. Ethic. † assignat mediũ iustitię, scd̃m proportionalitatẽ arithmeticã: qd̃ est medium rei.

Respondeo dicendum, q̃ sicut suprà † dictum est, aliæ virtutes morales principaliter cõsistunt circa passiones, quarum rectificatio non attenditur nisi scd̃m cõparationem ad ipsum hoĩem, cuius sunt passiones: scd̃m scilicet quod irascitur & cõcupiscit prout debet secundùm diuersas circunstantias. Et ideo mediũ talium virtutũ non accipit̃ scd̃m proportionem vnius rei ad alterã, sed solùm scd̃m comparationem ad ipsum virtuosum. Et p̃p̃ hoc in ipsis est medium solũ scd̃m rõnẽ, quo ad nos. Sed materia iustitię est exterior operatio, secũdùm quod ipsa vel res cuius est vsus, debitã p̃portionem habet ad aliã personã. Et ideo medium iustitiæ consistit in quadã proportionis æqualitate rei exterioris ad p̃sonã exteriorem. Æquale autem est realiter medium inter maius & minus, vt dicitur in 10. Metaph. † vnde iustitia habet medium rei.

Ad primum ergo dicendum, q̃ hoc medium rei est etiam medium rõnis: & ideo in iustitia saluatur ratio virtutis moralis.

Ad secundũ dicendum, q̃ bonum simpliciter, dupliciter dr̃: vno modo, quod est oĩbus modis bonũ: sicut virtutes sunt bonæ. Et sic in his quæ sunt bona simpliciter, nõ est accipere medium & extrema. Alio modo dr̃ aliquid simpliciter bonũ: quia est absolutè bonum, scilicet secundũ suam naturã consideratum: quamuis per abusum possit fieri malum: sicut patet de diuitijs & honoribus. Et in talibus potest accipi superfluum diminutum & mediũ, quantum ad homines, qui possunt eis vti bene, vel male. Et sic circa simpliciter bona dicitur esse iustitia.

Ad tertium dicendum, q̃ iniuria illata, aliã p̃portionem habet ad principem, & aliã ad personã priuatã. Et ideo oportet aliter adæquare vtranq; iniuriam per vindictã: quod pertinet ad diuersitatem rei, & non solum ad diuersitatem rationis.

Li. 2. q. 64. art. 2. & 3. d. 33. q. 1. art. 3. q. 2. & 4. d. 25. q. 1. art. 1. q. 2. & vir q. 1. ar. 13. ad 7. 12. 31. & 17. † Lib. 2. c. 6. tom. 5.

Lib. 3. c. 6. non p̃cul à fin. to 5. Lib. 1. c. 1. patum an ne med

Lib. 1. c. 2. n. tom. 5.

Lib. 2. c. 6. tom. 5.

Art. præc. & 1. 2. q. 59. ar. 4. & q. 60. ar. 2.

Lib. 10. text. 18. & 19. to. 3.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR circa istos duos articulos; Vtrùm iustitia saltim particularis versetur tantum circa operationes, An vero simul circa passiones. Hæc dubitatio hẽt aliam annexam, scilicet, An iustitia sit tantum in voluntate subiectiuè, an vero simul etiam sit in appetitu sensitiuo. Vtriusq; dubitationis eadem est solutio. Si enim iustitia versatur tantũ circa operationes, erit tantum in voluntate subiectiuè, si autem versatur simul circa passiones, erit simul in appetitu sensitiuo.

Arguitur ergo primò, & probatur, q̃ iustitia versetur simul & circa operationes, & circa passiones, & q̃ sit in voluntate & in appetitu sensitiuo. Misericordia versatur simul circa operationes & passiones, & simul est in voluntate & in appetitu sensitiuo, ut ostendimus. 2. 2. q. 30. ar. 3. dub. 2. ergo & iustitia saltim particularis versabitur circa operationes & passiones, & erit in voluntate & in appetitu sensitiuo. Probatur consequentia. Quia sicut iustitia est ad alterũ: ita etiam misericordia est ad subleuandam miseriam alterius. Quòd si misericordia nihilominus moderatur passiones appetitu sensitiui, scilicet compassionem & duritiem erga miseriam alienam, sequitur quòd iustitia etiam moderetur passionem appetitus sensitiui, scilicet, nimiam cupiditatem rerum temporalium quæ impedit nequis reddat alteri quod debet, aut quòd non promptè & delectabiliter reddat. Confirmatur, quoniam liberalitas, quæ etiam est ad alterum, versatur simul circa operationes & passiones: vt docet D. Tho. in solutione ad secundum argumentum ar. 9.

ergo eadem erit ratio de iustitia.

Arguitur secundò. Virtutes quæ sunt in appetitu sensitiuo tanquam in subiecto, quales sunt fortitudo & temperantia, versantur simul erga operationes & passiones, ergo iustitia. Antecedens probat. Quoniam potissimus actus fortitudinis & temperantiæ est electio voluntatis, iuxta doctrinam Arist. 6. Ethic. c. 2. Virtus enim moralis quęcunque, est essentialiter habitus electiuus: ipsa autē electio principaliter est actus voluntatis elicitus: quātuis sit quędam electio participata in appetitu sensitiuo, sed hæc est minus principalis vtpotè deriuata ab electione voluntatis, igitur fortitudo & temperantia versantur circa operationes. Hoc argō non solum impugnat conclusio art. 9. sed ēt ratio prima illius.

Arguitur tertiò. Et probatur, ꝙ solum iustitia legalis versetur circa operationes & passiones, & sic subiectiuè consequenter in voluntate & in appetitu sensitiuo. Nam D. Tho. in solutione ad tertium, tribuit iustitiæ legali ꝙ versentur circa passiones, quanuis minus principaliter. Hoc enim non obstat quominus ponatur aliquis habitus in appetitu sensitiuo: sicut ponit habitus misericordiæ & habitus liberalitatis in appetitu sensitiuo: quāuis istæ virtutes principaliter ordinētur ad alterū. In hac quæst. Buridanus 5. Ethic. q. 1. cōtrarius est doctr. D. Th.

Pro decisione sit prima conclusio. Iustitia etiā particularis versatur tantum erga operationes, & consequenter tantum est in voluntate subiectiuè. Hæc est expressa sententia Philosophi. 5. Ethic. c. 1. & 2. & est doctrina D. Tho. 1. 2. q. 60. art. 2. & 3. vbi vniuersaliter de iustitia hanc conclusionem docet. Intelligenda est autem conclusio ꝙ iustitia per seipsam respicit tantum operationes circa alterū tanquam propriam materiam circa quā versatur. Cū hoc tamen stat in veritate, quòd aliqua iustitia respiciat passiones indirectè, & mediantibus alijs virtutibus moderandas.

Secunda conclusio. Iustitia siue legalis siue particularis tantū residet in voluntate tanquā in subiecto. Probatur, quia tantum per se respicit operationes. Non autem versatur circa passiones appetitus sensitiui, ergo tantum est in voluntate subiectiue. Antecedens ostenditur à D. Tho. in art. 8. & 9. Et ratio est, quia virtus in ea tantum potentia collocatur tanquam in subiecto, cuius actus moderat. De hac cōclusione vide quę supra dicta sunt art. 4.

Ad primum argumentum respondetur negando consequentiam. Et ratio discriminis est: quoniā humana misericordia per se respicit simul & operationes & passiones, scilicet, & bonum alienum & proprium. Bonum quidem alienum: quatenus ordinatur homo per illam ad subleuandam alienam miseriam: bonum autem propriū habentis, quatenus ordinatur circa compassionem quę est in appetitu sensitiuo. Definitur enim misericordia ꝙ sit cōpassio alienæ miseriæ ad subleuandam illam. Et idcirco postulat virtus misericordiæ humanæ duos habitus partiales ad sui perfectionem. Alterum in voluntate respectu boni alieni, Alterum in appetitu sensitiuo respectu boni proprijs. Dicimus autem misericordiam humanam: quoniam misericordia absolutè & secundùm se reperitur propriè in Deo: in quo tamen nulla est passio nisi metaphoricè. Eodem modo dicēdum est de humana liberalitate ꝙ includit duos habitus: Alterum in ordine ad bonū alienum in voluntate: Alterum ad temperandā passionem auaritiæ in appetitu sensitiuo. At vero iustitia humana tantum per se respicit bonum alienū si aut aliquis pp auaritiā impedit à reddēdo debito vel à reddendo delectabiliter vt requirit virtus: tūc pertinebit ad aliā virtutē moderari talē passionē, scilicet, ad liberalitatē. Quemadmodū si iudex impeditur à recta sententia ferenda propter passionē fornicationis, tunc pertinet ad virtutem castitatis auferre illud impedimentum, sunt enim virtutes cōnexæ & ad inuicem operas suas impendunt.

Ad secundū respondetur electionē volūtatis elicitam à virtute temperantiæ & fortitudinis non dici operationem eo modo quo in præsenti vtimur nomine operationis: quoniā electio voluntatis elicita ab illis virtutibus tota refertur & ordinatur ad bonum ipsius hominis habentis per moderationē passionum. Quanuis enim istę virtutes sint tantum subiectiuè in appetitu, tamē ipsa electio voluntatis prompta & delectabilis circa talem materiā esse nō pōt nisi proficiscat à virtutibus existentibus in appetitu sensitiuo. Et quanuis sint in potentia inferiori subiectiuè, nihilominus possunt elicere actū electionis talem in voluntate. Quoniam ipsæ virtutes à dictamine prudentię quę est in intellectu, vel sunt acquisitæ vel operant ponuntque in exercitio suas operationes. Quapropter in virtute illius pnt elicere actum in voluntate quantū ad modū virtutis, quemadmodum dicunt Philosophi ꝙ phantasmata illuminata ab agenti intellectu producunt speciem intelligibilē in intellectu possibili. In præsenti igitur dicimus ꝙ operationem solū accipimus vt significet illam actionem quæ ordinatur perfectè ad bonū alterius. Quapropter ipsamet electio quæ est à iustitia non dicitur operatio neq; materia circa quam operatur iustitia. Etenim materia circa quam illa dicit, in qua actio virtutis imprimit formam & modū suum. Ipsa igitur electio iustitię nō potest esse materia circa quā operat iustitia: sed debet esse operatio exterior, vel aliqua res exterior, sic enim perpetuo D. Th. in assignando materiā iustitiæ dicit ꝙ sunt operationes exteriores & res ipsę.

Ad vltimum respondetur. Iustitiam legalem nō versari per se circa passiones. Ad cōfirmationē negatur antecedēs. Accipimus enim medium rei, nō prout dicitur trāscendentalis res, sed prout distinguitur à passionibus personæ secundum quod in ordine ad ipsum moderandæ sunt. Cæterū quod ibidem objcitur de fortitudine & temperantiæ virtute non obstat, qm̄ fortitudo & temperantiæ virtutes non versantur immediatè nisi circa passiones quarū obiectum est delectabile gustus vel tactus vel respectu fortitudinis timor vel audacia quatenus moderantur sicut oportet, quòd autē ipse miles dexterè pugnet, pertinet ad artem & membrorum agilitatem & fortitudinem naturalem. Et per hoc patet ad secundam confirmationem. Etenim iustitia imperat in illo casu quòd talis operatio pugnæ fiat secundū quod alteri debitum est: fortitudo vero aliter concurrit quā moderādo passiones timoris & audacię.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm actus iustitiæ sit reddere vnicuique quod suum est,

Inf. q. 66. art. 3 & 5. corp. & 1. par. q. 21. art. 1. col. & 2. dist. 27 artic. 3. corp. & 4 d. 3.

AD Vndecimum sic procedit. Vt ꝙ actus iustitiæ nō sit reddere vnicuiq; qd̄ suū est. † Aug. enim 14. de Trinit. attribuit iustitiæ subuenire miseris. Sed in subueniendo miseris non tribuimus eis quæ sunt earū, sed magis quæ sunt nostra: ergo iustitiæ actus non est tribuere vnicuiq; quod suum est.

† Lib 14. c. 9 circa fin. to. 8.

2. Præterea. Tullius in libro de Offic. † dicit, ꝙ beneficentia, (quam benignitatem vel liberalitatem appellare licet) ad iustitiam pertinet. Sed liberalitatis est de proprio dare alicui, non de eo quod est eius: ergo iustitiæ actus non est reddere vnicuique quod suum est.

Lib. 1. in c. de iustitia, circ. prin.

3. Præterea. Ad iustitiam partinet, nō solum res dispensare debito modo, sed ēt iniuriosas actiones cohibere, putà homicidia, adulteria, & alia huiusmodi. Sed reddere quod suum est, videtur solum ad dispensationem rerum pertinere. Ergo non sufficienter per hoc notificatur actus iustitiæ, quòd dicitur, actus eius esse reddere vnicuique quod suum est.

Lib. 1. cap. 24. circa fi. tom. 1.

Sed contra est quod Ambros dicit † in 1. de Offic. Iustitia est quæ vnicuiq; quod suum est tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem custodiat.

Respondeo dicendum, quòd sicut † dictum est, materia iustitiæ est operatio exteriorum secūdùm quod ipsa vel res, qua per eam vtimur, proportionatur alteri personæ, ad quam per iustitiam ordinamur. Hoc autem dicitur esse suum vnicuique personæ, quod ei secundùm proportionis æqualitatem debetur. Et ideo proprius actus iustitiæ nihil aliud est, quā reddere vnicuique quod suum est.

Artic. 9. & 20. huius quæst.

Ad primum ergo dicendum, quòd iustitiæ, cùm sit virtus cardinalis, quædam aliæ virtutes, secundariæ adiunguntur: sicut misericordia, liberalitas, & aliæ huiusmodi virtutes, vt infrà † patebit. Et ideo subuenire miseris, quod pertinet ad misericordiam, siue pietatem, & liberaliter benefacere, quod pertinet ad liberalitatem, per quandam reductionem attribuitur iustitiæ sicut principali virtuti. Et per hoc patet responsio ad secundum.

Quæst. 80. art. 1.

Ad tertium dicendum, quòd sicut Philosophus † dicit in 5. Ethic. Omne superfluum in his quæ ad iustitiam pertinent, lucrum, extenso nomine, vocatur: sicut & omne quod minus est, vocatur damnum. Et hoc ideo, quia iustitia prius est exercita, & cōmunius exercitatur in voluntarijs commutationibus rerum, putà emptione & venditione, in quibus propriè hæc nomina dicuntur. Et exinde deriuantur hęc nomina ad omnia, circa quæ potest esse iustitia. Et eadem ratio est de hoc, quod est reddere vnicuique quod suum est.

Lib. 1. c. 4. tom. 5.

SVMMA ARTICVLI.

Conclusio est affirmatiua. Nota breuiter in hoc articulo, ꝙ actus iustitiæ quidicitur esse reddere vnicuiq; quod suum est: dupliciter potest contingere. Vno modo vt id quod redditur alteri, sit proprium illius & in eius dominio numeratum. v. g. quando ego reddo Petro equum, quem mihi accommodauerat. Altero modo contingit, ita vt id quod redditur ante redditionem ipsam non erat proprium eius cui redditur neque in eius dominio numeratum: sed tantum ille habebat ius vt ego redderem illi, & mea operatione reddendi & tribuendi efficerem proprium illius. v. g. cùm ego reddo mercenario mercedem suam pro labore diei, vel restituo tot pecunias quot mutuo acceperam. Conclusio igitur artic. vtroque modo verificatur. Non enim opus est vt id quod alteri redditur per actum iustitiæ, sit proprium eius cui redditur ante redditionem: sed sufficit vt mea redditione, ad quam ius habet, fiat proprium illius. Pro intelligentia huius articuli reuocentur in memoriam quę diximus artic. 1. huius quæstionis, & 5. & 6.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm iustitia præmineat inter omnes virtutes morales.

Inf. q. 123. art. 12. Et q. 141. art. 8. Et 1. 2. q. 66. ar. 4. & 5. d. 35. q. 1. art. 3. q. 1. corp.

AD Duodecimum sic proceditur. Videtur ꝙ iustitia non pręemineat inter omnes virtutes morales. Ad iustitiam enim pertinet, reddere alteri quod suum est. Ad liberalitatem autem pertinet de proprio dare, quod virtuosius est. Ergo liberalitas est maior virtus, quàm iustitia.

2. Præterea. Nihil ornatur nisi per aliquid dignius se. Sed magnanimitas est ornamentum & iustitię & omnium virtutum: vt dicitur in 4. Ethicor. † Ergo magnanimitas est nobilior quàm iustitia.

Lib. 4. c. 3. ante med. tom. 5.

3. Prętеrea. Virtus est circa difficile & bonū, ut dicitur in 2. Ethic. † Sed fortitudo est circa magis difficilia quàm iustitia, idest, circa pericula mortis, vt dicit in 3. Eth. † Ergo fortitudo est nobilior iustitia.

Lib 2. c. 1. circa fine, tom. 5.

Lib 3. c. 1. & simul tom.

Sed contra est, quod Tullius dicit † in 1. de Offic. In iustitia virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur.

Lib. 1. in c. de iustitia, circ. prin.

Respondeo dicendū, ꝙ si loquamur de iustitia legali, manifestum est quòd ipsa est pręclarior inter omnes virtutes morales, inquantum bonum commune præeminet bono singulari vnius personę. Et secundùm hoc † Philos. in 5. Ethic. dicit: quòd

Lib. 5. c. 1. aliquantulum ante fin. tom. 5.

quòd præclarissima virtutum videtur esse iustitia, & neque est Hesperus, neque Lucifer ita admirabilis. Sed etiã si loquamur de iustitia particulari, præcellit inter alias virtutes morales duplici ratione. Quarum prima potest sumi ex parte subiecti: quia scilicet est in nobiliori parte animæ, id est, in appetitu rationali, scilicet, in voluntate, alijs virtutibus moralibus existentibus in appetitu sensitiuo, ad quem pertinent passiones, quę sunt materia aliarum virtutum moralium. Secunda ratio sumitur ex parte obiecti. Nam aliæ virtutes laudantur solùm secundùm bonum ipsius virtuosi. Iustitia autem laudatur, secundùm quod virtuosus ad alium bene se habet. Et sic iustitia quodammodo est bonum alterius, vt dicitur in 5. Ethicor. Et propter hoc Philosophus dicit † in 1. Rhetor. Necesse est maximas virtutes esse eas, quæ sunt alijs honestissimę: si quidem est virtus potentia benefactiua. Propter hoc & fortes & iustos maximè honorant, quoniam fortitudo est vtilis alijs in bello, iustitia autem & in bello & in pace.

Lib. 5. ca. 1. aliquantulũ ante fin. to. 5.
† Libr. 1. Rhetor. c. 9. paulo à fin. to. 6.

Ad primum ergo dicendum, q̃ liberalitas, etsi de suo det: tamẽ hoc facit, inquantum in hoc considerat proprię virtutis bonum. Iustitia autem dat alteri quod suum est, quasi considerans bonum commune. Et propterea iustitia obseruatur ad omnes: liberalitas autem ad omnes se extendere non potest. Et iterum liberalitas, quę de suo dat, supra iustitiam fundatur, per quam vnicuiq; quod suum est, tribuitur.

Ad secundum dicendum, quòd magna nimitas quando superuenit iustitiæ, auget eius bonitatem: quæ tamen sine iustitia nec virtutis rationem haberet.

Ad tertium dicendum, quòd fortitudo, etsi consistat circa difficiliora, non tamen est circa meliora, cùm sit solùm in bello vtilis: iustitia autem & in pace & in bello, sicut † dictum est.

In cot. art.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Manifestum est q̃ iustitia legalis est preclarior inter omnes virtutes morales. Ratio est, quia bonum commune est eius proprium obiectum.

Secũda conclusio. Iustitia ẽt particularis est preclarior inter alias virtutes morales. Ratio est, quia est in nobiliori subiecto, & habet nobilius obiectũ.

COMMENTARIVS.

TN præcedentibus articulis tradidit nobis D. Tho. absolutam iustitiæ cognitionem: in hoc autem articulo comparatiuam. Comparatur autem iustitia vniuersis alijs virtutibus in 1.2.q.66. art.3. Vbi diffinitur q̃ virtutes intellectuales præstant simpliciter loquendo omnibus moralibus: ac proinde prudentia, quæ ratione subiecti, inter intellectuales numeratur, excellentior est quam alię virtutes morales: ac proinde in præsenti solum comparat D. Tho. iustitiam cum virtutibus moralibus præter prudentiam. Nos autem non ita vniuersaliter disputabimus de excellentia virtutis iustitiæ, comparãdo illam cum alijs virtutibus moralibus: sed solum cũ misericordia. Huius instituti duplex est ratio. Prima, quoniam nõ potest haberi exacta notitia & cognitio comparatiua duorum extremorum, nisi prius habeatur absoluta singulorum. At vero hactenus non est habita absoluta cognitio nisi misericordiæ, supra in quæst.30. Secunda ratio est. Quoniam D. Tho. sæpe de decem virtutibus querit eandẽ quæstionem, An sint excellentiores reliquis. In hac 2.2. supra in quęst.30. de misericordia. De iustitia vero in præsenti art. De religione autem infra quæst.81. De obedientia quæst.104. De liberalitate q.117. De fortitudine in quęst.123. De Patientia in quæst.136. de Temperantia q. 141. De Virginitate quæst. 152. Et denique de Humilitate quæst.161.

DVBITATVR breuiter, Vtrùm iustitia sit prestantior quam misericordia. Arguitur primo pro parte negatiua. Nam D. supra quæst.30. art.4. ait, misericordiam esse præstantiorem omnibus virtutibus, quæ ordinantur ad proximum.

Secundò. Actus misericordiæ est multo potior & potentior quàm actus iustitiæ. Ergo ipsa virtus. Probatur antecedens. Actus misericordiæ est supplere & leuare miseriam proximi, actus autem iustitiæ est reddere proximo quod suum est: sed leuare & supplere defectus aliorũ est potentioris agentis, ergo actus misericordiæ est prestantior actu iustitiæ quæ potest esse inter ęquales.

Tertiò. Leuare omnem miseriam spiritualem non solum à personis priuatis, sed etiam à communitate pertinet ad actũ misericordiæ, sed iste actus est diuinissimus & præstantissimus, quo nullus maior excogitari potest. Ergo misericordia inter omnes virtutes præstantissima est à toto genere.

Ad hoc dubium rñdetur primo, ex doctrina Caietani super istum articulum, q̃ cum misericordia, vt dictum est includat duos habitus. Alterum qui residet in appetitu sensitiuo, & versatur circa passiones. Alterum qui existit in voluntate & versatur circa operationes exteriores supplentes miseriam alienam: prior quidem habitus est imperfectior quàm habitus iustitiæ. Et hoc probat D. Thom. in hoc art. 12. Posterior vero habitus est multo prestabilior virtute iustitię. Et hoc probant argumenta facta in hoc dubio. Neq; D. Tho. sibi cõtrarius est, quoniam in presenti articulo, dicit iustitiam prestare omnibus virtutibus moralibus: loquitur enim de virtutibus moralibus, quæ communiter inter morales numerantur. At uero misericordia in posteriori illa consideratione magis vã pertinere ad virtutũ Theologicã charitatis quã ad virtutẽ moralem. Nã idcirco D. Th. disseruit de misericordia in tractatu de charitate, ergo ibi nõ consideraui illã vt virtutẽ moralẽ, sic enim reseruasset illũ tractatũ ad consideratione de partibus potẽtialibus iustitiæ.

Respon-

Respõdetur secundo, & fortassis melius ex doctrina Diui Thom. art.11. ad primum. q̃ misericordia humana est virtus adiuncta iustitiæ. Vnde comparatio hæc non fit nisi cum alijs virtutibus quæ non sunt ipsi iustitiæ adiunctæ. Nec mirum est, q̃ virtus adiuncta cardinali virtuti sit potior virtus simpliciter quam ipsa cardinalis, vt patet de religione quæ potissima est post virtutes Theologicas, vt docet D. Tho. inf. q.81. Versatur enim circa cultum Dei. Ad hunc ergo modum dicimus, quòd misericordia humana quanuis sit adiuncta virtuti cardinali est potior virtus quam illã, vt probant argumenta facta. Respondetur tertio, quòd quamuis misericordia secundum se in tota sua generalitate & plenitudine possit supplere omnem miseriam alienam etiã totius mundi. Tamen humana misericordia quam in præsenti comparamus cum humana iustitia nõ est efficax tanti boni quod consideratur tanquam obiectum plenarium misericordiæ in communi, vt etiam includit diuinam misericordiam: quinimmo multum deficit humana misericordia ab efficacia exequendi actum perfectum circa suum obiectum. At verò iustitia etiam humana perfectè operatur circa suum obiectum: facit enim perfectè æqualitatem circa illud, & propterea simpliciter loquendo humana iustitia perfectior est quam humana misericordia: quæ doctrina multum consonat cum doctrina D. Thomæ art. 11. ad primum & secundum argumentum.

QVAESTIO LIX.

De Iniustitia.

DEINDE considerandum est de iniustitia. Et circa hoc quæruntur quatuor.

ARTICVLVS I.

Vtrùm iniustitia sit vitium speciale.

Supra q5. art. 5. ad 3. & in fin. q. 79. artic. 2. ad tertium.

AD Primum sic proceditur. Videtur quòd iniustitia non sit vitium speciale. Dicitur enim primæ Io. 3. Omne peccatum est iniquitas. Sed iniquitas videtur idem esse quod iniustitia: quia iustitia est æqualitas quædam. Vnde iniustitia idem videtur esse, quod inæqualitas, siue iniquitas Ergo iniustitia non est speciale peccatum.

2. Præterea, Nullum speciale peccatũ opponitur omnibus virtutibus. Sed iniustitia opponitur omnibus virtutib. Nam quantum ad adulterium, opponitur castitati, quantum ad homicidium, opponitur mansuetudini: & sic de alijs. Ergo iniustitia non est speciale peccatum.

3. Præterea. Iniustitia iustitiæ opponitur, quæ in voluntate est. Sed omne peccatum est in voluntate, vt † Augustinus dicit. Ergo iniustitia non est speciale peccatum.

† Li. de duabus animabus c. 10. & 11. tomo 6.

SED contra est, quòd iniustitia iustitiæ opponitur. Sed iustitia est specialis virtus. Ergo iniustitia est speciale vitium.

Respondeo dicendum, quòd iniustitia est duplex. Vna quidem illegalis, quæ opponitur legali iustitiæ. Et hæc quidem secundum essentiam est spetiale vitium, inquantum respicit speciale obiectũ, scilicet bonum commune quod contẽnit. Sed quantum ad intentionem est vitium generale, quia per contemptum boni cõmunis potest homo ad omnia peccata deduci. Sicut etiam omnia vitia inquantum repugnant bono communi iustitiæ habẽt rationem, quasi ab iniustitia deriuata: sicut & suprà de iustitia † dictum est. Alio modo dicitur iniustitia secundum inęqualitatem quandam ad alterum, prout scilicet homo vult habere plus de bonis, puta diuitijs & honoribus: & minus de malis, puta laboribus, & damnis. Et sic iniustitia habet materiam specialem: & est particulare vitium, iustitiæ particulari oppositum.

Quæst. 58. art. 6.

AD primum ergo dicendum, quòd sicut iustitia legalis dicitur per comparationem ad bonum commune humanum, ita iustitia diuina dicitur per cõparationem ad bonum diuinum, cui repugnat omne peccatum: & secundum hoc, omne peccatum dicitur esse iniquitas.

AD secundum dicendum, quòd iniustitia etiam particularis opponitur indirectè omnibus virtutibus, inquantum scilicet exteriores etiam actus pertinent & ad iustitiam, & ad alias virtutes morales, licet diuersimodè, sicut supra † dictum est.

AD tertium dicendum, quòd voluntas sicut & ratio se extendit ad materiam totam moralem, scilicet ad passiones & ad operationes exteriores, quæ sunt ad alterum, sed iustitia perficit voluntatem solum, secundum quod se extẽdit ad operationes, quæ sunt ad alterum, & similiter iniustitia.

Ar. 9 precedi. q.

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA conclusio. Iniustitia illegalis est speciale vitium secundum essentiam, sed generale secundum intentionem & imperium.

Secunda conclusio. Iniustitia particularis habet particularem materiam, & est specialius vitium.

COM-

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo hoc ſolum obſeruandũ eſt, quod cum oppoſita multiplicentur tot modis vnum, quot & alterum: eaſdem omnino diuiſiones quas tribuimus iuſtitiæ, conſequenter debemus facere reſpectu iniuſtitiæ. Rurſus eadẽ omnino materia circa quam verſatur iuſtitia eſt materia circa quam verſatur iniuſtitia: quãuis ratio formalis obiecti debeat eſſe differens. De hac re videatur Ariſt. lib. 5. Ethic. c. 2.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquis dicatur iniuſtus ex hoc, quod facit iniuſtum.

Inſt. art. 4. ad 14 & 5. Ethic. lec. 13. & Pſal. 35. princ.

AD Secundum ſic proceditur. Videtur quòd aliquis dicatur iniuſtus ex hoc, quòd facit iniuſtum. Habitus.n. ſpecificantur per obiecta, vt ex ſuprà † dictis patet.

1. 2. q. 54. art. 2.

Sed propriũ obiectũ iuſtitiæ, eſt iuſtũ: & propriũ obiectum iniuſtitiæ eſt iniuſtũ. Ergo, & iuſtus dicẽdus eſt aliquis ex hoc, quòd facit iuſtum: & iniuſtus hoc, quòd facit iniuſtum.

Lib. 5. c. 4. & 16. in prin. & c. 9 à medio tom. 1.

2. Præterea. Philoſophus dicit in 5. † Ethicor. falſam eſſe opinionem quorũdam, qui æſtimant in poteſtate hominis eſſe, vt ſtatim faciat iniuſtum, & quòd iuſtus non poſſit minus facere iniuſtum, quàm iniuſtus. Hoc autem non eſſet, niſi facere iniuſtum eſſet proprium iniuſti. Ergo aliquis iudicandus eſt iniuſtus ex hoc, quòd facit iniuſtum.

3. Præterea. Eodem modo ſe habet omnis virtus ad proprium actum, & eadẽ ratio eſt de vitijs oppoſitis. Sed quicunq; facit aliquid intemperatum, dicitur intẽperatus, ergo quicunque facit aliquid iniuſtum, dicitur iniuſtus.

Lib. 5. c. 6. tom. 5.

SED contra eſt, quod † Philoſophus dicit in 5. Ethicorum, quòd aliquis facit iniuſtum, & iniuſtus non eſt.

RESPONDEO dicendum, quòd ſicut obiectum iuſtitiæ eſt aliquid æquale in rebus exterioribus, ita etiam obiectum iniuſtitiæ eſt aliquid inæquale: prout ſcilicet alicui attribuitur plus vel minus, quã ſibi competat. Ad hoc autem obiectũ comparatur habitus iniuſtitiæ mediante proprio actu, qui vocatur iniuſtificatio. Poteſt ergo contingere, quòd qui facit iniuſtum, non eſt iniuſtus dupliciter. Vno modo propter defectum comparationis ipſius operationis ad proprium obiectũ quæ quidem recipit ſpeciem & nomen à per ſe obiecto, non autem ab obiecto per accipiens. In his autem quæ ſunt propter finem per ſe dicitur aliquid quod eſt intẽtum, per accidens autem quod eſt præter intentionem. Et ideo ſi aliquis faciat aliquid quod eſt iniuſtum, non intendens iniuſtum facere (puta cùm hoc facit per ignorantiam, non exiſtimans ſe iniuſtum facere) tunc non facit iniuſtum per ſe, & formaliter loquendo, ſed ſolùm per accidens, & quaſi materialiter faciẽs id quod eſt iniuſtum. Vnde & talis operatio non denominatur iniuſtificatio. Alio mo poteſt contingere propter defectum comparationis ipſius operationis ad habitum. Poteſt enim iniuſtificatio procedere quã doque quidem ex aliqua paſſione, puta iræ vel concupiſcentiæ. Quandoque autẽ ex electione: quando ſcilicet ipſa iniuſtificatio per ſe placet, & tunc propriè procedit ab habitu, quia vnicuique habenti aliquem habitum eſt, ſecundum ſe acceptũ, quod conuenit illi habitui. Facere ergo iniuſtũ ex intentione & electione, eſt proprium iniuſti ſecundum quod iniuſtus dicitur, qui habet iniuſtitiæ habitum: ſed facere iniuſtum præter intentionem, vel ex paſſione, poteſt aliquis abſque habitu iniuſtitiæ.

[6] AD primum ergo dicendum, quòd obiectum per ſe & formaliter acceptum, ſpecificat habitum, non autem prout accipitur materialiter & per accidens.

AD ſecundum dicendum, quòd non eſt facile cuiquam facere iniuſtum ex electione, quaſi aliquid per ſe placens, & nõ propter aliud, ſed hoc proprium eſt habẽtis habitum, vt ibidem Philoſophus dicit.

AD tertium dicendum, quòd obiectũ tẽperantię non eſt aliquid exterius conſtitutum, ſicut obiectum iuſtitiæ. Sed obiectum temperantiæ, id eſt, temperatum, accipitur ſolùm in comparatione ad ipsũ hominem. Et ideo quod eſt per accidens & præter intentionem, non poteſt dici tẽperatum nec materialiter nec formaliter, & ſimiliter neque intemperatum. Et quã tum ad hoc eſt diſsimile in iuſtitia & in alijs virtutibus moralibus. Sed quantum ad comparationem operationis ad habitum, in omnibus ſimiliter ſe habet.

SVM-

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA concluſio. Duobus modis poteſt contingere, quòd aliquis faciat iniuſtum, & non ſit iniuſtus: ſecundum quòd iniuſtus dicitur ab habitu iniuſtitiæ. Primo quidem ſi faciat iniuſtũ præter intẽtionem. Secundo ſi facit iniuſtum ex alia paſſione.

Secunda concluſio. Facere iniuſtum ex intentione & electione eſt proprium iniuſti ſecundum quod iniuſtus dicitur ab habitu iniuſtitiæ.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR in hoc articulo circa iſtas concluſiones D. Tho. Videntur enim falſæ. Primo quidem, quoniam actio iniuriosa furti facta ex paſsione formaliter eſt actus iniuſtitiæ, ergo facit hominem iniuſtum formaliter. Quemadmodum etiam qui fornicatur in loco ſacro, quanuis fornicetur ex paſſione, & nollet cum muliere eſſe ibi, nihilominus facit formaliter ſacrilegium, & ipſe eſt ſacrilegus, ergo impertinens eſt quòd aliquis peccet ex paſsione, ad hoc, quòd non ſit formaliter vitium talis ſpeciei.

Secundo arguitur. Omnis actus iniquus ſiue ex ignorantia ſiue ex paſſione ſiue ex intentione, contrariatur iuſtitiæ & corrumpit illam, ergo poterit generare habitum contrarium iniuſtitiæ ſi ſæpius multiplicetur.

Tertio arguitur. Omnis actio iniuriosa ſiue ex ignorantia ſiue ex paſsione ſiue ex intentione fiat, ſi peccatum mortale eſt auertit hominem à Deo, & corrumpit omnes virtutes infuſas, immò etiam auertit hominem à Deo vt authore naturæ, & manet omnino miſer, ergo ille eſt iniuſtus.

Denique arguitur. Si doctrina D. Thomæ vera eſt, ſequitur ꝙ habeat verum in alijs vitijs contrarijs alijs virtutibus moralibus: Conſequens tamen eſt falſum, ergo, &c. Probatur ſequela, quoniam rationes Diui Thomæ in articulo æqualiter procedunt de omnibus vitijs. Minor autem probatur ex doctrina D. Tho. in ſolutione ad tertium. Vbi docet, differentiam inter iniuſtitiam & alia vitia: ſicut eſt differentia inter iuſtitiam & alias virtutes ſecundum comparationem ad obiectum. In oppoſitum tamen eſt doctrina Ariſt. lib. 5. Ethic. cap. 8. quam explicat D. Tho. in art.

PRO deciſione difficultatis ſit prima concluſio. Rectè & verè Ariſt. & morales philoſophi illum ſequuti attribuunt ſoli actioni iniuſtitiæ ex intentione & electione factæ, vt ſit propria hominis iniuſti faciatq; iniuſtum.

Pro intelligentia huius concluſionis. Notandũ eſt, quòd in duplici ſenſu poteſt verificari & probari. Vno modo, vt iniuſtus accipiatur pro homine iniuſto ſecundũ habitũ iniuſtitiæ. Alio mõ vt propriũ accipiatur pro eo ꝙ alicui conuenit primo & per ſe & maxmè formaliter. Probatur ergo concluſio in priori ſenſu: quoniam quanuis ſit verum, ſi attenta facultate liberi arbitrij poſſit aliquis homo prorumpere prima vice in actum iniuſtitiæ ex electione & intentione factum: tamen moraliter loquendo hoc non contingit. Nemo enim repente fit ſummus neque in virtute neque in vitio. Eſt igitur argumentum. Actus iniuſtitiæ ex electione & intentione, eſt ſummus actus in illo genere actus & vitij, ergo qui illum exercet habet habitum iniuſtitiæ. Et confirmatur, quoniam ſicut virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ita vitium vt dicitur. 7. Phyſicor. eſt diſpoſitio imperfecti ad peſſimum. Sed hæc diſpoſitio nõ acquiritur quolibet actu imperfecto ſed neceſſe eſt per incrementa procedere ſiue in bono ſiue in malo, ergo qui iam peccat ex intentione & electione circa tale obiectum habituatus eſt reſpectu illius.

Deinde probatur concluſio in alio ſenſu. Iniuſtum non ex intentione & electione volitum, quãuis ſit præuiſum & cognitum: non eſt per ſe primo volitum licet poſſit dici, per ſe ſecundò volitum. Similiter iniuſtum ex ignorantia & paſſione volitũ non eſt per ſe & directè volitũ, ſed indirectè vel interpretatiuè, ergo ſola actio iniuſta ex intentione & electione habet ꝙ ſit propria primo & per ſe hominis iniuſti. Reliquæ vero actiones etiam iniuſtæ non habent hoc primò & per ſe & formaliter, ſed per ſe ſecũdò, vel indirectè vel per accidens & interpretatiuè. Antecedens probatur, quoniã in moralibus finis expreſſè intentus ſpecificat actum formaliſſimè: ſicut in numeris vltima vnitas ſuperueniens dat ſpecię numero, ergo actus iniuſtitiæ exercitus ex intentione & electione talis finis, eſt proprius & formaliſſimus iniuſtitiæ habitus.

Secunda concluſio. Doctrina D. Tho. etiã habet verum in vniuerſis vitijs, vt rationes factæ probãt: ſed quoniam alia vitia præter iniuſtitiã, verſantur circa paſſiones, viſum eſt aliquibus ꝙ illa operatio in alijs vitijs dicat fieri ex paſſione, quæ ſit ex paſſione circa aliã materiã, non circa propriã illius vitij. Quoniã alias omnis actio vitioſa eſſet ex paſſione in illis vitijs. Nobis tñ non placet hæc intelligentia. Eſt enim differentia inter incontinentem & intẽperatum. ꝙ quanuis vterq; ſe exerceat circa paſſiones non moderando illas: tamen incontinens dicitur peccare ex paſsione: intemperatus autem ex habitu & electione. Ratio eſt huius differentiæ, quoniam ille dicitur peccare ex paſſione, qui peruenitur ab aliqua paſſione ab eaque irritatur, quæ non eſt ſibi voluntaria vel non omnino voluntaria. At vero quando aliquis iam habet habitum intemperantiæ, iam ipſæ paſſiones voluntariæ ſunt, & aliquando imo & ſæpè voluntariè incitãtur atque irritatur. Atque hoc pacto etiam in materia intemperantię inuenietur aliquis qui non peccet ex paſſione, ſed ex habitu & intentione & electione.

Ad argumenta in oppoſitum reſpondetur. Ad primum quòd actio iniuſtitiæ facta ex paſsione à ſciente & vidente quòd eſt iniuſtitiæ actio, magis accedit ad formalitatẽ vitijs iniuſtitiæ, quã ea quæ fit ex ignorantia. Vtraque tamen non eſt per ſe primò actio iniuſtitiæ ſed per accidens intenta vel per ſe ſecondò.

Ad ſecundum reſpondetur, ſolam actionem quæ fit per ſe primo ex intẽtione & electione cõtrariari per ſe primo virtuti iuſtitiæ: & præſuponit moraliter loquendo habitum iniuſtitiæ.

Ad tertium reſpondetur, quòd non ſolum apud Theologos, ſed etiam apud philoſophos morales verum eſt quòd vnicus actus iniuſtitiæ, qui eſt peccatum mortale, corrũpit omnes infuſas virtutes. Sed tamen ex virtutibus acquiſitis ſemper manet quædam habitualis diſpoſitio virtutis ad bonum: neque ſtatim vnico actu generatur habitus vitij.

Ad quartum, ex doctrina D. Tho. reſpõdetur, ꝙ potius inde colligitur noſtra ſecũda concluſio. Quãuis aliqualis differentia aſsignetur à D. Tho. inter. iuſtitiam & alias virtutes: & conſequenter inter actionem iniuſtitiæ & actionem aliorum vitiorum

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrùm aliquis poßit pati iniuſtum, volens.

AD Tertium ſic proceditur. Videtur, quòd aliquis poſſit pati iniuſtum volens. Iniuſtum enim eſt inæquale vt † dictum eſt. Sed aliquis lædendo ſeipſum, recedit ab æqualitate, ſicut & lędendo alium. Ergo aliquis poteſt ſibi ipſi facere iniuſtum ſicut & alteri. Sed quicunque facit ſibi iniuſtum, volens facit. Ergo aliquis volens poteſt pati iniuſtum, maximè à ſeipſo.

Inf. q. 66. art. 4. cor. Et 5. Eth. lec. 12 13. & 14.

Art. præced.

2. Præterea. Nullus ſecundum legem ciuilem punitur, niſi propter hoc, quòd facit aliquam iniuſtitiam. Sed illi qui interimunt ſeipſos, puniuntur ſecundum legem ciuitatem in hoc, quòd priuabantur antiquitus honore ſepulturæ: vt patet per † Philoſophum in 5. Ethicorum. Ergo aliquis poteſt facere ſibiipſi iniuſtum: & ita cõtingit, quòd aliquis iniuſtum patiatur volens.

Lib. 5. ca. vlt. paulo à prin. tomo 5.

3. Præterea. Nullus facit iniuſtum niſi alicui patienti iniuſtum. Sed contingit, q̃ aliquis faciat iniuſtum alicui hoc volenti, puta ſi vendat ei rem carius quàm valeat. Ergo contingit aliquem volentem aliquid iniuſtum pati.

SED contra eſt, quòd iniuſtum pati eſt oppoſitum ei, quod eſt iniuſtum facere. Sed nullus facit iniuſtum, niſi volens: ergo per oppoſitum nullus patitur iniuſtum niſi nolens.

RESPONDEO dicendum, quòd actio de ſui ratione procedit ab agente, paſſio autem ſecundum propriam rationem eſt ab alio. Vnde non poteſt eſſe idẽ ſecundum idem agens & patiens, vt dicitur in tertio & octauo † Phyſicor. Principium autem proprium agendi in hominibus eſt voluntas, & ideo illud propriè, & per ſe homo facit, quod volens facit. Et è contrariò illud propriè homo patitur q̃ præter voluntatem ſuam patitur, quia inquantum eſt volens, principium eſt ex ſeipſo. Et ideo inquantum eſt huiuſmodi, magis eſt agens, quàm patiens. Dicendũ eſt, ergo quòd iniuſtum per ſe, & formaliter loquendo, nullus poteſt facere niſi volens, nec pati niſi nolens. Per accidens autem & quaſi materialiter loquendo, poteſt aliquis id quod eſt de ſe iniuſtum, vel facere nolens (ſicut cùm quis præter intentionem operatur) vel pati volens, ſicut cùm aliquis plus alteri dat ſua voluntate, quàm debeat.

Lib. 1. tex. 40. to. 2.

A

AD primum ergo dicendum, quòd cũ aliquis ſua volũtate dat alicui id quod ei non habet, non facit nec iniuſtitiam, nec inæqualitatem. Homo enim per ſuam voluntatem poſſidet res: & ita non eſt præter proportionem ſi aliquid ei ſubtrahatur ſecundum propriam voluntatem, vel à ſeipſo, vel ab alio.

B

AD ſecundum dicendum, quòd aliqua perſonam ſingularis poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo ſecundum ſe. Et ſic ſi ſibi aliquod nocumẽtum inferat, poteſt quidem habere rationem alterius peccati, putà intemperantiæ vel imprudentiæ: non tamẽ rationẽ iniuſtitiæ: quia ſicut iuſtitia ſemper eſt ad alterum, ita & iniuſtitia. Alio modo poteſt conſiderari aliquis homo, inquantum eſt aliquid ciuitatis, ſcilicet pars: vel inquantum eſt aliquid Dei ſcilicet creatura & imago. Et ſic qui ſeipſum occidit, iniuriam quidem facit non ſibi: ſed ciuitati & Deo: & ideo punitur tam ſecundum legem diuinam, quã ſecundum legem humanam, ſicut & de fornicatore Apoſtolus dicit: Si quis templũ Dei violauerit, diſperdet ipsũ Deus.

C

AD tertium dicendum, quòd paſſio eſt effectus actionis exterioris. In hoc autem quod eſt facere & pati iniuſtum, id quod materialiter eſt, attenditur ſecundũ id quod exterius agitur, prout in ſe conſideratur, vt † dictum eſt. Id autem quod eſt ibi formale & per ſe, attenditur ſecundum voluntatem agentis & patientis, vt ex † dictis patet. Dicẽdum eſt ergo quòd aliquem facere iniuſtum, & alium pati iniuſtum, materialiter loquendo, ſemper ſe concomitantur. Sed ſi formaliter loquamur, facere aliquis poteſt iniuſtum, intendens iniuſtum facere: tamen alius non patietur iniuſtum, quia volens patietur. Et ecõuerſo poteſt aliquis pati iniuſtum, ſi nolens id quod eſt iniuſtum, patiatur: & tamen ille qui hoc facit ignorans, non faciet iniuſtum formaliter, ſed materialiter tantum.

D

Art. præced.

In cor. & art. præcedẽ.

E

SVM-

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA concluſio. Per ſe & formaliter nullus poteſt iniuſtũ vel facere nolẽs, vel pati volẽs. Secunda concluſio. Per accidens vel quaſi materialiter poteſt aliquis iniuſtum vel nolens facere vel volens pati.

Vtraque concluſio huius articuli deſumpta eſt ex doctrina Ariſt. libr. 5. Ethicorum cap. 9. Et quidẽ prima cõcluſio habetur expreſſa in illa regula iuris: ſcienti & conſentienti non fit iniuria. libr. 6. regula. 27. & deſumpta eſt hæc regula ex lege nemo. ff. de regulis iuris.

COMMENTARIVS.

NOtandum eſt circa permam concluſionem & illam regulam iuris. Primò quòd conſenſus & volontas eius, qui patitur iniuſtum non debet oriri ex ignorantia: quia talis conſenſus ex ignorantia ortus cenſetur inuoluntarius: quoniam ingnorantia inuoluntarium cauſat. 1. 2. quæſt. 76. Quocirca talis conſenſus non tollit rationem formalem iniuſti. Et ita regula citata inquit, Scienti & conſentienti. Secundò, quòd conſenſu patientis iniuſtum non debet oriri ex iniuſtitia aut violentia inferentis iniuſtum, ſed ex libera & ſpontanea voluntate ipſius patientis. Nam alias non erit conſenſus liber & volũtarius, ſed habebit aliquid admixtũ inuoluntarij. Conſenſus autem mixtus ex voluntario & inuoluntario non auferet rationem formalem iniuſti: vt colligitur ex his quę dicit ſolent. 1. 2. quęſ. 6. v. g. Si quis latroni minanti mortem, voluntario actu offerat pecuniam, vt ſaluet vitam: reuera patitur iniuſtum à latrone ſuſcipiente pecuniam: quoniam illa voluntaria oblatio pecuniæ non eſt pura, ſed mixta ex voluntario & inuoluntario: trahit. n. origenem ex violentia à latrone illata. Similiter qui fœneratori ſoluit vſuras iniuſtum patitur formaliter: quia voluntas ſoluendi vſuras dimanauit ex iniuſtitia fœneratoris exigentis vſuras: atque adeo eſt voluntas mixta.

A

C

Tertiò notandum eſt, quòd in caſu primæ concluſionis. Is qui infert iniuſtum, poſt quam illi conſtiterit de libro conſenſu patentis, ad nullam tenetur illi compenſationem aut reſtitutionem faciendam: quia reuera ille patiens non fuit paſſus iniuſtũ. v. g. qui exiſtimans ſe furari centum poſtea certo cognouerit, Petrum liberè conſenſiſſe in ablatione illorum centum, non tenetur ei aliquid reſtituere. Conſultò dixi quòd ipſi patienti iniuſtum non tenetur ſatisfacere: quoniam poterit contingere quòd licet non teneatur ſatisfacere ipſi patenti, teneatur tamen alteri qui paſſus eſt iniuſtitiam formalier. v. g. Si quis prodigus habens vxorem & filios erogauerit prodige Petro omnem ſuam ſubſtantiam: Petrus nullam tenebitur facere reſtitutionem ipſi prodigo: tenetur tamen vxori & filijs, qui habent ius vt ex illis bonis alantur: cui iuri iſti nõ ceſſerũt.

SED his ſuppoſitis arguitur contra primam concluſionem præſertim contra ſecundam partem. Primo qui libero conſenſu ſemetipſum alteri tradit, vt interficiatur aut vulneretur patitur formaliter iniuſtum, ſi occidatur aut vulneretur: & tũ ſupponimus illum ſimpliciter eſſe, volentẽ ergo, &c.

Secundò arguitur. Si pater filiam virginem voluntariè tradat alicui, vt abutatur illa: & ſimiliter maritus tradat, vxorem alicui; formaliter patiuntur iniuriam ab illo qui vitiat virginem & vxore aliena vtitur, ergo. Probatur antecedens. Nam qui in illo caſu virginem deflorauerit committit vitium ſtupri. Similiter qui vxore illa vtitur, committit adulterium. Sed in his duobus vitijs præſertim in adulterio intrinſecè clauditur ratio iniuſtitiæ, ſecundum communem opinionem.

B

Ad hæc argumenta interpretes D. Tho. reſpondet, quòd bona quibus homo vtitur ſunt induplici differentia: quædam pertinent ad noſtrũ dominiũ perfectè. ita vt per facultatem arbitrij poſimus illis liberè vti. Huiuſmodi ſunt bona externa: vt pecunia & alia quæ pecunijs comparantur. Quædam vero bona ſunt, quibus non vtimur per plenum dominium: ſunt tamen à natura nobis conceſſa & tradita in noſtram tutelam & cuſtodiam: ita quòd potius ſumus cuſtodes illorum, quam domini. Huiuſmodi ſunt illa omnia bona de quibus procedunt duo argumenta facta. Etenim vita & membra noſtra quanuis illis vtamur, nõ tamen plenum eorum dominum habemus. Habemus tamen ius cuſtodiẽdi & ſeruãdi huiuſmodi bona nobis conceſſum à natura. Imo & ſtricta obligatione naturali cuſtodire tenemur huiuſmodi bona. Similiter pater iure naturæ eſt cuſtos virginitatis filiæ, quam tenetur cuſtodire naturali obligatione: ſicut tenetur vir vxoris corpus cuſtodire. Hac ergo ſuppoſita diſtinctione dicitur, quòd prima concluſio Diui Thomæ limitanda eſt ad bona primi generis: in quibus vniuerſaliter eſt verum nullum poſſe iniuſtum pati, ſi ipſe fuerit ſpontaneus & volũtarius. Quoniam eiuſmodi bona plenario dominio ſubijciuntur noſtræ voluntati. Secùs eſt aũt in bonis ſecundi generis, quorum homo non tam eſt dominus quàm cuſtos à natura deſignatus. Iſta ſolutio & limitatio concluſionis ſecundæ colligitur apertè ex ſolutione ad primum huius articuli. Contra iſtã tũ ſolutionem eſt argũ: ſi cuſtos vinearũ cõſentiat liberè aliquem deuaſtare vineã: deuaſtator ille licet iniuſtum faciat cõtra verum dominum vineæ: nullam tamen iniuſtitiam facit ipſi cuſtodi. Et non alia ratione, niſi quia liberè conſentit ipſe cuſtos, ergo quanuis homo non ſit dominus ſuorum membrorum: ſed tantum cuſtos, nihilominus ſi ipſe conſentiat liberrimè in abſciſionem alicuius membri, nullam patietur iniuriam. Sic dicunt ex mente domini Caietani infra quæſt. 154. arti. 6. circa primum dubium. Quòd homo nullum habet ius aut dominij aut cuſtodiæ ſupra membra corporis ſui, quod habeat ortum ex eius libera voluntate. Sed totum hmõi ius originatũ eſt à natura & à naturæ autore: quocirca homo per liberam voluntatem non poteſt cedere iuri quod habet ad cuſtodiendum mẽbra ſua, atque adeò qui ipſa læſerit lædet ſimiliter hoc ius cuſtodiæ, & ex conſequenti irrogabit iniuriam ipſi homini, qui eſt cuſtos. Secus autem eſt in cuſtode vinearum aut aliarum huiuſmodi rerum, cui competit ius cuſtodiendi non ab autore naturę: ſed ex libera eius voluntate acceptante hoc ius cuſtodiæ. Contra hanc tamen ſolutionem replicatur. Primò ſupponamus aliquem cuſtodem vinearum aut agrorum non propria voluntate acquiſiſſe ius & obligationẽ cuſtodiendi vineas & alia bona huiuſmodi: ſed ex imperio legis aut ſuperioris iudicis compellentis ipſum etiam repugnantem. Tunc ius quod iſte habet cuſtodiendi non pendet ab eius voluntate, & ex conſequenti neque poteſt ipſe pro ſua voluntate & libertate cedere huic iuri, neque excutere à ſe obligationem cuſtodiendi. Et nihilominus ſi ipſe conſentiat liberè in deuaſtatione vineæ, nulla

D

E

illi

illi fit iniuria: quanuis ipsemet consentiens, & deuastator vineæ iniustitiam faciant domino vineæ, ergo eadem ratione quanuis homo non possit pro sua voluntate cedere iuri sibi tradito à natura custodiēdi membra: si tamen libere consenserit in læsionem sui corporis, nullam iniustitiam patietur. Et confirmatur, quòd quis ex præcepto naturæ ius habeat & obligationem custodiendi aliqua bona, aut vero ex præcepto legis positiuæ: nihil aliud refert nisi quod ille, si non custodiat, violabit ius & legem naturæ: Iste vero violabit ius positiuum & legem humanam: quod erit leuius peccatum, ergo nihil refert ad nostrum propositum quòd aliquis ex lege naturæ sit custos aut vero ex lege positiua.

Secundò implicat cōtradictionem, quòd aliquis patiat iniustū formaliter in eo in quo est spōtaneus & volūtarius absque vlla inuoluntarij admixtione, ergo est impossibile, quòd quis volens & sciens consentiat in læsionem sui corporis, & quòd in tali læsione iniustum formaliter patiatur, vndecunque illi competat ius custodiendi corpus suum. Probatur antecedens ex ratione D. Tho. in hoc articulo. Nā is qui est volēs & consentiens, non est patiens, sed potius agēs moraliter loquēdo respectus eius quod vult, ergo sicuti est impossibile quòd quis sibi ipsi faciat iniustitiam: ita est impossibile quòd in eo in quo est volens & consentiens, iniustum formaliter patiatur. Nam in tali casu potius sibi ipsi iniustitiam faceret quam illam ab alio pateretur. Quia vt dicit D. Tho. ille potius est agens quam patiens.

Ad hæc argumenta viri docti vt respondeant, ita meditantur, quòd in homine distinguenda est secūdùm rationem duplex voluntas. Altera est voluntas naturæ & est illa quæ cōformatur naturali inclinationi, & quæ regulatur non per discursum rationis: sed per iudicium insitum & præscriptum à natura mensuratur. Huiusmodi est voluntas qua appetimus esse viuere & alia huiusmodi bona nobis omnino connaturalia. Altera est voluntas rationalis quæ nō oritur totaliter ex naturali inclinatione, neque regulatur per iudicium insitum à natura: sed per discursum rationis & per rationes excogitatas ab intellectu. Vt est voluntas qua quis vult comparare diuitias. Hæc distinctio colligitur ex doctrina D. Tho. & Caietani 1.2. quæstione 30. articulo. 3. Per quam distinctionem non intendimus distinguere duas potentias in homine: sed vnam & eandem potentiam voluntatis comparamus ad diuersa obiecta & ad distinctas ipsius operationes.

Secundò est notandum, quòd ius illud & illa obligatio quæ reperiuntur in homine ad custodiendum quæ retulimus in duobus argumentis bona, per se primò non pertinent ad voluntatem rationalem sed ad voluntatem naturæ, eo quòd habent omnimodam connaturalitatem cum humana natura: quanuis verum sit quòd voluntas rationalis tenetur se conformare in hac parte cum voluntate naturæ, quòd si non fecerit peccabit mortaliter.

His suppositis, ad propositam dubitationem dicunt: quòd is qui voluntarius consentit in læsione membrorum sui corporis, quidem voluntarius voluntate rationali, dissentit tamen & repugnat virtualiter per voluntatem naturæ. Quocirca simpliciter patitur iniustum formaliter: quoniam dissentit & repugnat læsioni per illam voluntatem naturæ, ad quam per se primò spectant ius & obligatio custodiendi illæsa membra omnia sui corporis. Ex quo sequitur, q̄ si quando liberè contigerit, vt homo liberè consentiat in læsione sui corporis, non solum per voluntatem rationalem verumetiam per voluntatem naturæ qui ita consenserit non patietur formaliter iniustum. Verbi gratia, si quispiam offerat brachium veneno infectum, vt scindatur propter bonum totius suppositi, quod est præstantius quàm bonum vniuscuiusque membri, quorum quodlibet ordinatur ad bonum totius, & propter illud naturaliter se exponit periculo, nullam patietur iniustitiam ab eo qui secuerit brachium, eo q̄ non solum voluntate rationali, sed etiam voluntate naturę, quę inclinat magis ad bonum totius suppositi, quā particularis membri, consentit liberè in sectione brachii. Ex his putant soluta duo illa priora argumenta contra primam conclusionem.

Cæterum ad replicas duas contra solutionem desumptam ex Caietano quæstione 154. Respondent ad primam negando consequentiam. Ratio discriminis est, quoniam illud ius seu obligatio custodiendi quæ oritur ex lege positiua siue ex præcepto superioris, non pertinet per se primò ad voluntatem naturalem sed ad uoluntatem rationalē, per quam tenemur subijcere nos legi & superioris præcepto. Vnde qui per voluntatem rationalem consenserit: simpliciter consentit in his quæ pertinent ad huiusmodi leges: atque adeò nullum patitur iniustum. Secus est autem in illo iure naturali quod nobis competit ex ipsa natura. Ad confirmationem respondetur, quòd præter illud discrimen assignatum in ipsa confirmatione, reperitur aliud assignatum ibidem.

Ad secundam replicam respondetur contincere q̄ qui offert membrum corporis lęsioni non patitur iniustum, si attendamus voluntatem rationalem per quam consentit læsioni. Secus est autem si attendamus voluntatem naturæ quia per illam nō consentit: quin potius repugnat & ex consequenti patitur iniustum. Sed nos in materia de homicidio aliter philosophabimur. Nunc autem sequamur hanc sententiam. Ex qua sequitur quòd qui infert iniustum in illis tribus casibus propositis in duobus argumentis contra primam conclusionem, si materia sit apta reparari satisfactione uel restitutione, tenetur homo satisfacere & restituere damnum illatum in illis bonis, quantumcunque patiens consenserit. Patet ex dictis, quia omne damnum per iniustitiam illatum reparandum est secundùm legem iustitiæ, si fuerit illatum in materia reparabili. At vero materia horum bonorum in quibus infertur detrimentum uolenti sit reparabilis necne, alibi est explicandum; quoniam non est huius loci.

Circa utranque conclusionem articuli notandū est, quòd ut liber consensus patientis tollat formalē rationem iniusti: non satis fuerit, quòd utcunq; sit liber consensus: sed necesse est, vt respectu inferentis iniustum sit simpliciter liber consensus absque vlla inuoluntarii admixtione. v.g. cum Christus patiebatur mortem simpliciter erat voluntarius: oblatus enim est quia ipse voluit. Et nihilominus consensus eius voluntarius non abstulit rationem formalem iniustitiæ à morte illata à Iudæis: quoniam ille consensus Christi oriebatur ex charitate Patris, & ex charitate qua homines diligebat: iuxta illud quod ipse dixit Ioan. 18. Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio: Surgite, eamus hinc, scilicet, ad subeundam mortem. Respectu tamen eorum qui uitam ab illo auferebant nullum habuit consensum: sed patientissimam tantum tolerantiam: atque adeo simpliciter patiebatur iniustum ab illis. Proportionabiliter dicendum de martyribus.

Circa solutionem ad secundum notandum est, quòd

quòd cum docet Diuus Thomas, quòd is qui se interficit si consideretur vt priuata persona committit vitium intemperantiæ, nō loquitur generaliter: sed de illo cantum qui se interficit per immoderatum vsum cibi aut potus. Maiorem autem habet difficultatem id quod asserit D. Thomas, quòd qui se interimit peccat peccato imprudentiæ: quoniam vix potest contingere quòd aliquis peccet contra prudentiam, quin simul delinquat aduersus aliam peculiarem virtutem. Non ergo fecit satis D. Tho. assignando vitium imprudentiæ: sed oportebat explicare aliud peculiare vitium.

Respondetur, quòd qui seipsum interficit per se primò peccat contra propriam charitatem qua naturaliter seipsum tenetur diligere. Hæc autem charitas non est aliqua specialis virtus: sed potius est inclinatio naturalis quæ est radix aliarum virtutum moralium. Quocirca vt D. Tho. assignaret virtutē aliquam moralem contra quam delinquit is qui se interimit, confugit ad prudentiam quæ est virtus quæ generaliter violatur in omni opere vitioso: sed specialiori quadam rationem violatur per huiusmodi interfectionem: imprudentissimus enim reputatur ille qui seipsum interficit.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum quicunque facit iniustum, peccet mortaliter.

Infr q. 59 ar. 1. co. & q. 70. art. 4. co. & q. 120. ar. 2. 3. 4. co.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd non quicunque facit iniustum, peccet mortaliter. Peccatum enim veniale mortali opponitur. Sed quādoq; veniale peccatū est, quòd aliquis faciat iniustum. Dicit enim Philosophus † in 5. Ethic. de iniusta agentibus loquens: Quæcunque nō solùm ignorantes, sed & propter ignorantiam peccant, venialia sunt: ergo non quicunq; facit iniustū, mortaliter peccat.

Li. 5. c. 8. lect. 10. 5.

2. Præterea. Qui in aliquo paruo iniustitiam facit, parum à medio declinat. Sed hoc videtur esse tolerabile, & inter minima malorum computandum, vt patet per Philosophum † in 2. Ethic. Non ergo quicunque facit iniustum, peccat mortaliter.

Li. 2. cap. vlt. circa fin. tom. 5.

3. Præterea. Charitas est mater omniū virtutum ex cuius contrarietate aliquod peccatum dicitur mortale. Sed non omnia peccata opposita alijs virtutibus sunt mortalia: ergo etiam neque facere iniustum semper est peccatum mortale.

SED contra. Quicquid est contra legem Dei, est peccatum mortale. Sed quicunque facit iniustum, facit contra præceptum legis Dei: quia vel reducitur ad furtum, vel ad adulterium, vel ad homicidium, vel ad aliquid huiusmodi, vt ex sequentibus † patebit: ergo quicunque facit iniustum, peccat mortaliter.

Quæst. 64. & sequen.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra † dictum est, cùm de differentia peccatorum ageretur, peccatum mortale est quod contrariatur charitati per quam est animæ vita. Omne autem nocumentum alteri illatum, ex se charitati repugnat, quæ mouet ad volendum bonū alterius: & ideo cùm iniustitia semper consistat in nocumento alterius, manifestum est quòd facere iniustum, ex genere suo est peccatum mortale. Quæst. 24 art. 12. & 1. 2. q. 72. art. 5.

AD primum ergo dicendum, quòd illud verbū Philosophi intelligitur de ignorantia facti, quàm ipse vocat ignorantiam particularium circunstantiarum, quæ meretur veniam: non autem de ignorantia iuris, quæ nō excusat. Qui autem ignorans facit iniustum, non facit iniustum, nisi per accidens: vt † supra dictum est. Artic. 9.

AD secundum dicēdum, quòd ille qui in paruis facit iniustitiam, deficiat à perfecta ratione eius quod est iniustum facere, in quantum potest reputari non esse omnino contra voluntatem eius, qui hoc patitur: puta si auferat aliquis alicui vnum pomum vel aliquid tale, de quo probabile sit, quòd ille inde non lædatur, nec ei displicеat.

AD tertium dicendum, quòd peccata quæ sunt contra alias virtutes, non semper sunt in nocumētum alterius, sed important inordinationē quandā circa passiones humanas. Vnde nō est similis rō.

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA conclusio. Omnis qui facit iniustum peccat mortaliter ex genere suo.

Secūda cōclusio. Ex leuitate materiæ potest contingere quòd tantum peccet venialiter: imo & quòd nullum peccatum committat: quia qui patitur censetur voluntarius.

QVESTIO LX.

De Iudicio.

POSTEA considerandum est de iudicio: Et circa hoc quæruntur sex.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm iudicium sit actus iustitiæ.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd iudicium non sit actus iustitiæ. Dicit enim † Philoso- Infr q. 68 ar. 4. co. & lib. 5. lect. 6. princ.

Eth. c. 3. com. 5. Philosophus in 1.Ethicorum, quòd vnusquisque bene iudicat quæ cognoscit:& sic iudiciũ ad vim cognoscitiuam pertinere videtur. Vis autem cognoscitiua per prudentiam perficitur, Ergo iudicium magis pertinet ad prudentiam,quàm ad iustitiã, quæ est in voluntate: vt † dictum est.

Quæst. 58. art. 4. 2.Præterea. Apostolus dicit. 1.ad Corint.2.Spiritualis iudicat omnia. Sed homo maximè efficitur spiritualis per virtutem charitatis, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis:vt dicitur Roman.5.ergo iudicium magis pertinet ad charitatẽ quàm ad iustitiam.

3.Præterea. Ad vnamquanque virtutẽ pertinet rectum iudicium circa propriam materiam: quia virtuosus in singulis est regula & mensura, secundùm Philosophum in lib. Ethic. † Non ergo iudicium magis pertinet ad iustitiam quàm ad alias virtutes morales.

L. lib. 1. Ethic. ca. 3. ad fin. tomo. 5.

4.Præterea. Iudicium videtur ad solos iudices pertinere. Actus autem iustitiæ inuenitur in omnibus iustis. Cùm ergo non soli iudices sint iusti, videtur quòd iudicium non sit actus proprius iustitiæ

SED contra est quod in Psal.93. dicitur: Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium.

RESPONDEO dicendum, quòd iudicium propriè nominat actum iudicis, inquantum iudex est. Iudex autem dicitur quasi ius dicens. Ius autem est obiectum iustitiæ, vt suprà † habitum est. Et ideo iudicium importat secundùm primam nominis impositionem, diffinitionem,vel determinationem iusti siue iuris. Quòd autẽ aliquis bene diffiniat aliquid in operibus virtuosis,propriè procedit ex habitu virtutis: sicut castus rectè determinat eaque pertinẽt ad castitatem. Et ideo iudicium quod importat rectam determinationem eius quod est iustum, propriè pertinet ad iustitiam. Propter quod Philosophus in 5. Ethic † dicit, quòd homines ad iudicem confugiunt sicut ad quandam iustitiam animatam.

Quæst. 57. art. 1.

L. l. 5. c. 4. paulo ante med. tomo. 5.

AD primum ergo dicendum, quòd nomen iudicij quod secũdùm primã impositionem significat rectam determinationẽ iustorum, ampliatum est ad significandam rectam determinationem in quibuscunque rebus, tam in speculatiuis, quàm in practicis: in omnibus tamen ad rectum iudicium duo requiruntur, quorum vnũ est ipsa virtus proferẽs iudicium. Et sic iudicium est actus rationis: dicere enim vel diffinire aliquid, rationis est. Aliud autem est dispositio iudicantis, ex qua habet idoneitatem ad rectè iudicandum:& sic in his quæ pertinent ad iustitiam, iudicium procedit ex iustitia: sicut & in his quæ ad fortitudinẽ pertinent, ex fortitudine. Sic ergo iudicium est quidam actus iustitiæ, sicut inclinantis ad rectè iudicandum: prudentię autem sicut iudicium proferentis. Vnde & synesis ad prudentiam pertinens dicitur bene iudicatiua: vt suprà † habitum est.

Quæst. 51. art. 3.

AD secũdum dicendum, quòd homo spiritualis ex habitu charitatis habet inclinationem ad rectè iudicandum de omnibus secundùm regulas diuinas, ex quibus iudicium per donum sapientiæ pronuntiat: sicut iustus per virtutem prudentiæ pronuntiat iudicium ex regulis iuris.

AD tertium dicendum, quòd aliæ virtutes ordinant hominem in seipso; sed iustitia ordinat hominem ad alium, vt ex † dictis patet. Homo autem est dominus eorum, quæ ad ipsum pertinent: non autem est dominus eorum quæ ad alium pertinent. Et ideo in his, quæ sunt secundùm alias virtutes, non requiritur nisi iudicium virtuosi, extenso tamen nomine iudicij: vt † dictum est. Sed in his quæ pertinent ad iustitiam, requiritur vlterius iudicium alicuius superioris, qui vtrunque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus. Et propter hoc iudiciũ specialius pertinent ad iustitiam, quàm ad aliquam aliam virtutem.

q. 58. art. 2. & 3.

In iustitia.

AD quartum dicendum, quòd iustitia in principe quidem est sicut virtus architectonica, quasi imperans & pręcipiẽs quod iustum est: in subditis autem est tanquam virtus executiua & ministram. Et ideo iudicium, quod importat diffinitionem iusti, pertinet ad iustitiã, secundùm quod est principaliori modo in pręsidẽte.

COMMENTARIVS.

CONCLVSO est affirmatiua. Notandũ est in hoc articulo, quod colligitur ex Diuo Thoma in solutione ad primũ, quòd ista vox iudicium ex prima sua significatione significat diffinitionẽ & determinationem iusti: ita quòd pertinet ad iustitiam.

iustitiam. Deinde vero extensa est ad signandam sententiam & determinationem intellectus, id quacũque materia siue speculatiua siue practica. Et ratio huius extensionis ea fuit, quoniam quæcunque sententia huiusmodi importat quandam æqualitatem conformitatem. Nam in speculatiuis vera sententia intellectus consistit in quadam conformitate intellectus ad rem speculatam. In practicis verò consistit in conformitate intellectus ad appetitum rectum: quia veritas practica est consentanea appetitui recto. Et ad hanc posteriorem acceptionẽ, quæ est minus propria, pertinet illa acceptio secundùm quam dicimus pertinere ad quamlibet virtutem moralem recte iudicare in propria materia. Præter has acceptiones quæ sunt valde vsitatæ, & apud Theologos & apud Philosophos morales: reperiũtur aliæ quibus vtuntur sacræ literæ. Quandoque enim iudicium significat legem Dei. Psal. 118. Statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Aliquando accipitur pro causa de qua agitur in iudicio. In eodem Psalmo; Iudica iudicium meum, vt vertit Hieronymus. Accipitur etiam pro punitione inflicta à superiori, Exodi 6. Ego Dominus educam vos & redimam vos in iudicijs magnis. Idest, in magnis punitionibus & plagis Ægyptiorum. Marci 12. Hi accipient prolixius iudicium. Idest, grauiorem punitionem. Accipitur præterea pro effectibus diuinæ virtutis, quorum nescimus rationem adinuenire. Psal. 35. Iudicia tua abyssus multa. Denique sumitur iudicium pro actu iudicis definientis causam publicam. Psal. 1. Non resurgent impij in iudicio neque peccatores in consilio iustorum.

A

IN præsenti ergo tota disputatio versatur de iudicio secundùm eius primam & potissimam acceptionem, nimirum pro definitione iuris seu iusti.

Dubitatur ergo, An iudicium sic acceptum sit actus elicitus à virtute iustitiæ, an potius à virtute prudentiæ. Vniuersi Theologi conueniunt in tribus. Conueniunt primò, q̃ si iudicium sumatur speculatiuè, neq; à iustitia neque à prudentia elicitur: sed vel à philosophia morali seu à Iurisperitia. Vnaquæq; enim scientia habet proferre iudicium speculatiuum in propria materia. Quocirca in præsenti non speculatiuè sed practicè disputamus de iudicio. Secundò, quòd iudicium practicum materialiter & entitatiuè procedit à ratione, & elicitur à virtute prudentiæ. In quo sensu accipienda est doctrina D. Thomæ ad primum, qua dicit ad rationem pertinere & ad prudentiam per synesim proferre iudicium. Tertiò conueniunt, quòd iudicium pertinet dispositiuè ad virtutem iustitiæ. Nam commune est omni virtuti morali bene disponere ad rectum iudicium in propria materia. Vt optime D. Thomas explicat in corpore articuli, & ad primum. Colligitur etiam ex Aristot. 3. Ethicorum. cap. 1. qualis vnusquisque est talis sibi finis videtur. Id est, ita homo iudicat de rebus pertinentibus ad mores: sicut ipse dispositus est in appetitu & affectu per virtutes aut vitia. Idipsum insinuauit Comicus dicens; Cùm semel se quis cupiditate deuinxit mala, necesse est consilia consequi consilia. D. Paul. Rom. 1. inquit, q̃ tradidit Deus illos antiquos Philosophos superbos & elatos in reprobum sensum. Idest, quia elati erant & superbi, peruersum iudicium habuerunt de Deo & rebus spectantibus ad mores: etsi aliàs essent sapientes. Et 1. ad Timoth. 1. ait, quòd quidem repellentes bonam conscientiã circa fidem naufragauerunt.

B

Difficultas autem est inter graues Theologos, Vtrùm iudicium sumptum formaliter & secũdùm quòd expectat ad mores sit actus elicitus à virtute iustitiæ, an à virtute prudentię. Et probatur primò, quòd sit actus elicitus à iustitia. Diuus Thomas in hoc articulo præsertim ad tertium docet, quòd iudicium speciali ratione pertinet ad iustitiã pręalijs moralibus virtutibus quę pertinent ad appetitum. Sed iudicium dispositiuè æquè pertinet ad omnes virtutes morales residentes in appetitu: nam quælibet virtus eiusmodi disponit ad rectum iudicium ferendum in propria materia, ergo iustitia non solum dispositiuè, sed etiam elicitiuè concurrit ad iudicium in propria materia, alias nihil speciale hẽt.

C

Secundò arguitur. Iudicium, vt docet D. Thomas in hoc articulo, & cum eo omnes Theologi est actus iustitiæ, sed non est actus imperatus à iustitia, ergo elicitus ab ea. Consequentia patet ex sufficienti diuisione. Nam omnis actus alicuius virtutis vel est ab ipsa elicitus vel imperatus. Probatur minor. Nam si iudicium tantum pertineret ad iustitiam, ut actus imperatus ab ipsa, non esset specialiter tribuendum iustitiæ, quoniam etiam potest imperari à charitate. Omnis enim actus cuiuscunque virtutis moralis est imperabilis à charitate. Et confirmatur. Prudentia habet imperium super cæteras morales virtutes, ipsa vero non subijcitur earum imperio per se loquendo, quia superior est omnibus alijs: superioris autem est non subijci sed imperare, ergo si iudicium est actus elicitus à prudentia, nõ pòt esse per se loquẽdo imperatus à iustitia.

B

Tertiò arguitur. Actus qui formaliter respicit obiectum alicuius virtutis est elicitus ab eadem, sed iudicium formaliter respicit obiectum iustitiæ, ergo elicitur ab illa. Maior est euidens, & minor probatur. Quia iudicium formaliter respicit ius seu iustum: ius autem & iustum est formale obiectum iustitiæ, vt ex superioribus patet, ergo &c.

Quartò arguitur. Iudicium immediatè regulatur in esse moris à iustitia, ergo moraliter loquẽdo est actus elicitus à iustitia. Cõsequentia patet: quia ille actus immediatè regulatur ab aliqua virtute. & secundùm esse morale simpliciter elicitur in esse moris ab illa virtute, etiamsi actus secundùm substantiam non procedat ab eadem potentia in qua residet talis virtus. v. g. actus exterior eleemosynæ elicitur simpliciter in esse moris à virtute misericordię existente in voluntate: eo quòd in esse morali immediate regulatur per virtutem misericordiæ. Nam tota bonitas moralis huius actus exterioris desumitur ex bonitate virtutis misericordiæ. Similiter oratio quæ est actus secundùm substantiam & entitatem procedens ab intellectu, elicitur in esse moris à virtute religionis quæ residet in voluntate, eo quòd tota mortalitas orationis immediatè regulatur per virtutem religionis. Sed probatur antecedens, quòd iudicium sit rectum necne, non aliunde pensatur quam ex rectitudine iustitię, si quidem si fuerit iudicium iustum, erit rectum & verum iudicium. Si autem fuerit iniustum, erit peruersum & iniquum, ergo regula iudicij est iustitia ipsa.

D

E

Vltimò arguitur. Si iudicium non à iustitia, sed à prudentia elicitur: sequitur quòd iudicium prolatum à iudice differat specie à iudicio prolato ab homine particulari. Consequens tamen falsum est, & non consentiens doctrinę Diui Thomę in hoc articulo, ergo. Probatur sequela. Virtus iustitię, vt supra dictum est quęstione 58. eiusdem specie est in Principe & in homine priuato: prudentia autem non ita. Et enim ut docet Diuus Thomas supra quęstione 50. articulo 1.

& prę-

& præcipuè artic.2.in solutione ad secundum. Prudentia gubernatiua quæ est in Principe specie differt à prudentia, quæ est in homine priuato, ergo si iudicium pronuntiatum à iudice seu Principe elicitur à prudentia,& similiter iudiciũ prolatũ à pſona priuata est actus elicitus à prudentia, manifestũ est hæc iudicia differre specie: sicut differunt virtutes à quibus eliciuntur. Propter hæc argumẽta vtcunque sit probabilis sententia quorũdam Thomistarum asserẽtium iudiciũ in esse moris esse actum elicitum à virtute iustitiæ.

Sed nihilominus statuitur hæc conclusio. Iudicium non est actus elicitus à virtute iustitiæ: sed à prudentia per synesim formaliter & in esse moris. Istam conclusionem peritiores Thomistæ docent interpretantes istum articulum. Et probatur primo ex Diuo Thoma in solutione ad primum, dicente, quòd proferre iudicium ad rationẽ pertinet. Et tandem subiungit ꝙ iudicium est actus prudentiæ per synesim. Respondent authores contrariæ sententię Diuum Thomam loqui materialiter & entitatiuè, non autem in esse morali. Contra hanc responsionem arguitur efficaciter. Prudentia est virtus moralis essentialiter loquendo: & quæ in omni sua operatione attendit formaliter ordinem moralem: est enim essentialiter regula moralis, ergo si iudicium à prudentia profertur, non solum profertur materialiter & entitatiuè, sed formaliter in esse moris. Ineptè sanè Diuus Thomas docuisset in hoc articulo prudẽtiam esse principium per se requisitum ad iudicium, si intelligeret quòd tantùm materialiter & entitatiuè iudicium à prudentia procedit. Et cõfirmatur. Iudicium, de quo in pręsenti Diuus Thomas loquitur, est iudicium morale. Est enim proxima regula electionis moralis in materia iustitię ergo cùm docet Diuus Thomas prudẽtiam esse principium per se requisitum ad iudicium, nõ loquitur materialiter & entitatiuè: sed formaliter secundùm ordinem moralem.

Arguitur secundò ex eadem solutione D. Tho. primum, vbi secundùm eundem modum docet iustitiam esse principium iudicij in propria materia quo & reliquæ virtutes in materijs: sed aliæ virtutes non concurrunt elicitiuè, sed tantũ dispositiuè ad proferendum iudicium in proprijs materijs, ergo idem est cẽsendum de iustitia. Minor apud omnes est certissima. Nã alias iudicium in nullla materia elicitiuè procederet à prudẽtia: quod est stultum. Et confirmatur. Prudentia ex æquo versatur circa materias omniũ virtutũ moralium: obiectum enim prudentiæ est agibile & operabile à nobis moraliter, ergo sicuti prudentia elicit iudicium in materia aliarum virtutum moralium, ita & in materia iustitiæ. Tertiò probat. Formale obiectum iudicij est ius seu iustum non secundùm eam rationẽ formalem quæ respicitur à iustitia: sed secundùm aliam, quoniam iudicium nõ vtcunque respicit iustum, sed quatenus est dirigibile per rationem & prudentiam: quam formalitatem iustitia non respicit, ergo iudicium nõ est actus elicitus à iustitia: sed à ratione & prudentia. Quartò probatur. Iudicium non adæquatè regulatur per iustitiam, sed per prudentiam, ergo in esse morali nõ à iustitia sed à prudentia elicitur. Probatur antecedens. Cum quis iudicat soluenda esse centum Petro quę illi debebantur, ad rectitudinem illius iudicij nõ satis est attendere, quòd illa centum erant reuera debita Petro, quod pertinet ad rationem iustitiæ, sed pręterea necessum est considerare debitas circunstantias loci temporis possibilitatis, &c. At consideratio circunstantiarum in materia iustitiæ non ad virtutem iustitiæ per se pertinet, sed ad prudentiam, ergo prudentia est regula immediata & adæquata rectitudinis iudicij, & non iustitia. Denique probatur. Virtus moralis in appetitu residens duos tantum elicit actus. Alterum circa finem, qui est intentio. Et alterum circa mediũ, qui est electio. Etenim virtus quę est in appetitu, nequit respicere aliud obiectum nisi finem aut medium, ergo iudicium quod est actus medius inter intentionem & electionem non elicitur à virtute morali appetitus: sed necesse est eliciatur à prudentia.

A D argumenta in oppositum respondetur primò, quòd idcirco D. Tho. docuit iudicium specialiter pertinere ad iustitiam, quoniam illa tantũ sententia quæ profertur circa materiam iustitię habet propriam rationem iudicij. Nam vt diximus ex D. Thom. per quãdam extensionem & minorem proprietatem sententia, quæ profertur in materijs aliarum virtutum; appellatur iudiciũ. Secundò respondetur, ꝙ iustitia inter omnes virtutes morales specialiter concurrit ad iudicium in propria materia: quoniam virtutes morales quæ respiciunt, bonum proprium operantis, quę proinde non in voluntate sed in appetitu subiectantur, vt temperantia fortitudo, nõ aliter disponunt ad rectum iudicium circa proprias materias, quàm remouẽdo prohibens, moderãdo scilicet passiones appetitus sensitiui: quibus moderatis, sua naturali inclinatione voluntas, quæ determinata est ad bonum proprium operantis inclinat & determinat intellectum practicum ad rectum iudicium ferendum. Cęterum virtus iustitiæ non concurrit ad iudicium in propria materia remouendo prohibens, sed positiuè inclinando & determinando. Etenim voluntas non est à seipsa sufficienter inclinata & determinata ad bonum iustitiæ: ex eo quòd respicit alterum. Sed inclinatur & determinatur per virtutem iustitiæ residentem in eadem voluntate: qua inclinatione voluntas media determinatur, etiam mediante intellectu practico ad recte iudicandum in propria materia. Merito ergo D. Tho propter istas duas rationes asseruit iudicium specialiter ad iustitiam pertinere: quanuis non sit actus elicitus ab ea.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd actus imperatus ille proprie dicitur, qui secundùm se & prout elicitur ab habitu, qui est proximũ suum principium, respicit vnum finem. Dirigitur autem & ordinatur ab alio habitu in aliũ finem. v.g. actus temperantiæ, potest esse imperatus à virtute charitatis aut à virtute iustitię, quatenus dirigitur & ordinatur à charitate ad finẽ ipsius charitatis: quem sua natura & prout elicitur à temperantia, non respicit ipse actus. Et simile est, si imperetur à iustitia. Ordinabitur quidẽ ad finem iustitiæ; sed ipse actus non respiciet illum finem ex natura sua. Iudicium autem elicitum seu prolatum circa materiam iustię, non habet aliquem finem prout elicitur à prudentia distinctum à fine quem intendit virtus iustitię: quoniam iudicium versatur circa media proportionata fini intento à iustitia, & in vniuersum omne iudicium prudentiale non versatur circa finem, sed circa media proportionata fini intento à virtute morali existente in appetitu. Quocirca iudicium non est proprie actus imperatus à iustitia, neque ab alia virtute morali appetitus. Vnde illa distinctio actuum moraliũ in actus elicitos & imperatos, tantum habet locum in actibus virtutũ moralium appetitus. Istæ enim virtutes sibi ipsis adinuicem quiq; imperant. Vt patet in exemplis adhibitis.

At

At si fiat comparatio virtutum moralium appetitus ad prudentiam, aut è conuerso non habet locũ ista distinctio. Actus enim virtutis moralis, scilicet electio non imperatur à prudentia, neq; actus prudentiæ, scilicet iudiciũ imperatur à virtute morali appetitus. Sed electio quæ est actus elicitus à virtute morali regulatur per prudentiam: & iudicium quod elicitur à prudentia pendet à virtute morali appetitus tanquam à disponente & inclinante. Ad argumentum ergo negatur consequentia. Ad confirmationem admitto iudicium nõ esse actum imperatum à iustitia. An verò iustitia habeat aliquem actum imperatum à prudentia, non est præsentis loci definire. Agitur enim de hac re. 1.2.q.16 & 17.

Ad tertium argumẽtum negatur minor, ad probationem dicitur, quòd ius alia ratione est obiectũ iudicij, & alia iustitiæ. Nam quatenus est obiectũ iustitiæ, est materia circa quam versatur iudicium, & non eius formale obiectum, sed obiectum fortitudinis est materia circa quam versatur iudicium, quod prudentia elicit in materia fortitudinis.

Ad quartum negatur antecedens. Ad probationem dicitur quòd ad prudentiam pertinet iudicare de legibus iustitiæ: atq; adeò est immediata regula iusti iudicij. Verum est quòd pręsupponit inclinationem, quam virtus iustitiæ præstat voluntati in ordine ad bonum iustitiæ. Vnde iustitia est quidem radix ex qua desumitur rectitudo iudicij: non tamen est proxima eius regula. Actus autem ab illa solum virtute elicitur, quæ est proxima & immediata eius regula.

Vltimum argumentum duas inuoluit difficultates. Altera est an iudicium pronuntiatum à superiori sit actus elicitus à iustitia vel potius à prudentia. Altera, vtrum ad essentialem rationem iudicij requiratur authoritas superioris, ita ut iudicium prolatum à persona priuata non sit simpliciter iudicium, sed imperfectum & secundum quid. Circa primam difficultatem videtur colligi ex D. Th. in solutione ad tertium huius articuli, quòd iudicium superioris sit elicitum à virtute iustitiæ. Dicit enim D. Tho. ꝙ iudicium pertinet per se ad iustitiam, eo quod iudicare per se est actus superioris & iudicis: qui censetur iustitia animata, vt inquit Arist. 5. Ethic. citatus à D. Tho. in fine corporis articuli. Intelligit ergo D. Tho. ꝙ iudicium superioris est actus elicitus à iustitia, quæ quasi architectonicè residet in principe. Sed breuiter respondetur ad hanc difficultatem: quòd iudicium sicut in priuata persona non elicitur à virtute iustitiæ: ita neque in superiori & iudice. Quoniam vt supra definitum est q. 58. Virtus iustitiæ etiam legalis eiusdem est speciei in superiori & in persona priuata. Ergo si in priuata persona non elicit actum iudicij, neque in superiori. Ad D. Tho. respondetur ꝙ iudicium ex eo specialiter pertinet ad superiorem, quia superior est custos iustitię: & iudicium ab eo pronunciatum habet quandam vim coerciuam, quam non habet iudicium personæ priuatæ: at secundum substantiã iudicium superioris à prudentia elicitur. Ad secundam difficultatem D. Tho. videtur insinuare partem affirmatiuam. Dicit enim in solutione ad tertium: ꝙ ad iudicium requiritur authoritas superioris qui vtrunque valet arguere. Et articulo sequenti dicit, ꝙ ad iustum iudicium requiritur, ꝙ procedat ab authoritate præsidentis. Ergo iudiciũ procedens à persona priuata non erit simpliciter iustum iudicium. Respondetur quòd absque dubio ad rationem essentialem iudicij iusti non est necesse, vt procedat à superiori. Probatur hoc in persona priuata reperitur vera & essentialis operatio virtutis iustitiæ, sicut reperitur ipsa vera virtus iustitiæ: sed operatio iustitiæ necesse est procedat à iudicio iusto, ergo in priuata persona reperitur verè & essentialiter iustum iudicium: atq; adeo ad essentiam iusti iudicij non requiritur superioris authoritas. Ad D. Thomam respondetur nihil aliud intelligere, quàm quod ad perfectam & consummatam rationem iusti iudicij requiritur quòd procedat ab habente authoritatem. Ex qua authoritate prouenit in iudicio vis coerciua: quæ licet non sit de essentia iusti iudicij, est tamen magna eius perfectio intra latitudinem iustitiæ: quæ oritur à superiori quatenus est iustitię custos. His ergo difficultatibus semotis & separatis, ad vltimum argumentum negatur sequela. Ad probationem dicitur, quòd in superiori duplex prudentia reperitur. Altera quę est simpliciter virtus moralis: & est proxima regula non solum iustitię, sed omnium virtutum moralium, quæ pertinent ad appetitum. Et hęc prudentia eiusdem est speciei & in principe & in priuata persona. Ad hanc autem prudentiam pertinet essentialiter iudicium iustum tam in superiori quam in persona priuata. Altera prudentia est quę reperitur in superiori, & est prudentia gubernatiua. Et hęc differt specie ab alia prudentia quam modo explicuimus, & à prudentia politica: quæ reperitur in ciuibus. Et de hac prudentia loquitur D. Thomas loco citato in vltimo argumento. Ad hanc autem prudentiam non pertinet essentialiter iudicium iustum: quamuis illud ab ea sumat magnam perfectionem: quæ est vis coerciua adiuncta authoritate iudicis & superioris.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sit licitum iudicare.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd nõ sit licitum iudicare. Non enim infligitur pœna nisi pro illicito. Sed iudicantibus imminet pœna, quam non iudicantes effugiunt: secundum illud Matth. 7. Nolite iudicare, vt non iudicemini. Ergo iudicare est illicitum.

Inf. art. 5. & 6. & q. 67. ar. 1. & 4. dist. 48. corp. prin. Et Roma. 1. cor. 5. princip. & ca 14. cor. 3. fin. & 1. cor. 4. cor. 4.

2. Præterea, Roman. 14. dicitur: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? suo domino stat aut cadit. Dominus autem omnium Deus est. Ergo nulli homini licet iudicare.

3. Præterea, Nullus homo est sine peccato, secundum illud 1. Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus. Sed peccanti non licet iudicare, secundum illud Rom. 2. Inexcusabilis es ò homo omnis qui iudicas. In quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Ergo nulli est licitum iudicare.

Sed contra est, quod dicitur Deut. 16. Iudices & magistros constitues in omnibus

bus portis tuis, vt iudicẽt populum iusto iudicium.

Aristoteles. Respondeo dicendum, ꝙ iudicium in tantum est licitum, inquantum est iustitiæ actus. Sicut autem ex † prædictis patet, ad hoc quòd iudicium sit actus iustitiæ, tria requiruntur. Primò quidem, vt procedat ex inclinatione iustitiæ. Secundò, ꝙ procedat ex auctoritate præsidentis. Tertiò, quod proferatur secundum rectam rationem prudentiæ. Quodcunq; autem horum defuerit, iudicium erit vitiosum & illicitum. Vno quidem modo quando est contra rectitudinem iustitiæ, & sic dicitur iudicium peruersum vel iniustũ. Alio modo, quando homo iudicat de his, in quibus non habet auctoritatem: & sic dicitur iudicium vsurpatum. Tertio modo quando deest certitudo rationis, puta cũ aliquis de his iudicat, quæ sunt dubia vel occulta propter aliquas leues cõiecturas: & sic dicitur iudicium suspiciosum vel temerarium.

Ad primum ergo dicendum, quòd Dominus ibi prohibet iudicium temerariũ, quod est de intentione cordis, vel de alijs incertis, vt † August. dicit in libro de sermone Domini in monte. Vel prohibet ibi iudicium de rebus diuinis: de quibus cum sint supra nos, non debemus iudicare, sed simplici er ea credere: vt † Hilarius dicit super Matthæum. Vel prohibet iudicium quod non sit ex beneuolentia, sed ex animi amaritudine, vt † Chrysost. dicit.

Lib. 2. ca. 18. tom. 4.

Canones. in Matth. non procul à fin.

Hom. 17. in opere imperfecto. tom. 2.

Ad secundum dicendum, ꝙ iudex constituitur, vt minister Dei. Vnde dicitur Deuter. 1. Quod iustum est iudicate. Et postea subdit: Quia Dei est iudicium.

Ad tertium dicendum, quòd illi qui sunt in grauibus peccatis, non debent iudicare eos, qui sunt in eisdem peccatis vel minoribus, vt † Chrysostomus dicit super illud Matth. 7. Nolite iudicare. Et præcipuè hoc est intelligendum quãdo illa peccata sunt publica: quia ex hoc generaretur scandalum in cordibus aliorum. Si autem non sunt publica, sed occulta, & necessitas iudicandi imminet, propter officium potest cum humilitate & timore vel arguere, vel iudicare. Vnde † Augustinus dicit in lib. de sermone Domini in monte. Si inueniremus nos in eodem vitio esse, congemiscamus, & ad pariter

Hom. 24. nõ remotè à princ. tomo 2.

Lib. 2. ca. 30. à medio to. 4.

A conandum inuitemus. Nec tamen propter hoc homo sic seipsum condemnat, vt nouum condemnationis meritum sibi acquirat: sed quia condemnans alium, ostendit se similiter condemnabilem esse, propter idem peccatum vel simile.

SUMMA ARTICULI.

PRima conclusio. Iudicare est licitum si ad sint tres requisitæ conditiones. Prima quòd procedat ex inclinatione iustitiæ. Secunda quòd procedat ex authoritate præsidis. Tertia quod procedat secundum rationem prudentiæ.

B

Secunda conclusio. Defectu cuiusque istarum conditionum reddit iudicium illicitum. Ex defectu quidẽ primæ efficitur iniquum & peruersum: ex defectu secundę vsurpatum: ex defectu tertiæ præsumptuosum & temerarium.

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo primò est notandum, quòd Diuus Tho. non eò hanc difficultatem mouet in præsenti, vt definiat licitum esse iudicare. Hoc enim definitum fuerat articulo præcedenti: hoc ipso quòd D. Tho. docuit iudicium esse actum iustitiæ. Sed instituit præsentem articulum, vt explicaret tres illas conditiones in prima conclusione positas, requisitas esse vt iudicium liceat fiat.

C

Notandum secundo, quòd prima conditio harum trium sumitur ex parte finis. Nam vt dixi articulo præcedenti, finis immediatus iudicij est bonum iustitiæ. Secunda conditio sumitur ex parte agentis, scilicet iudicantis. Et hæc conditio, vt cõstat ex dictis in fine articuli præcedentis, non est necessaria ad essentialem rationem iudicij iusti absolutè loquendo, erit tamen simpliciter necessaria, vt iudicium vim habeat coercium. Quocirca, si priuata persona taliter intendat iudicare, vt eius iudicium vim habeat coercium mortaliter peccat, & eius iudicium est vsurpatum: quia reuera vsurpat auctoritatem superioris, & facit seipsum custodem iustitiæ communis, cùm tamen non sit. Tertia conditio sumitur ex parte mediorum & circunstantiarum. Ad prudentiam enim spectat, ita circunspicere, vt rectum iudicium proferat. Prima conditio cæteris præstat, sicuti finis est prima causa & potissima ex qua totus ordo moralis desumitur. Tertia conditio præstat secundæ: tum quia necessaria est ad omne iudicium iustum, siue in superiori siue in persona priuata, tum etiam quia tota rectitudo moralis ex ratione & prudentia pendet tanquam ex propria regula. Hinc fit, quòd quamuis ex defectu cuiusque istarum conditionũ iudicium reddatur illicitum: specialiter hoc contingit ex defectu primæ conditionis: eo quòd est præcipua conditio. Et ideo illud iudicium quod non habet istam primam conditionem quasi per Antonomasiã appellatur iniustum & peruersum. Has tres conditiones esse requisitas ad iudicium iustum, insinuauit socer Moysis Exodi 18. Vbi dixit ei, Prouide tibi de omni plebe viros sapientes timentes Deum, in quibus sit veritas, & oderint auaritiam: & constitue eos tribunos. In illis verbis: timentes Deum & qui oderint auaritiam expressit primam conditionem. In illis autem verbis,

D

E

nos

sapientes in quibus sit veritas, expressit tertiam cõditionẽ. In vltimis vero verbis, constitue eos tribunos, significauit secundam conditionem. De conditionibus secunda & tertia disputabimus in sequentibus articulis. In articulo præsenti specialiter disputatur de prima conditione. Notandum est tertiò, quòd hæc prima conditio in triplici sensu explicatur à Magistro Soto lib. 3. de Iustitia. q. 4. arti. 2. Primò, ꝙ non iudicet contra iustitiam. Secundò, ꝙ iudicet ex amore iustitiæ. Tertiò, quòd nõ iudicet ex aliqua affectione priuata, ex ira, odio, auaritia, aut alia passione. Primumque sensum præfert alijs. At communiter interpretes D. Thomę existimant secundum sensum esse magis germanum & intentũ à D. Thoma. Et quidem merito Quoniam ad secũdum sensum cæteri reducuntur. Nam qui iudicat ex amore iustitiæ, idest, ex intentione qua vult seruare bonum iustitiæ, & reddere vnicuique quod suum est, quæ intentio est primus actus elicitus à virtute iustitiæ; non iudicabit contra iustitiam. Vnde primus sensus est quasi effectus secundi. Item vt quis iudicet ex amore iustitię, necessũ est, vt non sit affectus ira vel odio. Vnde tertius sensus prerequiritur ad secundum, tanquam necessaria dispositio ad illum. Hanc primam conditionem insinuauit Aristo. esse necessariam. 4. Ethic. cap. 5. dicens, Iudicem debere esse medium & mediatorem inter eos quorum causam iudicat. Itaque sicut medium æqualiter se habet ad vtrumque extremum, ita affectus iudicis in neutram partem debet propendere: sed sequi inclinationem iustitiæ, cuius est mediũ ponere inter partes. Et quidem in naturalibus, vt oculi pupilla possit percipere omnem colorem expers debet esse totius coloris. Nam ab hàs intus existens prohibebit extraneum, vt ait Arist. 2. de anima. Ita similiter, vt iudex possit proferre iudicium rectum inter duas partes, necesse est careat omni affectione priuata ad alteram partem: imò cũ amicus censeatur alter ego, si iudex in alteram partem propendeat, censebitur iudicare in causa propria, in qua vix vnus est rectus iudex. Quare merito vocat Aristot. vbi supra. Iudicem iustitiam animatam. Cuius duplex est sensus. Primus ꝙ anima iudicis, vt iudex est, debet esse ipsa virtus iustitiæ: quæ totum animum iudicis ita occupet sicut anima totum corpus. Et sicut omnis operatio totius suppositi ab anima procedit, ita omnis operatio iudicis necesse est proficiscatur ex inclinatione iustitiæ. Secundus sensus est, ꝙ iustitia secundũ se censetur quasi mortua, debet autem viuificari ex affectu iudicis sicut corpus viuificatur per animam. Ob istam causam Arist. lib. 1. Rhetoricorum cap. 1. & 2. lib. ca. 1. Eum iudicem qui conatur in alteram partem inclinare, dicit esse similem illi, qui regula qua uti debemus in mensuratione alicuius rei, in alteram partem inclinare & flectere contendit. Idcirco Areopagitæ fuerunt iudices seuerissimi, qui voce publica præconis interdicebãt illi, qui erat ius dicturus, ne procemio, neve Epilogo vteretur coram eis. Eo ꝙ istæ partes orationis potissimum deseruiant ad flectendum animum iudicis. Aristot. 3. Rhetoricorum ca. 11. animum iudicis comparat ræ deorum: quia sicut Deus in omni sua operatione est summè rectus, & omnis passionis expers: ita animus iudicis omni passione debet esse vacuus, & ideo sacræ literæ Deum appellant iudicem. Genesis 1. Vbi nos legimus, In principio creauit Deus, Hebraicè habetur Heloim, idest iudices creauit, & è contra iudices appellantur dij. Vt dicitur in Psal. Deus stetit in Synagoga Deorum, id est iudicum. Insinuatur enim quòd affectus iudicis valde similis esse debet affectui Dei. Istum affectum & inclinationem ad iustitiam quam iudex tenetur habere explicatur Sapientię cap. 1. Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Idipsum inseruatur Exodi 23. Leuitici 19. Deuteronomij cap. 1. & 16. sed præcipuè Matth. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Itaque affectus iustitiæ non debet esse qualiscunque sed auidissimus, qualis est appetitus cibi & potus in eo qui fame & siti laborat. Vltimò est notandum, quòd ista prima conditio ex suo genere obligat sub culpa mortali: quoniam, vt diximus sumitur ex fine. Cæterum in particulari non semper erit peccatũ mortale iudicium non præcedens ex inclinatione iustitiæ. Satis fuerit ad euitandum peccatum mortale, quod iudicium secũdum substantiã procedat quasi ex affectu iustitię. v. g. quod iudex reddat vnicuique quod suum est: & hoc intendat, quanuis admisceatur ibi aliquis amoris affectus vel odijs. In quo casu tantum erit culpa venialis obleuitatẽ passionis, quę non tanta fuit, vt perturbaret rationem iudicis & iustitiæ.

A

B

C

D

DVBITATVR circa solutionem ad tertiũ. Vtrùm mortaliter peccet iudex, qui existens in peccato mortali proferat iudicium vtens officio & authoritate iudicis. In hac re primo cauendus est error Vvitcleph, quia asseruit per quodcũque peccatum mortale iudicem siue secularem siue ecclesiasticũ ipso iure amittere iurisdictionem & officium iudicis. Damnatus est iste error Concilio Constantiensi sessione 8. errore quinto decimo. Ex hoc sequitur iudicem existentem in peccato mortali non ex eo peccare neque peccato mortali, neque veniali, quia iurisdictonem vsurpet: quia secundum fidẽ tenemur fateri illum esse verum iudicem. Tota autem dubitatio est, vtrũ mortaliter peccet, eo quòd malè vtat iurisdictione & authoritate publica quã habet. In qua re Alexãder Alẽsis, quem refert Syluester i summa, verbo. Iudex. §. duodecimo. indiscriminatim docet, tam iudicem ecclesiasticum quam secularem peccare, si proferat iudicium existens in peccato mortali, quanuis sit peccator occultus. Alij Theologi distinguũt de seculari & ecclesiastico iudice. Et dicunt secularem non peccare mortaliter pronunciando iudiciũ si eius peccatũ fuerit occultum. Putant autem iudicem ecclesiasticum peccare mortaliter proferẽdo iudicium, quantus sit peccator occultus. Ita Syluester verbo, Correctio. §. 16. & sequitur in hac sententia Paludanum docentem illam in 4. distinctione 19. quæstione. 3. Imo & D. Thomas eadem distinctione, quæstione. 2. articul. 2. eiusdem fuit opinionis. Argumentum potissimũ quo mouẽtur est, quoniam materia spiritualis qualis est sententia prolata à iudice ecclesiastico, nõ est prophanè & irreligiosè tractanda, ergo iudex ecclesiasticus manens in peccato mortali, nõ debet proferre sententiam, quia prophanè & irreligiosè proferet illam spiritualem, qualis est ecclesiastica.

C

E

PRO decisione sit prima conclusio. Si iudex existens in peccato mortali proferat sententiam, non peccabit mortaliter, si peccatum eius non fuerit publicum & scandalosum. Hæc conclusio intelligitur de vtroque iudice. Est etiam intelligenda siue eis peccatum fuerit occultum siue publicum, dummodo non sit scandalosum. Voco scandalosum ex quo sententia iudicis contemnitur, & fit quasi irrisorie in populo verbi gratia, Si iudex fuerit publicus concubinarius & proferat iudicium contra alium concubinarium suæ iurisdictionis, tale iudicium meritò contemnetur à subdius

ditis & fiet irrisorium. Cęterum si iudex existens publicus concubinarius condemnauerit latronem ad patibulum: eius concubinatus licet sit scandalosus simpliciter in republica: non tamen in ordine ad istam sententiam censebitur scandalosus. Quia non reddit contemptibile iudicium. Istam conclusionem docent multi viri docti: quamuis non ita explicatam. Caiet. 3. tomo, opusculorum, opusculo de vsu rerum spiritualium. Magister Soto vbi supr. D. Tho. absque dubio fauet huic sententiæ: & mutauit illam quam tenuit in 4. Sententiarum in hoc articulo solutione ad tertium. Et supra quæst. 33. art. 5. Et 3. parte quæst. 64. art. 6. Et probatur conclusio. Primò, Iudex in tali peccato existens, si sententiam profert iuxta leges iustitiæ, non peccat cõtra iustitiam neq; contra charitatem, nullum ergo peccatum mortale committit in tali casu. Consequentia patet, quia non est alia uirtus, quam ille iudex possit violare: cuius transgressus sit culpa mortalis. Probatur antecedens. Primo, ꝙ non violet iustitiam, supponimus: ex eo quòd seruat omnes leges iustitiæ. Quòd autem non violet charitatem. Probatur quoniam non est scandalosum eius iudicium, & non potest aliter violare charitatem, nisi scandalosom sit, ergo &c. Et confirmatur, quia ut supponimus eius iudicium non redditur contemptibile. Probatur secunda conclusio de iudice ecclesiastico. Iudex ecclesiasticus nulla sanctitate sacratur ad exercendum iudicis officium ergo sententia quam profert in causa spirituali non expostulat per se loquendo sanctitatem in iudice, atque adeo eius peccatum non reddit ipsam sententiam illicitam saltim mortaliter, si alias fuerit iusta & nõ scandalosa populo. Prima consequentia probatur. Quoniam si ministerium iudicis ecclesiastici per se expostulat sanctitatem in iudice, insufficienter prouisum esset ab ecclesia, imo & à Christo, quòd iudex ecclesiasticus non consecraretur speciali sanctitate, sicut consecratur sacerdos ad ministerium altaris, & ad iudicium quod exercet in sacramento confessionis. Hæc autem insufficientia non est admittenda in ecclesia. Ex hoc soluitur argumentum pro opposita sententia. Respondetur enim, ꝙ materia iudicij ecclesiastici non ita est sancta, ꝙ sanctificet animas: sicut sacramenta. Neq; est adeo proxima sanctitati gratiæ, vt expostulet per se specialem sanctitatem in iudice: sicut expostulant ministeria diaconatus & subdiaconatus: quocirca non debet regulari eius tractatio per regulas religionis per se loquendo: sed per regulas iustitiæ, & ex consequenti quamuis non religiose tractetur, non erit peccatum mortale.

Secunda conclusio. Iudex qui existens in peccato mortali scandalosè profert sententiam, peccat mortaliter & contra charitatem: quia scandalizat populum, & quodammodo contra iustitiam: quia publicam sententiam alias iustam & necessariam, reddit contemptibilem. Scandalosum peccatum intelligo ad sensum expositum supra. Ex quo sequitur ꝙ iudex existens in tali peccato si immineat necessitas reipublicæ, vt proferatur sententia super aliquod crimen: tenetur vel resipiscere publicam agendo pœnitentiam, aut officium iudicis deponere: vt iudex de nouo creatus sentẽtiam pronuntiet, quia est periculum in mora.

Tertia & vltima conclusio. Iudex existens in peccato mortali occulto si proferat sententiam, nullũ peccatum committit, etiam veniale: quamuis sit iudex ecclesiasticus. Committet aũt peccatum veniale si eius peccatum fuerit publicum, non tamen scandalosum. Primam partem conclusionis existimo probabiliorem quàm contrariam sententiam, quam docet Soto vbi supra. Existimat enim esse peccatum veniale in tali iudicio, eò quòd iudex talem sententiam proferens ipso opere profitetur se immunem à culpa mortali, atque adeo censetur hypocrita: & ex consequenti venialiter saltim delinquit. Sed nostram conclusionem docet vt credo D. Tho. in solutione ad tertium huius articuli. Asserit enim iudicem existentem in peccato occulto, si cum humilitate proferat sententiam, non peccare. Atsi peccaret venialiter, minimè diceret D. Thomas absolutè non peccare.

Præterea probatur ratione, qua probaui primã conclusionem. Æqua enim videtur illa ratio de vtraq; culpa. Id verò quod dicit Magister Soto de hypocrita parum mouet: quia supponimus iudicẽ constringi legibus iustitiæ ad iudicandum, ergo nõ est dicendus hypocrita si iudicet. Et hoc est, quod docet D. Tho. cùm dicit in solutione ad tertium, ꝙ si cum humilitate iudicet, non peccat. Cum humilitatem, idest, non animo ostendendi se zelosum communis boni: sed satisfaciendi officio suo, qui si hac ratione non obligaretur, cessaret à iudicio cognoscens se minus dignum tanto ministerio.

Secunda pars conclusionis est manifesta: quoniã iudicium prolatum à tali iudice non potest non generare aliquale scandalum, & aliqualem sui contemptum atque adeo non potest non esse aliquale peccatum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm iudicium ex suspicione procedens, sit licitum?

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quòd iudicium ex suspicione procedens, non sit licitum. Suspicio enim videtur esse opinio incerta de aliquo malo. Vnde & † Philosophus in 6. Ethic. ponit quòd suspicio se habet & ad verum & ad falsum. Sed de singularibus contingentibus nõ potest haberi opinio nisi incerta. Cùm ergo iudicium humanum sit circa humanos actus, qui sunt in singularibus & contingentibus, videtur quòd nullum iudicium esset licitum, si ex suspicione iudicare non liceret.

Locus supra art. 2. in dictis. Et quodli. 12. art. 21.

Lib. 6. c. 2. tum. 5.

2. Præterea. Per iudicium illicitum fit aliqua iniuria proximo. Sed suspicio mala in sola opinione hominis consistit: & sic non videtur ad iniuriam alterius pertinere. Ergo suspicionis iudicium non est illicitum.

3. Prætera, Si sit illicitum, oportet ꝙ ad iniustitiam reducatur: quia iudicium est actus iustitiæ, vt † dictum est. Sed iniustitia ex suo genere semper est peccatum mortale, vt suprà † habitum est. Ergo suspicionis iudicium esset semper peccatum mortale, si esset illicitum. Sed hoc est falsum: quia suspiciones vitare nõ possumus, vt dicit † Gloss. August. super illud 1. ad Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare. Ergo iudicium suspiciosum non videtur esse illicitum.

Art. 1.

Quæst. 59. artic. 4.

Tract. 30. in Ioã. circa medium. 9.

Sed contra est, quod † Chrysostomus super illud Matthęi 7. Nolite iudicare, &c. dicit: Dominus hoc mandato non prohibet Christianos ex beneuolentia alios corripere, sed ne per iactantiam iustitiæ suæ Christiani Christianos despiciant, & solis plerunque suspicionibus odientes cæteros, & condemnantes.

Hom. 17. in opere imperfecto in princ. tom. 2.

Respondeo dicendum, quòd sicut Tullius dicit, suspicio importat opinionem mali, quãdo ex leuibus indicijs procedit. Et contingit ex tribus. Vno quidem modo ex hoc, quòd aliquis ex seipso malus est: & ex hoc ipso, quasi conscius suæ malitiæ, faciliter de alijs malum opinatur, secundùm illud Eccles. 10. In via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat. Alio modo prouenit ex hoc, quòd aliquis maiè afficitur ad alterum: cùm enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut irascitur, vel inuidet ei, ex leuibus signis opinatur mala de ipso: quia vnusquisque faciliter credit quod appetit. Tertio modo prouenit ex longa experientia. Vnde † Philosophus dicit in 2. Rhetoric. quòd senes sunt maximè suspiciosi: quia multotiens experti sunt aliorũ defectus. Primæ autem duæ suspicionis causæ, manifestè pertinent ad peruersitatem affectus. Tertia verò causa diminuit rationem suspicionis, inquantum experientia ad certitudinem proficit, quę est contra rationem suspicionis. Et ideo suspicio vitium quoddam importat: & quanto magis procedit suspicio, tanto magis est vitiosum.

Li. 2. Rhetor. c. 13. sa. ri. à princ. tom. 6.

Est autem triplex gradus suspicionis. Primus quidem gradus est, vt homo ex leuibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipiat. Et hoc est veniale & leue peccatum. Pertinet enim ad tentationẽ humanam, sine qua vita ista non ducitur: vt habetur in † Gloss. super illud 1. ad Corinthios 4. Nolite ante tempus iudicare. Secundus gradus est, cùm aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex leuibus indicijs. Et hoc si sit de aliquo graui, est peccatum mortale inquantum non est sine contemptu proximi: Vnde glossa ibidem subdit. Etsi ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, id est, diffinitiuas firmasq; sententias continere debemus. Tertius gradus est, cùm aliquis iudex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc directè ad iniustitiam pertinet: vnde est peccatum mortale.

August. tract. 59. in Ioã. parum ante med. 10. 9

Ad primum ergo dicendum, quòd in humanis actibus inuenitur aliqua certitudo, non quidem sicut in demonstratiuis, sed secundum quod conuenit tali materię, puta cum aliquid per idoneos testes probatur.

Ad secundum dicendum, quòd ex hoc ipso quòd aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitè contemnit ipsum: & ideo iniuriatur ei.

Ad tertium dicendum, quòd quia iustitia & iniustitia est circa exteriores operationes (vt † dictum est) tunc iudicium suspiciosum directè ad iniustitiam pertinet, quando ad actum exteriorem procedit: & tunc est peccatum mortale, vt † dictum est. Iudicium autem interius pertinet ad iniustitiam, secũdùm quòd comparatur ad exterius iudicium, ut actus interior ad exteriorem, sicut concupiscentia ad fornicationem, & ira ad homicidium.

quæst. 59. artic. 2. ad tertium.

Incorpore artic.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Suspicio est opinio mali ex leuibus indicijs procedens.

Secunda conclusio. Iudicium ex suspicione procedens illicitum est & vitiosum.

Tertia conclusio. Tres sunt suspicionis gradus; primus cum quis ex leuibus indicijs incipit dubitare de malitia alterius, & tunc est peccatum veniale. Secundus quando quis ex leuibus indicijs pro certo æstimat & iudicat malitiam alterius. Et tunc si fuerit in re graui erit peccatum mortale. Tertius cum iudex ex leuibus indicijs aliquem in foro exteriori condemnat. Et tunc est peccatum mortale contra iustitiam.

COMMENTARIVS.

CIRCA primam conclusionem notandum est, quod quamuis D. Thom. à principio articuli sequutus Ciceronẽ definierit strictè suspicionem prout distinguitur à dubio & iudicio temerario; quæ definitio continet in prima cõclusione;

Cęterũ in prosecutione articuli cõfundit ista tria: quoniam in primo gradu suspicionis comprehendit dubium de malitia proximi. In secundo gradu iudicium certum & determinatum de malitia proximi vocat suspicionem. Et hoc quidem non fuit peculiare D. Thomæ: sed communiter viri doctissimi ista tria confundunt: & vt in plurimum solẽt ea appellare quasi communi nomine iudicium temerarium. Et fortassis ratio huius confusionis ea fuit, q̃ hæc tria in duobus conueniunt. Primò q̃ sunt de malo proximi, voco malum proximi non ipsum malum materialiter in semetipso, sed formaliter sumptum quatenus suam malitiam in operantem refundit. Vt explicat D. Thomas in artic. seq. ad secundum. & propterea dixi de malo proximi, idest, quod reddit ipsum proximum malũ moraliter. Secundo conueniunt in hoc quod procedunt ex indicijs leuibus, quibus vir prudens moueri nõ debet. Sed nihilominus ista tria distinguuntur quàmplurimum. Etenim dubium secundùm propriam sui rationem tunc duntaxat contingit, quando animus leuioribus indicijs in vtramq; partem moueatur, sed in neutram declinat, manetque in ambiguo pendens. Et ideo Aristoteles in 3. Metaphys. cap. 1. dubitans comparat hominibus ligatis, qui neq; huc neq; illuc se vertere possunt. Iudicium vero temerariũ si propriè sumatur, est certa & determinata sententia cui nulla dubitatio admiscetur de malitia proximi. Suspicio autem importat assensum de malo proximi, sed cum magna formidine alterius partis. In primo differt à dubio, in secundo vero à iudicio temerario. Et ob id meritò definitur quod sit quædam opinio mali. Opinio etiam est assensus incertus & formidolosus. Distinguitur autem suspicio ab opinione in eo qd opinio auctore Arist. 6. Ethicorum, cap. 9. indifferenter se habet ad bonum & malum, & potius sumitur speculatiuè quam practicè: suspicio vero denotat assensum practicum, & propriè loquẽdo tantum est de malo, & ita definitur opinio mali. Sed mihi videtur quòd suspicio sit debilis opinio.

DVBIVM est, Vtrùm suspicio stricte sumpta ex suo genere sit peccatum mortale, & in materia grau sit in indiuiduo & de facto peccatum mortale. Probatur pars negatiua primò ex D. Thoma qui expresè docet in hoc articulo quod in primò gradu suspicionis solum interuenit peccatum veniale. In primo autem gradu cõprehendit D. Tho. dubitationem & suspicionem: quę importat assensum vnius partis, cùm formidine alterius. Et hoc aperte constat, quia primum gradum suspicionis distinguit D. Thomas à secundo gradu. In secundo vero gradu loquitur expresse Diuus Thomas de iudicio temerario, in quo nulla admiscetur formido, & dubietas alterius partis. Igitur in primo gradu comprehendit suspicionem. In eadem sententia videtur esse D. August. cuius est glossa super 1. ad Corinth. cap. 14. relata hic à D. Thoma, & desumpta ex August. tractatu. 90. in Ioannem. Confirmatur. Nam vt inquit Diuus August. loco citato, suspicio pertinet ad humanam tentationem sine qua vita hominis duci nequit, ergo tantùm est peccatum veniale. Secundo iudicium temerarium ex eo tãtum est peccatum veniale aut mortale, quatenus per illud proximus despicitur & contemnitur: sed per suspicionem proximus non perfectè despicitur, ergo non excedit limites peccati venialis. Cõsequentia patet, quia vbi est leuis iniuria & leuis proximi contemptus, non committitur graue peccatum, cuiusmodi est mortale. Minor probatur.

A Quia proximus tunc duntaxat perfectè contemnitur, quando absque dubitatione de eius malitia iudicatur. Confirmatur. Nam suspicio de malitia proximi non contrariatur fraternę charitati: contingit enim inter amicos, quod vnus suspicatur male de altero: ergo non est peccatum mortale ex suo genere. In hoc dubio Caietanus in præsenti, & in Summa, verbo suspicio, & in verbo iudicium temerarium, docet suspicionem etiam in re graui non esse peccatum mortale quandiu suspicio manet intra limites suspicionis: ita quod non excludat omnem formidinem. Aliqui ex Summistis verbis citatis. Et in verbo præsumptio, inclinant in hanc sententiam: præsertim summa Rossella.

B Magister Soto vbi supra, artic. 3. asserit cum Caietano suspicionem non esse peccatum mortale ex suo genere, addit tamen quod in indiuiduo erit aliquando peccatum mortale propter nimiam grauitatem materiæ. Peccaret enim mortaliter, qui leuibus indicijs inductus suspicaretur aliquem esse hæreticum aut crimen nefandum commisisse. Quidam nouiores Theologi dicunt, quòd suspicio in materia graui erit culpa venialis si per modicũ tempus duraret: erit autem mortalis culpa si longo tempore perseuerauerit in animo.

PRO decisione primò explicandum est, quid sit materia grauis: Deinde quæ appellentur leuia indicia. Materia grauis in hoc loco illa censetur, ex qua valdè contemnitur & despicitur proximus.

C Hæc autem materia licet vt communiter dicunt, sit regulariter materia peccatum: sed tũ neq; est necesse quòd sit semper mortale, neq; omne peccatũ mortale reputatur semper materia grauis in ordine ad suspicionem & iudicium temerarium. Etenim si quis suspicaretur de aliquo qui inter ingenuos haberi solet, ex leuibus indicijs; ex vili sanguine natum esse: ista suspicio in materia graui versaretur, quamuis nullum malum mortale suspicetur de proximo. Item qui ex leuibus indicijs suspicaretur aliquem virum probum in consuetudinem duxisse mentiri in familiaribus collocutionibus, quamuis hęc mendacia non sint peccata mortalia:

D erunt tamen materia grauis respectu suspicionis huiusmodi. Denique si quis suspicaretur de viro aulico & profano quòd inhonesto amore prosequitur fęminam: quamuis inhonestus amor sit peccatum mortale, non tamen respectu huius hominis censetur materia grauis in ordine ad suspicionem & iudicium: quia istius modi homo non reputat iniuriam sibi fieri per tale iudicium: quin potius gloriatur. Itaque gratitas materiæ in hac parte non est secundùm seipsam expendenda ponderandaque, sed per respectum ad personam cui applicatur per suspicionem aut iudicium. Nã quod graue reputatur respectu unius hominis, leuissimũ esse poterit comparatione alterius. Circa iudicia leuia generalis regula sit. Illa reputari leuia moraliter quę non sufficiunt ex seipsis mouere animum

E viri probi & prudentis ad suspicandum malum de proximo. Sed in particulari leuitas aut grauitas indiciorum ex multis pensanda est. Primò ex proportione ipsorum ad illud malum quod indicant. Reputantur enim indicia quasi signa, & malum ipsum, de quo est suspicio, tanquam signatum. Secũdò debet haberi respectus ad grauitatem materię circa quam versantur illa indicia. Etenim indicia quæ in materia non multum graui censentur sufficientia, in materia grauissima, vt in crimine hæresis, non sunt habenda vt sufficientia ad iudicandum: sed vt leuissima. Tertiò debet haberi respectus

respectus ad qualitatem personę de qua fit suspicio. Nam aliqua indicia sufficient ad iudicandum aliquod malum de homine priuato & profano: quæ leuissima erunt ad id suspicandum de viro grauissimæ authoritatis & virtutis, maxime si est persona publica. Denique indicia comparari debent ad animum iudicantis. Nam aliqua sufficient ad dubitandum, quæ non sufficient ad suspicandum. Et aliqua sufficient ad suspicandum quæ non ad iudicandum. Quæ omnia committenda sunt prudentis & timorati viri arbitrio.

HIS supositis sit prima conclusio. Suspicio ex leuibus iudicijs procedens de malo proximi ex genere suo est peccatum mortale. Hanc conclusionẽ docent viri grauissimi & moderni & multi ex antiquis. Et probatur primò. In sacri literis prohibetur iudicium temerarium, Matth. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Et Roman. 14. & 1. Corinth. 4. & Iacobi. 4. dicitur: quod qui detrahit fratri suo aut iudicat, legi detrahit & de lege iudicat, sed iudicium temerarium secundùm vsum sapientium appellatur etiam illa sententia, quæ cum assensu alterius partis admittit formidinem alterius: quæ est suspicio, ergo suspicio prohibetur in sacris, atque adeo ex suo genere est peccatum mortale. Confirmatur. Sacræ literæ prohibent iudicium temerarium, quod est in vsu apud homines: nam iudicium omnem formidinem excludens, raro contingit: at suspicio est frequens apud homines, ergo

C & illa prohibetur nomine iudicij locis citatis, ergo suspicio potissime prohibetur.

Secundò probatur. Malitia suspicionis consistit in iniuria, quæ fit proximo quatenus despicitur & contemnitur: sed iniuria ex suo genere est culpa mortalis, ergo &c.

Vltimò probatur, & spetialiter arguitur contra sententiam Magistri Soto. Illud vitium, quod intra limites suæ materiæ absque hoc quòd trahatur ad speciem alterius vitij, aliquando mortale peccatum ergo ex suo genere est mortale. Sed secundum Magistrum Soto iudicium in re grauissima manens intra limites suspicionis est peccatum mortale, ergo

D ex suo genere est peccatũ mortale. Dicũt aliqui, istũ modum dicendi Magistri qui est cõis apud Theologos, ita esse accipiendum & intelligendum: quod suspicio indeliberata, quandiu indeliberata non est ex suo genere peccatum mortale: quia quandiu subest indeliberationi non potest esse peccatum mortale. Hæc solutio nullã habet apparentiam: quia si Theologi loquuntur cum Magistro de suspicione indeliberata, falsò dictum est, quòd cum fuerit in re grauissima est peccatum mortale. Nam indeliberatio tollit grauitatem culpę mortalis in quacunque materia.

Secunda conclusio. Suspicio in materia graui est in indiuiduo culpa mortalis, etiam si per breue tẽpus duret: si sic deliberata. Prima pars conclusionis sequitur ex præcedenti. Nam illud vitium quòd ex suo genere est mortale, redditur mortale in indiuiduo ex grauitate materiæ. Sed suspicio ex genere suo est mortale peccatum, ergo &c. Et confirmatur. Nam alias ferè nullum esset peccatum mortale in materia iudicij temerarij: quoniam vt dicebamus, rarissime contingit, quòd ex leuibus indicijs procedat iudicium temerarium, omnino certum & determinatum, ergo si suspicio cui admiscetur aliqua dubietas non est peccatum mortale etiam in materia graui, rarissimè continget mortale peccatũ in iudicio temerario: quod falsum est. Secũda pars cõclusionis probatur. Quod iniuria illata proximo

A sit gratis aut leuis non prouenit ex temporis breuitate aut longitudine, ergo vt suspicio in materia graui sit culpa mortalis non requiritur temporis longitudo. Hoc tamen debet intelligi dummodo sit deliberata suspicio: quæ est tertia pars conclusionis. Quæ dicimus de suspicione à fortiori sunt dicenda de iudicio temerario. De dubio autem prima conclusio etiam est certissima. An vero secunda conclusio procedat eodem modo de dubio atque de suspicione explicandum est articulo sequenti.

Ad primum argumentum respondetur, D. Thomam in primo gradu suspitionis non loqui strictè de suspitione vi differt à dubio & à iudicio, sed potius comprehendere & dubium & iudicium: &

B omnia hæc appellat suspicionem in primo gradu: quanuis non procedant ex deliberatione: quod insinuauit D. Tho. in illis verbi cum incipit dubitare, idest cum non ex deliberatione, sed indeliberatè suspicatur aut iudicat. Iudicium enim tunc censetur incipere, quando ex deliberatione procedit. In secundo vero gradu suspicionis non solum D. Tho. cõprehendit iudicium cui nulla admiscetur formido, sed etiam suspicionem stricte sumptam quando & iudiciũ & suspicio ex deliberatione procedunt, & plenam animi deliberationem in iudicio aut suspicione interuenientem vocat D. Tho. certitudinem & firmitatem sententiæ. Ad confirmationẽ negatur suspicionem deliberatam pertinere ad ten

C tationem humanam: quin potius pertinent ad tentationem diabolicam.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd licet in iudicio temerario reperiatur perfectior & magis consummata iniuria proximi: in suspicione tamen tanta fit iniuria proximo in materia graui, quæ sufficiat constituere peccatum mortale, & lędere mortaliter amicitiam & charitatem fraternam, Pugnat enim cũ vera proximi amicitia quod quis ex leuibus indicijs grande malum de proximo suspicetur: quia ille excessus asserendi prouenit ex malitia voluntatis. Et per hoc soluitur argumentum & confirmatio. Circa solutionem ad tertium Diui Thomæ nota, quòd non solum in iudice, verùm in

D persona priuata iudicium temerarium animo conceptum per sermoquendo disponit ad exteriorem iniuriam proximi: disponit enim ad verba externa prolatiua talis iudicij, per quæ iniuriam exteriorẽ irrogabit proximo. Disponit etiam ad hoc quòd taliter iudicans opere externo siue facto siue verbo contemnat & despiciat proximum: de quo graue malum suspicatur, & quem in sua mẽte cõtemnit in qua etiam ei iniuriam facit.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm dubia sint in meliorem

E *partem interpretanda.*

AD Quartum sic procedit. Videtur quòd dubia non sint in meliorem partem interpretanda. Iudicium enim magis debet esse de eo, quod vt in pluribus accidit. Sed in pluribus accidit, quòd aliqui malè agant: quia stultorum infinitus est numerus, vt dicitur Ecclesiast. 1. Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adole-

scentia

scentia sua, vt dicitur Genes.8. Ergo du-
bia magis debemus interpretari in malũ
quam in bonum.

Lib. 1 de doctr. Christiana, in fine. 10.3. 2. Præterea. August. † dicit, quòd ille
piè & iustè viuit, qui rerum integer est æsti
mator, in neutram partem declinando.
Sed ille qui interpretatur in melius quod
dubium est, declinat in alterã partem. Er-
go hoc non est faciendum.

3. Præterea. Homo debet diligere pro-
ximum sicut seipsum. Sed circa seipsum ho
mo dẽt dubia interpretari in peiorẽ par-
tem: secundùm illud Iob.9. Verebar omnia
opera mea. Ergo videtur quòd ea quæ
sunt dubia circa proximos, sint in peio-
rem partem interpretanda.

SED contra est quòd Rom.14. super
illud, Qui non manducat, manducantem
non iudicet. Dicit Gloss. Dubia in meliorẽ
partem sunt interpretanda.

Art. præc. ad 2. RESPONDEO dicendum, quòd si-
cut † dictum est, ex hoc ipso, quòd aliquis
habet malam opinionem de alio absque
sufficienti causa, iniuriatur ei, & contem-
nit ipsum. Nullus autem debet alium con
temnere vel nocumentum quodcunque
inferre, absque causa cogente. Et ideo vbi
non apparent manifesta indicia de malitia
alicuius, debemus eum vt bonum habere,
in meliorem partem interpretando quod
dubium est.

AD primum ergo dicendum, quòd po
test contingere quòd ille qui in meliorem
partem interpretatur, frequẽtius fallatur.
Sed melius est, quòd aliquis frequenter
fallatur, habens bonã opinionẽ de aliquo
malo homine, quam quòd rariùs fallatur
habens malam opinionem de aliquo ho-
mine bono: quia ex hoc fit iniuria alicui,
non autem ex primo.

AD secundum dicendum, quòd aliud
est iudicare de rebus, & aliud de homini-
bus. In iudicio enim in quo de rebus iudi
camus, non attenditur bonum vel malum
ex parte ipsius rei de qua iudicamus, cui
nihil nocet qualitercunque iudicemus de
ipsa, sed attenditur ibi solum bonum iudi-
Lib. 6. Ethic. ex cap. colligitur, 10. 5. cantis, si verè iudicet: vel malum, si falso:
quia verum est bonum intellectus, falsum
Lib. 6 Metaph. text. 3. habetur ex prebe to. 3. autem est malum ipsius, vt dicitur in 6. Et-
hicorum: & ideo vnusquisque debet niti
ad hoc, quòd de rebus iudicet, secundùm
quod sunt. Sed in iudicio, quo iudicamus
de hominibus, præcipuè attenditur bonũ
A & malum ex parte eius de quo iudicatur:
qui hoc ipso honorabilis habetur quòd
bonũ iudicatur, & contemptibilis, si iu-
dicetur malus. Et ideo ad hoc potius ten-
dere debemus in tali iudicio, quòd homi-
nem iudicemus bonum, nisi manifesta ra-
tio in contrarium appareat. Ipsi autem ho
mini iudicanti falsum, iudicium, quo bene
iudicat de alio, non pertinet ad malum in
tellectus ipsius: sicut nec ad eius perfectio
nem pertinet secundùm se cognoscere eve
B ritatem singularium contingentium, sed
magis pertinet ad bonum affectum.

AD tertium dicendum, quòd inter-
pretari aliquid in deteriorem vel melio-
rem partem contingit dupliciter. Vno mo
do per quandam suppositionem: & sic
cùm debemus aliquibus malis adhibere
remediũ, siue nostris, siue alienis, expedit
ad hoc, vt securius remedium apponatur,
quòd supponatur id quod est deterius:
C quia remedium quod est efficax contra
maius malum, multò magis est efficax con
tra minus malum. Alio modo interpreta-
mur aliquid in bonum vel malum, diffinitẽ
do, siue determinando: & sic in rerum
iudicio debet aliquis niti ad hoc, vt inter-
pretetur vnumquodque secundùm quod In cor. ad 3. & ad 4.
est. In iudicio autem personarum, vt inter
pretetur in melius: sicut dictum † est.

SVMMA ARTICVLI.

D CONCLVSIO est affirmatiua. Et ratio est,
quia aliàs fit iniuria proximo, dum cõtemni-
tur absque causa cogente.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR circa istum articulũ,
Vtrùm in dubijs teneamur ex præ-
cepto declinare positiuè in melio-
rem partem.

Arguitur primò pro parte negati-
ua, dum in sacris literis prohibemur,
ne proximum contemnamus: solum dicitur: Noli-
te iudicare, & non iudicabimini, Nolite condem-
E nare & non condemnabimini. Tu qui es qui iudi-
cas alienum seruum. At vero qui iudicat taliter q̃
non declinat in alteram partem, sed est dubius, nõ
iudicat alienum seruum, ergo non facit contra præ-
ceptum.

Secundò. Nemo tenetur extra necessitatis arti-
culum impendere honorem vel aliquod beneficiũ
proximo: sed in casu dubio declinare in meliorem
partem est impendere honorem proximo positiuè,
ergo ad hoc non tenemur in omni re dubia: sed
sufficiet quòd nos habeamus negatiuè vel quòd su-
spendamus iudicium.

Tertiò. Si in re dubia esset peccatum suspendere
assensum & iudicium: sequeretur quod in materia
grau-

grauì sempre esset peccatum mortale, siquidem est
peccatum iniustitiæ quod ex genere suo est morta-
le. Consequens tamen videtur falsum, & contra iu-
dicium Diui Thomæ in articulo.3. vbi ait, quòd
quando ex leuibus indicijs de bonitate alicuius in-
cipit homo dubitare, est ueniale & leue peccatum.
De hac difficultate sunt duæ opiniones. Altera Ca
ietani in hoc articulo asserentis, nunquam esse pec-
catum suspendere intellectum: & habere nos nega
tiue erga bonitatem vel malitiam proximi in rebus
dubijs. Altera est Magistri Soto lib.3. de iustitia,
q.4.art.4. vbi ait, q̃ non solum tenemur nõ malè iu
dicare de proximo: sed ẽt tenemur de illo bonã po
sitiuè habere opinionem in dubijs. Et ita intelligit
D. Tho. in hoc artic.4. Inter has duas sententias
magis nobis placet quædam media: quæ sequenti-
bus conclusionibus explicatur.

Prima conclusio. Regula illa celebris, dubia sunt
in meliorem partem interpretanda, duplicem sen-
sum potest habere. Alterum merè negatiuum, hoc
est nemo in casu dubio debet in peiorem partem
declinare. Quem sensum insinuat D. Thom. in
hoc articulo. Quoniam tunc fit iniuria proximo si
declinemus in peiorem partem. Si autem omnino
suspiciendimus iudicium, non infertur nocumen-
tum proximo. Alierum potest habere sensum, facta
suppositione, videlicet, quòd aliquis rem dubiam
velit interpretari meliorem partem in fauorem pro
ximi. Ista conclusio videtur certa: & colligitur ex re
gula.11. de regulis iuris in 6. Vbi dicitur, cum iura
partium sunt obscura: reo potiùs fauendum est quã
actori. Sed habet rei locum ille de quo infertur iu-
dicium dubium, an sit bonus vel malus, ergo illi fa-
uendum est similiter est regula.65. ibi eodem. In pa
ri delicto & causa, melior est conditio possidentis.
At vero in rebus dubijs proximus est possidens ho-
norem suum & bonam famam, ergo si volumus iu-
dicare: tenemur in eius fauorem declinare.

Secunda conclusio. Absolutè & per se loquendo
in casu dubio, nemo tenetur rem dubiam in melio-
rem partẽ positiuè interpretari. Neque est aliquod
peccatum in tali casu suspendere actum iudicij. Pro
batur primo argumentis factis in principio dubij. D
Deinde quia in tali casu obiectum intellectus est ve
rè dubium secundum rectam rationem: ergo intel-
lectus suspendẽs iudicium secundùm rectam ratio
nem se se habet. Quemadmodum in speculatiuis: si
quæratur, Vtrùm astra sint paria vel imparia, recte
suspenditur iudicium, propter dubietatem obiecti:
ergo similiter contingit in practicis dubijs.

Tertia conclusio. Quando iudicia sunt leuia ad
dubitandum potest interdum esse peccatum morta
le dubitare de bonitate proximi per iudicium ex-
pressum positiuè vel interpretatiuè. V.g. dubitat ali
quis ex leuibus iudicijs; Vtrùm Petrus commiserit
crimen hæresis, aut peccauerit contra naturam.
Tunc peccat mortaliter. Probatur hoc. Quia multo E
magis contemnit proximum qui ita dubitat, quàm
qui leuiora peccata mortalia suspicatur vel temerè
iudicat. Sed iste peccat mortaliter, vt supra dictum
est ergo multò magis ille. Confirmatur. Quia nemo
est qui non velit potius, quod alius de se teneri iu-
dicet commisisse simplicem fornicationem: quam
quod dubitet se commisisse peccatum hæresis aut
contra naturam. Hæc videtur nobis moralis de-
monstratio. Diximus per iudicium positiuum ex-
presse vel interpretatiuè: quoniam si homo merè
negatiuè se habeat, non peccat mortaliter suspendẽ
do iudicium: nisi quando tenetur proferre illud. Et
tunc profectò non se habet merè negatiuè, sed pri-
A uatiuè: & vult interpretatiuè iudicare rem esse du-
biam, & hoc sufficit, vt aliquis peccet mortaliter in
illa hæsitatione: an proximus sit hæreticus. Sed obij
ciet aliquis: quòd in illo casu non tenetur aliquis
proferre iudicium in meliorem partem, ergo si sus-
pendit illud non peccat mortaliter, siquidem se se
habet merè negatiuè. Respondetur, quòd est valde
probabilis sententia in tali casu, quòd tenetur ho-
mo interpretari illud dubium in meliorem partem.
Et ratio est, quia tunc proximus quando leuia sunt
indicia, est velut in extrema necessitate constitu-
tus: ergo teneor illi succurrere excusando illum
apud me ipsum. Quemadmodum teneor excusare
illum apud infamatorem ex leuibus indicijs. Et cõ-
B firmatur. Quoniam in illo euentu, eo ipso quod ho-
mo dissimulat proferre iudicium, relinquit rem tã-
quam verè dubiam, & interpretatiuè consentit in
hoc propositione, dubium est an ille sit hæreticus.
Quæ assertio est valdè iniuriosa.

Quarta conclusio. In omnibus peccatis mortali-
bus dubitare positiuè iudicando, rem dubiam esse,
an proximus illud peccatum commiserit, idque ex
leuibus indicijs, est peccatum mortale per se loquen
do. Probatur. Qui hoc modo dubitat contemnit
proximum in re grauissima, qualis est peccatum
mortale quod efficit hominem infamem apud
Deum, & illi inimicum, ergo per se loquendo talis
dubitatio peccatum mortale est: quoniam maximũ
C nocumentum infert homini in suo honore. Dixi-
mus autem per se loquendo peccatum mortale esse
ita dubitare: hoc est ex parte obiecti. At vero ex cir-
cunstantia subiecti & personæ de qua iudicatur,
continget esse peccatum veniale taliter iudicare:
imo etiam temerè iudicare, continget esse peccatũ
veniale. V.g. est aliquis adolescens, qui gloriatur de
amore mulierum, non erit peccatum mortale de
huiusmodi persona ex leuibus indicijs dubitare seu
iudicare, quod ille sit fornicator. Ratio est quia ille
in tali casu non patitur detrimentum in suo hono-
re: quem ipse prodigit. Et hęc est potissima regula
obseruanda in huiusmodi suspicionibus & iudicijs
temerarijs & dubitationibus. Imo & in murmura-
tionibus & detractionibus est obseruanda ista regu
la ad iudicandum quando est peccatum mortale. Vi
delicet, quod attendamus ad nocumentum quod
patitur proximus in suo honore. Etenim quanuis
sit grauissimum delictum de quo agitur, si tamen
ex circunstantia personæ, cui tale crimen obijcitur,
vel ex circunstantia personæ cum qua agitur de ta
li crimine: non patitur proximus detrimentum in
honore: tunc non erit peccatum mortale: sed tantũ
peccatum veniale.

AD argumenta in oppositũ rñdetur. Ad primũ,
quod eodẽ præcepto solet prohiberi grauissimum
peccatũ & alia peccata minus grauia & minus nota
v.g. in illo præcepto. Nõ occides, prohibetur omnis
percussio proximi etiam non occisiua. Imo & pro-
hibentur affectus iræ. Sic etiam in illo præcepto nõ
licet iudicare: prohibetur etiam suspicio & dubita-
tio iniuriosa erga proximum.

Ad secundum respondetur, quòd vt diximus in
explicatione tertiæ conclusionis, proximus est in
illo casu in extrema necessitate cõstitutus: & tene-
tur homo tunc succurrere illi. Cæterum quod obij
citur, quòd non teneor cum periculo errandi in in-
tellectu interpretari verè dubia in meliorem par-
tem: optime dissoluitur ex doctrina D. Thomæ,
quoniam cognitio singularium in speculatiuis non
pertinet ad perfectionem humani intellectus: pro-
pterea nulla virtus est in intellectu ad cognitionem
specu-

ſpeculatiuam ſingularium. At verò in practicis cognitio ſingularium perfectio eſt intellectus, & ideo ſecundùm prudentiam declinant homo in dubijs practicis in meliorem partem propter periculum maximum nocendi proximo, ſi voluntariè dubitet maximè in leuibus iudicijs.

Ad tertium reſpondetur, quòd iam diximus eſſe peccatum mortale aliquando ſuſpendere aſſenſũ in rebus grauibus: quando ex leuibus indicijs offertur dubium: in quo ipſe proximus notabiliter lædi-tur in honore. Tunc enim oſtendimus quòd non ſe habet homo purè negatiuè.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſit ſemper ſecundùm leges ſcriptas iudicandum.

Inf. art. 9. cor. AD Quintum ſic proceditur. Videtur, quòd non ſit ſemper ſecundùm leges ſcriptas iudicandum. Semper enim vitandum eſt iniuſtum iudicium. Sed quandoque leges ſcriptæ continent iniuſtitiam: ſecundùm illud Iſaiæ 10. Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt. Ergo non ſemper eſt ſecundùm leges ſcriptas iudicandum.

2. Præterea. Iudicium oportet eſſe de ſingularibus euentibus. Sed nulla lex ſcripta poteſt omnes ſingulares euentus comprehendere: vt patet per Philoſophum in
Li. 5. c. 10. tom. 5. † 5. Ethic. Ergo videtur quòd non ſemper ſit ſecundùm leges ſcriptas iudicandum.

3. Præterea. Lex ad hoc ſcribitur, vt ſententia legiſlatoris manifeſtetur. Sed quandoque contingit quòd ſi ipſe legiſlator præſens eſſet, aliter iudicaret. Ergo non eſt ſemper ſecundùm leges ſcriptas iudicandum.

med. to 1. Cap. 11. 2 Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in libr. de vera † Relig. in iſtis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent cùm eas inſtituerint, tamen cùm fuerint inſtitutæ & firmatæ, non licebit iudicibus de ipſis iudicare, ſed ſecundùm ipſas.

Art. 1. huius quæſt. Reſpondeo dicendum quod ſicut dictum † eſt, iudicium nihil aliud eſt, quàm quædam diffinitio vel determinatio eius quod iuſtum eſt. Fit autem aliquid iuſtum dupliciter. Vno modo ex ipſa natura rei, quod dicitur ius naturale. Alio modo ex quodam condicto inter homines: quod
Quæſt. 57. art. 2. dicitur ius poſitiuum, vt ſuprà habitum † eſt. Leges autem ſcribuntur ad vtriuſque iuris declarationem, aliter tamen & aliter. Nam legis ſcriptura, ius quidem naturale continet, ſed non inſtituit. Non enim habet robur ex lege, ſed ex natura. Ius autem poſitiuum, ſcripturam legis & continet & inſtituit, dans ei auctoritatis robur. Et ideo neceſſe eſt quòd iudicium fiat ſecundùm legis ſcripturam: alioquin iudicium deficeret vel à iuſto naturali, vel à iuſto poſitiuo.

Ad primum ergo dicendum, quòd lex ſcripta, ſicut non dat robur iuri naturali, ita nec poteſt eius robur minuere, vel auferre: quia nec voluntas hominis poteſt immutare naturam. Et ideo ſi ſcriptura legis contineat aliquid contra ius naturale, iniuſta eſt, nec habet vim obligandi. Ibi enim ius poſitiuũ locum habet, vbi quã tum ad ius naturale, nihil differt, vtrum ſic vel aliter fiat, ſicut ſuprà † habitum eſt. Q. 95. art. 2.
Et ideo nec tales ſcripturæ, leges dicuntur, ſed potius legis corruptiones: vt ſuprà dictum † eſt, & ideo ſecundùm eas non eſt iudicandum. 1. 2. q. 96. art. 2.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut leges iniquæ ſecundùm ſe contrariantur iuri naturali vel ſemper, vel vt in pluribus: ita etiam leges, quæ ſunt rectè poſitæ, in aliquibus caſibus deficiunt: in quibus ſi ſeruarentur, eſſent contra ius naturale. Et ideo in talibus non eſt ſecundùm literam legis iudicandum, ſed recurrendum ad æquitatem, quam intendit legiſlator. Vnde Iuriſperitus † dicit. Nulla ratio iuris aut æquitatis benignitas patitur, vt quę ſa lubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeueritatem. Et in talibus etiam legiſlator aliter iudicaret: & ſi conſideraſſet, lege determinaſſet. Et per hoc patet reſponſio ad Tertium. In digeſto veter. lib. tit. 3. l. 28.

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA concluſio. Neceſſe eſt quod iudicium fiat ſecundùm legis ſcripturam. Ratio eſt, quoniam aliàs iudicium deficeret vel à iuſto naturali vel à iuſto poſitiuo.

Secunda concluſio. In aliquo euentu non eſt ſecundum literam legis iudicandum: ſed recurrendũ eſt ad æquitatem, ſeu Epicheiam. Iſta concluſio colligitur ex D. Tho. in ſolutione ad ſecundum.

COM-

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo ante omnia aduertendum eſt, quod Diuus Tho. in duobus articuli præcedentibus explicuit tertiam conditionem iudicij in priuatis perſonis, oſtendens quomodo ſit peccatum illam conditionem prætermittere. Nunc autem in hoc articulo id ipſum oſtendit verificari oporteret in iudicio principis, ſiue cuiuslibet miniſtri Reipublicæ. Explicat aũt talem iudicij conditionem ſeruari in publicis iudicijs & tribunalibus, quãdo ex legis præſcripto iudicia pronuntiantur, alias eſſent iudicia ſuſpicioſa & temeraria. Hæc concluſio verum habere habet in iudicijs quæ pronuntiantur non ſolum à iudicibus inferioribus, ſed etiam à ſuprem o ſenatu Principis. Probatur primò. Ex teſtimonio expreſſo Diui Auguſtini, quod habetur in argumento, ſed contra lib. de vero regimine capit. 31. Item etiam ex Ariſt. 5. Ethic. cap. 6. & lib. 10. c. 9. Et 2. Politicorum cap. 8. Et copioſius lib. 3. cap. 11. & 12. Et Diuus Tho. 1. 2. quæſt. 95. artic. 1. ad ſecundum. Probatur autem concluſio vnica ratione. Lex poſitiua quantum ad vim directiuam obligat in conſcientia non ſolum ſubditos, ſed etiam ipſum Principem legiſlatorem, ergo in pronuntiando ſententias, omnes debent obſeruare huiuſmodi legis præſcripta. Sed obſeruandum eſt, vſque adeo veram eſſe concluſionem Diui Tho. quòd rariſſimè poſſit princeps vel ſupremus ſenatus in cauſis ciuilibus diſpẽſare in ipſa lege, & aliter iudicare quã ipſa lex docet. Probatur quia eſt cõtra ius naturæ, q̃ poſtquam aliquis per contractũ legitimũ conſtitutus eſt dñs prædij vel alterius rei, expoliet inuitus re illa. Quin potius illa expoliatio dicetur furtũ ſiue deprædatio. Sed princeps nõ põt diſpenſare in furto neq; in aliquo quod ſit contra ius naturæ, ergo in proferendo ſnias debet ſeruare legis ſcripta. deinde probatur. Quoniam ſi liceret Principi ita ſe gerere: ſequeretur quod poſſet eum qui litigat, priuare ſuis bonis & adiudicare illa aduerſario: ita vt factum teneret. Hoc autem eſt manifeſtè falſum. Diximus autem quòd rariſſimè poſsit princeps diſpenſare. Quoniam aliquando expediet ad bonum puplicum, vt bona vnius ciuis accommodentur alteri, & tunc poterit princeps hoc facere. Diximus etiam in cauſis ciuilib. quoniam in criminalib. ſæpè cõtingit, ſatisfacta parte, quod princeps diſpenſet in rigore legis ſcriptæ, vbi cõe bonum non periclitatur. De qua re diſputandum erit infra q. 67. art. 4.

DVBIVM tamen in hoc articulo ſe offert, vtrũ ſententia iniuſta quæ contra legis præſcripta pronuntiatur: obliget in foro conſcientiæ. Pro cuius intelligentia aduertendum eſt primo, tripliciter contingere quod aliqua ſententia ſit iniqua. Primo quidem ex animo & affectu malo pronuntiantis illam. v. g. quando iudex condemnat reum ſeruato ordine iuris & talem reum qui realiter debet condemnari: nihilominus ipſe iudex profert ſententiam animo vindicandi ſede illo. Secundò dicitur iniuſta ſententia propterea quòd non ſeruatur ordo iuris. Tertiò dicitur iniuſta ex ipſa cauſa: quando pronũtiatur ſententia contra reuerà innocentem, ſecundum tamẽ allegata & probata eſt nocens. Dicimus ergo quòd duobus primis modis ſententia iniuſta obligat in foro conſcientiæ: & ita ſeruatur ſecundũ leges regni Hiſpaniæ. Quanuis enim conſtet quod iudex protulit ſententiam animo ſe vendicandi vel non ſeruauit ordinem iuris, ſi tamen proceſſit in pronuntiando ſecundum allegata & probata, habetur valida executioni mandatur talis ſententia. Secondo aduertendum eſt q̃ iniuſta ſnia per ſe adhuc eſt duplex, Alia quæ continet errorem intollerabilẽ v. g. in qua præcipitur aliquid impoſſibile vel aliquid manifeſtè malum: vt ſi quis puniatur pro bene factis. Et hæc dicitur apud iuris peritos ſententia nulla. Et huiuſmodi manifeſtum eſt quòd non obligat in foro conſcientiæ. Alia vero eſt ſententia iniuſta, quæ quanuis contineat errorem, non tamen intolerabilem. Et hæc dicitur à Iuriſconſultis iniuſta ſententia, Sed valida & tenenda. Vt habetur capit. ſententiam. 11. quæſt. 3. imo vero executioni mandata eſt. Vt habetur extra in cap. paſtoralis. de officio delegati. In præſenti ergo quæſt. ſolum controuertitur de ſententia quæ continet errorem tolerabilem. Nam cõſtat ſententiam continentem errorem intolerabilem eſſe nullam.

Notandum eſt tertio, quòd cauſæ in quibus pronuntiatur ſententia: aliæ ſunt ſeculares & prophanæ in quibus agitur de rerum temporalium poſſeſſione ſiue iure. Aliæ vero ſunt eccleſiaſticæ in quibus agitur de iure ſeu poſſeſſione beneficiorum. Huiuſmodi rurſus cauſæ aliquando requiruntſententiam declaratiuam tantum, hoc eſt vt iudex declaret ius beneficij cui pertineat & debeat aſcribi abſque condemnatione alterius partis litigantis. Alia quando vero ſententia quę profertur eſt priuatiua. v. g. quando iudex per ſententiam expoliat alteram partem litigantem beneficio propter aliquod crimen: & adiudicat beneficium alteri.

His ſuppoſitis ſit prima concluſio. In cauſis ſecularibus ſententia iniuſta ex cauſa, quanuis pronuntietur ſecundum allegata & probata, non tamen obligat reum in foro conſcientiæ, neque confert talis ſententia ius alteri parti pro qua pronuntiatur, neque reuera expoliat partem condemnatam ſuo iure, quod habebat ad rem. Iſta concluſio eſt communis ſententia Theologorum. Videtur Caietanus infra quæſt. 70. artic. 4. & in opuſculo 27. quæſtionum. 13. quæſt. ad ſecundum. Et in opuſculo. 17. reſpon. 14. reſpõſione. Et Soto lib. 3. de Iuſtitia. quæſt. 4. artic. 5. Et quarto Sententiarũ, diſtinct. 22. quæſt. 1. artic. 3. concluſ. 4. Et eſt expreſſa ſententia Diui Thomæ infra quæſt. 70. loco citato ad ſecundum argumentum. Vbi ait iudicium iniuſtum non eſſe iudicium. Et hinc ſumitur primum argumentum ad probandam concluſionem. Iudiciũ eatenus obligat conſcientia quatenus habet rationem iudicij: ſed eatenus habet rationem iudicij, quatenus eſt determinatio iuris, vt dictum eſt articulo primo: ergo iudicium iniuſtum non habet rationem iudicij, ſiquidem non eſt determinatio iuſti ſeu iuris: ſed potius eſt determinatio iniuſti. Secũdo probatur q̃m ſnia & iudicium eſt quaſi quædam lex particularis in particulari euentu: vt docet D. Tho. art. ſeq. & infra q. 67. artic. 1. ſed lex iniuſta nullo modo obligat in cõſcientia, ergo neque ſententia iniuſta. Tertio probatur, quoniam communis eſt Theologorũ regula, ſcilicet, quod ſentẽtia quæ fertur in foro exteriori obligat in foro conſcientiæ, niſi fundetur in falſa præſumptione. Ecce vbi Theologi excludũt errorem omnem, vt ſententia obligat in conſcientia, etiam ſi ille error fuerit legitimè præſumptus.

Secunda concluſio. In cauſis beneficiarijs omnis ſententia iniuſta propter errorem tolerabilem, ſiue illa ſit declaratiua, ſiue priuatiua, dummodo pronũtiatur ſecundũ allegata & probata, & inter patres bona fide litigantes, confert ius in foro conſcientiæ ei in cuius fauorem pronuntiatur: & reuera expoliat alterum iure quod habebat. v. g. litigabat Petrus & Paulus apud iudicem. Et vterque contendit ſibi

com-

competere ecclesiam parochialem. Declarauit autem ipse iudex talem ecclesiam Petro esse ascribendam per sententiam secundum allegata & probata pronuntiatam, Tunc Petrus est parochus illius ecclesiæ, non obstante quòd Paulus reuera secundum iura communia habebat ius ad illud beneficium. Sed non probauit legitimè intentionē suam. Idem continget, si Petrus & Paulus litegarēt de parochia cuius Paulus habebat titulum & possessionem. Petrus autem apud Episcopum bona fide accusauit Paulum de aliquo crimine, propter quod merebatur priuari beneficio. Et episcopus secundum allegata & probata protulit sententiam, per quam expoliat Paulum suo beneficio: & ascribit illud Petro. Tunc dicimus quòd Petrus est verus parochus illius ecclesiæ. Hæc conclusio quantum ad id quod asserit de sententia declaratiua est cōtra Magistrum Soto vbi supra. Et contra omnes ferè iuris peritos. Quantum vero ad alteram partē de sententia priuatiua conceditur à Magistro Soto vbi supra. Negatur tamen à plurimis iuris Canonici peritis & Summistis: inter quos est Panormitanus c. 1. de concessione præbendæ. Et Innocentius c. quia plerique. de immunitate ecclesiarum. quos referunt & sequuntur Angelus in sūma, verbo, sententia. §. vltim. & Sylvester noster ibidem. Dicunt isti doctores quod sententia priuatiua, etiam si iniusta sit in causis beneficiarijs, quando reus non appellat legitimè & opportunè, confert ius in conscientia alteri parti. Et ratio illorum est: quia tunc videtur reus consentire & cedere iuri suo. Et idcirco si Episcopus conferat alteri beneficium quod iam vacare censetur per alterius partis concessionem, valida erit collatio. Si tamen reus, aiunt appellauerit opportunè, etiam si eius appellatio non admittatur, non erit valida sententia, neque confert ius alteri cuius fauorem pronuntiatur. Nos autem contra cōtendimus ostendere huiusmodi authores sibi ipsis contradicere. Sitque primum argumentum ad ipsos. In causis prophanis & secularibus eo ipso, quod reus non appellat, non censetur iuri suo cedere, vt ipsimet authores concedunt. Ergo neque in causis beneficiarijs. Probatur consequentia. Quia non habet minus ius ad beneficiū qui possidet illud, quàm habet ille qui possidet rem temporalem. Ergo si iste per hoc ꝙ non appellat non amittit ius in conscientia, ergo neque ille. Arguitur secundò. Nam non appellare non est maius signum cedendi iuri suo quando per sententiam priuatiuam condemnatur reus, quàm cum talis sententia est declaratiua, sed iuris periti concedunt, quòd quando est iniusta sententia declaratiua, non est valida siue fiat appellatio siue non. Ergo idem debent concedere in sententia priuatiua. Vel potiùs negare in declaratiua: ita vt sit vtriusque eadem ratio. Si tertium argumentum specialiter contra Magistrum Soto. Sententia priuatiua iniusta confert ius in conscientia, vt ipse fatetur, ergo multò magis declaratiua. Probatur consequentia, quia maiorem iniustitiam continet sententia iniusta priuatiua: quam iniusta declaratiua, siquidem per priuatiuam expoliatur homo suo beneficio, & imponitur illi falsum crimen. At vero per declaratiuam solum manifestatur quòd ille nō habet ius ad beneficium, ac proinde præsumēdus est magis inuoluntarius quādo condemnatur per sententiam priuatiuam, quàm quando per declaratiuam. Hæc ad homines. Modo probatur conclusio directè. In ecclesia est potestas conferendi & auferendi beneficia cum opus fuerit ad salutem animarum & ad spirituale ecclesiæ commodum: sed expedit ad animarum salutem, & conscientiarum trā quillitatem, vt talis sententia etiam iniusta valeat, siue declaratiua siue priuatiua sit ergo in conscientia manet tutus ille cui confertur beneficium, & est verus parochus: quoniam aliàs esset in ecclesia magnus error & scrupulus conscientiæ, si iura beneficiorum penderent à rei veritate, & non à sententia iudicis: quæ licet iniusta: procedit tamen secundum allegata & probata. Hæc ratio manifesta est, quia sæpè numero haberentur pro veris parochis & Episcopis, qui tales non essent. Neque haberent veram iurisdictionem. Et confirmatur à simili. Quoniam quando expedit ad bonum temporale reipublicæ secularis, potest princeps qui est custos illius, expoliare vnum ciuem suis bonis proprijs & illa alteri adiudicare. Ergo multo magis iudex spiritualis poterit hoc præstare, quando expedierit ad bonum spirituale ipsius ecclesiæ. Sed expedit, vt tales sententiæ etiam iniustæ obligent in foro conscientiæ & veram iurisdictionem conferant ipsis parochis & episcopis. Ergo de facto valēt & tenent in foro conscientiæ. Confirmatur secundò. Quoniam beneficia instituta sunt immediatè propter bonum commune & spirituale ecclesiæ, ergo quando huiusmodi bonum periclitatur, necesse est vt ecclesia vtatur potestate sua, & verè cōferat beneficia in foro conscientiæ, illis quibus in foro exteriori per sententiam secūdum allegata & probata prolatam, adiudicat, licet illa sit iniusta à parte rei. Sed contra prædictam conclusionem arguitur primo argumentis factis pro prima conclusione. Nam in causis prophanis quando sententia est iniusta secundum se, etiam si pronuntietur secūdum allegata & probata, non confert ius in cōsciētia, ergo neque in causis beneficiarijs ecclesiasticis. Omnes enim rationes quæ militant pro causis prophanis, videntur similiter concludere de causis ecclesiasticis. Ad hoc argumētum respondetur, quòd pariter procedit contra nostram sententiam, & cōtra communem Canonistarum, & quorundam Theologorum: qui tenent, quando sententia est priuatiua, valere. Et ideo omnes tenemur ad illud respondere. Negatur igitur consequētia. Et ratio differentiæ est, quoniam nullum omnino est incommodum communi bono temporali, si in causis tēporalibus iudicium huiusmodi non obliget in foro conscientiæ. At vero in spiritualibus magnum inconueniens emergit, si in causis beneficiarijs ad collationem veri iuris, esset necessarium quod à parte rei ita se haberet res: si modo iudex pronuntiat secundum allegata & probata. Sed nos contendimus quòd ipsa pronuntiatione confertur illi ius quod antea non habebat. Arguitur secundo. Ille in cuius fauorem pronuntiatur talis sententia iniusta, tenetur cum primum sententiæ vitium cognouerit alteri restituere beneficium acceptum ex tali sententia. Ergo per illam sententiā non accepit ius in foro conscientiæ. Ad hoc argumentum respondetur cōcedo antecedens. Tenetur enim ille resignare beneficium in manibus prælati: vel saltem tenetur admonere alteram partem de vitio commisso in sententia: vt si ille voluerit prosequi litem & sibi consulere, faciat libere. Si autem noluerit admonere proximum, sed manere cum ipso beneficio. Nihilominus est verus parochus veram habens iurisdictionem. Quemadmodum indignus aliquis cui semel collatum fuerit beneficium, tenetur illud resignare: & nihilominus omnes concedunt quod talis indignus habet veram iurisdictionem. Peccat tamen circa iustitiam legalem & charitatem.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

Vtrùm iudicium per vsurpationem reddatur peruersum.

Supra part. 2. corp. & fin. q. 57. art. 1. Et 9. dist. 17. §. 1. art. 3. §. 4. Et dist. 42. q. 2. ar. §. 1. cor.

AD Sextum sic proceditur. Videtur quòd iudicium per vsurpationem non reddatur peruersum. Iustitia etenim est rectitudo quædam in agendis, Sed nihil deperit veritati à quocunque dicatur, sed à quocunque est accipienda, Ergo etiam nihil deperit iustitiæ, à quocūque iustum determinetur, quod pertinet ad rationem iudicij.

2. Præterea. Peccata punire ad iudiciū pertinet. Sed aliqui laudabiliter leguntur peccata punisse, qui tamen auctoritatem non habebant super illos quos puniebāt: sicut Moyses occidendo Aegyptium, vt habetur Exod. 2. & Phinees filius Eleazari, Zambri filium Salumi: vt legitur Nume. 25. & reputatum est ei ad iustitiam: vt dicitur in Psal. 105. Ergo vsurpatio iudicij non pertinet ad iniustitiam.

3. Præterea. Potestas spiritualis distinguitur à temporali. Sed quandoque prælati, habentes spiritualem potestatem, intromittunt se de his quæ pertinent ad secularem potestatem. Ergo vsurpatum iudicium non est illicitum.

4. Præterea. Sicut ad rectè iudicādum requiritur auctoritas: ita etiam & iustitia iudicantis & scientia, vt ex supradictis † patet. Sed non dicitur iudicium esse iniustū, si aliquis iudicet, non habens habitum iustitiæ, vel non habens scientiam iuris. Ergo etiam neque iudicium vsurpatū, quod fit per defectum auctoritatis, semper erit iniustum.

Ant. 2.

Sed contra est, quod dicitur Roma. 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?

Respondeo dicendum, quòd cum iudicium sit ferendum secundum leges scriptas, vt dictum † est, ille qui iudicium fert, legis dictum quodammodo interpretatur, applicando ipsum ad particulare negotium. Cùm autem eiusdem auctoritatis sit legem interpretari, & legem condere, sicut lex condi non potest nisi publica auctoritate, ita nec iudicium ferri potest nisi publica auctoritate: quæ quidem se extendit ad eos qui communitati subdūtur. Et ideo sicut iniustum esset, vt aliquis constringeret alium ad legem seruandam, quæ non esset publica auctoritate sancita ita etiam iniustum est, si quis compellat: aliquem ferre iudicium, quod publica autoritate non fertur.

Ant. præc.

Ad primum ergo dicendum, quòd pronuntiatio veritatis non importat compulsionem ad hoc, quòd suscipiatur: sed liberum est vnicuique eam recipere, vel non recipere, prout vult. Sed iudicium importat quandam impulsionem. Et ideo iniustum est, quòd aliquis iudicetur ab eo qui publicam auctoritatem non habet.

Ad secundum dicendum, quòd Moyses videtur Egyptium occidisse, quasi ex inspiratione diuina auctoritatem adeptus: vt videtur per hoc ꝙ dicitur Actuum 7. quòd percusso Egyptio æstimabat Moyses intelligere fratres suos, quoniam Dominus per manum ipsius daret salutem Israel. Vel potest dici quòd Moyses occidit Egyptium defendendo eum qui iniuriam patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vnde Ambrosius dicit in libro † de Offic. quòd qui non repellit iniuriam à socio cùm potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit. Et inducit exemplum Moysi. Vel potest dici sicut dicit † August. in quæstionibus Exod. quòd sicut terra, ante vtilia semina, herbarum inutilium fertilitate laudatur: sic illud Moysi factum, vitiosum quidem fuit: sed magnæ fertilitatis signum gerebat, inquantum scilicet erat signum virtutis eius, qua populum liberaturus erat. De Phinees autem dicendum est, quòd ex inspiratione diuina, zelo Dei commotus, hoc fecit. Vel quia licet nondum esset summus Sacerdos, erat tamen filius summi Sacerdotis: & ad eum hoc iudicium pertinebat, sicut & ad alios iudices, quibus hoc erat præceptum.

Lib. 1. ca. 35. in prin cip. to. 1.

Lib. 2. c. a. to. 4. & libro 22. cōtra Faustū capit. 70. tom. 6.

Ad tertium dicendum, quòd potestas secularis subditur spirituali, sicut corpus animæ. Et ideo non est vsurpatum indicium, si spiritualis prælatus se intromittat de temporalibus, quantū ad ea, in quibus subditur ei secularis potestas, vel quæ ei à seculari potestate relinquuntur.

Ad quartum dicendum, quòd habitus scientiæ & iustitiæ sunt perfectiones singularis personæ. Et ideo per eorum defectū non dicitur vsurpatum iudicium: sicut per defectum publicæ auctoritatis, ex qua iudicium vim coactiuam habet.

SVM-

SVMMA ARTICVLI.

CONCLVSIO est affirmaliua. Ratio est, quia iudicium est quædam interpretatio legis applicando illam ad particulare negotium: sed eiusdē est legem condere & interpretari: ergo iudicium per vsurpationem redditur peruersum. Probatur cōsequentiam, quia vsurpatio iudicij nihil aliud est quàm exercere iudicium siue autoritate publica per quam leges conduntur.

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo D. Tho. intendit explicare secundam conditionem iusti iudicij ex illis tribus quas ponit in arti. 2. quæ quidem conditio est, vt qui iudicat habeat iurisdictionem ex publica autoritate. Est autem argumentum contra rationem cōclusionis Diui Thomæ, quoniam iuris periti & Theologi sæpè numero interpretantur leges etiam in casibus singularibus quomodo in illis obligent vel non obligent. Ergo non est eiusdem authoritatis legem interpretari, & condere legem. Patet consequentia. Quoniam prædicti non habent authoritatem condendi legem. Et confirmatur: quoniam iudices inferiores iudicant & legem ipsam in particulari negotio hic & nunc interpretantur & applicant. Ergo non est eiusdem rationis interpretari & condere legem.

Ad primum argumentum respondetur ex mente Diui Tho. in solutione ad primum, quòd interpretari legem dupliciter potest fieri. Vno modo speculatiuè etiam in casu particulari: quod quidem fit per simplicem assertionem eius quod rectum est & fieri debet. Alio modo practicè, ab illo qui habet virtutem compulsiuam, vt ita fiat quod rectum est. Ratio D. Tho. intelligitur de interpretatione respōdetur, secundo modo. Ad confirmationem quod autoritas iudicis particularis inferioris & autoritas iudicis supremi non reputantur duæ autoritates, sed vna participata in ministro inferiori: vt exequatur voluntatem legislatoris. Et ita ad autoritatem inferioris secundum quod illa est in Principe pertinet condere legem, in cuius virtute inferior interpretatur & applicat illam.

DVBITATVR autem primo circa conclusionem. Vtrùm solum iudicium publicum iudicis non habentis veram iurisdictionem, sedentis tamē pro tribunali, dicatur iudicium vsurpatū: an vero etiā iudicium priuatum cuiuslibet hominis qui iudicat proximum, possit dici vsurpatum iudicium.

Primò arguitur. Et probatur quòd solum iudicium publicum tantum. Quoniam ratio Diui Tho. in isto articulo solum procedit de publico. Ait enim quod interpretari sicut condere legem pertinet ad publicam autoritatem propter cuius defectum iudicium redditur peruersum. Et confirmatur ex eo quod inquit iniustum esse restringere aliquem ad sustinendum iudicium, quod non fertur autoritate publica. Idipsum videtur colligi ex solutione ad primum.

Secundò arguitur. Qui iudicat priuatum iudiciū in sua mente, nullius vsurpat autoritatem: sed iudicium vsurpatum dicitur propterea quòd aliquis se intromittit in aliena iurisdictione, ergo priuatum iudicium impropriè dicitur vsurpatum: sed tantum dicitur temerarium.

Tertiò. Quando homo ex sufficientibus indicij, iudicat peccatum proximi, suspicatur vel dubitat, etiam si non habeat autoritatem præsidentis, non dicitur vsurpare iudicium: alias peccaret iudicando, ergo iudicium priuatum non est vsurpatum. Sed in oppositum est: quoniam vt dictum est art. 2. ad iustum iudicium requiruntur tria: quorum vnum est autoritas præsidentis.

Ad hoc dubium respondetur & sit prima conclusio. Quicunque iudicat priuatum iudicium temerarium vel suspiciatur vel dubitat ex leuibus iudicijs, vsurpat iudicium Dei & authoritatem illius: qui solus habet iudicare de occultis. Probatur testimonijs sacræ Scripturæ. Nam ad Romanos. 14. intendens Apostolus temeraria iudicia prohibere, reddit talem rationem. Deus illum assumpsit, scilicet proximum, quem tu iudicas: assumpsit sibi iudicandum. Et iterum quis es tu qui iudicas alienum seruum? domino suo stat aut cadit. Item D. Iacobus in sua Canonica cap. 4. prohibens iudicia temeraria, dicit: qui iudicat fratrem constituit se iudicem legis: Vnus enim est legislator & iudex, qui potest perdere & liberare. Secundo probatur ratione, quoniam solus Deus est iudex cordis & rerum occultarum. Iuxta illud 1. Regum 17. Homo videt quæ apparent: Deus autem intuetur cor. Ergo qui ex leuibus indicijs & coniecturis iudicat proximum, vsurpat diuinam authoritatem.

Secunda conclusio. Nihilominus negare non possumus quin sit manifestior & perfectior ratio vsurpationis in iudicijs publicis, quàm in priuatis. Hanc conclusionem probant argumenta facta in principio. Nā in iudiciis publicis cogitur ille qui iudicat ad sustinendum iudicium: non aut in iudicijs particularibus priuatis: Deinde probatur. Quoniā in iudicijs priuatis, solū vsurpat homo diuinam autoritatem: at in publicis & diuinam & humanam. Et denique in iudicijs priuatis semper est coniuncta secunda conditio cum tertia: ac proinde quotiescunque deficit secunda conditio, statim deficit tertia & posita tertia ponitur secunda. At vero in publicijs iudicijs, etiam si non deficiat tertia, siquidem iudex procedit secundum allegata & probata: nihilominus erit iudicium vsurpatum: quoniam ille non habet autoritatem à republica. Propterea D. Tho. in hoc articul. 6. posuit exemplum vsurpati iudicij, in publico tribunali: quanuis in citatis Apostoli & Iacobi testimonijs colligatur, quòd in iudicijs priuatis sit quædam vsurpatio diuinæ autoritatis. Quin etiam ipsa ratio D. Tho. etiam concludit, quòd in iudicijs priuatis possit esse huiusmodi vsurpatio: si quidem ille qui habet sufficientia iudicia ad taliter iudicādum de proximo, autoritatem habet ab ipso Deo eo ipso quod dedit illi rationalem discursum. Et propterea non vsurpat iudicium Dei. Cæterùm ille qui non habet sufficientia indicia, non habet autoritatem à Deo: qui solus est occultorum iudex. Et per hoc patet ad argumenta in oppositum.

DVBITATVR secundo. Vtrùm publicum iudicium tyranni Principis obliget in conscientia si procedit secundum allegata & probata, & secundum leges iustas. Verbi gratia. Si Turca, qui in suo regno detinet aliquam Christianam rempublicam vi armorum oppressam, habeat autoritatem ad componendas lites Christianorum: ita vt ipsi teneantur in foro conscientiæ parere huiusmodi sententijs.

Pro parte negatiua videtur esse doctrina D. Tho. in hoc articulo, & ratio conclusionis, & tota Theologorum schola in 4. distinct. 17. Deinde confirmatur ex decretis Pontificum asserentium, nullam esse sententiam à iudice non legitimo: vt dicitur in cap. at si clerici. de iudicijs. & in multis alijs similibus. & in cap.

in cap. sententia. 11. quæst. 3. Vbi non asseritur quā libet sententiam esse timendam: sed Pastoris & prælati. Idipsum habetur ex decretis Imperatorum: vt in l. Barbarius. ff. de officio prætoris. in quibus locis omnes iuris periti hoc ipsum asserunt. Videatur etiam Magister Soto lib. 3. de Iustitia. quæst. 4. artic. 6. Vbi in particulari tenet partem negatiuam dubij propositi: ita vt talis sententia non obliget in conscientia, nisi ex communi consensu republicæ Christianæ oppressæ.

Nihilominus opposita sententia videtur nobis vero similior: ita vt in foro conscientiæ in casu proposito, postquā semel iam cessauit actualis violentia, & strepitus armorum, & in pace de facto Tyrannus possidet rempublicam, obliget illius sententia: quę pronuntiatur secundum allegata & probata. Hæc conclusio dicitur fuisse sapientissimi Magistri Victoria. Et probatur optima coniectura desumpta ex Euangelio. Constat enim Romanos Principes per Tyrannidem occupasse principatum Iudaicæ regionis maximè eo tempore quo Christus Dominus versabatur apud Iudæos, & nihilominus ipse Dominus docuit tributa danda esse Cæsari. Vt patet Matth. 22. & 17. & Ioan. 8. militibus interrogantibus, Baptistam quid essent facturi vt salui fierent, non respondit Ioannes Baptista, vt discederent à militia & præsidio Cæsaris: sed solum vt contenti essent stipendijs suis, & neminem concuterent in via. Deinde probatur ratione. Ad bonam gubernationem reipublicæ pertinet tanquam vnicum & necessarium remedium, vt in tali euentu sit aliquis iudex qui componat lites inter Christianos, tam in ciuilibus quàm in criminalibus: sed in illo euentu oppressionis non potest esse alius iudex nisi Tyrannus vel constitutus à Tyranno, ergo ratio naturalis dictat, quòd illa respublica Christiana in tali euentu tenetur stare iudicio Tyranni procedentis secundum allegata & probata. Et confirmatur. Quia in illo casu respublica consentit saltùm virtualiter & interpretatiuè in illo iudicio, ergo talis sententia obligat. Antecedens probatur, quia tenetur illa respublica constituere aliquem iudicem, sed non potest alium constituere ergo quandiu non resistit illi Tyranno, videtur consentire in tali sententia. Quin potius cum accedit ad illum vt iudicium dicat videtur saltim interpretatiuè consentire: & ex duobus malis eligere minus malum, minus autem malum est reipublicæ, subijci Tyranno quam sine iudice esse. Ex dictis colligitur, quòd etiam si Hispani Principes per Tyrannidem & vim armorum obtinuissent regiones Indorum, de quo nihil asserimus nunc: tamen posteaquam fuerunt in possessione ipsorum tenebantur Indij stare Principum Hispaniæ iudicio: & prædicatores qui illuc aduentabant, tenebantur dicere, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quę sunt Dei Deo: quod quidem Christus dicebat Iudæis.

Ad argumenta vero, quæ facta sunt pro prima sententia respondetur vnica solutione distinguendo in Tyranno duplex principium, vnde eius sententia progreditur. Si enim illa sententia consideretur, vt procedens à Tyranno præcisè, iniusta & vsurpata est, sicut regimen. Si autem consideretur, vt in ea conuenit consensus captiuæ reipublicæ expresè vel interpretatiuè, non est iudicium vsurpatum, sed ab habenta autoritatem ipsius reipublicæ: quę vtitur ipso tyranno tanquam ministro ad componendas lites communitatis. Cęterùm testimonia Pontificum & Imperatorum verificantur, vt in plurimùm & ferè semper: nisi quādo respublica est in extrema necessitate. Tunc enim tenetur eligere minus malum, quale est subijci Tyranno in suo iudicio, supposito quod siue velit siue nolit, ab eo opprimitur: quàm esse sub illius oppressione carens omnino iudice.

DVBITATVR tertio. Circa solutionem ad secundum. An Moyses excusandus sit omnino à crimine homicidij, quando occidit Aegyptium Exod. cap. 2. Diuus Thomas refert tres sententias. Prima excusat Moysen, propterea quòd occidit in instinctu diuino, & quòd hoc ita sit, videtur colligi, ex eo quòd postea Dominus publicè declarauit multis miraculis factis per manū Moysis, quibus dabatur intelligi, quòd Moyses destinatus erat tanquam dux & liberator diuina autoritate Israeliticī populi. Hęc sententia est Diui Augustini libro. 2. quęstionum super Exod quęst. 72. Idem sentit Rabanus & Rupertus & Lyra & Abulens. Aloysius super illum locum, & Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum prope finem excusat Moysen propter eandem rationem. At tamen adijcit mysteriorum peritos dicere, quòd Moyses solo verbo interfecit Aegyptium: quemadmodum Petrus Actorum 2. legitur interfecisse solo verbo Ananiam. Quidam autem Iudęorum, vt refert Abulensis, dicunt quòd Moyses interfecit Agyptium per inuocationē nominis Tetragramaton, scilicet Ichoua. Sed iste modus dicendi qua facilitate dicitur, eadem reijcitur. Altera sententia excusat Moysen etiam à peccato alia via, scilicet, quòd Moyses per modum defensionis cum moderamine inculpatę tutelę occiderit Aegyptium. Ita sentit Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 36. & quidam ex doctoribus citatis sicut Rupertus, & Aloysius. Tertia sententia vituperat factum Moysi, sed laudat zelum illius. Hęc sententia asseritur ab August. lib. 2. contra Faust. cap. 70. & ab Hierony. in epist. ad Damasum, & à Chrysost. in lib. 3. de prouidentia. Quarta sententia est Caieta. super Exod. ca. 2. quę quidem media via incedit. Dicit enim se non inuenire certam rationem excusandi Moysen, neque condemnaudi. Primum probat ex contextu, vbi dicitur, cùm circunspexisset huc atque illuc &c. Hęc autem circunspectio non videtur stare cum instinctu diuino. Item quia occisio, non videtur per modum defensionis, sed per modum vindictæ fuisse. Secundum probat Caiet. quia si ille Aegyptius esset publice constitutus ad afflictionem Iudæorum, vt probabilis pōt esse coniectura, potuit Moyses illum licitè interficere, tanquam communem hostem reipublicæ Hebræorum: sicut dicemus infra quæst. 64. art. 2. ergo non inuenitur ratio efficax condennari debeat Moyses.

Inter has omnes sententias duæ primę sunt probabiliores: tum quia à pluribus sanctis affirmantur, tum etiam quia D. Aug. vbi supra, super Exod. refert sententiam quam tenuerat, contra Faustum & deserit illam. Et denique quoniam excusare Moysen à peccato, prętęrquam quod est excusare hominem iustum à peccato, est etiam consentaneum cum eo quod dicit scriptura Numer. 12. Erat autem Moyses mitissimus super omnes homines, ergo nō est credēdum quod vir mitissimus occiderit Aegyptium absque iusta causa. Inter duas priores sententias prima est eligenda & habet coniecturam magnam in verbis D. Stephani, quæ citat D. Tho. in solutione. ad secundum.

QVAESTIO LXI.

De diuisione Iustitiæ in commutatiuam & distributiuam.

DEINDE considerandum est de partibus iustitiæ. Et primò, de partibus subiectiuis, quę sunt species iustitię, scilicet distributiua & commutatiua. Secundo, de partibus quasi integralibus. Tertiò, de partibus quasi potentialibus, scilicet de virtutibus adiunctis.

Circa primum occurrit duplex consideratio. Prima, de ipsis iustitiæ partibus. Secunda, de vitijs oppositis. Et quia restitutio videtur esse actus commutatiuæ iustitiæ, primò considerandum est de distinctione iustitiæ commutatiuæ & distributiuæ. Secundò de restitutione.

Circa primum quæruntur quatuor.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm inconuenienter ponantur duæ species iustitiæ, scilicet commutatiua & distributiua.

†.q.2.1.ar. 3.cor. 1.3. d.33.q.3. art.4.q.5. & 4.d.46. q.1. art.1. q.1.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter ponantur duæ species iustitiæ, iustitia distributiua & commutatiua. Non enim potest esse iustitiæ species, quòd multitudini nocet, cùm iustitia ad bonum commune ordinetur. Sed distribuere bona cōmunia in multos, nocet bono communi multitudinis: tum quia exhauriuntur opes communes, tum etiam quia mores hominum corrumpuntur. Dicit enim Tullius in lib. † de Offic. Fit deterior qui accipit, & ad idem semper expectandum paratior. Ergo distributio non pertinet ad aliquam iustitiæ speciem.

Li.2 prinlo à medio illius in c. duplex liberalitatis genus: & esp. qua e nus ad cōciliandū, &c.

† qō.58. ar.11.

2. Præterea. Iustitiæ actus est reddere vnicuique quod suum est: vt suprà habitū † est. Sed in distributione non redditur alicui quod suum erat, sed de nouo appropriatur sibi id quod erat commune. Ergo hoc ad iustitiam non pertinet.

2.2 q.58. ar.6. & ar. 1. & 5.

3. Præterea. Iustitia non solum est in principe, sed etiam in subditis: vt suprà habitū † est. Sed distribuere semper ad principem pertinet. Ergo distributiua nō pertinet semper ad iustitiam.

A 4. Præterea. Distributiuum iustum est bonorum communium, vt dicitur in † 5. Ethic. Sed communia pertinent ad iustitiam legalem. Ergo iustitia distributiua non est species iustitiæ particularis, sed iustitiæ legalis.

Lib.5.ca circa fin. & cap.1.

5. Præterea. Vnum & multa non diuersificant speciem virtutis. Sed iustitia commutatiua consistit in hoc, q̃ aliquid redditur vni: iustitia verò distributiua in hoc quòd aliquid datur multis. Ergo nō sunt B diuersæ species iustitię.

Sed contra est, quod Philosophus † in 5. Ethic. ponit duas partes iustitię, & dicit quòd vna est directiua in distributionibus, & alia in commutationibus.

Lib.5. ca circa fin. tom. 5.

Respondeo dicendum, q̃ sicut dictum † est, iustitia particularis ordinatur ad aliquam priuatam personam, quę comparatur ad communitatem, sicut pars ad totū. Potest autem ad aliquam partem duplex C ordo attendi. Vnus quidem partis ad partem, cui similis est ordo vnius priuatæ personæ ad aliam. Et hunc ordinem dirigit commutatiua iustitia, quæ consistit in his quæ mutuo fiunt inter duas personas adinuicem. Alius ordo attenditur totius ad partes. Et huic ordini assimilatur ordo eius, quod est commune ad singulas personas, quem quidem ordinem dirigit iustitia distributiua, quę est distributiua cōmunium secundùm proportionalitatem. D Et ideo duę sunt iustitiæ species, scilicet commutatiua & distributiua.

q 58. ad 1.

Ad primum ergo dicendum, q̃ sicut in largitionibus priuatarum personarum cōmendatur moderatio, effusio verò culpatur: ita etiam in distributione communiū bonorum est moderatio seruanda, in quo dirigit iustitia distributiua.

Ad secundum dicendum, q̃ sicut pars & totum quodammodo sunt idem: ita id quod est totius, quodammodo est partis. E Et ita cum ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet aliquo modo recipit quod suum est.

Ad tertium dicendum, quòd actus distributionis, qui est cōmunium bonorū, pertinet solum ad præsidentem communibus bonis. Sed tamē iustitia distributiua est ēt in subditis, quibus distribuitur: inquantum scilicet sunt contenti iusta distributione. Quamuis etiam distributio quan-

quandoque fiat bonorum communium, A non quidem ciuitati, sed vni familiæ: quorum distributio fieri potest auctoritate alicuius priuatæ personæ.

Ad quartum dicendum, quòd motus accipit speciem à termino ad quem. Et ideo ad iustitiam legalem pertinet ordinare ea, quæ sunt priuatarum personarū in bonum commune. Sed ordinare è contrario bonum commune ad personas particulares per distributionem, est iustitiæ particularis. B

Ad quintum dicendum, quòd iustitia distributiua & commutatiua non solum distinguuntur secundùm vnum & multa, sed secundùm diuersam debiti rationem. Alio enim modo debetur alicui id quod est commune, & alio modo id quod est proprium.

SVMMA ARTICVLI.

C Onclusio. Conuenienter ponuntur duę species iustitiæ particulares, &c.

ARTICVLVS II.

Vtrùm medium eodem modo accipiatur in iustitia distributiua, & commutatiua.

Inst. ar. 4. cor. fin & 2. dist. 27. ar. 1 cor & 3 dist 33 q. 1. ar. 2 q. 2 cor. & vir q 2 art. 23 ad 7.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd medium eodē modo accipiatur in iustitia distributiua & commutatiua. Vtraque enim sub iustitia particulari continetur, vt dictum † est. Sed in omnibus temperantiæ vel fortitudinis partibus accipitur vno modo medium. Ergo etiam eodem modo medium est accipiendum in iustitia distributiua & commutatiua.

† Art. præc. eadem.

2. Præterea. Forma virtutis moralis in medio consistit, quod secundùm rationē determinatur. Cùm ergo vnius virtutis sit vna forma, videtur quòd in vtraque sit eodem modo medium accipiendum.

3. Præterea. In iustitia distributiua accipitur medium, attendendo diuersam dignitatem personarum. Sed dignitas personarum attenditur etiam in commutatiua iustitia, sicut in punitionibus. Plus enim punitur qui percutit principem, quam qui percutit priuatam personam. Ergo eodem modo accipitur medium in vtraque iustitia.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in † 5. Ethic. quòd in iustitia distributiua accipitur medium secundùm Geometricam proportionalitatem, in commutatiua autem secundùm Arithmeticam.

Lib.5.c.3. tom.5.

Respondeo dicēdum, quòd sicut dictū † est in distributiua iustitia datur aliquid alicui priuatæ personæ, inquantum id, quod est totius, est debitum parti. Quod quidem tanto maius est, quanto ipsa pars maiorem principalitatem habet in toto. Et ideo in distributiua iustitia tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa persona maiorem habet principalitatem in communitate. Quæ quidem principalitas in aristocratia communitate attenditur secundum virtutem, in olicratia secundùm diuitias: in democratia secundùm libertatem, & in alijs aliter. Et ideo in iustitia distributiua non accipitur C medium secundùm æqualitatem rei ad rem, sed secundùm proportionem rerum ad personas, vt scilicet sicut vna persona excedit aliam, ita etiam res, quæ datur vni personæ, excedit rem quæ datur alij. Et ideo dicit † Philosophus, quòd tale medium est secundùm geometricam proportionalitatem, in qua attenditur ęquale non secundum quantitatem, sed secundùm proportionem. Sicut si dicamus q̃ sicut se habent sex ad quatuor, ita se habent tria ad duo, quia vtrobique est sesquialtera proportio, in qua maius habet totum minus, & mediā partem eius. Non autem est æqualitas excessus secundum quantitatem, quia sex excedunt quatuor in duobus: tria vero excedūt duo in vno. Sed in cōmutationibus redditur aliquid alicui singulari personæ ꝓpter rem eius, quæ accepta est, vt maximè patet in emptione & venditione, in quibus primò inuenitur ratio commutationis. Et ideo E oportet adæquare rem rei: vt quanto iste plus habet, quàm suum sit de eo quod est alterius, tantundem restituat ei, cuius est. Et sic fit æqualitas secundum arithmeticam medietatem, quę attenditur secundùm parem quantitatis excessum: sicut quinque est medium inter sex & quatuor, in vnitate enim excedit & exceditur. Si ergo à principio vterque habebat quinque, & vnus eorum accepit

Li 5. Ethica. 3. à medio, to. 5.

vnum de eo quod est alterius, vnus scilicet accipiens habebit sex, & alij relinquentur quatuor. Erit ergo iustitia si vterque reducatur ad medium vt accipiatur vnũ ab eo qui habet sex, & detur ei qui habet quatuor. Sic enim vterque habebit quinque, quod est medium.

Ad primum ergo dicendum, q̃ in alijs virtutibus moralibus accipitur medium secundùm rationem: & non secundùm rem. Sed in iustitia accipitur medium rei: & ideo secundùm diuersitatem rerum, diuersimodè medium accipitur.

Ad secundum dicendum, quòd generalis forma iustitiæ est æqualitas, in qua conuenit iustitia distributiua cum commutatiua. In vna tamen inuenitur æqualitas secundùm proportionalitatem geometricam, in alia secundùm arithmeticã.

Ad tertium dicendum, quòd in actionibus & passionibus conditio personæ facit ad quantitatem rei: Maior enim est iniuria, si percutiatur princeps, quàm si percutiatur priuata persona. Et ideo conditio personæ in distributiua iustitia attenditur secundùm se. In commutatiua autem, secundùm quod per hoc diuersificatur res.

SVMMA ARTICVLI.

CONclusio. Medium in distributiua accipitur secundùm proportionem rerum ad personas: in commutatiua vero, secũdùm æqualitatem rei ad rem. Et probatur prima pars. In distributiua iustitia debetur vnicuique tantò plus quantò talis persona habet in republica dignitatum: sed hoc est attendere proportionem rerum ad personam in illius medio determinando, ergo. Confirmatur testimonio Arist. 5. Ethic. Secunda pars probatur. In commutatiua iustitia tantum debetur alicui quantum acceptum est ab illo, sed hoc ipsum est attendere æqualitatem rei ad rem, ergo. Confirmatur eodem testimonio Arist. 5. Ethic.

ARTICVLVS III.

Vtrùm materia vtriusque iustitiæ sit diuersa.

AD Tertium sic proceditur. Videtur quòd materia vtriusq; iustitiæ non sit diuersa. Diuersitas enim materiæ facit diuersitatem virtutis, vt patet in temperantia & fortitudine. Si ergo distributiuæ iustitiæ & commutatiuæ sit diuersa materia, videtur quòd non contineantur sub vna virtute, scilicet sub iustitia.

2. Præterea. Distributio, quæ pertinet ad iustitiam distributiuam, est pecuniæ vel honoris, vel aliorum quæcunq; dispartiri possunt inter eos, qui communitate communicant: vt dicitur in † 5. Ethic. quorum etiam est cõmutatio inter personas adinuicem, quæ pertinet ad commutatiuam iustitiam. Ergo non est diuersa materia distributiuæ & commutatiuæ iustitiæ. † Lib. 5. c. 8. circa finem tom. 1.

3. Præterea. Si sit alia materia distributiuę iustitię & alia materia commutatiuæ propter hoc, q̃ differunt specie, vbi non erit differentia speciei, non debebit esse materiæ diuersitas. Sed Philosophus † ponit vnam speciem commutatiuæ iustitiæ, quæ tamen habet multiplicem materiam. Non ergo videtur esse multiplex materia harum specierum. † Lib. 5. Ethic. c. 2. ante med. tom. 1.

In contrarium est quod dicitur in † 5. Ethic. quòd vna species iustitiæ est directiua in distributionibus & alia in commutationibus. † Lib. 5. c. 1. circa finem tom. 1. † Ar. 1. hæ ias quæst. & q. 58. ar. 9. ad 2. & art. 10.

Respondeo dicendum, q̃ sicut suprà dictum † est, iustitia est circa quasdam operationes exteriores, scilicet distributionẽ & commutationem: quę quidẽ sunt vsus quorundam exteriorum vel rerum, vel personarum, vel etiã operum. Rerum quidem, sicut cùm aliquis vel aufert, vel restituit alteri suam rem. Personarum aũt, sicut cùm aliquis in ipsam personam hominis iniuriam facit, putà percutiendo, vel conuitiando, aut etiam cum irreuerentiã exhibet. Operum autem, sicut cũ aliquis iustè ab alio exigit, vel alteri reddit aliq̃d opus. Si ergo accipiamus, vt materiam vtriusq; iustitię ea, quorum operationes sunt vsus, eadem est materia distributiuę & commutatiuæ iustitię. Nam & res distribui possunt à communi in singulos, & commutari de vno in alium. Et etiam est quędam distributio laboriosorum operũ & recompensatio. Si autem accipiamus vt materiam vtriusq; iustitię actiones ipsas principales, quibus vtimur personis, rebus, & operibus: sic inuenitur vtrobique alia materia. Nã distributiua iustitia est directiua distributionum. Cõmutatiua verò iustitia est directiua commutationum, quę attendi possunt inter duas personas: quarũ quędã sunt inuoluntarię, q̃dã verò voluntariæ. Inuoluntarię quidem quãdo aliquis

aliquis vtitur re alterius, vel persona, vel opere, eo inuito. Quod quidem contingit quandoq; occultè per fraudem, quandoque etiam manifestè per violentiam. Vtrunq; autem contingit aut in rem, aut in personam propriam, aut in personam coniunctam. In rem quidem, si occultè vnus rem alterius accipiat, & vocatur furtum: si autem manifestè, vocatur rapina. In personam autem propriam, vel quantum ad ipsam consistentiam personæ, vel quantum ad dignitatem ipsius. Si autem quantum ad consistentiam personæ, sic læditur aliquis occultè per dolosam occisionem, seu percussionem, & per veneni exhibitionem. Manifestè autem per manifestam occisionem, aut per incarcerationem, aut verberationem, seu membri mutilationem. Quantum autem ad dignitatem personæ, læditur aliquis occultè quidem per falsa testimonia, seu detractiones, quibus aliqui aufert famam suã, & per alia huiusmodi. Manifestè autem per accusationem in iudicio, seu per conuitij illationem. Quantum autem ad personam coniunctam læditur aliquis in vxore, vt in pluribus occultè per adulterium. In seruo autem cum aliquis seruum seducit, ita ut à domino discedat. Et hæc etiã manifestè fieri possunt. Et eadem ratio est de alijs personis coniunctis, in quas etiam possunt omnibus modis iniuriæ committi, sicut & in personam principalem. Sed adulteriũ & serui seductio sunt propriæ iniuriæ circa has personas: tamẽ quia seruus est possessio quædam, hoc refertur ad furtum.

Voluntariæ autem commutationes dicuntur quando aliquis voluntariè transfert rem suam in alterum. Et siquidẽ simpliciter in alterum transferat rem suam absque debito sicut in donatione, nõ est actus iustitiæ, sed liberalitatis. In tantum autem ad iustitiam, voluntaria translatio pertinet, inquantum est ibi aliquid de ratione debiti. Quod quidem contingit multipliciter. Vno modo, quando quis transfert simpliciter rem suam in alterum pro recompensatione alterius rei, sicut accidit in venditione & emptione. Alio modo, quando aliquis tradit rem suam alteri, concedens ei vsum rei cum debito recuperandi rem. Et si quidem gratis concedit vsum rei, vocatur vsusfructus in rebus, quę aliquid fructificant: vel simpliciter mutuum seu accommodatum in rebus, quæ non fructificant: sicut sunt denarij, vasa, & huiusmodi. Si verò nec ipse vsus gratis conceditur, vocatur locatio & conductio. Tertio modo aliquis tradit rem suam vt recuperandam, non ratione vsus, sed vel ratione conseruationis, sicut in deposito: vel ratione obligationis, sicut cùm quis rem suam pignori obligat, seu cum aliquis pro alio fideiubet. In omnibus autem huiusmodi actionibus siue voluntarijs, siue inuoluntarijs, est eadem ratio accipiendi medium, secundùm æqualitatem recompensationis. Et ideo omnes istæ actiones ad vnam speciem iustitię pertinent, scilicet ad commutatiuam. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Eadem est materia remota vtriusque iustitiæ, videlicet, personæ, res, opera. Diuersa verò est materia proxima, videlicet, actiones quibus vtimur, rebus personis operibus. Probatur. In omnes distributiones & commutationes vniuntur personæ, res, opera: sed commutationes sunt inter eosdem ciues, ergo.

Secunda conclusio. Omnes commutationes siue inuoluntariæ siue voluntariæ pertinent ad vnã & eandem speciem iustitiæ, scilicet, commutatiuã. Explicat D. Thom. probatq; quoniam in omnibus commutationibus attenditur æqualitas, &c.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm iustum sit simpliciter idem quod contrapassum.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd iustum sit simpliciter idem quod contrapassum. Iudicium enim diuinum est simpliciter iustum. Sed hæc est forma diuini iudicij, vt secundum quod aliquis fecit, patiatur: secũdùm illud Matthæ. 7. In quo iudicio iudicaueris, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Ergo iustum est simpliciter idem quod contrapassum. 5. Ethic. lect. 9.

2. Præterea. In vtraque iustitiæ specie datur aliquid alicui secundùm quandam æqualitatem, in respectu quidem ad dignitatem personę, in iustitia distributiua, quę quidem personę dignitas, maximè videtur attendi secundùm opera, quibus aliqui communitati seruiunt: in respectu autem

autem ad rem, in qua quis damnificatus est, in iustitia commutatiua. Secundum autem vtranque æqualitatem aliquis contra patitur secundùm quod fecit. Ergo videtur quòd iustum simpliciter sit idem quod contrapassum.

3. Præterea. Maximè videtur quòd non oporteat aliquem contra pati, secundùm quod fecit, propter differentiam voluntarij & inuoluntarij. Qui enim inuoluntariè fecit iniuriam, minus punitur. Sed voluntarium & inuoluntarium, quæ accipiuntur ex parte nostra, non diuersificant medium iustitiæ: quod est medium rei, & non quoad nos. Ergo iustum simpliciter videtur esse idem quod contrapassum.

Lib 5. c. 5. tom. 5. Sed contra est, quod † Philosophus in 5. Ethic. probat non quodlibet iustum esse contrapassum.

Respondeo dicẽdum, quòd hoc quod dicitur contrapassum, importat æqualem recõpensationem passionis ad actionem præcedentem. Quod quidem proprijssimè dicitur in passionibus & actionibus iniuriosis, quibus aliquis personam proximi lædit, puta si percutit, quòd repercutiatur. Et hoc quidem iustum determinatur in lege, Exod. 21. Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, &c. & quia etiam auferre rem alterius, est quoddam iniustam iniustum facere: ideo secundariò etiam in his dicitur contrapassum, prout scilicet aliquis qui damnum intulit, in re sua etiam ipse damnificatur. Et hoc etiam iustum damnum continetur in lege, Exo. 22. Si quis furatus fuerit bouem, aut ouẽ, & occiderit vel vendiderit, quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue. Tertiò verò transfertur nomen contrapassi ad voluntarias cõmutationes, in quibus vtriusque est actio & passio: sed voluntarium diminuit de ratione passionis, vt dictum est †. In omnibus autem his debet fieri secundùm rationem iustitiæ commutatiuæ recompensatio secundùm æqualitatem, vt scilicet passio recompensata sit æqualis actioni: non autem semper esset æqualis, si idem specie aliquis pateretur, quod fecit. Nam primò quidem cùm aliquis iniuriosè lædit alterius personam maiorem, maior est actio, quam passio eiusdem speciei quàm ipse pateretur. Et ideo ille qui percutit principem, non solùm repercutitur, sed multo grauius punitur. Similiter etiam cùm quis aliquem inuoluntarium in re sua damnificat, maior est actio, quàm esset passio si sibi sola res illa auferretur. Quia ipse qui damnificauit aliũ in re sua, nihil damnificaretur. Et ideo punitur in hoc, ꝙ multiplicius restituat: quia etiam non solum damnificauit personam priuatam, sed rempublicam, eius tutelæ securitatem infringendo. Similiter etiam nec commutationibus voluntarijs esset semper æqualis passio, si quis daret rem suam, accipiens rem alterius: quia fortè res alterius est multo maior quàm sua. Et ideo oportet secundùm quandam proportionatam cõmensurationem adæquare passionem actioni in commutationibus, ad quod inuenta sunt numismata. Et sic cõtrapassum est commutatiuum iustum. Quod in distributiua iustitia locum non habet, quia in distributiua iustitia non attenditur æqualitas secundùm proportionem rei ad rem, vel passionis ad actionẽ, vnde dicitur cõtrapassum: sed secundùm proportionalitatem rerum ad personas, vt suprà dictum † est.

Ad primum ergo dicendum, ꝙ illa forma diuini iudicij attenditur secundùm rationem commutatiuæ iustitiæ, prout scilicet recompensat præmia meritis, & supplicia peccatis. Art. 2. huius quæst.

Ad secundum dicendum, quòd si alicui qui communitati seruisset, retribueretur aliquid pro seruitio impenso, non esset hoc distributiuæ iustitiæ, sed commutatiuæ. In distributiua enim iustitia non attenditur æqualitas eius quod quis accipit, ad id quod ipse impendit: sed ad id quod alius accipit, secundùm modum vtriusque personæ.

Ad tertium dicendum, quòd quando actio iniuriosa est voluntaria, excedit iniuria: & sic accipitur vt maior res. Vnde oportet maiorem pœnam ei recompensari, non secundùm differentiam quo ad nos, sed secundùm differentiam rei.

q. 59. art. 3. & 1. 2. q. 6. art. 5. & q. 34. art. 3.

SVMMA ARTICVLI.

Conclusio est affirmatiua. Vide Aristot. lib. 5. Ethic. cap. 5. & Caiet. hic.

COM-

COMMENTARIVS.

DVBIVM primum est circa præcedentes articulos, Vtrùm iustitiæ distributiuæ & commutatiuæ media, & materia proxima distinguantur specie: An vero tantùm accidentaliter intra eandem speciem.

Arguitur primò. Videtur enim quòd tantùm accidentaliter. Quia ratio formalis vtriusque iustitiæ est eadem formaliter secundùm speciem, scilicet, reddere priuatæ personæ quod suum est, ergo. Cõfirmatur. Restituere famam & restituere diuitias distinguuntur tantùm materialiter non formaliter & specificè, ergo similiter tribuere bona communia, quod est proprij distributiuæ, & tribuere particularia quod est commutatiuæ distinguuntur tãtùm materialiter.

Secundò. Iustitia commutatiua respicit quandoque dignitatem personarum sicuti & iustitia distributiua, ergo solùm differunt accidentaliter: quòniam hęc videbatur vna potissima ratio distinctionis specificæ inter vtramque iustitiam: quòd altera respiciat dignitatem alia non. Antecedens præter quam quod est D. Tho. in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. ad tertium. Probatur. Iustitia commutatiua præcipit maiorem compensationem iniuriæ illatæ faciendam esse prosonę digniori. Itaque quãto dignior est persona, tanto maior satisfactio illi facienda est.

In hoc dubio Buridanus 5. Ethicorum. quæst. 7. absque vlla ratione asserit esse tantùm accidentalem distinctionem inter vtramque iustitiam, Sed opposita sententia est expresse Arist. 5. Ethic. cap. 2. 3. & 4. & vtriusque scholæ Philosophicæ & Theologicæ. Probatur conclusio à priori. Primò, triplex est ordo ad alterũ qui est de intrinseca ratione iustitię & iuris. Primus est ciuis ad rempublicã, qui est ordo partis ad totũ: in quo ordine moderat iustitiã legalis, de quo nõ agimus in præsentia: sed de particulari. Secundus est reipublicæ ad ciues: qui est totius ad partes. Hunc moderatur iustitia distributiua. Tertius est ordo ciuis ad alterum ciuem: qui est partis ad compartem. Sed duo postremi ordines sunt formaliter & specificè distincti, vt per se manifestum est, ergo. Secundò probatur. Ratio debiti iuris est distincta secundùm speciem, in distributiua & cõmutatiua, ergo. Antecedens probatur. In iustitia distributiua reperitur ratio debiti eo quòd id quod est totius, videlicet reipublicæ, debetur aliquo modo parti, scilicet, ciui. Debetur autem non tanquam illi applicatum: sed applicandum tanquã proprium. In commutatiua verò debetur aliquid ciui tanquam iã proprium & applicatum illi, & tã quam ipsiusmet ciuis & partis, ergo. Hæ sunt demonstrationes quibus vtitur D. Th. à priori. A posteriori vero, in solutionibus argumentorum, videlicet, ad secundum & vltimum eiusdem articuli. Confirmatur ex decisionibus articulorum secundi & tertij.

Probatur vltimo à posteriori duobus signis. Primum est. Violatio commutatiuæ iustitiæ secũdùm omnium sententiam obligat ad restitutiouem, & Theologi & iurisperiti certant: & adhuc sub iudices lis est, an distributiuę iustitię violatio obliget ad restitutionem. Quam questionem nos reseruamus definiendam infra quęst. 63. Vbi agitur de acceptione personarum: quę opponitur iustitię distributiuę. Secũdum signum est. Vitia opposita vtriusque iustitię sunt diuersa specie: distributiuę nanque opponitur acceptio personarum: commutatiuę verò iniustitia, non enim habet nomen speciale, ergo &c. Ad argumenta respondetur ad primum negatur antecedens: quia illa ratio est generica. Ad confirmationem negatur consequentia propter rationes assignatas.

Ad secundum primo respondetur quod distributiua iustitia primò, & per se respicit dignitatem personarum: commutatiua verò, licet aliquando respiciat illam, videlicet, in actionibus iniuriosis: non tamen semper. Secundò respondetur, quòd distributiua iustitia formaliter & directè respicit dignitatem personarum, hoc est proportionem quã habet persona ad personam & ad bona communia distribuenda inter alias partes & personas. Et ita quanto plures personę fuerint dignę: tanto minus obueniet vnicuiqꝫ personę bonorum communiũ. Cęterùm commutatiua tantum respicit ęqualitatem. Si quando autem respicit dignitatem, hoc antecedenter & presuppositiuè respicit, vt compenset ad ęqualitatem iniuriæ. Et ita non minorem satisfactionem tenetur facere si plures personę fuerint in republica ęquè dignę, quàm si vna tantùm esset cui iniuriam intulit. Vide Caietanum artic. 2. ad tertium.

DVBIVM secundum est circa eandem distinctionem. Vtrùm sit legitima, ita vt diuisum conuertatur cum ambabus partibus diuidentibus simul sumptis disiunctim. Et est dubium peculiare quod mouetur propter rationem iustitię quę dicitur vindicatiua. Etenim vindicatiua iustitia est: nõ tamen distributiua nec commutatiua, ergo. Probatur quãtum ad priorem partem. Vindicatiua iustitia compensat iniuriam factam secundum ęqualitatem rei ad rem infligit si quidem pœnam iuxta delicti quãtitatem. Quantũ ad secundã partem probatur. Commutatiua iustitia residet non solum in Principe, verum in subiectis ciuibus: sed vindicatiua iustitia solùm residet in Principe, ergo non est commutatiua. In oppositum est quòd vindicatiua iustitia continetur sub commutatiua, sicut species sub genere: sed species non conduiditur contra genus, ergo neque vindicatiua contra commutatiuam. Maior est ex D. Tho. infra quęst. 108. artic. 2. ad primum. Vbi ait, punitio peccatorum secundum quod pertinet ad iustitiam publicam, est actus, iustitię commutatiuę. Et in 3. part. quęst. 85. arti. 3. ad tertium inquit iustitia vindicatiua respicit personam iudicis & sub iustitia commutatiua continetur, quo loco Caieta. D. Tho. autore, asserit expresè conclusionem illã, videlicet, quòd sub iustitia commutatiua continetur tanquam eius species iustitia vindicatiua. Magist. Soto lib. 3. de Iustitia. quęst. 5. art. 1. ad tertium. inquit, quod iustitia vindicatiua potest considerari duobus modis, primo quatenus ad iustitiam publicam pertinet & refertur ad bonum commune reipublicę: & sic est actus elicitus à commutatiua iustitia, imperat vero à legali iustitia, quę est in Principe & illius ministris. Secundò consideratur respectu particularis personę, quatenus refertur iustitia vindicatiua ad tollendum nocumentum, quod factum est parti lęsę: qua consideratione vindicatiua iustitia non solum est in Principe, sed etiam in ciue qui affectus est iniuria: cui licitum est vindictam petere modo & ordine debitis, vt compensatio illi fiat. Et hac consideratione non est actus iustitię, sed actus specialis virtutis: quę sumit sibi nomen iustitiæ vindicatiuæ & ad cõmutationem reducitur.

Probat hanc sententiam. Respublica per vltionem æqualem crimini recuperat suum honorem, & reddit quodammodo malefactori æquale. Cæterum persona priuata quando vindicat, nihil omnino recipit aut recuperat, neque reddit malefactori æquale: sed ipse malefactor est qui recipit & patitur: & iudex est qui reddit æquale, ergo &c. Sed pro huius rei intelligentia notandum est, quod vindicatio siue vltio, etiam qua ratione distinguitur à defensione, sumitur interdum pro actu, qui est in iudice qui publica auctoritate potest legitimè talé vltionem exequi, siue intendendo bonum reipublicæ, siue delinquentis emendationem, siue demum immunitatem ciuis læsi per iniuriam. Interdum verò sumitur vindicatio pro vltionis à iudice exercendæ petitione. Et hac consideratione iste actus non solum est in iudice, sed etiam in priuatis hominibus. Sic ergo difficultatem dedimus.

Prima conclusio. Vindicatio secundùm quod est in iudice est actus iustitiæ commutatiuæ, non tantum qua ratione ordinatur vindicatio ad bonũ reipublicæ. Verum etiam qua ratione ordinatur ad bonum particulare ciuis, cui illata est iniuria, ad seruandam, scilicet, illius immunitatem. Probatur primo. Iudex ex iustitia commutatiua, & ex officio tenetur non solum prospicere bono publico & communi, verum etiam ad seruandos immunes singulos ciues, ergo non tantum in ordine ad rem publicam, sed etiam in ordine ad singulos vindicat, &c. Antecedens probatur. Quia iudex recipit non solum à republica verum etiam à singulis ciuibus tributa & stipendia, vt propulset iniurias singulorum ciuium.

Confirmatur. Iudex tenetur ex commutatiua iustitia seruare ciues immunes à furtis: ita vt si per negligentiam iudicis fures furentur & fiant crebra latrocinia & furta in republica, teneatur iudex ad restitutionem omnium damnorum. Ergo tenebitur ex iustitia commutatiua ad cõpensandas quaslibet iniurias ciuibus factas.

Secunda conclusio. Petitio ⁓vindictę exercendæ per iudicem est actus iustitiæ commutatiuę in persona quę habet famam suam alijs obligatam, si non potest alio pacto famam recuperare. v.g. in prelato. Probatur. Talis persona tenetur ex iustitia commutatiua exequi officium suum, sed non potest id exequi si infamis sit, & non petat vindictam. Ergo tenetur ex iustitia commutatiua petere. Confirmatur, sicut iudex potest lege cogi ad vlciscendas iniurias ciuium ab ipsis ciuibus: ita talis persona potest lege cogi à suis subditis ad petendam vindictam & vltionem, ergo est par ratio.

Tertia conclusio petitio uindictæ exercendę per iudicem, in alijs priuatis personis non est actus iustitia: quę dicitur Cardinalis & perfecta virtus, sed est actus cuiusdam virtutis, quæ est pars potentialis iustitiæ cardinalis & reducitur ad illam, quæ dicitur à Philosophis moralibus vindicatiua iustitia. Probatur. Iustitia cardinalis respicit legale debitũ, hoc est debitum ad quod persoluẽdum potest quis lege compelli. Sed priuata persona, de qua in conclusione loquimur, quæ, videlicet, non habet suam formam alijs obligatam, non potest lege compelli ad petendam uindictam: sed tamen poterit compelli ex debito honestatis & morali. Hæc est sententia D. Tho. infr. q. 80. & q. 108. art. 2. Et sic conciliatur D. Tho. cum alijs locis allegatis pro sententia Caiet. imò ipse D. Tho. se se conciliat ad hunc modum in allegato art. 2. ad primum. Hinc colligitur manifeste responsio ad argumentum factum in principio. Dicimus enim quod iustitia vindicatiua propriè loquendo non est iustitia cardinalis & perfecta quæ diuiditur in hac diuisione.

Ad argumentum vero quo Magister Soto probat suam sententiam, respondetur, deficere in multis. Et enim priuata persona, dum vindicatur, recipit æquale iniuriæ illatæ quantum licet per leges, non secus atque ipsa respublica: at in tantum deficit à ratione iustitiæ commutatiuæ talis petitio vindictæ, in quantum deficit ratio debiti legalis. Est simile in virtute quæ dicitur gratitudo, quæ quidẽ licet interdum reddat pro beneficijs acceptis, nunquam tamen potest accedere ad rationem iustitiæ commutatiuę: quia reddit æquale non ex debito legali sed morali. Vt autẽ bene dicit Cicero, quod in beneficio, gratia: in iniuria, ⁓vltio nominatur. Atque adeo, qui petit vindictam, licet reddat par ei qui intulit iniuriam, non tamen reddit per commutationem: quia non ex debito legali. Caiet. in hoc art. 3. super D. Tho. dicit iustitiam commutatiuam esse speciem specialissimam, quo loco melius sentit quam in 3. parte loco citato.

Circa solutionem ad primum in art. 4. solet disputari. Vtrum iustitia commutatiua reperiatur in Deo: sed hęc quæstio pertinet ad primam partem quęst. 21. art. 1. In prę̃sentia si quidem solum disputamus de iustitia hominum ad alios homines.

PRÆ-

PRAEAMBVLVM DE DOMINIO,

Ad Quæstionem sexagesimam secundam.

ANTEQVAM tractatũ valde necessarium de restitutione aggrediamur, necesse est, ⁓vt de dominio prius disseramus. Et enim in diffinitione restitutionis ponitur dominium. Vt patet ex articulo primo huius quęstionis. Et quidem Diuus Tho. agit de dominio infra quæst. 66. artic. 1. & 2. breuiter quidem, & occasione tractatus de furto. Item etiam alia consideratione agit de dominio in prima parte quæst. 96. per totam, scilicet, quatenus primo homini competebat vniuersale dominium. Doctores Theologi agunt de dominio in 4. sent dist. 15. Iuris periti: Instituta de rerum diuisione. & ff. de acquirẽdo rerum dominio, & acquirenda rerum diuisione. & in titulo de vsu & vsufructus. Et Gerson tractatu de potestate ecclesiastica consideratione 13. & in libr. de vita spirituali lect. 3. Item quidam Conradus presbyter. in lib. de contractibus. tractatu. 1. & Iona. de Medina in tractatu de restitutione. quæst. 1. Magister Soto libr. 4. de Iustitia. statim in principio.

Quinque quæstiones principales sunt hic à nobis differendæ.

Quæstio prima quidnam sit dominium?

PRO cuius intelligentia ante omnia operæpretium est obseruare id quod attinet ad quid nominis dominij. Est enim vocabulum Latinum quod sæpè inuenitur in Sacris literis & prophanis: quanuis non sit vocabulum Ciceronianum: sed pro dominio vtitur hoc vocabulo mancipium & hoc vocabulo nexus. Vt patet. 7. epistolarum ad Atticum, vbi ait: Attice scribis te esse proprium mancipio & nexu: meum autem esse vsu & fructu. Ecce vbi Cicero statuit idem esse dominium quod nos dicimus mancipium & nexus. Itẽ mancipare apud Lucam idem est, quòd transferre dominium, & mancipatio idem quod translatio dominij.

Secundo notandum est dominij vocabulum dupliciter vsurpari. Vno modo in ampla quadam significatione, quatenus dicit ordinem & respectum ad rem quomodocunque possessam vel habitam siue superiorem siue inferiorem: siue res illa sit pars naturali nobis, siue pars possessionis vel hæreditatis, siue sit aliquod bonum commune, siue priuatum, & in hac ampla significatione dicuntur Reges dominari rebus publicis, & ciues dicuntur dominari vijs publicis & fluminibus ac montibus. Patres etiam isto modo dicuntur dominari filijs, imo etiam seruus hac significatione habet quodam dominium erga herum suum, scilicet, ius vt sustentetur ab illo: & filij habent hoc ius erga parentes: & ciues habent ius incedendi per viam publicam. Secundo modo accipitur dominium magis strictè & propriè, prout dicit ordinem & rationem iuris ad rem inferiorem quæ ordinatur ad commodum illius qui dicitur dominus. Hoc modo Arist. lib. 5. Ethicorum cap. 6. distinxit ius dominatiuũ siue herile ab omnibus alijs speciebus iuris. Et dixit quod solum ius, quod habet herus respectu serui, est dominatiuum. In hac acceptione Reges non sunt domini regnorum: neque parentes filiorum. Reges enim gubernare debent rem publicam propter bonum ipsius reipublicę: & patres educare filios propter filiorũ commodum. At herus habet ius ordinandi seruum ad proprium commodum ipsius heri. Quapropter Cicero eos qui dominantur rerum publicarum appellat Tyrannos. Et in hac doctrina principum magistri & pædagogi deberent eos educare.

Iam vero dicendum est de diffinitione quid rei. Necesse est autem duplicem definitionem assignare iuxta duplicem acceptionem dominij præfatam. Prima sit dominum est facultas propria vtendi re in omnes vsus lege permissos. Altera dofinitio addit supra dictam hæc verba, referendo rem ipsam in proprium commodum. In istis definitionibus ponitur facultas tanquam genus: & est idem quod potestas legitima & iuridica quæ secundum leges & iura habetur. Propria verò ponitur tanquam differentia quæ distinguit dominium à possessione: quia aliquis potest habere possessionem & non proprietatem nec dominium vtendi re in omnes vsus: ponitur, vt distinguatur dominium ab vsufufructu. Quia in eo qui solum habet vsumfructum, non est potestas ad vtendum substantia rei propriè loquendo: quia nõ potest alienari ab vsufructuario. Cæterùm, lege permissos, non ponitur ad aliquid excludendũ quod per priores particulas non sit exclusum. Nam vsus qui non est lege permissus, non est ⁓vsus, sed abusus: & facultas ad vsum non permissum lege, nõ dicitur propriè facultas, quę debet esse iuridica, imo nec est potestas moraliter loquendo. Nam moraliter loquendo, id possumus quod iure possumus. Ponitur ergo illa particula (lege permissos) explicationis gratia potius quàm necessitatis. Cæterùm quod in posteriori definitione additur (referendo rem in proprium commodum) necessarium fuit, vt distingueretur dominium strictè dictum à dominio in ampla significatione. Nam dominium strictè dictum, est ius tantum respectu rerum inferiorum ipsi domino. v.g. respectu serui, vineæ, & domus: quæ sunt propter dominum.

Deinde aduertendum est quod iuxta prædictam duplicem acceptionem & definitionem dominij, poterunt reconciliari doctores differentes de dominio. Quidam enim considerantes dominium in priori acceptione: definiũt illud priori modo. Alij verò, inter quos est Magister Soto vbi supra, definiunt posteriori modo. Nobis tamen necessarium visum fuit, vtranque acceptionem & definitionem proponere. Et ratio est quia dominium vt pertinet ad præsentem disputationem de restitutione, non solum accipitur strictè, sed etiã generali & ampla significatione

catione secundùm quam accipitur in definitione re stitutionis. Qui ,n. læsit alterũ in re cuius erat dominus secundũ amplã significationem dominij: tenetur nihilominus illi restituere. Cõparantur itaque istæ duæ definitiones inter se, sicut superius & inferius, quasi homo & animal. Sed contra vtramque definitionem arguitur. Primo de bonis primogenituræ, quæ Hispane dicitur (mayorazgo) primogenitus est dominus illorum bonorum. Et tamen non habet facultatem expendendi in omnes vsus, ergo &c. Confirmatur. Pupillus quandiu sub tutoribus est: est verus dominus hæreditatis, & non habet facultatem expendendi aliqua bona per seipsum: iuxta illud ad Galatas 4. Nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium.

Secundo arguitur. Qui habent Ecclesiastica beneficia, quales sunt parochi & Episcopi, habent dominium beneficiorum, & non possunt vendere beneficia, neque super illis ponere pensionem aut cẽsum, ergo.

Ad primum argumentum, non desunt qui negat primogenitos esse veros dominos: sed solum esse aiunt vsufructuarios primogenituræ. Opposita tamen sententia tenenda est. Et ratio est manifesta, quia illa bona habent aliquem verum dominum, non enim sunt Regis vel communitatis, sed non est alius qui possit assignari nisi primogenitus, ergo. Confirmatur. Quia si quis illa bona retineat, tenetur restituere ipsi primogenito, ergo est verè dominus.

Ad duo argumenta ergo respondetur. Ad primũ, quod primogenitus & pupillus habent verum dominium, tamen impeditum lege iustissima & cõuenientissima ad conseruationem Reipublicæ in splendore & potentia.

Ad secundum respondetur eodem modo pro nunc, etenim lege diuina impeditur emptio vel vẽditio beneficiorum ecclesiasticorum. Cæterùm, An præter vitium simoniæ, quod cõmittitur cum quis intendit vendere beneficium, sit etiam translatio beneficij impedita iure diuino & naturali, an solũ Ecclesiastico: disputatio est inter Theologos, cuius definitio non est præsentis loci. Vtraque tamẽ pars est probabilis vt in altero tractatu de partibus potentialibus iustitiæ, vita comite ostendemus.

Deinde explicanda à nobis consequenter sunt quædam vocabula: quæ magnam habent cum dominio coniunctionem & affinitatem. Verbi gratia, titulus, possessio, vsus, & vsusfructus. Titulus quidẽ est principium & veluti causa efficiens moralis dominij. Verbi gratia. Electio est titulus principatus vel episcopatus &c. Emptio verò est titulus dominij rei emptæ: possessio est detentio voluntaria. Vel si vis definitionem formalem, est ius quod causatur ex detentione voluntaria per actum corporalem iuris adminiculo interueniente. Voluntaria, quoniã per liberum arbitrium homo possidet. Sed quia voluntas nisi manifestetur exterius, eum sufficit ad possessionem, propter ea additur, per actum corporalem explicatiuum voluntatis. Quemadmodum in possessione domus acquirenda solent homines claudere & recludere fores. Postrema particula distinguit possessionem ab iniquis detenditionibus. Fur enim & latro non dicuntur possidere quæ detinẽt. Quapropter à iuris peritis vocãtur, Detentores. Deinde vsus fructus & vsus accipiuntur propriè. Et hoc modo dicuntur de illis rebus quæ vnico actu & vsu consumuntur: cuiusmodi sunt omnia comestibilia & potabilia. Et sic diffinitur vsus, quòd sit ius alienis rebus vtẽdi salua earum substantia. Vsus fructus verò difinitur quòd sit ius alienis rebus fruendi, salua eorum substantia. V.g. si quis habet facultatem à vero domino vescendi vuis ex vinea eius, non potest vendere vua: sed tantùm frui. Si tamen accipiamus, vsum & usum fructum generali acceptione indifferens est ad res illas siue vsu consumantur siue non.

His prælactis. Dubium est solenne non solum inter Scholasticos, sed etiam inter summos Pontifices, vtrum vsus distinguatur à dominio. Ita videlicet, vt vsus possit esse apud vnum, & dominium apud alterum. In qua re habemus decretum Nicolai. in capit. exit qui seminat. de verborum significatione. libro. 6. Vbi cõtendit dominium & vsum res esse distinctas, ac proinde quòd fratres Minores Dini Francisci (ait) habent verum vsum rerum, non tamen dominium: sed dominium illarum rerum, quibus vtuntur, residere apud summum Pontificẽ, etiam vsu consumptibilium, vt potabilium. Ac proinde quotidie sunt conuiuæ summi Pontificis apud quem est dominium. Huic decisioni subscribit Clemens V. in Clẽmentina. exiui de paradiso. de verborum significatione. Contrarium videtur sentire Ioann. XXII. in extrauaganti. Ad conditorem. de verborum significatione. Et quòd fratres Minores habent in communi dominium rerum quibus vtuntur. Item in extrauaganti. Quia quorundam. Eidem ait, Quòd si quis cõtra id definire ausus fuerit, tanquam contumax Romanæ Ecclesiæ habeatur. Et propterea Diuus Thomas quæst. 78. articulo. 1. Idem videtur sentire, scilicet, quòd vsus non distinguitur à dominio in ijs quæ vsu consumuntur. Idem sentit Sylueſter in verbo, dominium §. tertio. Ratione vero arguitur pro ista sententia vsus est ius vtendi rebus, salua earum substantia, sed impossibile est, quòd aliquis vtatur rebus quæ vnico actu cõsumuntur, salua illarum substantia, ergo saltim in huiusmodi non distinguitur vsus à dominio. Et cõfirmatur. Quoniam actus dominij in huiusmodi rebus est consumptio ipsarum, ergo vsus illarum non distinguitur à dominio.

Pro huius difficultatis intelligentia notandum est, quod vsus rerum vsu consumptibilium potest dupliciter considerari. Vno modo per modum habitus, & est ius vtendi huiusmodi rebus: & ita diffinitur apud Iuris peritos. Altero modo, vt est actus vtendi re. Et iste dicitur vsus factis: alter verò dicitur iuris vsus. Notandum est secundũ, quòd huiusmodi res vsu consumptibiles duplicem possunt habere vsum. Alterum proprium ipsarum rerum ex naturà sua: sicut panis ex natura sua ordinatur vt comedatur, vinum vt bibatur. Alter vsus potest esse aduentitius & quasi extraneus: ad quem ordinantur istæ res ex beneplacito hominum. Verbi gratia. Si quis vtatur pecunia ad ostentationem. Similitẽr etiam comestibilia, & alia huiusmodi possunt ad istum finem ordinari.

His ita constitutis sit prima conclusio. Manifestũ est, quòd vsus rei quæ non consumitur vsu distinguitur à dominio. Verbi gratia. vsus domus locatæ est apud Petrum, dominium verò est apud Paulũ. Sic etiam vsus quo res cõsumptibilis non consumitur, distinguitur à dominio: quia ostentatio est vsus rei: & tamen ostentatione non consumitur panis nec vinum nec carnes. Et ideo huiusmodi vsus potest distingui à dominio. Atqui in hac conclusione non est difficultas.

Secunda conclusio. Vsus rerum, quæ vsu proprio consumptibiles sunt, at vero vsu extraneo non consumuntur: constat etiam, quòd distinguitur à dominium

minio hæc etiam est manifesta.

Tertia cõclusio. Vsus propriusin habitu, qui dicitur vsus iuris, distinguitur à dominio. Verbi gratia. Si Petrus concedat Paulo, vt possitis vesci cum voluerit, fructibus vineę suæ, certè dominium manet apud Petrum etiam fructum, ius autem vtendi illis manet apud Paulũ Probatur primò. Quoniã Deut. c. 23. Concedebatur vnicuique facultas ingrediendi uineã, & uiscendi vuis: & tamen dominiũ vuarum erat apud dominum vineæ. Similiter in Actibus Apostolorum legimus capit. 2. quòd erant illis omnia communia & distribuebatur vnicuique pro ut cuique opus erat: & tamen dominium illarum rerum non erat penes singulos fideles. Item §. minus. Iustitia. de vsu & habitationes. dicitur, quòd potest quis habere vsum olerum & florum pomerij, non tamen habere dominium vt possit eas uendere & alienare. Deinde probatur eadem conclusio. Dominium est ius siue facultas propria vtendi re in omnem vsum: at uero usus habitualis siue usus iuris proprium istarum rerum non est facultas utendi illis in omnem usum, ergo distinguitur à dominio.

Præterea in extrema necessitate omnia sunt cõmunia, etiam istæ res vsu consumptibiles, imo istæ maximè, & tamen non sunt communia quantum ad dominium: alias diues, qui non facit eleemosynam pauperi in extrema necessitate constituto, tenetur ad restitutionem. Quod est contra communẽ sententiam Theologorum supra quæstione. 32. qui asserunt, quòd solùm tenetur ex charitate & miseri cordia dare illã eleemosynã. Deniq; singuli religiosi non habent dominium rerum & habent vsum cibi & potus, ergo distinguitur à dominio.

Deinde sit quarta conclusio. Vsus facti siue vsus in actu in istis rebus vsu consumptibilibus multò magis distinguitur à dominio, quàm vsus in habitu siue vsus iuris: non tamen distinguitur à dominio, impropriè dicto, quod alias dicitur dominium actuale.

Pro cuius intellegentia est notandum, quòd quẽadmodum distinximus vsum in habitualem & actualem: ita solet dictingui dominium, in habitu & actuale taliter vt habituale sit facultas illa propria vtendi rebus, actuale uero dominium iudicatur ipsum exercitium dominij. Sed est maxima differentia: quoniam vsus propriè est in actu ipso: in habitu verò impropriè & secundum quid. Dominium autem vice versa, nam in actu non est propriè dominium: in habitu vero est propriè dominium quoniam est ipsa facultas siue potestas essentialiter. At vero dominium in actu potius est effectus dominij quàm ipsum dominium. Probatur igitur prima pars conclusionis, quoniam dominium per se loquendo est facultas. Vsus in habitu etiam est facultas: sed vsus in actu non est facultas, ergo multo magis distat à dominio propriè dicto. Secunda vero pars conclusionis probatur, quoniam dominium in actu nihil aliud est quàm effectus & vsus dominij siue exerceatur à proprio domino siue ab habẽte licentiam ab illo. Ergo vsus actualis istarum rerum non distinguitur à dominio impropriè dicto. Per hanc doctrinam possunt conciliari dicta Pontificum locis citatis. Ita vt Ioannes XXII. intellegatur iuxta secundam partem huius conclusionis. Alij vero pontifices intelligantur iuxta priorem partem, & iuxta alias conclusiones.

Ex dictis sequuntur tria corrollaria. Primum est, quòd fratres Minoritæ etiam in communi non habent dominium rerum etiam illarum, quæ vsu consumuntur: sed habent vsum iuris & vsum facti omnium rerum quæ vsu illis conceduntur. Etsi quæras, vbi nam est dominium istarum rerum? Respondetur, quod illarum dominium est, vel apud summum Pontificem, vel apud illos qui elargiuntur fratrib. illas tales res eleemosinam, vel dicatur, quod est apud rempublicam donantem. Aliqui distingunt depliciter. Dicunt enim quòd fratres minores tãtum habent vsum facti. Item aiunt, quòd dominium vsu consumptibilum rerum est apud summum Ponificem. Ita vt quotidie sint conuiuæ illius. At vero pecuniarum dominiũ, dicunt quòd est apud illos qui largiti sunt illas. Sed tamen istæ duæ differentiæ & distinctiones non bene à nobis intelliguntur. Primò quidem, quia vsus iuris non repugnat paupertati Euangelicæ siue in particulari siue in communi. Probatur: nam singuli fratres aliarum religionum sunt vere & propriè Euangelici pauperes non minus quam fratres Minores, & tamen isti habent vsum rerum, non solum facti, sed etiam iuris. Ergo quòd communitas fratrum Minorum habeat vsum iuris etiam per modum habitus, non repugnat paupertati illorum. Similiter non bene intelligitur distinctio pecuniarum ab alijs rebus vsu consumptibilibus. Nam qua ratione cibi & potus dominium est apud Pontificem erit etiam & pecuniarum, & rursus qua ratione dominium pecuniarum dicitur manere apud eum qui elargitus est: erit etiam dominium cibi & potus, donec consumãtur. Quapropter nos non admittimus istas distinctiones. Sed vniuersaliter dicimus ipsos habere vsum iuris & facti: dominium autem esse vel apud Pontificem, vel apud rempublicam vel apud largitorem: ita quod non est necessarium, quod illa Minorum cõmunitas habet aliquod dominium propriè dictum.

Secundum corollarium est, quòd non ea ratione negandum est esse dominium in ordine Minorum, quia non possint vendere res quæ sibi conceduntur. Probatur, nam quilibet religiosi aliarum religionum de facultate Prælati possunt vẽdere & donare res sibi concessas ad quemlibet vsum, & tamẽ non propterea sunt domini, ergo neque communitas fratrum Minorum erit domina illarum rerum etiam si possit eas vendere vel donare de facultate vel summi Ponificis, uel dominorum qui res illas concesserunt. Et quanuis illi non dicant expressè quod fratres possint uendere: dicunt tamen interpretatiuè, Deinde probatur, quia pauper qui est in extrema necessitate habet usum omnium rerum ad supplendam illam: ita ut possit vendere & donare, & tamen non est dominus ipsarum rerum, ergo similiter potest esse eadem facultas in fratribus Minoribus. Ratio huius veritatis est, quia tam Prælati ipsius religionis, quàm tota communitas censentur merè dispensatores de voluntate dominorum, qui res illas concesserunt. Et quia facultas expendendi illa bona non est propria ipsius religionis: propterea non cẽsetur esse ibi dominium, magis quàm in dispensatore famulo alicuius domini: qui liberam habet facultatem expendendi bono illius.

Tertium corollarium. Nullus religiosus cuiusuis religionis potest vendere vel alienare, quæ sibi conceduntur ad vsum, etiam comestibilia absque licentia Prælati expressa vel interpretatiua ad iudicium boni viri.

Ad argumenta posita in principio patet ex doctrina cõclusionum. Ad autoritatem Diui Thomę, respondetur quòd loquitur de distinctione dominij & vsus quantum ad hoc quòd seorsum non est pretio æsti-

tio æstimabile dominium rerum quæ vnico actu & vsu consumuntur.

DVBITATVR iam consequenter in hac quæstione de subiecto dominij, quod nam sit proprium subiectum dominij. Gerson & alij iuniores, vt refert Soto in lib.4.de Iustitia & iure. quæst.1.artic.2. tenēt quòd bruta inter se inuicem dominantur. Et probant argumento ducto à gruibus, & à leone, quæ quidem animalia videntur exercere dominatum erga alia:leo si quidem fortissimus bestiarum, qui communiter dicitur;Rex animantium. Idipsū probatur ex Genes.cap.1. vbi herbæ signatur in pabulum bestiarum, ac subinde illarum habent dominium. Alij vero distinguunt de dominio, ꝙ aliud sit naturale puta à natura inductum.Aliud vero regale. Et primum dominium constituunt in animalibus.Secundum vero in sola creatura rationali.Potest probari hæc opinio. Nam vt patet ex præcedētibus bruta habent suas leges naturæ, ergo habent facultatem vtendi aliquibus rebus in vsus permissos à tali lege.

Nihilominus pro huius intelligentia supponendum est,quòd subiectum est duplex, aliud inhærsionis aliud vero denominationis.Verbi graria. Crispitudo solis capillis inhæret:at vero denominat totū hominem. Similiter solet distingui subiectum duplex:aliud totale vt compositum corporeum, aliud verò subiectum, vt quo, qualiter à Metaphysicis quantitas appellatur subiectum accidentium corporalium.Secundò,nota ex Diuo Thoma de potentia quæstione.7. artic.1. ad quartum. quòd dominium importat tria. Primo potentiam coerciuam subditorum.Secundò ordinem ipsius dominij ad sibi subditos: qui ordo consequitur ad potentiam prædictam. Tertiò connotat rationem termini ipsorum subdictorum ad dominum, quatenus relatiuè consistunt in respiciendo se inuicem.

Sit prima conclusio. Solus Deus est propriè perfectissimus Dominus earum quibus vtitur rerum. Probatur,quia solus ipse est creator & gubernator omnium,ergo &c.Etenim quatenus creator est dominus totius entitatis & cuiusuis actionis:& quatenus gubernator habet dirigere omnia ad finem.Vnde qua ratione creator est, omnia sibi subijcit: & qua ratione gubernator subijcit illa sibi tanquam vltimo fini.Vnde constituitur hoc discrimen inter dominium Dei & hominum: quòd homo non est dominus naturę,sed duntaxat vsus.Deus autem & naturæ & vsus. Hinc est, quòd Deus dicitur solus Dominus,non tantum quia Antonomaticè dominus est,sed quia solus ipse dominus est naturę rerū. Qua ratione in scriptura solet dici non solum dominus,sed dominator Isaię 3.& 10.

Secunda conclusio. Angelus etiam est subiectū dominij.Probatur,quia angelus intellectualis est & liber,ergo dominus earum actionum quæ subdunturpropriè eius libertati. Vnde maximè dicitur sui compos. Quòd si quæras,vtrum angelus habeat dominium aliquarum rerum corporalium? Respondetur negatiuè, quia nullibi legimus dominium istud esse traditum angelis,& ratio congruit, quia angelus caret corpore, ergo incongruenter dominaretur creaturæ corporali. Quod si aliquando legimus in scriptura angelis fuisse traditam potestatem vtendi rebus corporeis. Apocalyp.7. Quibus datum est nocere terræ,& mari,intelligendum est de vsu ministeriali & tanquam exequentes mandatum domini.Quod innuitur ibi,Nolite,&c. Sic etiam mouent cælestia corpora. Sed contra hanc conclusionem arguitur. Nam angelus per naturam habet potestatem vtendi his rebus corporeis in quoscunque vsus lege permissos, ergo verè est dominus. Antecedens patet,quia habet virtutem naturalem transmutandi res istas, ergo multo magis illis concedi tur vsus. Secundo,homo est dominus istarum rerū corporalium: quia conditus est ad imaginem & similitudinem Dei,vt communiter docent sancti,sed angelus potiori iure conditus est ad similitudinem Dei; ergo erit dominus sicut homo. Minor probatur.Quia angelus non solum imago dicitur, sed signaculum similitudinis Dei.

Ad primum argumentum respondetur,quòd angelus solum habet vsum istarum rerum corporaliū applicando actiua passiuis, non autem immediatè transmutando res istas inferiores. Vnde D. Tho.1. par.quæstione.110.artic.2.contra Platonem & Auicennam concludit quòd solum composita corporalia sunt immediata causa transmutationis formalis istarum rerum, aut etiam Deus qui est eminentet omnia etiam corporalia, nec sufficit quòd angelus operetur vt potestas super gubernatiua potestatis inferioris.Nam vt respondet D.Tho.ibi artic.1.est solum potestas ministerialis.

Ad secundum respondetur. Primo quòd potius inde sequitur oppositum, quia illo loco Deus uolitariè tradidit dominium rerum corporalium homini. Quare si angelus futurus esset dominus earundem rerum dispensatione diuina illud fieret.Secundo respondetur, quòd non solum tribuitur dominium homini quia imago Dei, sed etiam quia conditus ad similitudinem eius. Quod importat nomē ipsum, scilicet, ad imaginem &similitudinem:per imaginem enim anima designatur. Et in eo quod ait,ad similitudinem,significatur ipsum corpus. Vt intelligit Diuus Ambrosius de fide Orthodoxa cap.8. Diuus Basilius aduersus Eunomium lib.2. Gregor.Nazianz.serm.de Epiphania.

Tertia conclusio. Solus homo est subiectum dominij propriè inter creaturas corporales. Hanc conclusionem probat Soto vbi supra quinque rationibus quibus alias duas superaddimus,Prima est,quia ius & iustum solùm reperiuntur in brutis metaphori, & non propriè,ergo dominium verum & proprium non erit in illis.Consequentia patet,quia dominium idem est quod ius aut facultas vtendi re. Secundò. Nam si alia animantia iure naturæ haberent dominium proprium istarum rerum,iniustè subijceretur dominio hominis: quod est contra illud Psalm.8.Omnia subiecisti sub pedibus, &c. & Genes.1. Dominamini piscibus maris & bestijs terræ. Nihil tamen inconuenit concedere dominium improprium in brutis sicut concedimus ius aut iustum secundum quid.

Quarta conclusio. Inter homines nullus est qui non sit subiectum capax dominij propriè in quacunque sit ætate seu statu & conditione. Probatur. Quia dominium competit homini eo quòd rationalis est,hoc autem omni homini cōuenit, ergo quòd sit subiectum capax dominij. Maior ab omnibus admittitur. Ex quo sequitur primò, quod pueri nondum vtentes ratione possunt habere verum dominium:quod non solum constat ex legibus ciuilibus, sed etiam ex Diuus Paul.ad Galat.4. Quanto tempore hæres paruulus est nihil differt à seruo cum sit dominus omnium.Secundò sequitur quòd amentes etiam possunt verum dominium habere proprium.Quod patet, quia iure hæreditario succedunt parentibus. Verum est tamen quòd amentes quibusdam dominijs iustè priuātur: quia illa instituta sunt in bonum Reipublicæ, cui non possunt consulere carentes

carentes ratione. Tertiò sequitur,quod amentia superueniens iuri in re & dominio acquisito non priuat ipso facto tali dominio,amentem,etiam si amentia fuerit perpetua. v.g.si quis electus Rex,aut institutus Episcopus postmodum incidat in amentiam Rex & Episcopus manet. Verum est tamen, quòd illa demētia est sufficiens ratio vt deponatur amēs. Quare Caietanus opusculo de potestate Papæ cap. vltimo.inter causas depositionis Pontificis, vltimā refert,si incidat in amentiam.Tunc inquit deponendus est. Quartò sequitur ex his quòd dominium non consistit in vsu rationis aut libertatis actuali vel habituali: sed in natura rationali cui tribuitur. Ex quo etiam sequitur, quòd in definitione dominij facultas vtendi quæ ibi ponitur non importat habilitatem aut potentiam vsus proximam, sed potentiam radicalem.Quòd si objicias contra,quia religiosi non sunt capaces dominij: & tamen habent rationalem naturam; Respondetur, quòd ipsi abdicauerunt volūtariè potestatem: & ius dominij: habent tamen radicalem potestatem: vt si mutent statum sint domini.v.g.si fiant episcopi:erunt domini, vt quidam opinantur. Hactenus de subiecto totali.

De subiecto vero formali sit quinta conclusio.Subiectum quo aut ratio subiecti ipsius dominij,est intellectus simul & voluntas libera.Probatur.Nam facultas vtendi re in quoscunque vsus lege permissos radicatur simul in intellectu & voluntate libera, ergo. Antecedens patet,quia homo non dicitur sui compos neque vtens aliqua re, nisi quatenus est intelligens & liberè volens. Quod colligitur ex Diuus Thom.1.2.q.1. art.1. & 2. & quæst.16. per totam. Quod si quæras in qua istarum potentiarum potissimum radicetur dominium? probabile est quòd in intellectu:quia illa est potentia præstantior & dirigens uoluntatem. Mea tamen sententia, potissimùm radicatur dominium in libertate uoluntatis: quia in ipsa completur facultas utendi rebus nobis subiectis. Vnde D.Tho. sequutus Damascenum.1. 2.quæst.1. artic.1. potissimum reducit dominium hominis in liberum arbitrium. Vbi acutè Caietanus notat, quòd actiones intellectus præuenientes uoluntatem,licet sint hominis secundùm quod homo, non tamen sunt hominis secundùm quod dominus suarum actionum.

Sexta conclusio. Subiectum in hæsionis dominij totale in nobis,mihi vero simile est, quòd sit anima rationalis ut coniuncta corpori: subiectum autem totale denominationis erit ipsum cōpositum. Prima pars huius conclusionis probatur primò, quia dominium est ius & facultas operatiua secundum rationem & voluntatem, ergo ibi subiectatur. Probatur consequentia,quia facultas intellectus & voluntatis inhæret uel uoluntati vel intellectui,aut animę. Vt patet in habitib.qui dicuntur aię facultates.Et confirmatur. Dominium quod habet homo suarum actionum,subiectatur in anima,ergo quodlibet dominium. Consequentia patet à paritate rationis.Antecedens verò probatur. Nam tale dominium non potest esse accidens corporale:alias actiones spirituales animæ, quarum dominatur homo, subderentur accidenti corporis sibi inferioris. Secundò. Dominium est accidens conueniens homini secundùm propriam dignitatem qua distinguitur ab alijs animantibus, ergo illud est perfectio animæ:ac subinde animæ inhæret. Sed contra. Nam sequeretur quòd anima separata retineret dominium, quòd habebat in corpore, quod est absurdum.Respondetur negando sequelam:quia ea facultas, vt dixi in conclusione, solum competit animæ vt coniūcta corpori. Quod si huius rationem exigas: ea est, quia dominium importat facultatem vsus rei in propriam vtilitatem. Hāc autem non potest habere anima separata ab istis rebus corporalibus.Et secundò,quia vsus dominij est secundùm leges, & qui exercetur medijs contractibus externis, vt venditione,emptione,aut alienatione: quæ nullatenus possunt conuenire animæ separatæ. Et tertiò, quia anima separata non habet proportionem cum his rebus externis,vt de angelo diximus.

Vltima conclusio. Dominium hoc nō est relatio inhærens animæ, sed quædam perfectio absoluta. Hoc dico contra quosdam tenentes dominium formaliter consistere in relatione. Imo quòd sit respectus rationis.Contra quos arguitur primò.Quia facultas vtendi re in quoscunque vsus,&c.non est relatio formaliter, sed potestas: absoluta ordinata ad actus reales.In hoc autem cōsistit ratio formalis dominij:siquidem est eius definitio, ergo non in relatione consistit.Secundò,dominium est ius: ius autem non est formaliter relatio,quia est obiectum iustitiæ:& insuper, quia est virtus executiua agentis. Tertiò,quia dominium est perfectio animæ, & hominis dignitas,ergo non est relatio formaliter. Sed est argumentum. Nam Aristot. constituit dominium in prædicamento relationis, dicens, quòd totum esse domini est ad seruum. Similiter D.Tho. de potentia,quæstio.10.vbi supra dicit,quòd dominium formaliter importat præter potentiam,relationem quandam ad subditos. Quod cōfirmatur,quia dominium in Deo secundùm sententiam Theologorum formaliter est relatio, imo respectus rationis.Respondetur nihilominus,quòd Aristoteles ibi solum apponit exempla, vt explicet naturam relationum,nō verò determinat illa exēpla in relatione formaliter contineri, alioquin scientia & scibile & caput in relatione cōsisterent. Et ad D.Tho.respondetur,quòd se explicat, cùm dicit quòd dominium importata potentiam, & ad ipsam consequitur relatio.Ad confirmationem respondetur, quòd licet dominium in Deo dicat respectum rationis: in nobis tamen est perfectio realis. Quemadmodum creator & gubernator in Deo de formali dicunt respectum rationis:in nobis autem gubernator & productor,formaliter important aliquid absolutum & reale.Ad argumenta Gersonis in principio dubij facile patet solutio.

DVBIVM est aliud circa hoc ipsum; Vtrùm solus intellectus & voluntas sint radix totalis dominij,an vero requiratur aliquid superadditum talibus potentijs, vt scientia fides aut charitas? pars affirmatiua probatur. Nam Genesis 1. quando Deus concessit dominium omnium rerum primo parenti.Antea benedictionem illi contulit, quæ designabat aliquid superadditum pertinens ad ordinem gratiæ,ergo iste est titulus dominij, quod statim illi contulit. Circa hoc dubium fuit error Vualdensiū, qui dicebantur pauperes de Lugduno. Dicebant enim quòd charitas & gratia sunt quæ constituunt hominem dominum rerum omnium. Hos sequitur Vvitcleph:& eam sententiam tenuit Armachanus libro.10. de quæstionibus Armenorum capit.2. & 4.Fuit secundus error & Hostiensis in capitolo super his. de voto & voti redemptione qui dicit, quòd titulus dominij est fides supernaturalis.Tertia sententia est Gersonis consideratione 13. & Conradi lib.1.de contractibus cap.2.Isti tenent.gratiam & charitatem conferre homini dominium, qua sublata,homo nō habet dominium rerum externarum.Et vocant hoc dominium gratificatiuum.

PRO

PRO decisione huius difficultatis sit prima conclusio. Error est manifestus ponere charitatem & gratiam conferre dominium ciuile rerum externarum. Definitur hæc conclusio contra Vvitcleph. Concilio Constantiensi Sessione.8.articulo.8.&15 de qua vide Doctores quos adducit Vvaldensis in suo doctrinali antiquæ fidei capit.81. Quod autem non sit dominium gratificatiuum, vt ponebant Gerson & Conradus, licet non sit certum secundũ fidem, mihi tamen videtur sententia affinis sentẽtiæ Vvitcleph: siquidem dominium aliquaudo constituunt propter charitatem. Præterea. Nam sequeretur, quòd si homo nõ sciret se habere charitatem, non posset vti isto dominio: ac subinde sicut impossibile est cognoscere se esse in gratia, ita impossibile est cognoscere huiusmodi dominium, & per consequens homo non posset habere iustum & liberum vsum rerum: cum non sit certus an sint propriæ.

Secunda conclusio. Multò minus fides confert dominium rerum corporalium. Hæc sententia est omnium doctorum Theologorum & Iurisperitorum, excepto Hostiensi. Probatur. Nã tunc omnes Christiani & singuli haberent dominium omnium rerum externarum. Siquidem omnes habent fidem & ita indiscriminatim quilibet posset vti rebus possessis ab alio domino. Secundò sequeretur, quòd nullus infidelis haberet verum dominium: quando quidem non habet titulum fidei veræ: & sic non essent Regna ante fidei susceptionem, contra illud Matth.22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo.

Ad argumentum quod erat Armachani respondetur, quòd illa benedictio non erat collatio alicuius doni supernaturalis quia etiam reliqua animãtia benedicta sunt à domino: & prætera, sequeretur quòd si conferretur homini dominiũ ex tali benedictione, quòd etiam post peccatum haberet totum illud dominium. Nam peccatum non tollit dominium, uide Magistrum Victoriam in relect.1. de Indis.p.1. & Caietan. infra quæstione.66. Hæc de subiecto dominij, & de prima parte tractatus dicta sufficiant.

Secunda Quæstio seu disputatio de dominio continet duas partes. In prima dicemus quotuplex sit dominium. In secunda vero dicetur quanam sit materia dominij.

CIRCA primam partem est prima conclusio. Dominium sequentibus diuisionibus ab origine reperitus diuidendum est. Prima sit dominiũ aliud diuinum humanum. Diuinum dominium in præsentia non dicitur id quod est in Deo tanquam in subiecto: quoniam de hoc egimus in præcedenti quæstione. Neque pertinet ad nos: sed dicitur in præsentia dominium diuinum ab autore Deo, quod Deus concessit homini. Contra verò ius humanum dicitur id quod homo homini concessit. Diuisum itaque huius diuisionis est dominium hominis.

Secunda diuisio est, qua diuiditur ius diuinum seu dominium diuinum in dominium quod pertinet ad naturæ ordinẽ, & dñium quod pertinet ad gratiæ ordinem. Exemplum primi est erga res naturales. v.g. ergo elementa, terram, fruges. Exemplum secundi in dominio quod habemus ad gloriam per gratiam & per sacramenta.

Tertia diuisio est in qua subdiuiditur rursus dominiũ diuinũ pertinens ad naturæ ordinẽ in dñium naturale & dominium quod ex placito diuino superaddito naturæ habetur. Dominium naturale est illud quod non solum habetur erga res naturales, verùm habetur erga res naturales per inclinationẽ naturæ: quale est dominium erga elementa. Dominium verò quod habetur ex placito diuino superaddito naturæ est illud quod licet sit erga res naturales, non tamen ex inclinationem naturæ. Exemplũ est in dominio quod habuit Saul & Dauid in regno Israelitico.

Quarta diuisio in qua diuiditur dñium diuinum pertinens ad ordinẽ gratiæ, quod erat secundũ mẽbrum secundæ diuisionis, in dominium quod est connaturale ipsi gratiæ, & sequitur ad naturam illius in omni tempore & statu. Exemplum est in dominio quod habet homo ad beatitudinem per idẽ, & per præcepta fidei, spei, & charitatis: & in dominium quod habetur ex placito & institutione diuinæ superadditum gratiæ, cuiusmodi est dominium iurisdictionis spiritualis, quod habet Summus Pontifex in tota ecclesia, quodque est dominium monarchiæ ex placito Christi superaddito gratiæ. Exemplum item est in dominio quod homo habet ad beatitudinem per præcepta sacramentorum, quæ sunt superaddita gratiæ ex placito Christi. Et hoc secundum dominium dicit dominium positiuum: quod superuenit gratiæ per positionem & institutionem diuinam. Hactenus diuisimus dominium diuinum.

Quinta diuisio est dominij humani in dominiũ erga res spirituales & coniunctas gratiæ, & erga res naturales corporales. Exemplum primi est in dominio Episcoparus, Decanatus, parochiæ, & aliorũ beneficiorum spiritualium, quod dominium confert Summus Pontifex alijs hominibus. Exemplũ secundi est in dominio Regis & in dominio cuiuslibet alterius ciuis.

Vltimò. Dominium erga res temporales, corporales & naturales, diuiditur in dominium quod ex iure gentium habet ortum, & in dominium, quod habet ortum ex iure ciuili. Exemplum primi sit in dominio quod habet homo erga seruum bello captum. Exemplum secundi. In dominio quod habet ciuis, substantiæ suæ respectu legum & iuxta leges Regni. Probatur modo has omnes diuisiones esse legitimas: tum quia videre licet in illis omnibus cõditiones quas Dialectici & Metaphysici tribuunt bonis diuisionibus, tum maximè quoniam dominium, vt ostendimus quæstione præcedẽti, est idem quod ius formaliter loquendo. Ius autem vt ostendimus supra quæstione.57. articulo.5.2.& 3. his diuisionibus diuiditur formaliter loquendo & exactè & perfectè, ergo dominium formaliter loquendo eisdem diuisionibus est diuidendum.

Sequitur secundum corollarium. Perperam & sine arte Gerson, Conradus & alij iuniores, quos reprehendit Magister Soto libro.4. de iustitia, quæstione.2.artic.1. multiplicant innumeras species dominij sine arte. Nam multiplicatio specierum desumenda est à ratione formali, sed isti autores multiplicant species dominij per obiecta materialia ipsius dominij, ergo perperam & sine arte multiplicant. Secundum corollarium multo commodior & aprior est hæc diuisio à nobis assignata, quàm diuisio assignata à Magistro Soto loco citato. Diuisio.n. illius est: dñium est quadruplex, scilicet, naturale diuinum, humanum, quod oritur ex iure gentium, & humanum quod oritur ex iure ciuili. Probatur modo nostrum corollarium ostendendo commoditatem quæ est in nostra diuisione, & incommoda quæ sequuntur ex diuisione illius. Prima est. Nam ipse distinguit ius diuinum à iure naturali, cùm tamẽ omne dominium naturale sit diuinum, scilicet, à Deo, vt autor est naturæ. Sed videtur Magister Soto excusari ab hac incommoditate: quoniam inquit, quòd omne dominium diuinum est positiuum dominium, quod non conuenit homini ex debito suæ naturæ, sed est ei superadditum diuinitus, & hoc distinguit contranaturale. Sed contra hanc excusationem est argumentum. Tota illa ratio, quam Magister tribuit dominio diuino positiuo, est communis dominio diuino spirituali, & connaturali gratiæ: cuiusmodi est dominium quod habemus per fidei & charitatis præcepta: sed tale dominium citra dubium distinguendum est à dominio quod habetur pro institutionem diuinam super additam, non solum naturæ, verùm & gratiæ: quod proprie loquendo dicendum est positiuum, ergo non excusatur ab incommoditate maxima.

Secunda commoditas in nostra diuisione & incommoditas in diuisione Magistri est. Nos etenim sequendo nostram diuisionem faciliùs & commodiùs reducemus ad artem diuidendi illas innumeras species: quas multiplicant memorati autores, ergo nostra diuisio est melior. Probatur antecedens. Nam Magister Soto reducit dominium quod habuit Adam ad vescendum pomis ligni vitæ, quod illi autores vocabant originale, ad dominium diuinum positiuum. Item dominium beatificum, vt est dominium absoluendi, imo dominium quod habuit Dauid in Regnum Israeliticum, reducit ad dominium diuinum positiuum: cum tamen reuera dominium illud Adæ pertineat ad ordinem naturæ: quemadmodum dominium quod habet homo in nostro statu præsenti ad vescendum pomis arborum quarumcunque. Rursus dominium beatificum per præcepta fidei alterius rationis est, vt iam nos aduertimus, à dominio quod habemus ad beatitudinem per præcepta sacramentorum. Ac demũ dominium Regium quod habuit Dauid, per se loquendo non pertinet ad ordinem, supernaturalem: sed ad naturæ ordinem, sicut potentia visiua restituta cæco per miraculum per se loquendo naturalis potentia est: quanuis per accidens habeat modum super naturalem. Esset longum alias multiplicare commoditates.

Arguitur tamen contra huius conclusionis doctrinam. Genera dominiorum non differunt ratione autoris: sed omnia conueniunt in vno & eodem autore, ergo. Antecedens probatur. Omnia in vniuersum iura & dominia siue naturalia siue supernaturalia sunt à Deo autore, ergo. Propter hoc argumentum Magister Soto in 4. libro de iustitia, quæstione.2.articulo.1.ait, dominia non differre ratione autoris: sed ex eo potius quòd naturale dominium est naturæ debitum, diuinum verò est super additur naturæ nostræ. Cæterum nostra sententia est asserenda: tum quoniam ius, quod est de ratione dominij, multiplicatur & distinguitur formaliter in ratione autoris: tum etiam quoniam Magister Soto non distinguit per suam illam rationem dominium humanum à naturali: siquidem dominium humanum, secundùm naturam est, idest non naturæ superadditum.

Ad argumentum facile respondetur. Omnia dominia esse à Deo autore, qui est primo & per se dominus, sed non eodem ordine & modo. Diuinum siquidem dominium siue naturale siue supernaturale, est à Deo immediatè. Cæterum humanum dominium siue pertineat ad res supernaturales siue ad naturales, est à Deo mediatè per hominis placitum & voluntatem. Rursus dominium diuinum aliud quidem est à Deo, vt autor est naturæ, aliud vero ab eodem Deo, vt autor est gratiæ. Hactenus de prima parte quæstionis huius.

PRO secunda parte sit prima conclusio vniuersalis. Cunctæ res naturales homini inferiores, sunt materia dominij nostri, siue iure naturali siue humano: res verò supernaturales sunt etiam materia dominij nostri iure diuino supernaturali, & iure humano pertinenti ad res spirituales. Hæc conclusio non aliter probatur in præsenti quàm exemplis allatis ex præcedenti diuisione. Naturæ iure dominatur homo cælo, elementis, bestijs, &c. Humano vero iure appropriatæ sunt vel applicatæ his vel illis hominibus in particulari, Vt Hispanis Hispania: & singulis ciuibus sua prædia. Item dominium supernaturale habet homo quatenus habet ius per opera meritoria ad beatitudinem. Et habet ius similiter ex dominio humano concesso per Pontificem quicunque episcopus ad gubernãdam suam diœcesim.

Sed circa hanc conclusionem superest disputatio magis in particulari, quænam res naturales & spirituales sint aut possint esse materia dominij? Vtrùm homo, ipse, & libertas & vita & fama & honor, ac demum bona ipsa spiritualia.

Circa hanc disputationẽ sit tertia conclusio quantum ad libertatẽ. Seruitus vnius hominis siue naturalis siue legalis põt esse iusta & sancta. Itaque unus homo potest iustè alteri dominari dominio naturali & legali. Pro huius conclusionis intelligentia, notandum est quod seruitus est duplex: altera naturalis, altera legalis. Naturalis est cùm vnus homo propter inopiam & defectum rationis seipsum gubernare non potest, is enim naturæ lege subiectus est alteri homini qui consilio valeat ad eum gubernãdum: sicuti pars sensitiua in homine subiecta est lege naturæ rationi. Verum est tamen quòd inter huiusmodi homines rationis inopes sunt gradus. Alij siquidem sunt amentes omnino & rõnis expertes: qualis natio fortè non est inuenta, sed falso à nonnullis existimatum est, Indorum esse eiusmodi nationem. Alij vero ita sunt rõnes inopes, vt quamuis non sint amentes, habeant tamẽ mores ferinos. Vt qui vescantur humanis carnibus impunè, innocentes interficiunt. Eiusmodi sunt apud Indos quidã qui dicuntur Canibales. Et hi secundùm aliquos possunt iustè debellari. De qua re à me latè disputatum est supra quæst.10. super art.10. dubio quarto. Cæterum non possunt in perpetuam seruitutẽ more mancipiorũ redigi. Demum alij sunt, qui habent secundas prudentiæ partes, vt videlicet qui apti sũt vt regantur ab alijs, quanuis non habeant primas parte, prudentiæ, scilicet, vt per se sapiant & seipsos gubernent. Omnes igitur hi seruire poterunt seruitute naturali. Verum est tamen, quòd ista seruitus naturalis in rigore & proprietate non est appellanda seruitus. Quia seruitus propriè significat carentiam libertatis: qui autem seruiunt istam seruitutẽ, sunt omnino liberi. Tum etiam quia seruitus propriè loquẽdo significat malum & incommodũ eius qui seruit, bonum autẽ & incommodum eius qui dominatur, siquidem seruus quicquid est domini, est. Qui autem seruiunt istam seruitutem naturalẽ non propter dominorum commodum, sed propter suum commodum seruiunt. Et eadem ratione dominium naturale, quod respondet isti seruituti, non est propriè dicendum dominium, nisi in generali quadam significatione & ampla acceptione. Altera seruitus

seruitus est legalis, hoc est, quòd per legem introducta est. Titulus autem legitimus, quo introducitur ista lex, est duplex. Alter quidem emptionis & venditionis: potest siquidem vnus homo seipsum alteri vendere: imo quandoque pater filium potest vendere. Alter titulus est introductus iure belli. Siquidem ij, qui bello capiuntur, iure gentium serui fiunt eorum qui eos ceperunt. Imo inde serui appellati sũt: quia cum iustè possent interfici, seruãtur tamẽ. Probatur cõclusio quantum ad primam partem de seruitute naturali. Primò in sacris literis cõmendatur Melchisedech, qui erat Rex Salem: commendatur Ioseph præfectus toti AEgypto. Et in Deut. Sũmus sacerdos cõstitutos est à Deo iudex vitæ & mortis: & præcipit filijs Israel: vt si velint aliquando eligere Regem, non eligant alienigenam, quinimo & ipse Deus complures iudices & Reges illis præfecit, vsq; ad Christi tempora, quando iam per tyrannidem Romani Hebræis dominabantur. Diuus Paulus item. 1. ad Timoth. 2. ad Titum. 3. Et D. Petr. 1. canonica. 2. dominiũ Regium approbant. Secundò probatur rõne. In statu innocentiæ, si perseuerasset, vxores viris: filij parentibus: plebeij principibus parent hac seruitute & seruirent: vt ostendit D. Thom. 1. parte, quæst. 96. art. 4. ergo multo magis in statu naturæ lapsæ, vbi maior est rõnis defectus. Confirmatur. Inter angelos alij alijs dominant, superiores videlicet inferioribus, ergo multo magis inter homines oportet, vt alij alijs dominentur. Quantum ad secundam partem patet eadem conclusio ex sacris literis. Exodi 21. Leuitic. 25. approbatur seruitus legalis. D. Paul. item 1. Corin. 7. Coloss. 6. Titum. 3. 1. ad Timoth 6. & D. Petr. vbi supra, eandem seruitutem approbat. Approbatur item eadẽ seruitus multorum Conciliorum & Pontificum decisionibus quas Gratianus cogit in vnum 12. quæst. 2. & in distin. 1. cap. ius gentium, quod desumitur ex Isidoro lib. 7. Etymologiarum cap. 6. vbi dicitur captiuitas introducta iure gentium est. Probatur item eadem conclusio multorum Regum & Cæsarum constitutionibus. Cæsarum constitutiones habentur titulo de statu personarum, & titulo de iustitia & iure. ff. & Instit. de iure naturali gentium & ciuili. Regum verò constitutiones habentur in legibus cuiuscunque Regni.

A Hæc conclusio est Diui Thomæ infra quæst. 64. art. 5. ad primum, secundum & tertium. Et quęst. 73. art. 2. ad secundum. Caiet. infra quæst. 73. art. 2. & quęst. 150. art. 2. circa fin. & quæst. 154. art. 6. Et Magistri Victoriæ in relectione de homicidio num. 23. quanuis solet citari tanquam autor oppositæ sentẽtiæ, vt videtur insinuare ibi in citata relectione.

Probatur modo prima pars. Vita hominis regitur per liberum Dei arbitrium antecedens ipsam vitam: at eadem vita nostra antecedit dominium nostrum tanquam fundamentum & origo illius, ergo solus Deus est dominus vitæ nostræ.

Secundò probatur. Vita nostra in præsentia aut sumitur pro anima ratione informat corpus: aut certè pro operatione animæ vegetatiuæ, quę necessaria est ad detinendam animã in corpore: sed tam coniunctio animæ cum corpore, quàm operatio animæ vegetatiuæ non pendet à libero arbitrio humano, sed à solo diuino, ergo &c.

B

Tertio. Ingressus in hanc vitam & transitus ex hac vita in aliam pendet ex solo arbitrio diuino, ergo est solus Deus dñs vitæ. Antecedens probatur. Solus Deus pót ét innocentes pro voluntate sua interficere: nemo vero hominũ pót quacunq; de causa sibi mortem inferre, neque respublica innocentes interficere, ergo solus Deus est dñs vitæ, quia dñs potest vti re in vsus alios consumendo rẽ ipsã.

Vltimò. Si fieri posset, quòd is qui infert iniuria alteri in vita aut in membris, restitueret eam iniuriam reparando vitam aut membra, non posset vllo pacto qui læsus erat remittere restitutionem magis, quàm cùm habet ipsam vitam aut membra non conseruare illa, ergo certissimum argumentum est, non esse hominem dominum vitæ aut membrorũ.

C

Secunda pars probatur. Qui interficit ciuem iniuriam infert & reipublicæ & ciui. Rursus ciuis qui sibi ipsi mortem intulit, iniuriam fecit reipublicæ, ergo ipse non est dominus sed custos.

Vltimò probatur. Respublica nõ pót ciuis cuiuscunque vitã periculo exponere nisi pro salute ipsius reipublicæ: neque ciuis itẽ potest periculo propriam vitam exponere nisi pro virtute colenda. v. g. pro amico, pro patria: ergo respublica habet ius custodiendi vitam ciuium, sicut & ipsi ciues & non absolutum dominium: & nota quòd sat est ad hoc, vt homini sit facienda restitutio cum leditur in eadem vita, quòd habeat tutelam & custodiam vitæ ad vsum illius.

D

Iam verò quòd attinet ad famam & honorem: sit quinta conclusio. Homo est dominus propriæ famæ & honoris. Hæc conclusio est D. Tho. infra quæstione. 73. articulo. 4. ad primũ. & Magistri Soto libro. 4. de iustitia. quæstione. 6. articulo. 4. libro. 5. de iustitia, quæstio. 10. art. 2. & in relect. de ratione tegendi & detegendi secretum, memb. 1. q. 3. & asseritur contra Caiet. infra. q. 73. art. 2. & in summa, verbo, Detractio. Probatur autem ratione. Homo est dominus eorum quæ per arbitrij facultatem regit & gubernat, sed famam & honorem homo gubernat per arbitrij, facultatem, & D. Thom. asserit loco allegato, ergo est dominus famæ.

E

Secundò. Interdum homo iustè & sanctè patitur proprię famæ detrimentum, imo perdit seipsum & infamat, ergo est dominus famæ, quia idcirco denegabamus homini propriæ vitæ dominium, quoniã nulla de causa poterat sibi mortem inferre, ergo si propriam famam ipse potest perdere, est dominus illius. Antecedens probatur. Si quispiam commiserit aliquod occultum crimen propter quod alius innocens torquetur: potest iuste reus & nocens seipsum

sum prodere, vt eruat innocentem à morte, ergo ipse seipsum infamat. Sed contra hanc conclusionem est argumentum Caietani. Fama cuiuscunque ciuis est bonum reipublicæ & communitatis, ergo nõ ciuis, sed respublica est domina famæ cuiuscunque ciuis. Miror non animaduertisse virum aliàs eruditissimum, quòd ista ratio pariter procedat ad probandum, quòd ciuis quicunque non sit dominus diuitiarum. Respondetur ergo ad argumẽtum, quòd fama ciuis est quidem bonum reipublicæ: quemadmodum bonum partis est bonum totius, & debitũ subinde ipsi reipublicę per iustitiam legalem. Cæterùm fama cuiuscunque ciuis est ipsiusmet ciuis tanquam bonum proprium ipsiusmet partis, ac suinde debitum illi ex iustitia commutatiua.

A

Sexta conclusio. Homo est dominus bonorũ spiritualium. Pro cuius intelligentia notandum est spiritualia bona esse in duplici differentia. Quædam externa, quæ non faciunt ipsum habentem bonũ. Cuiusmodi sunt iurisdictiones ecclesiasticæ ad determinandas causas spirituales: & similiter beneficia spiritualia, iura scilicet ad percipiẽdas decimas, pro officijs ecclesiasticis. Vt parochia, Episcopatus, Decanatus, &c. Alia verò bona sunt interna: quæ faciunt subiectum bonum. Vt gratia & virtutes infusæ. De bonis primi generis probatur conclusio. Episcopus & parochus potest ab alienare à se iurisdictionem ecclesiasticam omnem, quam habet & iura ad percipiendas decimas, si non vendendo, certè resignando in fauorem alicuius, & donando, ergo est dominus. &c. Cæterum aduertendum est, quòd cum dicitur Episcopus dominus beneficij spiritualis: dicitur dominus illius beneficij, quod sibi secundùm iura retinet & possidet vt episcopatus. Similiter Pontifex summus sui Pontificatus, Decanus decanati. Non tamen est censendus dominus eorum beneficiorum, quæ secundùm iura tenetur distribuere: sic summus Pontifex non est dominus Episcopatus Salmantini, Episcopus autem Salmãtinus est dominus sui episcopatus, non autem decanatus, aut parochiæ, quam distribuit. De secundi generis bonis probatur conclusio. Primo, homo per facultatem liberi arbitrij (Deo auxiliante) per peculiarę quoddam auxilium comparat sibi à Deo gratiam & reliquas virtutes infusas, ergo est dominus illarũ.

B

Secundò. Si homo non esset dominus gratiæ & charitatis, sequeretur quòd cum peccat peccatum furti, aut quodlibet aliud peccatum, committeret geminum peccatum: vnum furti contra proximũ: alterum iniustitiæ contra propriam animam & cõtra Deum quia aufert vitam spiritualem: & infert mortẽ, sicut si seipsum occideret, quod est falsum & contra omnium sententiam. Cõfirmatur. Si quis dum occidit proximum, consequenter occideret seipsum, citra dubium committeret geminum peccatum: alterum contra proximum: alterum contra charitatem propriam, ergo ad eundem modum esset in præsentia, si homo non esset dñs horũ bonorum spiritualium, cõmitteret semper duo peccata.

Vltimò probatur. Sequeretur ex opposita sententia, quòd qui peccaret mortaliter, teneretur continuo ad pœnitẽdum sub præcepto: quod est falsum, vt ostenditur latius in materia de pœnitentia, ergo. Sequela probatur. Præceptũ restituendi aliena obligat statim, vt docet D. Tho. art. 8. q. 62. ergo si gratia & reliquæ virtutes infusæ sunt alienæ; continuo tenebimur, postquã eas p iniuriã læserimus, restituere.

Libet in hoc loco contemplari diuinam charitatem, vitã siquidem nostram, vt paulò antea dicebamus, retinuit sibi tanquã uerus dominus: vt nos iã vitam nostrã, non quasi humanam, sed quasi rẽ diuinam procuraremus veluti depositarij & custodes illius. Contra uerò, gratiam & reliquas virtutes infusas, quæ sunt ordinis diuini, nobis cõcessit tanquã veris dominis: vt sic exæquaret humana, diuinis, & vt tandem amicorum omnia essent communia, hominis scilicet & Dei. Sed quomodo fieri debeat restitutio, quando læditur homo in huiusmodi bonis siue diuinis siue humanis, dicendum erit inf. q. 62. art. 2. Hic autem aduertendum est non esse certum quod asserit Magister Soto lib. 4. de Iustitia. q. 2. art. 3. post tertiam conclusionem, scilicet, quòd nunquã Deus vsus fuerit absoluta potestate, quam habet erga vita humanam. Oppositum enim colligo ex Deutero. 20. & Iosue 6. Vbi legimus Deum præcepisse filijs Israel, vt interficerent etiam innocentes quarundam gentium habitantium in terra promissionis, quod præceptum impleuerunt filij Israel. itẽ lib. 1. Regum capit. 15. Præcepti Dominus Sauli, vt interficeret omnes Amalechitas etiam paruulos. Et 4. lib. Regum cap. 9. Præcepit Iehu, vt interficeret omnem domum Achab Regis, in cuius familia verosimile est fuisse aliquos paruulos innocentes. Et denique innocentem Iob percussit Dominus licet ministerio Satanæ in omnibus bonis & eius filios interfecit. Ex quibus omnibus videtur colligi, quòd sæpè Dominus vsus fuerit absoluta potestate sua erga vitam & salutem hominum.

B

C

Quæstio III.
De rerum diuisione.

ANTE omnia pro huius quæstionis intelligentia aduertendum est, quòd ea quæ possunt diuidi, & proprijs dominis adiudicari, sunt in triplici differentia. Quædam enim sunt principatus & iurisdictiones, quædam vero sunt personæ ipsæ: sicut in matrimonio vterque coniux alterius corporis potestatem accipit. Alia sunt possessiones & diuitiæ, quæ appellari solent res prout distinguuntur à personis. Verum est tamen quòd etiam serui quãuis personæ sint, tamen in hoc tertio rerum genere continentur: propterea quòd sunt partes possessionis & ad vendendum, & ad emendum habiles. Venduntur enim & emuntur.

D

Prima conclusio. Dominium esse cœpit simul cũ homine: rerum autem diuisio nõ fuisset facta, si status innocentiæ perseuerasset, sed cœpit rerũ diuisio post peccatum quando cœperunt homines multiplicari. Prima pars huius conclusionis probatur: quoniã rõne liberi arbitrij debetur homini dñium. Inde. n. factus est homo totius vniuersi dñs, sed primi parentes creati sunt cum libero arbitrio, ergo &c. Altera pars conclusionis est communis sententia Theologorum: sed diximus in illa particulariter de rerum diuisione, quoniam personarum & iurisdictionum diuisio fuisset in statu innocentiæ. De qua re vide D. Tho. 1. parte, q. 96. art. 3. & 4.

E

Tertia denique pars conclusionis colligitur ex Gen. c. 4. Vbi dicitur, quòd Abel pastor ouium obtulit Deo sacrificium de optimis primogenitis gregis sui. Ergo iam habebat rerum diuisionem propriam & distinctã à possessionib. Caim fratris sui.

Secunda conclusio. Iurisdictiones oẽs iam de facto applicatæ sunt propriis dominis, personæ vero applicantur quantũ ad ius cõiugii & cõsensum vtriusque coniugis. Ex quo etiam sequitur applicatio filiorum quantũ ad ius patrium. Res aũt non oẽs sũt de facto applicatæ. Hæc conclusio, non tam probatione quã explicatione indiget. In prima parte conclusionis intendimus, quod nemo hominum est in

F vniuer-

vniuersum qui non sit subditus alicui Principi, præter ipsos supremos Principes: qui soli Deo subijciũtur, iuxta illud Prouerb. cap. 21. Cor. Regis in manu Domini sicut diuisiones aquarum. Secunda pars conclusionis manifesta est ex ipsa ratione matrimonijs requirentis consensum viri & fœminæ. Tertia denique pars manifestatur exemplis. Siquidem flumina & montes & feræ sylueſtres & aues nõ sunt vniuersaliter applicatæ: ita vt ius piscandi & venandi sit prohibitum. De qua re copiosius dicemus suo loco quæst. 62.

Tertia conclusio. Licita est rerum diuisio & appropriatio, non solum pro laicis, verum etiam pro ecclesiasticis & religiosis secundum illorum professionem. Hæc conclusio est contra quosdam Philosophos, scilicet, Platonem & Socratẽ: vt patet apud Platonem in Tymæo, qui aiebat omnia esse debere communia, etiam vxores. Est etiam contra quosdam hæreticorum vocatos apostolicos, qui negabãt esse licitum proprium aliquid possidere. Vt refert Augu. in lib. de hæresibus ad Quodvultdeum ca. 40. Et lib. 2. de gratia Christi cap. 11. & epist. 106. ait Pelagium in eodem fuisse errore. Hos sequuti sunt aliqui, qui dicebantur Pseudoapostoli, vt refert Alphonsus de Castro lib. 2. de hæresib. in verbo, apostolus hæresi. 2. Alij verò hæretici fuerunt negantes licitum esse ecclesiasticis viris quidquam tanquam proprium possidere. Quorum meminit D. August. lib. 2. de hæresibus cap. 50. Hos sequuti sunt postea Ioannes Hus, & Vvitcleff, & Lutherus, & Rex Angliæ Henricus Octauus, quorum iussu Germaniæ & Anglicanæ Ecclesiæ bonis suis sunt spoliatæ. Nostra tamen conclusio vniuersalis confessio est Ecclesiæ catholicæ. Et probatur. Nam ab antiquo Patriarchæ, & amici Dei Reges & ciues Israeliticí populi semper possiderunt proprium. Cæterùm post Christi etiam aduentum nulla vnquam fuit necessitas ad salutem, vt qui conuerterentur ad fidem, abijcerent diuitias. Vt constat ex Actibus apostolicis, & Epistolis Pauli. Quinimo & Christus Dominus in communi collegio Apostolorum aliquid possedisse videtur. Quoniam Iudas loculos habens ea quæ mittebantur portabat. Hæc etiam conclusio definita est contra Pelagianos in concilio Palæstino, & contra Vuitcleph, in concilio Constantiensi, q. 8. Errore 10. & 36. & 39. in concil. item Tridentino in Decreto de regular. tib. sess. 25. cap. 3. vbi concedit sancta synodus, omnibus monasterijs tam virorum, quam mulierum etiam mendicantium, exceptis domibus Sancti Francisci, quòd bona immobilia possidcant. Gratianus denique. 1. 2. q. 1. & 2. 3. & 4. colligit in vnum, multa Conciliorum & Pontificum & Sanctorum patrum testimonia, quibus probat licitum esse ecclesiasticis proprium possidere. Videatur Diuus Thomas infra quæst. 66. artic. 2. & Thomas Vvaldensis lib. 3. doctrinalis antiquæ fidei cap. 81. & Ioannes de Medina lib. de restitutione. q. 1. dub. 1. & Alphonsum à Castro, in verbo, Ecclesia, hæresi. 4. & in verbo, paupertas. hæresi. 2. Soto lib. 4. de Iustitia. quæstione. 3. Vide Aristot. lib. secundo. Politicorum. à principio, & deinceps per multa capita differentem contra Socratem & Platonem. Et Aristotelem sequuti sunt omnes philosophi Peripatetici. Rationes autem pro ista conclusione sunt petendæ à Diuo Thoma, & cæteris autoribus locis allegatis: & nos dicemus pro conclusione sequenti, quæ quidem talis est.

Quarta conclusio. Iure positiuo humano introducta est iurisdictionum & rerum diuisio: iure gentium quidem in communi: iure autem ciuili in particulari. Explicatur hæc conclusio quantùm ad secundam & tertiam partem. Quia iure gentium introductum est, ut iurisdictiones & res non sint cõmunes omnibus: sed ius ciuile supra hoc ius addidit, quòd hæc respublica sit huius principis, illa illius, Hispania Philippi, Galia sui Regis, & quòd hic ager sit huius ciuis, ille alterius. Prima pars probatur. Iure naturę res omnes erant communes. Similiter iurisdictiones & principatus nemini erant adiudicati & applicati, ergo solum ius positiuum applicuit.

Secundo ea quæ iure naturæ constituta sunt: per se bona sunt. & illis opposita per se mala: sed iurisdictionum, & rerũ appropriatio & diuisio nõ sunt per se bona nec communio per se mala, ergo non iure naturæ, sed positiuo humano introducta sunt.

Secunda pars probatur. Rerum diuisio & appropriatio sequitur ex his principijs; Pacem esse retinendam in rebus publicis, agros esse colendos, per consequentiam quanuis non euidentem, vsq; adcò tamen apparentem & probabilem, vt nemo sit hominum qui eam negare possit. Ergo pertinet ad iusgentium. Consequentia ista simul cum antecedente patet ex dictis supra q. 57. art. 2. & 5.

Tertia pars asseritur à Diuo Augustino tract. 6. super Ioannem, cuius verba allegat Diuus Thomas inf. q. 66. art. 2. Ratione verò probatur. Ius ciuile illud est, quod sibi quisque populus vel ciuitas constituit colligent illud ex principijs naturalibus, sed per consequentiam tantum probabilem, nõ necessariam, sed iurisdictionum & rerũ diuisio in particulari est huiusmodi, nec enim admodum necessarium erat, quod hic Rex huic reipublicæ, ille verò alteri perficeretur: aut quòd hic ager huic hominí, ille vero alteri applicaretur, ergo &c. Confirmatur ex lege. 1. ff. de constitutionibus principum. Vbi dicitur quòd respublica & ciuitas quælibet transtulit in Principem omnem suam potestatem. Vltimò probatur. Quoniam, vt ostendemus q. 5. de dominio Per ius ciuile transferuntur quandoque dominia inuitis dominis: quandoque vero etiam volentibus dominis prohibentur transferri, ergo &c.

6. Sed contra tertiam conclusionem, ac subinde cõtra quartam arguitur primò. Quia Lucæ. 14. inquit Christus qui non renuntiat omnibus quę possidet, non potest meus esse discipulus: sed esse discipulum Christi nihil aliud est, quam esse bonum Christianum, Ergo Christianus bonus non potest esse dominus. Respondetur hunc locum habere duplicem intelligentiam. Prima est, si intelligatur de renuntiatione per affectionem prauam, & inordinatam erga res temporales per quam anteponitur Christo possessio & hæreditas. Secunda est, quòd intelligatur de his qui profitentur. Euangelicam perfectionẽ. De monachis videlicet, quibus non licet aliquid proprium in particulari possidere. Sed prior intelligentia videtur magis germana & consona his quę paulò ante præmiserat Christus, si quis venit ad me & non oderit patrem & matrem filios & vxorem adhuc & animam suam, non potest meus esse discipulus. Quæ verba intelligenda sunt necessariò de amore prauo & inordinato.

Secundò arguitur, ex testimonio Diuus Thom. infra quæst. 66. art. 1. dicentis, res exteriores, subiacere humanæ potestati, quantùm ad vsum, soli autem diuinæ potestati, quantum ad naturam. Hinc arguitur ex eo quod dictum est supra, quòd homo non est dominus vitæ suæ quia licet habeat illis vsum & custodiam, non tamen potest eam sibi tollere. Sed Diuus Tho. dicit quòd rerum omnium

nium exteriorum tantùm habet homo vsum & nõ potest naturam mutare, ergo. Respondetur D. Tho. solùm velle quòd solus Deus potest naturam rerum exteriorũ omnib. modis mutare, creãdo & in nihilũ redigendo. Sed homo nihilominus potest in multos vsus, in omnes quidem lege permissos vti rebus ex ternis: ita vt si animatæ sint possit eis vitam auferre: quod dominiũ nõ habet supra propriam vitam.

Quæstio III.
De peculiari quorundam dominio.

ANTE disputationem hanc, vtrùm aliquis homo sit totius orbis dominus & Rex. Duo fundamenta præiacienda sunt. Primum est. Nullus omnino princeps est dominus secundùm proprietatem bonorum, quæ applicata sunt ciuibus. Hoc asseritur ab omnibus Theologis, philosophisque & Iuris peritis, vno excepto Hostiensi, quem reprehendit meritò Magister Soto libro. 4. de Iustitia. quæst. 4. art. 1. conclus. 1. Asseritur etiam iure Regio Hispaniensi. partitione. 2. tit. lege 2. & 3. Ratione verò probatur. Princeps is dicitur, qui rempublicam gubernat pp ipsius reipublicæ commodũ & utilitatẽ. Cõtra uero Tyrãnus in gubernatione, is deffinitur qui oblitus cõmodorũ reipublicæ ad suũ cõmodũ & vtilitatẽ gerit principatum. Ergo non erit legitimus Rex qui sibi appropriat bona subditorum. Sed arguitur contra hoc fundamentum. Nam lib. 1. Reg. cap. 8. Præcepit Dominus Samueli, vt exponeret populo Israelitico volenti creare sibi Regem, ius Regis eligendi. Illud autem ius est, quòd vxores, filios & filias, ciuium substantias, & fortunas eorum contererret in proprium commodum ipsius Regis. Respondeo primò: Regem illa omnia posse cum id expedierit bono publico. Respondetur secundò, In eo loco voluisse dominum quodammodo auocare populum Israeliticum à proposito creandi Regem sibi, & idcirco exposuit illis Tyrannidem Regiam, quam solebant, vt in plurinium Reges exercere, erga ciues subiectos: & hoc appellauit ius Regis qui regnaturus erat super eos. Ius inquam, quod sibi statuebant tyrannicè. Secundum fundamentum. Potestas ciuilis ad gubernandam rempublicam habetur ex iure diuino naturali. Hoc asseritur in allegata partitione Hispanici iuris. lege. 2. & 4. cum sequentib. habetur etiam apud Aristotelem 1. Politic. cap. 25. Vide Victoriam nostrum in relectio. de potestate ciuili. & Soto supra quæst. 4. artic. 1. conclus. 2. Item reuocanda sunt in memoriam, quæ nos supra diximus quæst. 2. huius tractatus, dum ageremus de seruitute naturali. Sed probatur ratione naturali. Respublica ciuilis non potest consistere in societate nisi sit potestas in illa superior apud vnum vel plures: sed homo iure naturali est animal sociabile quòd in republica & societate degere debet, ergo eodem iure debet respublica eligere gubernatorem. Secundo probatur. Iure naturali diuino necessaria est potestas in republica ad puniendos reos: sed talis potestas non potest esse priuata singulorum, sed necessario debet esse publica, ergo. Minor probatur. Præcepto quinto Decalogi prohibetur hominis occisio autoritate priuata, nisi in sui defensionem vel proximi. Ad puniendum ergo reos necessaria est autoritas publica quæ homicidas iudicet & puniat. Vltimo probatur. Multitudo sine ordine constare non potest, imo necesse est ibi ad sit perturbatio & confusio. Respublica verò quædam multitudo est, ergo constare non potest sine ordine inferioris & superioris. Confirmatur exẽplis. Nã in vniuerso toto diuersis rerũ gradib. cõposito præest Deus tanquam Princeps & Dux totius vniuersi. Item in Microcosmo idest, minor mundo qui est homo, sunt diuersi gradus & ordines potentiarum quibus omnibus perficitur ratio tanquam Dux quinimo inter angelos & inter beatos est ordo inferioris & superioris. Ergo naturalis ratio dicta in republica esse necessarium talem ordinem.

Contra fundamentum arguitur. Respublica constituit sibi Regem in quem transfert suam potestatem: aut si mauult plures oprimates consules, in quos transfert suam potestatem, ergo talis potestas iure humano habetur non diuino. Respondetur nego consequentiam. Quoniam respublica tenetur creare vel vnum vel plures, qui eam gubernent, iure diuino naturali, non positiuo gentium vel ciuili. Non itaque pendet ex beneplacito reipublicæ creare ciuilem potestatem, sed iure naturæ tenetur. Cum autem creat talem gubernatorem vel gubernatores, transfert in illum vel illos suam potestatem. Quæ quidem potestas, cum iu ipsa republica existat diuino naturalique iure, necesse est vt eodẽ iure sit in rege constituto. Neque enim fingere licet duas supremas potestates: alteram in Rege, alteram in republica. Sed vna est tantum, quam ipsa respublica in Regem transtulit, propterea quòd sic non solum melius gubernaretur, imò aliter gubernari non posset, nec vera gubernatio esset.

IAM vero latius dicendum est de peculiari quorundam dominio vniuersi. Nimirum de dominio Christi, & summi Pontificis, & Imperatoris.

Et quidem quantum ad Christi dominium attinet, quoniam variæ sunt opiniones, visum est pro vtraque parte argumenta proponere: deinde nostram meditationem circa hanc controuersiam adiungere.

DVBITATVR ergo primò. An Christus habuerit dominium temporale huius mundi. Pro parte affirmatiua videtur esse Diuus Thomas in opusculo 20. de regimine principum. lib. 3. cap. 12. 13. & 14. Vbi expresè ait, quod Christus secundum humanitatem fuit monarcha & habuit omnem potestatem in cælo & in terra: & quòd eius monarchia successit Romanis, & excessit omnes monarchias ex triplici parte. Scilicet ex dominij vniuersalitate, & ex annorum quantitate, & ex dignitate dominij. Et ibidem dicit, cap. 13. quòd Augustus Cæsar gerebat vices dominij Christi Domini post eius natiuitatem annos quatuordecim. Et cap. 14. assignat Diuus Thomas rationes, quare Christus Dominus, cum habuerit tale dominium, in tanta humilitate & paupertate uiuere elegerit. Ergo Diuus Tho. planè sentit quòd Christus non solum spirituale dominium, sed etiam temporale huius mũdi habuerit. Confirmatur, quia in 3. par. q. 59. arti. 4. ad primum. ait, quòd iudiciaria potestas consequitur regiam dignitatem: Christus autem quamuis esset Rex constitutus à Deo: non tamen in terris viuens regnum terrenum administrare uoluit. Similiter etiam iudiciariam potestatem exercere noluit supra res temporales, qui uenerat homines ad diuinas transferre. Hæc S. Thom. uidetur ergo expresè sentire, quòd Christus fuerit uerè Rex & dominus temporalis: quantùs uoluerit uti illa potestate. Deinde Diuus Thom. in eadem tertia par. quæst. 13. artic. 2. & ad 1. intendit tribuere animæ Christi omnem potestatem, quæ possibilis est dari creaturæ absque implicatione contradictionis. Sed quod Christus Dominus talẽ habuerit potestatem

testatem non implicat contradictionem, neque est aliquod inconueniens. Ergo pertinet ad dignitatem Christi, q̃ habeat tale dominium, talemq; potestatẽ. Confirmatur, quoniam habere temporale dominium supra totum orbẽ, est quædam perfectio, quæ conuenire potest creaturæ. Ergo non est deneganda Christo domino. Antecedens probatur. Quia huiusmodi temporale dominium includit potestatem ad gubernandos subditos, & ad condendas leges, quibus homines abstrahuntur à malis & ad virtutis opera diriguntur. Per talem etiam potestatẽ reduntur bonis præmia & malis supplicia: ergo conueniens est, q̃ Christus dñs talẽ habuerit potestatẽ.

Secundo arguitur. Ex testimonijs Sacrarum literarum quæ plurima sunt, in quibus videtur affirmari tale dominium & regnum attribuendum esse Christo. v. g. Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi gẽtes hęreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ & Psal. 71. Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terratũ, Et Zach. 9. Ecce Rex tuus venit tibi, & dñiũ eius à mare usq; ad mare. Et Matt. 28. Data est mihi oĩs potestas in cælo & in terra. At verò, si non habet dominium temporale, non est data ei omnis potestas terra. Et Ioan. 13. Sciens quia omnia dedit ei pater in manus. Lucæ. 10. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et ad Hebr. 1. Quem constituit hæredem vniuersorum. Et Apocal. 1. Princeps regum terræ asseritur. & cap. 19. dicitur, quòd habebat scriptum in vestimento & in fœmore. Rex regum & Dominus dominantium. Vbi significatur in eo quòd dicitur in vestimento & in fœmore quod regnum illius non solùm competebat ei secundum diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem: & quod non solum erat spirituale dominiũ, sed ẽt temporale, Confirmatur, quoniam alias Christus non diceretur propriè Rex secundum quod homo, sed solũ metaphoricè: sicut dicitur pastor ouium. Probatur sequela. Quoniam nomine Regis intelligimus propriè loquentes Regem temporalem qualis fuit Salomon: semperque in Sacris literis quotiescunque nomen Regis tribuitur homini, accipitur pro Rege temporali. Ergo præiudicamus dignitati Christi, si negemus esse etiam Regem temporalem.

Tertiò arguitur ratione. Quoniam omnes Theologi concedunt quod Christus fuit dominus temporalis quantũ attinet ad necessitatẽ & ordinẽ & finem spiritualem propter quẽ Christus principaliter venit sed omnia temporalia facta sunt propter finem huc spiritualẽ & super naturalẽ: ergo Christus dominabatur in omnibus tẽporalibus. Minor patet, quia totus ordo naturæ est factus à Deo propter ordinẽ gratię. Cõfirmat, ex doctrina S. Tho. 2. 2. q. 40. art. 2. Vbi ait omnis persona vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet disponere de ijs quæ sunt ad finẽ, vbi ponderandum est quod dicit omnis persona ad quam pertinet finis. Ergo cum Christus quantũ homo sit persona ad quã pertinet finis: cum sit cõstitutus à Deo rerum omnium dux iudex & Pontifex habens plenam potestatẽ dirigẽdi homines in vltimum finem: sequitur, quòd ipse sit dominus rerum omnium temporalium, siquidem oẽs creaturæ sunt à Deo propter finem vltimũ.

Quarto arguitur, ex D. Bernardo lib. 3. de consideratione ad Eugenium Papam, cui dicit: dispensatio tibi credita est, non data possessio, non tu ille, de quo ait propheta, Et erit omnis terra possessio eius: Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis & merito redemptionis, & dono patris. Vbi Diuus Bernardus tres titulos dominij amplissimi in Christo numerauit. Primus est creationis, de quo non est nostra disputatio. Alter est titulus redemptionis: quem Abulensis super Matth. cap. 25. q. 307. confirmat ex illo ad Rom. 14. Mortuus est & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur. Eo quòd morte & resurrectione sua & mortuos & viuos redemit. Confirmatur, quia titulo redemptionis sumus serui Christi: at verò quicquid seruus acquirit domino suo acquirit, vt habetur in. l. placet. ff. de acquir. hæred. & l. etiam inuitis. de acquirendo rerum dominio. Ergo omnia nostra temporalia Christi sunt tanquam domini. Tertius titulus est ex dono patris qui in superioribus explicatus est, & confirmatus ex illo Hebr. cap. 2. Quem constituit hæredem vniuersorum Et Lucæ 11. Omnia mihi tradita sunt à Pater meo.

Quinto arguitur. Omnes fere Theologi concedunt Christum futurum regem omnium & dominum in æternitate, maximè post diem iudicij: sed secundũ doctrinam Sancti Tho. omnia quæ Christus nunc habet & habiturus erat habuit etiam in vtero virginis, præter illa quæ repugnabant conditioni viatoris & mortalitati corporis, sed habere talem potestatem & tale dominium nõ repugnabat, ergo ex tunc habuit, quamuis noluerit habere vsũ illius potestatis & dominij. Cui consonat illud ad Galat. cap. 4. Quanto tempore hæres paruulus est nihil differt à seruo cum sit dominus omnium. Sic ergo Christus Dominus potuit habere quidem tẽporale dominium huius mundi, non tamen vsum: quia ita expediebat ad redemptionem humani generis, quod Christus se gereret vt pauper & humilis in terra dum mortalem vitam agebat. His & alijs rationibus confirmant hanc affirmatiuam partem ij quibus placet Christum habuisse temporale dominium & regnum huius seculi inquantum homo: quia hoc ad dignitatẽ eius pertinere arbitrant. Deniq. pro hac parte fit argumẽtũ ex perfectissimo sacerdotio Christi, ad cuius perfectionẽ vt pertinere potestas regiæ tẽporalis, Et probatur, quia finis sacerdotij est superior quã ptãtis regiæ, tẽporalis ergo cùm in Christo fuerit perfectissimũ Sacerdotiũ, necesse est, q̃ habuerit in se omnem potestatem temporalem regnandi & dominandi. Quemadmodũ ad artificem artis architectonicæ pertinet principari & imperare inferioribus, & eos gubernare: vt attulimus ex S. Tho. sup. q. 40. art. 2.

PRO altera vero parte sunt argumenta magni momenti. Arguitur enim primo pro parte negatiua autoritatibus Sacrarum literarum & Sanctorum patrum: deinde argumentabimur rationibus Theologicis.

Primò quidem se offert testimonium Ierem. c. 22. Vbi post regem Iechoniam nullum iam amplius regem de semine Dauid, qui temporaliter regnaret, futurum esse præ dĩ, his verbis. Hæc dicit Dns. Scribe virũ istũ sterilẽ, qui in dieb. suis nõ prosperabit, nec enim erit de semine eius vir qui sedeat super soliũ Dauid & potestatẽ habeat vltra in Iuda. Ergo Christus non fuit Rex tẽporalis huius mũdi, alioquin ẽt esset rex tẽporalis super soliũ Dauid & super Iudã. Est aliud testimoniũ Ioan. 18. Vbi dixit Christus Pilato. Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum nõ est hinc. Nec valet respondere q̃ illud testimoniũ intelligendum est ita, q̃ Christus nõ habuerit nec habere voluerit vsum & exercitium regis temporalis. Hoc enim constabat tunc Pilato, cum pauperem vitam duceret Christus. Rogabat ergo Pilatus an haberet ius regni, vt Cęsari posset contradicere: cui respondit Christus, regnum meum non est de hoc mundo. Deinde quotiescunque in Sacris literis fit mentio de regno Christi semper adiungit aliquid quo intelligamus spiritualitatem regni illius & ęternitatem: non ergo temporaliter & secularitер regnandi in hoc seculo accepit potestatem Christus. Antecedens inductiuè patet. Primò quidam Zachariæ. 9. dicitur, Ecce rex tuus venit tibi Iustus & Saluator ipse pauper & ascendens super asinam. Vbi non solum vsum regni, sed etiam dominium & proprietatem rerum denegari videtur Christo. Item in eo quod dicit Iustus & Saluator: satis explicatur spiritualitas regni Messiæ. Præterea Psalmo. 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius prędicans præceptum eius. Quibus verbis insinuatur qualitas regię potestatis Christi. Videlicet ad prædicandum spiritualia Dei. Similiter & illud Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Determinatur per illud quod sequitur euntes ergo in mundum vniuersum prędicate Euangelium omni creaturæ. Baptizantes eos, &c. Vbi particula illa, ergo, denotat explicationem qualitatis regni & potestatis Christi: alioquin non esset consentanea illatio, dum inferret ex regno & potestate temporali, potestas prædicandi ac baptizandi Apostolis collata. Item Luc. 19. Benedictus qui venit Rex, Osanna. Id est salua nos. Vbi salus spiritualis non temporale iudicium expectabatur à rege Christo. Præterea Ieremiæ 23. Regnauit rex & sapiens erit & faciet iudicium & iustitiam in terra. Sed vt intelligatur quale iudicium facturus erat in terra: subiungitur. In illa die saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus iustus noster. Quod testimonium nõ potest intelligi de salute temporali regni Iuda. Constat enim illud non fuisse reparatum per aduentum Christi. Amplius Isaiæ 9. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit in æternum, vt confirmet & corroboret illud amodo vsque in sempiternum. Quæ sessio, quæ confirmatio & corroboratio intelligi non potest secularis & temporalis: sed omnino spiritualis. Similiter Psalm. 44. Intende prospere procede & regna, & statim ratio & modus regnandi describitur, dum inquit, propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam & deducet te mirabiliter dextera tua. Vbi officium Christi in prædicatione veritatis, in exemplo mansuetudinis, in virtute redemptionis, quæ nomine iustitiæ intelligenda est, describitur. Præterea quomodo verificabitur quod inquit Paulus 2. Corint. 8. Qui cũ diues esset pro nobis egenus factus est. Si Christus fuit dominus temporalis totius mundi? Non enim fuisset verè pauper nec egenus, sed ditissimus omnium hominum. Et deniq; quomodo verum erit: quòd vulpes foueas habet & volucres cæli nidos: filius aũt hominis nõ hẽt vbi caput suũ reclinet? Habebat siquidem vitæ temporalis cõmoditate supra omnes Reges ẽt si nollet vt illis possessionib.

Iam vero si Sanctorum Patrum intelligentiã sacrarum literarum requiramus, omnes illi videntur parti negatiuæ adhærere. Principio D. August. lib. 17. de ciui. cap. 7. ait quòd populi Israel personam figurate gerebat Saul, qui populus regnum fuerat amissurus Christo Iesu Domino nostro per nouũ Testamentũ, non carnaliter sed spiritualiter regnaturo. Item idem August. tractatu. 115. super Ioannem explicans illud Psalmi 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum eius, inquit, Sion illa, & mons ille, non sunt de hoc mundo. Quod est regnũ eius nisi credentes in eũ? Et iterũ dabo tibi gentes hęreditatẽ tuã, quas possideas ad earũ salutẽ, & quæ tibi fructificent spũalia.

Ambrosius etiam apertè. lib. 3. in Lucam cap. penulti. Negat regnum Christi fuisse temporale, quale fuit Dauid vel Roboam vel Iechoniæ. Ait enim, Ipsum regem secundum honorem seculi non accipimus Christum. Quomodo ergo dictum est: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam? Quomodo etiam dictum est, Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius & regnabit in domo Iacob in æternũ? Nõ seculari honore regnauit Christus. Et paulò post, exponens illud Psal. 88. Thronus eius sicut dies cæli, inquit, non vtique hunc thronum Salomon sedit, non Roboam, non Iechonias. Et deniq; ait Qui dicit regnũ meũ non est de hoc mũdo: ostendit esse supra mundũ. Ita & regnũ eius erat & nõ erat in seculo, sed supra seculũ erat.

Diuus Hieronymus lib. 4. super Ieremiam cap. 22. explicans illud, Scribe virum iustum sterilem, inter alia multa dicit, quòd regnum Christi nõ erat terrenũ & breue, sed perpetuum & cæleste. Diuus etiam Gregorius homil. 8. super euangelia, Non solum regnum mundi, sed & dominium rerum habuisse Christum secundum humanam naturam negat. Ait enim non in parentum domo, sed in via natus scitur: vt profectò ostenderet, quia per humanitatẽ quam assumpserat quasi in alieno ne cesebatur. Alienum non secundum potestatem dico, sed secundũ nostram naturam. Nam de potestate eius scriptum est, in propria uenit. Athanasius præterea tom. 3. in oratione de Sanctissima Deipara prope finem ait, Rimantur hæretici & se se inuicem adhortantes, & affectuosè quærunt, an acceperit thronũ Dauid patris sui, & regnauerit in domo Iacob in ęternum. Et paulò post. Ergo accipiens thronum Dauid, transtulit illum & dedit Sanctis Christianorũ regibus, vt conuerteret eos ad domum Iacob: quã tradita in opprobrium & direptionem regnabit in Christianis in æternum. Siquidem genitus ex virgine, vt consummatis omnibus, quæ ad negotium mortis & crucis pertinebant, post resurrectionem ad suos dicebat, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et quandoquidem ipse rex est, qui natus est ex virgine, idemque ac dominus & Deus ea propter & mater quæ eum genuit & regina & domina & Deipara propriè & verè censetur. Hæc Athanasius. Vbi considera, quomodo regnum Christi non temporale sed spirituale affirmet secundum humanitatẽ. At vero dominij rationem vniuersalẽ diuinitati tribuit. Et propterea ipsam Dei genitricem reginam & dominam appellat. Constat autem, q̃ virgo mater non fuit temporaliter regina vel domina: sentit ergo Athanasius quod ex vnione hypostatica erat ille homo Dominus omniũ. Chrysost. itẽ homil. 6. super. c. 2. Matth. sic ait, Quo nam pacto Magi ex stella illa Iudæorum regem illum esse didicerunt: cum certè non istius regni iste fit rex, sed vilem hanc prorsus vitam egit ac pauperem? Basil. quòque quem refert D. Tho. in catena aurea. Lucę. c. 1. explicans illud: regnabit in domo Iacob, ait. Nõ in materiali sede Dauid Dominus sedebit, translato Iudaico regno ad Herodem, sed sedem appellat Dauid, in qua residet dominus, indissolubile regnũ. Deniq; oẽs patres antiqui explicantes illud Luc. 1. Dabit eis Dns sedẽ Dauid, vniuersi negãt tẽporale regnũ Christo competere: & omnino afferunt rationem regni Christi spiritualem & æternã fuisse,

Tertiò loco rationibus agendum est, Prima itaque ratio & potissima mihi est, quæ tali fundamento innititur. Quoniã Christus Dominus assumpsit humanitatem talibus conditionibus exornatam & affectam qualibus conueniebat exornari & affici ad finem intentum per incarnationis mysterium. Finis autem fuit, vt Christus Dominus plenus gratiæ & veritatis esset caput influens in membra veritatem & gratiam. Et quidem ꝓ attinet ad veritatem, oportebat illum esse perfectissimum caput. Et idcirco assumpsit animam beatam lumineq; gloriæ illustratam, tam eximiè, vt in illo crescere non oporteret. Fuit itaq; testis oculatus veritatis: & ad hoc venit in mundum vt testimonium perhiberet ueritati & prædicaret nobis forum Dei & beneplacitum eius circa media necessaria ad salutem hominum à nobis credenda & facienda. Deinde uenit Christus ut exemplo suo nobis uiam ad salutẽ ostẽderet, non solum necessariam, sed etiam eius perfectionis quæ in consilio est semitam demonstraret. Cùm igitur, qui uenit facere & docere, dixerit: Si uis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & sequere me, cõsequens est, ꝓ Christus Dominus temporale dominium, aut regnum non assumpserit. Alioquin Euangelicam perfectionem exemplo suo non docuisset. Confirmatur, quoniam perfecta paupertas non solum consistit, imo non consistit in abdicando omnino usu rerum, sed consistit in abdicando dominio ipsarum, id quod religiosi faciunt: qui quidem, quamuis multis rebus utantur, tamen nullius dominium habent singuli. Ergo cùm ipse Christus exemplum euangelicæ paupertatis seipsum proposuerit inconueniens uideretur, quòd ipse secundum humanitatem temporaliter rerũ omnium dominium & regnum haberet, quamuis paucis vteretur ad uitæ sustentationem.

Secunda ratio est. Quamuis ex gloria animæ Christi quasi naturaliter cõsequeretur corporis gloria, tamen immortalis Deus assumpsit mortalem humanitatem, eo quòd sic expediebat, tum ad exẽplum patientiæ, tum ad redemptionem humani generis per mortem & crucem suam. Ita etiam fuit conuenientissimum, vt dominus & rex uniuersi assumeret naturam humanam absq; dominio & regia potestate temporali huius mundi, quamuis hęc dignitas uideretur ad decorem & ornatum naturæ humanæ pertinere: nisi Christus uenisset seipsum totius perfectionis exemplum proponere. Cum igitur ista carentia dominij & regni temporalis non deroget plenitudini gratiæ & ueritatis & adiuuet ad perfectionẽ exemplaris nobis propositi ad imitandum, cõuenientissimum est, quòd Christus qui alias secũdum diuinitatem & propter gratiã vnionis est uniuersorum dominus, sit uere & propriè simul pauper in hoc temporali seculo, in quo exemplum discipulis dare uenit. Huic doctrinæ consonat quod Apostolus dicit, qui cum esset diues pro nobis egenus factus est. Sic enim locutus esse videtur, ac si diceret, qui cum esset immortalis, pro nobis mortalis factus est, uidelicet, cum esset immortalis secundùm diuinitatem, factus est mortalis secundùm humanitatem. Sic etiam cum esset diues secundùm diuinitatem & virtute unionis, tũ simul factus est uerè pauper secundũ humanitatẽ.

Tertia ratio. Christus nunquam usus est illa potestate regia & dominatiua, ergo frustra assumpsisset talem potestatem, fruſtra enim est potentia quę in actum non reducitur. Quòd si quis respondeat, quòd etiam assumpsit potẽtiam ridendi licet nunquam riserit; Contra est, quòd potentia ridendi pertinet ad ueritatem & integritatem humanæ naturæ, neque esset perfectus homo nisi omnes naturæ humanę proprias potentias haberet: noluit autem ridere, quia venerat prędicare pœnitentiam, & beatitudinem lugentibus.

Quarta ratio. Si Christus esset constitutus Rex & iudex temporalis teneretur consequenter gubernare mundum in temporalibus secundùm leges naturales & humanas, sed nihil tale gessit, nec ministros creauit qui ius dicerent, imò tyrannidem permisit multorum regum, ergo non habuit tale officium & potestatem talem, alioqui non esset bonus rex temporalis & iudex. Confirmatur hæc ratio. Christus Dominus respondit cuidam dicenti sibi, Dic fratri meo ut diuidat mecum hęreditatem, Respondit, homo quis me constituit iudicem super uos. Vbi Christus Dominus uisus est negare se constitutum iudicem litium temporalium, alioquin ad illum pertineret lites componere. Nec ualet dicere quod noluit uti illa potestate: ipse enim non dixit, Nolo de uobis iudicare, sed dixit, Quis me constituit iudicem super uos? quasi negans se iudicem cõstitutum super temporalia ut secularitẽr iudicaret.

In hac controuersia uiri doctissimi ac pijssimi inter Theologos modernos & antiquiores diuisi sũt, quibusdam illorum negantibus, quibusdam asserentibus Christum esse Regem & Dominum & iudicem temporaliũ, quibusdam uerò dicentibus utrãque opinionem esse probabilem. Sed alteram probabiliorẽ, sunt etiã qui alterã partẽ amplectentes, alterã erroris uel temeritatis nota inurere audeant.

PRO decisione huius controuersiæ notandum est primò, quòd in discursu huius disputationis nolumus distinguere triplicem quæstionem, videlicet, An Christus fuerit Rex temporalis, An fuerit Dominus temporalis, An fuerit iudex temporalis: quoniã profectò ꝓ attinet ad præsentem difficultatem, eadem est ratio arbitrandi.

Notandum est secundò, quòd de Christo possumus loqui in hac disputatione dupliciter. Vno modo inquantum est Deus. Altero modo inquantum est homo. Siquidem loquamur de illo ratione personæ diuinæ: constat secundum fidem catholicam illum esse Regem & Dominum & iudicem totius vniuersi & omniũ quæ sunt in illo. Etenim sicut filius Dei est verè homo passibilis & mortalis: ita ille homo est verè Deus & creator omnium, & Dominus & Rex & iudex angelorum & hominum. Itaque Christus non solum inquantum Deus: sed etiã inquantum hic homo, est verè Rex & Dominus omnium. Nam dictio illa, inquantum reduplicat personę rationem & non tantum naturam humanam. De hoc nulla est controuersia. Si autem loquamur de Christo secundum ea quę sibi conueniunt rõne humanæ naturæ assumptæ: adhuc distinguere debemus. Quædam enim sunt propria & cõmunia omnibus hominibus, vt v.g. esse resibilem, habere intellectum & voluntatem: & similia. Quædã vero sunt propria illius naturæ humanæ singularis, v. g. Quòd Christus conceptus de Spiritu sancto & natus ex Maria Virgine fuerit, secundum humanam naturam sibi competit. Nunc igitur non loquimur priore mõ de Christo inquantũ est homo: Si enim quilibet hõ esset Rex & Dñs, si particula, inquantũ reduplicaret aut specificaret rõnẽ cõmunem hominis. At verò si loquamur de Christo posteriori modo, inquantũ homo est, ita vt dictio illa, inquãtũ accipiatur specificatiuè: hoc est designatiuè, s. determinando naturam singularẽ vbi est illa proprietas. Vt v.g. si dicamus, Christum esse album, inquantũ est homo, designamus, albedinẽ subiectari formaliter in eius humana natura. Sic ergo nunc quęrimus, An Christus secundum ꝓ homo, fuerit Rex temporalis & Dominus temporalis vniuersi, vel alicuius regni, ita vt dominium formaliter subiectaretur in natura eius humana. Hoc igitur modo loquentes, statuimus sequentes conclusiones attentione dignas.

Prima conclusio. Christus non fuit Rex temporalis specialiter Israelitici populi. Hanc conclusionẽ pono contra Iudæos vel Iudaizantes, qui volunt Messiam iure hęreditario, quia descenderet ex Dauid Rege futurum esse legitimum Regem temporalem illius populi, & quòd peius est, temporaliter regnaturum. Et quidem quod iure hæreditario regnum Israel temporale obtineret nulla ratione aut testimonio confirmari potest, sed qua facilitate dicitur, eadem negari potest. Imo vero oppositum videtur esse certum, quoniam alias B. Virgo mater eius fuisset Regina illius populi, siquidem Christus non alio titulo temporali poterat regnum Israel hęreditare. Quamuis ergo quidam Theologi probabiliter opinentur Christum fuisse Regem & dominum temporalem etiam illius populi, nemo tamen Theologi nomine dinus asserit hæreditario titulo regnum illud obtinuisse: sed ex generali cõmissione Dei & traditione potestatis regiæ & dominatiuæ fuisse Regem & dominum affirmant.

Secunda conclusio. Vtraque sententia videlicet affirmans vel negans Christum fuisse Regem & dominum temporalem vniuersi secũdùm ꝓ homo ex commissione & traditione Patris potest salua fide, sustineri, & absq; periculo sanæ doctrinæ. Probatur. Quoniam viri doctissimi & catholici vtranuis sententiam sequuntur. Partem quidem negatiuam nostris temporibus tenuit Magister Frãciscus à Victoria, vt patet in relectione prima de potestate ecclesiæ q. 5. nu. 15. & Soto lib. 4. de Iustitia & iure q. 4. art. 1. quos sequuti sunt multi alij. Partem vero affirmatiuam tenet Burgẽsis super caput primũ Matthæi. Quam etiam fuit secutus Magister Cano præceptor meus. Quam amplectuntur multi alij nostris temporibus, & quidam minus bene considerantes oppositam sententiam periculosam putant. Rationes verò & argumenta vtriusque factionis abundè satis proposita sunt à nobis. Cæterùm vtraque opinio competenter respondet argumentis & testimonijs quæ pro altera afferuntur: vt amplius in sequentibus patebit.

Tertia conclusio. Mihi sanè probabilior est absolutè loquendo & in sensu in quo diximus disputanda quæstio, pars negatiua. Probatur. Quoniam rationes, quę pro illa fiunt nõ tam facilè soluuntur, quàm oppositæ. Et profectò magis consolatorium videtur & magis excitatiuum amoris, & magis decens benignitatem & humanitatem Dei, vt assumeret veram paupertatem simul cum mortali natura, & non solum se gereret vt pauper non vtens Regia potestate & temporali dominio, sed esset verè pauper: siquidem hoc possibile neque indecens sed maximè decens ad finem humanæ redemptionis, & exemplum Euangelicæ perfectionis erat.

Quarta conclusio. Christus secundùm quòd homo habuit instrumentalem potestatẽ dominij vniuersalis circa omnia temporalia. Hæc conclusio nõ repugnat tertiæ. Quod sic explico. Decernunt Theologi humanitatem Christi potestatem habuisse instrumentalem ad facienda miracula ad efficiẽdam gratiam iustificantem & ad alios effectus supernaturales, respectu quorum solus Deus potest esse principalis causa efficiens. Ratio ergo quæ me mouet, vt talem potestatem dominij asseram Christo conuenire, non est quia non potuit habere talem potestatẽ vt causa principalis & multo perfectius quam habent Reges terræ: sed quia sic expediebat ad finem incarnationis & Ecclesiæ & regni spiritualis gubernationem. Cum enim finis gubernationis Regni spiritualis sit simpliciter vltimus finis, necesse est, ut qui præest regno spirituali habeat potestatem supra temporalia inquantum opus fuerit ad finem spiritualem consequendum qui est vltimus simpliciter. Et quia sæpe impediri vel molestari poterat ecclesiastica gubernatio per temporalem potestatem: expediebat, vt ipse Christus haberet instrumentalem potęstatem dominij fundatam tum in gratia vnionis, tum in ipso fine aduentus Christi. Hanc ministerialem potestatem etiam tradidit vicario suo Summo Pontifici in terris ad huiusmodi impedimenta tollenda vel alia conuenientia exercenda ad finem spiritualem & animarum salutem. Hac potestate forte vsus est Christus quando misit dæmones in gregẽ porcorum qui in mare sunt præcipitati. Hac etiam videtur vsus quando facto flagello de funiculo eiecit cathedras vendentium & mensas nummulariorum subuertit. Hac etiam vsus videtur Petrus quando verbo occidit Ananiam & Saphiram. Hac vtitur Summus Pontifex quando circa cõtractum matrimonialem irritandum vel ratum faciendum leges condit. Quamuis enim iste contractus, stando in solo iure naturæ ciuilibus legibus subijci poterat: tamen, quia iste contractus inter baptizatos est sacramentum nouæ legis, idcirco Summus Pontifex conditiones talibus contractibus ratificandis vel irritandis sibi reseruat, & causas matrimoniales facit ecclesiasticas. Imo vero in ordine ad conscientias fidelium circa contractum censuum leges tulit, vt patet in Motu proprio Pij V. Eadem potestatem vtitur Summus Pontifex, quando Principẽ vel Regem hęreticum vel schismaticum punit temporaliter, priuando illum etiam regno. Talem igitur potestatem tribuimus Christo excellentiori modo ut capiti, quoniam eius humanitas etiam in uita mortali instrumentum coniunctum erat uerbo diuino per quod fiunt omnia quæ conueniunt ad salutem hominum. Quanta uerò sit differentia inter potestatem principalem & instrumentalem manifestum est. Quoniam potestas quæ se habet ut causa principalis ad iudicandum uel ad dominandum, est potestas ordinaria ad quã pertinet in omni euentu exercere officium iudicis aut domini. Potestas uerò instrumentalis exercetur in quibusdam casibus in ordine ad finem superiorem, neque proportionatum tali potestate. Quòd si quis obijciat sic contra prędictam doctrinam. Sequeretur, quòd Christo Domino inquantum est homo non competeret aliqua potestas etiam spiritualis tanquam causæ principali, sed solum tanquam instrumentali. Probatur sequela. Quoniam respectu finis supernaturalis solus Deus uidetur esse principalis causa effectiua gratiæ & gloriæ. Respondetur, negando sequelam. Et ratio est, quia quamuis in genere causæ efficientis ad modum causæ physicæ solus Deus dicatur & sit principalis causa gratiæ & gloriæ: tamen in genere causæ moralis, qualis est causa meritoria, CHRISTVS etiam est causa principalis gratiæ. Sic ergo CHRISTVS habet potestatem iudiciariam ad iudicandum bonos & malos in ordine ad finem spiritualem. Accepit enim à Patre hanc vniuersalem potesta-

tem, iuxta illud Ioan.ca.5. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, & potestatem dedit ei iudicium ficere, quia filius hominis est. Hoc est neminem iudicat Pater, nisi mediante iudicio filij hominis. Est itaque Christus Rex & Dominus & gubernator & iudex inquantum homo vt causa principalis respectu spiritualium & æternorum & vltimi finis. At verò respectu temporalis & secularis gubernationis & potestatis & dominij sicut nec vsum accepit vniuersalem, ita nec ius earum rerum in se habere, idest, in sua humana natura, dignatus est, vt nos eius paupertate diuites efficeret. Hic modus noster dicendi medius videtur esse inter duas opiniones extremas. Neque enim omnino conceditur Christo dominium temporale & seculare vniuersi inquantum est homo, neque omnino negatur. Sed quodammodo conceditur: & quodammodo negatur. Negatur quidem tale dominium & potestatem esse in Christo formaliter tanquam in causa principali quatenus est homo, conceditur autem instrumentale dominium, & instrumentalis potestas in illo quatenus homo est: quia hoc expediebat ad finem Saluatoris & iudicis mundi. Hac via forsan poterimus conciliare oppositas sententia, & respondere argumentis quæ pro vtraque parte à principio proposita sunt. Et quoniã diximus, vtranque opinionem esse probabilem, vtriusque opinionis argumenta dissoluenda sunt.

A D argumenta pro parte affirmatiua. Ad primum argumentum pro parte affirmatiua quod de sumptum est ex autoritate & testimonijs S.Tho. respondetur. Ad primum quidem testimonium ex opusculo.20. Fateor, quòd Theologi Thomistę magnam occasionem habuerunt opinandi partem affirmatiuam fuisse sententia D.Tho. Cõparat enim illic monarchiam Christi præcedentibus monarchijs. Quarum prima fuit Assyriorum, quæ duraiit per 1240. annos, vt ait Aug. lib.4 de Ciuit. Secũda fuit Medorum & Persarum: quę perstitit annos 235. Tertia fuit Græcorum, quæ cœpit in Alexandro & in eo finita fuit duodecim annis. Quarta fuit Romanorum notissima monarchia. Quintam monarchiam ponit D.Thom. fuisse Christi, qui post Resurrectionem suam dixit, Data est mihi omnis potestas, &c. ergo sicut illæ quatuor fuere temporales & circa temporalem gubernationem, ita etiã oportet quòd Christi monarchia sit temporalis: & quod in illo inquantum homo est, sit potestas gubernandi temporaliter res temporales huius seculi Nihilominus D.Tho. bonam habet intelligẽtiam nec repugnantem intentioni eius in illo opusculo, neque parti negatiuæ. Etenim monarchia Christi quantus sit vniuersalissima respectu omnium hominum, ita vt in cælo & in terra, & viuorum & mortuorum dominetur: tamen eius dominium & potestas non respiciebat per se secularem gubernationẽ circa res temporales & lites seculares huius seculi componendas. Dixi quòd nõ respiciebat per se huiusmodi res intelligens quòd non respiciebat tanquam obiectum neque primarium neque secũdarium per se loquendo: non tamen negandum est quod respiciat omnes actiones hominum quatenus in illis est ratio boni vel mali in ordine ad vltimum iudicium Christi ad reddendum vnicuique secundùm opera eius in ordine ad finem æternum bonum vel malũ. Cæterùm quia monarchia Christi inquantum homo temporaliter cœpit in eius natiuitate & temporaliter procedit in hoc seculo per vicarios illius summos Põtifices pòt dici tẽporalis. Peregrinatur enim Ecclesia temporaliter in hoc seculo: nec alia monarchia est in mundo. Non aũt est temporalis & secularis monarchia quasi de reb. omnib. temporalib. & secularib. in hoc seculo cõponendis se se exerceat, & ad hoc officiũ respectum per se habeat. Fuit itaque monarchia Christi alternus ordinis quam aliorum principum præcedentium monarchię. Quoniam Christi monarchia ad ęternam pacem & tranquillitatem dirigebatur: aliorum vero principum monarchiæ ad temporalem pacem & temporalem reipublicæ tranquillitatem respiciebant & prouidebant: imò ad suam vanam gloriam omnia referebant. Et quòd hæc ita se habeant, patet ex triplici excellentia monarchiæ Christi, scilicet, ex dominij vniuersalitate, ex annorum quantitate seu potius æternitate, & ex dignitate dominij. Quia nimirum est spirituale & ad finẽ spiritualem ordinatum. Quòd autem in illo opusculo dicit D.Tho. quòd Augustus Cæsar, nato Christo, fuit eius vices gerens dum fecit, vt describeretur vniuersus orbis: hoc magis fauet parti negatiuæ. Constat enim quòd Cæsar Augustus neque diuina reuelatione neque ex commissione Christi natitale edictum protulit. Sed potius, sicut ibidem dicit D.Tho. quemadmodum Caiphas prophetauit nesciens quid diceret, ita etiam Augustus nesciens quid faceret, significauit monarchiam Christi recens nati vniuersalem futuram. Hoc autem non est esse proprię substitutum & vicarium monarchię Christi: erat enim tyrannus Augustus. Sed sicut Caiphas non fuit proprię & verę propheta, quanuis materialiter protulit prophetiam: ita Augustus potest dici vicarius & substitutus Christi monarchiæ, cui mundum adunabat ignorans ipse quid faceret.

Ad testimonium S.Thomæ ex 3.parte, respondetur negando consequentiam. Sed solum colligitur, quòd si Christus voluisset temporaliter iudicare res humanas, potuisset quidem illud facere; si hoc expediret ad finẽ iudiciarię potestatis eius, q̃ erat vniuersalior: sed quia nõ expediebat ad finem illum, imo vero impediebat, propter rationem quã ibidem assignat D.Tho. noluit extendere vniuersalẽ illam & iudiciariam potestatem ad temporaliter iudicandum. Cæterum cùm expedierit, nõ solum ipse Christus, sed & vicarius eius in terris habet talem potestatẽ plenissimam sed ministerialem, vt iam explicatum est à nobis. Sed nota quòd D.Tho. duo dicit illic. Alterum est quòd Christus constitutus est Rex à Deo. Alterum est quòd habuit potestatem iudiciariam. Dico ergo quòd ratio Regis conuenit Christo primo ex vnione hypostatica. Secundo ex commissione respectu spiritualium & æternorum per se & formaliter, consequenter verò & ministerialiter respectu temporalium prout expediret ad finem spiritualem. Et hoc non destruit veram paupertatem. Cæterum iudiciaria potestas quantum libet vniuersalis etiam respectu temporalium nõ confert dominium temporalium.

Ad aliud testimonium ex quo desumebatur ratio ex verbis Diui Thomæ in.3.parte, respõdetur, quod sicut gloria corporis Christi esset perfectio Christi, & tamẽ noluit illam assumere statim: quia hoc non expediebat ad finem redemptoris; ita non assumpsit temporale dominium formale rerum temporalium omnium; vt esset vere & proprie pauper: vt merito & exemplo paupertatis suæ nos diuites essemus in rebus spiritualibus dum paupertatem amplectimur. Cæterum accepit illam potestatem

tem ministerialem, sicut ad faciẽda miracula. Ad confirmationem vltimam ex dictis patet.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd oia illa testimonia intelligenda sunt de regno spirituali Christi, & de vniuersali eius dominio in ordine ad finem spiritualem, & æternum regnum illius secundùm quod regnabit in æternum, quod cõsummabitur in die iudicij. Tunc enim, vt inquit Apostolus 1.Corin.15.& Hebr.2. Omnia erunt subiecta sub pedibus eius: nunc autem necdum videmus omnia subiecta. Ad confirmationem respondetur, quod si de proprietate huius nominis, Rex, agitur, non minus propriè dicitur Rex in spiritualibus regens & gubernans & imperans & præmians & puniens quam in temporalibus. Cæterum etiam si nomen Regis frequentissime in sacris literis significet potestatem respectu temporalis Regni huius seculi; tamen inde non sequitur, quòd regnum spirituale non sit proprie regnum. Et enim Rex, vt ait S.Tho. Psal.2. dicitur, cui committitur vniuersalis gubernatio. Cum ergo non sit commissa vniuersalis gubernatio circa temporalia, fuerit autem commissa circa spiritualia, sequitur quòd fuit constitutus à Deo rex in spiritualibus tantum. Sed quia in spiritualibus nullus homo futurus erat Rex & dominus vniuersalis prẽter Christum, nõ mirum est, si vt in plurimùm nomine Regis intelligantur huius seculi principes. Sed illud speciale testimonium Matth.28. Data est mihi omnis potestas specialiter explicandum est Hieronymus illic ait, vt qui antea regnabat in cælo: per fidem credentium regnet in terris. Ecce de spirituali regno intelligit. Item S. Tho.3.p.q.15.art.2.ad primum, sic ait. Dicitur autẽ sibi omnis potestas data, ratione vnionis per quam factum est, vt homo esset omnipotens. Ecce de qua potestate loquitur.

Ad tertium argumentum & eius confirmationõ negantur consequentiæ. Et est instantia manifesta. Quoniã ars equestris & ars nauigatiua versant circa fines artium frænefactiuæ & naufactiuæ: & tamen non pertinet ad illas artes architectonicas ars faciendi frænum vel nauim: sed solum dirigere inferiores artes ad finem suum. Ad hunc modum potestas Christi regia se habet vt ars architectonica respectu aliorũ principum terræ: dirigit enim eos ad finem beatitudinis prædicatione exemplo & redemptione, minatur etiam nisi obedierint, quod puniet in æternum. Non autem pertinet ad potestatem Christi habere formaliter ius ad gubernationem secularem instar aliorum principum terræ: & temporaliter se huiusmodi se exercendi vel tale officium respiceret tanquam effectum sibi proportionatum & proprium. Sed per eminẽtiam ad hoc potestatẽ habuit, vt cum opus fuisset illa vteretur.

Ad quartum & quintum argumentum respondetur, quòd verba Diui Bernardi & assertũ Theologorum optimè intelliguntur de dominio & regno Christi æterno. Hoc enim quantum ad ius & potestatem ab instanti incarnationis datũ est Christo: Quanuis manifestationem eius & exercitium plenum huiusmodi dominij & potestatis meruerit Christus per humilitatem & passionem & mortẽ crucis, iuxta illud Apostoli ad Philip.c.2. Humiliauit semetipsum Dominus noster Iesus Christus factus obediens vsque ad mortem, mortem autẽ crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Ecce quomodo potestas & ius dominij iam ab incarnatione inerat Christo: & nihilominus exercitium omnino plenum non assumpsit vsq; in diem iudicij: quamuis interim paulatim & per incrementa vtatur suo dominio & Regia potestate. Temporalem vero potestatem temporaliter & seculariter gubernandi & temporaliter dominandi circa bona temporalia non est dignatus assumere, sicut neque exercere per suam humanã naturam nisi in casibus particularibus quando expediret ad spiritualem gubernationem suæ superioris reipublicæ spiritualis. Quam potestatem etiam suo vicario in terris contulit. Et per hoc patet ad alia testimonia.

I A M verò, quoniam oppositam sententiam probabilem reputauimus, ad argumenta partis negatiuæ respondere operæpretium erit. Ad primum testimonium respondetur, quod probat neminem iure hæreditario sedisse postea super regnũ Iechoniæ: non autem inde conuincitur, quod Christus vniuersali titulo ex commissione Patris non habuerit Regiam potestatem temporalem super omnem gentem & regnum.

Ad alterum testimonium ex cap. Ioan. ca.18. respondetur illud esse intelligendum quantum ad exercitium Regiæ potestatis in hoc mundo: nunquam enim illam exercere intendebat. Et hoc sufficiebat ad pacandum animum Pilati qui zelabat Cęsaris potestatem. Ac si diceret Christus, Regnum meum non est de hoc mundo sicut tu existimas, vel interrogas.

Ad alia verò testimonia respondetur, quòd quanuis in illis asseritur spiritualitas Regni Christi, nõ tamen negatur temporalis potestas temporaliter regnandi & dominandi: quanuis non esset regnaturus nec dominaturus.

Ad Sanctorum Patrum testimonia respõdetur, quòd quanuis illa multum videantur fauere parti negatiuæ, tamen non conuincunt quòd Christus non habuerit talem potestatem: sed quòd illa vsus non fuerit. Ad primam rationem quæ facta est pro parte negatiua, respondetur, quòd tenentes partem affirmatiuam, aiunt quòd illa conuenientia ad finem incarnationis etiam consequuntur ex eo quod Christus non fuerit vsus illa potestate Regia & iure dominandi.

Ad secundam rationem respondetur quòd Christus dominus sufficientissimum exemplum dedit, paupertatis, dum noluit vti potestate dominandi quam habebat. Vitium enim aut virtus circa diuitias non in illarum dominio, sed in illarum vsu consistit. Sed quia rerum dominium solicitudinis niniæ imperfectis hominibus causa est. Idcirco consilium est euangelicum renuntiare omnibus quæ possidemus homines non solùm quantum ad vsum, sed etiam quantùm ad dominium. Cæterum episcopi sunt in statu perfectiori, quàm religiosi, & tamen dominium habent rerum temporalium: imo probabilis sententia est, quòd quando religiosus assumitur ad episcopatum efficitur dominus rerum temporalium: & non solùm est dispensator, vt tenet D. Tho.2.2. quæstione.175.artic.8. Christus autem nulla ratione periclitabatur ex eo quod haberet dominium rerum temporalium: sed potius hoc pertinebat ad ornatum & dignitatem ipsius in quantum homo: & idcirco exemplum paupertatis dedit in abstinendo ab vsu, non in carendo potestate & iure dominij.

Ad tertiam rationem respondetur, quòd sicut Christus Dominus habebat omnem scientiam &

artem practicam; & tamen non vtebatur omni habitu practico, pingendo vel fabricando aliquid, & tamen illi habitus non reputabãtur superflui, quia pertinebant ad ornatum animæ & dignitatẽ eius, eo quod non decebat, quod aliquis homo posset aliquid operari, quod non posset Christus: ita etiã non decebat vt aliquis homo haberet potestatem & dominium alicuius rei, qualem potestatem non haberet Christus. Verum est tamen, quòd tenentes partem negatiuam dicemus sufficere, quod Christus haberet potestatem & rationem dominij instrumentalem, vt iam explicatum est. Etenim nemo concedet, quòd si vir habet potestatem & dominium circa corpus vxoris, q̃ Christus inquantũ homo haberet similem potestatem formalem.

Ad quartam & vltimam rationem responderi potest, quòd quemadmodum ipse Deus, cum sit rerum omnium dominus, permittit tamen multam tyrannidem & plurimas iniustitias propter maius bonum: ita etiam Christus intelligens & videns voluntatem Dei, permisit & permittit principum terræ iniquam gubernationem & tyrãnidem prout ipse Pater vult, quòd permittat, donec veniat dies iudicij, vbi erit iudex bonorum & malorum, & deinceps in æternum omnibus dominabitur: tribuens vnicuique secundùm opera eius, vt in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum; cui est gloria & imperium in sempiterna secula, Amẽ.

DVBITATVR secundò, Vtrùm Summus Pontifex habeat dominium temporale supra totũ orbem. Arguitur primò pro parte affirmatiua. Probabile est vt diximus, quòd Christus Dominus habuit tale dominium, ergo & quòd Summus Pontifex. Probatur consequentia, quia Christus Dominus tribuit Petro tanquam suo vicario potestatem, quam ipse habuit ad pascendas oues, quas commisit Petro & successoribus eius. Et confirmatur ex illo Ioann. 20. quod dixit Dominus post resurrectionem suam Apostolis, Pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Sed Pater ipsum Christum misit cum potestate dominij temporalis supra totum orbem, ergo Christus eadem potestate misit Apostolos, maximè Petrum: & per consequens Summum Pontificem Petri successorem & Vicarium ipsius Christi.

Arguitur secundò. Nam sicut habetur ex Innocentio III. in cap. solitæ. de maioritate & obedientia. Tanta est inter sacerdotalem & regiam dignitatem differentia, quanta est inter Solem & Lunã. Sacerdotalis itaque dignitas comparatur Soli: Regia vero Lunæ: sed Sol præest omnibus corporalibus, ergo & pontificia dignitas omnibus secularibus, & per consequens Summos Pontifex est dominus tẽporalis. Confirmatur primò. Nam sæpe habetur in iure quod Regia ptãs est subiecta Põtificiæ, & hoc ẽt habetur in eod. c. solitæ Et d. 10. Decreti per plura capita. Vide præsertim cap. lege Imperatoris, & cap. constitutiones. & cap. suscipitis. & d. 96. etiã multa capita. Præsertim cap. si Imperator. cum quatuor cap. sequent. Confirmatur secundo ex Bonif. 8. In extrauag. vnam sanctam Ecclesiam. de maiorit. & obedien. vbi definitur quòd omnes Christi fideles de necessitate salutis sunt subiecti Romano Pontifici. Et insuper ait, Vtrumque gladium & materiale & spirituale esse in potestate Ecclesiæ. Item etiam D. Tho. in fine lib. 2. Sententiarum, in expositione literæ Magistri in solutione ad quartum, inquit, quòd Summus Pontifex qui est vicarius Christi ex eius traditione vtriusque potestatis tenet apicem.

A Arguitur tertiò. Nam Summus Pontifex imperat omnibus alijs potestatibus temporalibus, ergo habet dominium supra illas. Consequentia videtur bona, & antecedens pater. Tum ex testimonijs adductis in secundo argumento cum suis cõfirmationib. Tum etiam quia Summus Pontifex habet potestatem quæ respicit finem principalem, scilicet, spiritualem ad quem omnia temporalia ordinãtur. In omnibus autem artibus & potestatibus ordinatis hoc videmus, quòd illa quæ respicit finem principalem imperat alijs quæ sunt ad finem. Sicut militaris frænefactiuæ & potestas Ducis exercitus potestati aliorum ministrorum inferiorũ. Et hoc etiã docet Arist. 8. Ethicor. cap. 2. Confirmatur. Quoniã
B quando alicui committitur, aliqua potestas. Datur etiam ei autoritas supra omnia illa quæ sunt necessaria ad illum finem consequendum, ad quem datur talis potestas. Ad finem autem spiritualem nempe ad salutem animarum ad quam data est potestas Summo Pontifici, necessarium est quòd habeat potestatem supra omnes potestates inferiores, aliàs enim non posset eos compellere in ordine ad dictũ finem spiritualẽ, quando id expedierit, ergo habet talem potestatem.

Quartò. Synagoga habuit dominium temporale supra totum orbem, ergo ipsum habet Ecclesia & Summum Pontifex. Consequentia videtur bona. Nam Ecclesia & Summum Pontifex maiorem habet & præstantiorem potestatem quam Synagoga
C & illius Summus sacerdos. Antecedens autem probatur ex c. 1. Thenor. vbi Synagoga dicitur domina gentium & Princeps prouinciarum. In contrarium est quòd licet demus quòd Christus habuerit dominium temporale supra totum orbem, non tamen est vsus illa potestate, vt patet ex dubio præcedenti, ergo frustra tribuitur Vicario eius. Quidam ex iuristis tenent Summum Pontificem esse dominum totius orbis etiam in temporalibus. Hanc sententiam tenuit Innocentius & Hostiensis super cap. quod super his. de voto & uoti redemptione. Item etiam Panorm. & Archidiaconus. Item eriã gl. super extrauagantem citatam Bonifacij VIII. Eosdem sequuntur aliqui ex Summistis. Hanc sen-
D tentiam tenet Summa Angelica in verbo infidelitas, Et eandem videtur sequi Sylueſter in eodem verbo infidelitas quæst. 7. & in verbo Papa quæst. 7. 10. & 11. & in verbo legitimus quæst. 4. Eandem sententiam tenuit D. Antoninus in 3. par. quæst. 8. cap. 5. & alij etiam quos citant prædicti Doctores. Theologi autem communiter tenent sententiam oppositam. Quorum aliquos infra citabimus.

PRO solutione aduertendum est primò, quòd in præsenti tantum quærimus de dominio temporali. Nam de potestate spirituali quantum habeat diximus latissimè in nostris cõmentarijs supra quẽstione. 1. art. 10. quẽst. 10. supra art. 8. Et in 4. in materia de clauibus solet tractari de hac potestate. Se-
E cundò est aduertendum, quod Summum Pontificẽ habere dominium temporale supra totum orbem, potest intelligi dupliciter. Vno modo directè & per se in ordine ad finem temporalem. Alio modo indirectè & veluti per accidens in ordinem ad finem spiritualem.

Sit prima conclusio. Loquendo per se & directè in ordine ad finem temporalem, non habet Summus Pontifex dominium temporalem supra totũ orbem. Istam sententiam tenent Cardinalis à Turrecremata lib. 2. summ. de ecclesia cap. 113. cum tribus sequentibus, vbi dicit plura quæ pertinet ad hanc difficultatem. Eandem tenet Caietanus

infra

infra in quæst. 66. super art. 8. & colligitur etiam ex
A doctrina D. Tho. ibidem in solutione ad secundum. Magister Franciscus à Victoria tenet eandem sententiam in Relectione. 1. de potestate ecclesiæ, maximè num. 8. quæst. 5. Vide ibidem à numer. 1. vsque ad 14. inclusiuè. Vide eundem in Relectione 1. de Indis num. 27. Et Magister Fr. Dominicus Soto tenet eam lib. 4. de Iustitia & iure quæst. 4. art. 1. Et probatur primo ista sententia. Nam non est censendus habere perse directè Summus Pontifex ea, quæ Christus inter dixit omnibus Apostolis. Sed dominium temporale in ordine ad finem temporalem inter dixit Christus omnibus Apostolis, ergo non competit vicario Christi. Maior videtur nota: nam Christus potestatem quam dedit Sum-
B mo Pontifici, contulit in beato Petro. Et minor probatur ex illo Matth. 20. Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent inter eos: non ita erit inter vos. Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & quicunque voluerit inter vos primus esse erit vester seruus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, &c. Idem habetur Lucæ 22. Secundò probatur ex D. Bernardo in lib. 2. de consideratione ad Eugenium Papam, vbi loquens cum eodem Pontifice inquit, Quid tibi amplius dimisit Sanctus Apostolus, Quod habeo inquit, tibi do. Quid illud? Vnũ scio non est aurum neque argentum, Cùm ipse di-
C cat: argentum & aurum non est mihi. Et infra. Neque enim ille Sanctus Petrus tibi dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit dedit, solicitudinem super ecclesiam, nunquid dominationem? Tertiò probatur ex pluribus iuribus: quæ habentur in Decreto dist. 10. Præsertim cap. quoniam. vbi Cyprianus Pontifex inquit, Iuliano Imperatori. Quod mediator Dei & hominum Christus Iesus. Sicut discreuit vtranque potestatem, & Pontificiam & Imperatoriam, vt Christiani Imperatores pro vita æterna Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantum modo rerum, imperialibus legibus vterentur. Ecce constituuntur diuersæ potestates & Pontificia & Imperialis. Ita vt n-
D que Imperialis possit quæ Pontificis sunt: neque è conuerso. Vide in dist. 96. cap. cum ad verum. vbi Nicolaus Pontifex statuit, ne Imperator iura Pontificia neque Pontifex iura Imperatoria vsurpet; & notandum maximè est verbum vsurpet. Vide in Decretalibus in titulo. Qui filij sint legitimi. cap. cum fam. quod est Alexandri III. & ibi decernitur, quòd de causa ciuili inter laicos nõ cognoscit ecclesia. Vide in titul. de appellationibus, cap. si duobus. vbi idem Pontifex in §. denique. inquit, quod à ciuili iudice, qui non est de temporali iurisdictione Ecclesiæ, non appellatur ad Papam. Si autem summus Pontifex haberet prædictum dominium temporale supra totum orbem in rei veritate posset in-
E tromittere se in ea quæ sunt Imperatoris, & cognoscere de causa ciuili inter laicos: posset insuper appellari ad ipsum à ciuili iudice: quorum tamen oppositum decernitur in prædictis capitibus. Quarto probatur. Nam si Summus Pontifex haberet prædictum dominium, illud haberet iure diuino. Sed hoc non, ergo &c. Maior patet. Nam non habet iure naturali aut humano, vt constat. Minor verò probatur, Nam si iure diuino id haberet, constaret ex Sacris literis, aut ex traditione. Ex sacris autem literis id non colligitur: quin potius oppositum: vt constat ex autoritatibus, quæ adduximus in primo argumento pro ista conclusione. Ex traditione au-
A tem non habetur. Nam in ecclesia non est talis traditio. Aduertendum tamen circa hanc conclusionem, quòd non modo Summus Pontifex non habet dominium temporale supra totum orbem in ordine ad finem temporalem: verùm etiam neque habet dominium aliquod temporale directè ex traditione Christi. Habet tamen verum dominiũ temporale directè super ea bona temporalia, quæ contulerunt Ecclesiæ Principes Christiani, vt Constãtinus & alij. Quòd autem ex traditione Christi nõ habeat huiusmodi dominium, probant argumenta facta. Quod vero illud habeat super bona temporalia collata Ecclesiæ à Principibus Christianis, patet. Nam donatio facta à Principibus Christianis
B fuit vera donatio conferens verum dominiũ temporale ipsi Ecclesiæ, etiam in ordine ad finem temporalem. Et hoc patet in Constantini Imperatoris donatione facta Sylueſtro Pontifici. De qua habetur in cap. Constantinus. 96. dist. & in cap. futuram. 12. q. 1. Et idem patet in donationibus aliorũ Principum factis Ecclesiæ. Et hinc sumitur quintum argumentum pro nostra conclusione. Nam si summus Pontifex haberet dominium vniuersale supra totum orbem, de quo loquuti sumus in prima conclusione, sequeretur: quòd donatio facta Ecclesiæ per Principes non esset vera donatio, sed restitutio. Consequens tamen est falsum ergo. Sextò probatur eadem conclusio. Nam ex opposita sententia se
C queretur quòd Summus Pontifex esset vniuersalis Rex & Imperator totius orbis. Consequens tamẽ est falsum, ergo. Sequela videtur manifesta. Nam habere prædictum dominium proprium est Regis seu Imperatoris vniuersalis. Minor verò probatur. Nã hoc est inauditum in ecclesia. Imo & Christus Dominus id videtur prohibuisse locis citatis Matthe. 20. & Lucę 22. Et rursus in cap. cum ad verum citato. dist. 96. Disponitur ne Pontifex iura aut nomen Imperatoris sibi vsurpet. Idipsum colligitur ex cap. citato. Quoniam dist. 10. Septimò probatur. Ex opposita sentẽtia etiam sequeretur, quòd Summus Pontifex posset pro sua voluntate in ordine ad finem temporalem statuere leges in vniuerso orbe:
D posset etiam pro suo libito abrogare omnium aliorum Principum leges. Hoc autem est falsum & cõtra communem sententiam. Vltimò probatur eadem conclusio. Nam si Summus Pontifex haberet dominium temporale directè in ordine ad finem temporalem supra totum orbem, sequeretur, quòd etiam quilibet Episcopus haberet idem dominium in sua diœcesi. Consequens est falsum, ergo. Minor patet ex communi sententia, nullus enim illud cõcedit. Sequela tamen probatur. Nam tantam potestatem proportionabiliter habet quilibet Episcopus in suo episcopatu iure diuino: quantam habet Summus Pontifex in tota Ecclesia, quanuis habeat illam subordinatam Pontifici.

Secunda conclusio. Summus Pontifex habet dominium temporale instrumentale & indirectè supra totũ orbẽ videlicet in ordine ad finẽ spiritualẽ. Hanc cõclusionem tenent Doctores citati pro præcedenti cõclusione: quanuis illi non vtantur illa voce, instrumentale, quæ dictio nobis placet: quia verè exprimit rationem dominandi non esse formalem vt in causa principali respectu temporalium. Hanc probant argumenta facta à principio si quid probant. Et vlterius probatur primo. Nam vt constat ex pluribus captibus iuris in ordine ad finem spiritualem potest Summus Pontifex antiquos Reges & Imperatores deponere, & nouos constituere, ergo. Consequentia videtur bona. Et antecedens

patet.

patet. Nam Zacharias Romanus Pontifex Regem Francorum, eo quòd tantæ potestati esset inutilis à Regno deposuit: & Pipinum qui fuit Caroli Magni Imperatoris pater in eius locum substituit, & omnes Francigenas à iuramẽto fidelitatis absoluit. Vt habetur in capit. alius. 15. quæst. 6. Præterea. Innocentius Quartus, Regi Portugaliæ qui prodignus & dilapidator erat, & ecclesias, monasteria pia loca & personas ecclesiasticas, viduas, pupillos & orphanos grauabat, & grauari sinebat, dedisse adiutorem, & illi administrationem Regni interdixisse, legitur. Vt patet ex capit. grandi de supplenda negligentia prælatorum. libro. 6. Præterea Summus Pontifex Imperium Romanum à Græcis transtulit in Romanos: & ius ac potestatem eligendi Imperatorem certis Principibus contulit. Vt patet in cap. venerabilem de electione, & electi potestate. De qua vide Syluestrum in verbo, electio. quæst. 4. & 5. Multò magis verificatur conclusio, si Reges seculares sunt hæretici vel schismatici. Secundo probatur. Nam ea quæ sunt necessaria ad exercendum officium commissum, simul committuntur & conferuntur cum ipsomet officio, sed ad exercendam spiritualem potestatem datur in Summo Pontifici vt Christi vicario necessarium est, quòd habeat prædictum dominium supra totum orbem, ergo. Maior habetur ex capit. 1. de officio & potestate iudicis delegati. Et minor probatur. Nam si non haberet prædictum dominium, non posset impedientibus suam potestatem & iurisdictionem resistere per bellum, nec posset etiam contradicentes temporaliter punire. Quod tamen est falsum imo & contra fidẽ. Probatur, constat enim ex multis iuribus, quòd potest Summus Pontifex statuere leges circa temporalia: & similiter leges ciuiles aliorum. Principium abrogare, quando viderit id expedire, in ordine ad spirituale bonum Ecclesiæ & fidelium. Et hoc etiã patet, ex ipsomet vsu antiquæ Ecclesiæ, ergo. Plura alia argumenta pro hac conclusione vide apud Cardinalem à Turrecremata lib. 1. Summę de ecclesia. capit. 90. Vbi agit de eminentia potestatis spiritualis supra secularem. Et in libr. 2. cap. 114. Vbi tractat qualiter Romano Pontifici iure sui principatus cõpetat habere iurisdictionem temporalem in toto orbe Christianõ. Denique tam in eodem capit. 114. quam in præcedenti, & duobus sequentibus multa reperientur egregia, quæ conducunt ad prædictas conclusiones probandas.

Ad omnia argumenta respondetur, quòd probãt secundam conclusionem. Quatenus autem militẽt contra primã: tridetur ad primum argumentum. Primò dicitur quòd adhuc est in opinione, An Christus dominus habuerit dominiũ temporale supra totum orbem, vt constat ex dictis dubio præcedenti. Veruntamen concesso antecedenti: negatur consequentia. Vt enim diximus in superioribus. quæst. 1. super arti. 10. & quæst. 10. super art. 8. Non omnem potestatem quam Christus habuit, etiam inquantum homo communicauit Summo Pontifici. Nam potestatem excellentiæ, quam habuit in sacramentis non communicauit Summo Pontifici. Vt docet Diuus Tho. 3. part. quæst. 64. artic. 4. ad primum. licet potuisset communicare si voluisset: vt docet Diuus Thomas in eodem articulo. Vide de hac re Magistrum Soto in 4. dist. 1. quæst. 5. artic. 4. dubio vltimo.

Ad confirmationem dicitur quòd Pater misit filium non ad exequendum dominium temporale, sed spirituale. Et ita misit Christus suos Apostolos. Et sic possunt verificari verba illa Ioan. 20. Etiam

A si non contulerit dominium temporale suis Apostolis. Præterea dicimus, quòd si illa autoritas aliquid probaret, non tantum conuinceret Beatum Petrum habuisse dominium tempotale supra totũ orbem, verùm etiam & reliquos Apostolos, quod tamen falsissimum est.

Ad secundum argumentum, cum suis confirmationibus dicendum, quòd omnia illã iura loquuntur de potestate, & dominio in ordine ad spiritualia cum opus fuerit illam exercere: vt patet manifestè intuenti ipsa iura. Et ita in illo capit. solito. ad probandam potestatem Summi Pontificis, adijcitur illud Ioannis 20. Pasce oues meas. Et illud etiam Matthæi 16. Quodcunque ligaueris super

B terram, &c. Quę quidem loca loquuntur de potestate spirituali in ordine ad finem spiritualem. Eodem modo intelligẽdus est Diuus Thomas, & q̃ hoc modo intelligatur, manifestè colligitur ex verbis paulò ante præcedentibus. Inquit enim quòd secularis potestas est sub spirituali, inquantum est à Deo subiecta, scilicet, In his quæ ad salutem animæ pertinent.

Ad tertium. Cum sua confirmatione satis patet per præcedentia. Ad quartum argumentum, antecedens negatur ad probationem dicitur, quòd synagoga dicitur domina gentium & Princeps prouinciarum: quia aliquæ gentes & prouinciæ erant illis subiectæ licet non omnes. Præterea dicebatur

C Princeps & domina gentium propter religionis & legis notabilitatem supra omnes leges & religiones omnium nationum. Et hæc dicta sufficiat de temporali potestates Summi Pontificis. Neque enim sedes Apostolica indiget nostro mendacio: quæ vera & propria potestate abundat ad omnia quæ ad spiritualem finem necessaria sunt. Nam qui volunt assentatione quadam Summus Pontificibus dominium temporale directè & formaliter tribuere supra totum orbem: odiosam regibus terræ fidelibus & infidelibus sedem Apostolicam efficiunt.

DVBITATVR tertio. Vtrùm Imperator habeat dominium temporale supra totum orbem.

Primo arguitur pro parte affirmatiua. Nam in

D spiritualibus est vnus Summus Pontifex qui præest toti Ecclesiæ ergo in temporalibus debet esse vnus Imperator, qui præsit toti orbi. Antecedens secundum fidem tenendum est, vt constat ex his quæ diximus supra quæstione. 1. artic. 10. Consequẽtia autem videtur tenere ex paritate rationis.

Secundo arguitur, Octauianus Augustus Cæsar, qui præerat Imperio Romano quando natus est Christus, habuit dominiũ temporale supra totum orbem, ergo &c. Consequentia vt nota: nam cæteri Imperatores maximè Christiani non habent esse

E deterioris conditionis quàm Augustus, qui erat Gẽtilis. Antecedens autem probatur primò, ex illo Lucæ 2. Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Secũdo probatur ex D. Tho. in illo opuscul. 20. de regimine Principum lib. 3. ca. 13. Vbi inquit, quod Christus verus erat mundi Dominus, & Monarcha cuius vices gerebat Augustus licet non intelligeret, ergo si Christus Dominus habuit dominium temporale totius vniuersi, ita & Augustus eius vices gerens. Confirmatur. Nam Tyberius Cæsar qui Augusto successit, qui quidẽ præerat Imperio Romano quãdo Christus passus est, etiam habuit dominium temporale supra totum orbem: siquidem habuit dominium supra Iudæos, vt patet ex eo quòd dixit Dominus Matth. 22. & Lucæ 20. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo.

Tertio

Tertiò arguitur, ex Diuo Hieronymo in Epistola ad Rusticum monachum, de viuendi forma. Et deferuntur eius verba. 7. quæstio. 1. capit. in apibus. Vbi inquit, quòd in apibus vnus dux est, grues vnã sequuntur ordine literato, vnus & imperator. Confirmatur, ex l. precatio. ff. ad legem Rhodiam, vbi habetur, quòd Antoninus Imperator dixit, Ego mundi dominus sum.

Quartò. Adam fuit vniuersalis dominus totius vniuersi, quod quidem videtur colligi ex ille Genesis. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Vt præsit piscibus maris & volatilibus cœli. Et infra, Crescite & multiplicamini & replete terram, & subijcite eam. Et similiter videtur dicendum de Noe: & hoc apparet colligi ex

B capit. 8. Genes. Vbi habetur quòd dixit Dominus Noe & filijs eius. Ingredimini super terra Crescite & multiplicamini super eã. Illis aũt alij successerũt, ergo maximè Romani Imperatores, & per consequens habent dominium vniuersale totius orbis.

Quintò. Optimus modus gubernandi est per monarchiam vniuersalem, ergo eam instituit dominus. Et per consequens eam habet Imperator. Nam videtur quòd non possit alius ex cogitari vniuersalior rex. Antecedens videtur Aristotel. 3. Politicorum. Et id docet expressè D. Tho. in opusculo citato de regimine principum. lib. & capit. 2. Consequentia autem probatur. Nam Deus qui omnia in sapientia facit, vt habetur Psalmo 103. Optimum modum gubernandi instituisse censendus est.

Vltimò arguitur. Nam Imperator communiter appellatur orbis dominus. Et ita in cap. futuram, 1. 2. quæst. 1. dicitur quòd Imperatores Romani tenebant totius orbis monarchiam, ergo. &c.

In contrarium est lex cunctos populos. C. de summa Trinitate, & fide Catholica. Vbi limite Romani Imperatoris circunscribuntur, cum dicitur à Romano Imperatore cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit Imperium.

De hac difficultate agit Magister à Victoria in relectione de Indis nu. 24. & 25. & Magister Soto lib. 4. de Iustitia & iure. q. 4. arti. 2. Qui pro vtraque parte adducunt autores. Pro parte affirmatiua Ho- L

D L stiensem, Ioannem Andr. Bartol. Bald. & alios doctores ex Italia. Et Bartolus adeò certam existimat hanc sententiam, vt dicat quòd forte incurret hæresim, qui eam negauerit. Et præcipuè ad hoc mouetur propter autoritatem adductam in secundo argumento ex Lucæ ca. 2. Pro parte autem negatiua adducunt Fabrum & Vltramontanos. Et istam sententiam prædicti autores tanquam certam tuentur & est communis inter Theologos, & quia prædicti Magistri latè eam probant nos breuiter definiemus in hoc loco.

Sit vnica conclusio. Imperator nõ habet dominium temporale supra totum orbem. Dicimus temporale, quoniam de spirituali certius est quàm vt indigeat probatione. Illud enim solum Summo Pontifici competit iuxta ea quæ diximus quæst. 1. artic. 10. Et intelligimus conclusionem de dominio temporalis iurisdictionis. Nam si loquamur de dominio temporali proprietatis rerum adhuc est certùs, vt optime probat Magister Soto lib. 4. de Iustitia & iure. quæst. 4. artic. 1. Probatur conclusio sic explicata primò. Nam si haberet dominium temporale supra totum orbem, omnes Reges terræ essent ei subiecti in temporalibus tanquam superiori & vniuersali domino. Hoc autem est falsum, ergo. Sequela videtur manifesta. Nam ex eo quòd Rex Catholicus Philippus Secundus habet dominium supra

A omnia sua Regna, omnes qui habitant huiusmodi regiones sunt ei subiecti in temporalibus. Minor verò probatur ex capit. cum per venerabilem. qui filij sint legitimi. Vbi inquit Innocentius III. quòd Rex superiorem in temporalibus non recognoscit. Vnde obiter collige veram esse nostram sententiam in dubio præcedenti.

Secundò probatur. Si Imperator haberet dominium temporale supra totum orbem: vel haberet iure naturali vel iure diuino vel humano, sed nullo istorum, ergo. Consequentia est manifesta & maior patet à sufficienti diuisione. Minor verò probatur quòd non naturali. Nam hoc iure omne nascuntur liberi, neque est aliquod dominium iure naturali

B præter id quod habent parentes super filios & maritus supra vxorem. Vt docet D. Tho. 1. parte quæst. 22. arti. 1. ad secundum. Et quæst. 96. artic. 4. Confirmatur quia vt docet idem D. Tho. in 2. 2. quęst. 10. arti. 10. Dominium & prælatio inducta sunt iure positiuo: quod verò non iure diuino probatur quoniam nullibi id legimus, sicuti legimus de Saule & Dauid habuisse regnum à Deo vt constat lib. 1. Regum. quòd verè non iure human. Probatur. Quia si illud haberet competeret ei, vel autoritate legis, & hoc non: quia nulla talis extat lex. Et si extaret maximè quia facta esset ab Imperatoribus, & licet facta esset, non haberet vim obligandi: quia ante talem legem Imperator non haberet iurisdictionem:

C lex autem facta à non habente iurisdictionem non habet vim obligandi. Aut Imperator haberet legitima successione, aut donatione aut permutatione, aut emptione, aut iusto bello, vel alio titulo. Nullum autem istorum dici potest, ergo non habet tale dominium. Multa alia possemus afferre pro hac conclusione, sed non existimo in re certa opus esse pluribus.

Vnum tamen aduertendum est, quòd licet Imperator non habeat dominium temporale supra totum orbem: nihilominus est superior quantum ad aliquid omnibus Principibus Christianis. Est enim fidei protector ab Ecclesia designatus: & propterea coronatur à Summo Pontifice. Vnde in ordine ad exaltationem fidei & Ecclesiæ & protectionem potest conuocare Principes Christianos contra inimicos Ecclesiæ. Veruntamen Rex Hispaniæ exemptus est ab imperatore. Et hodie est maximus protector Ecclesiæ.

Ad primum argumẽtum negatur consequentia. Ad probationem dicitur, non esse eandem rationem. Nam in spiritualibus conuenit vnum esse totius Ecclesiæ. Summum Pontificem: iuxta ea quæ diximus supra quæstione. 1. artic. 10. & cum Christus Dominus, cuius Vicarius est Summus Pontifex sit vniuersalis Redemptor & vnicus Rex regni cælorum, & caput vnicum Ecclesiæ per totum orbem diffusæ, & infinita sua virtute omnia disponat: potest per vnicum vicarium totum regere orbem. Eo vel maximè quòd sub vno pastore alios inferiores prælatos ei subordinatos constituit. Verum tamen Reges accipiunt potestatem à republica. Et ita non est necessarium, quòd ab vno totus orbis dependeat: quin potius nec totius orbis potest vnum vniuersalem dominum eligere. Non enim potest conuenire ad huiusmodi electionem. Et licet posset conuenire, non expediret ad bonam vniuersi gubernationem talem eligere vniuersalem dominum. Vt enim docet Aristote. 7. Politicorum capit. 4. Respublica non eò est melior, quia maior. Sed talis debet esse & tanta sub vno Principe: quanta ipse potest commodè gubernare. Vnius autem Prin-

ceps

ceps non potest temporalibus commodè gubernare totum vniuersum. Quare potentes Reges deberent aduertere, quòd non minor est virtus, quàm quærere parta tueri.

Ad secũdum argumentum negatur antecedens. Ad primam probationem primo dicitur, quòd Euãgelista non approbauit illud edictum: quin potius videtur condemnasse. Nam ad hoc apparet Euangelistam retulisse illam historiam, vt ostenderet nõ Augustum, qui tunc Romano Imperio præerat, sed Christum, qui tunc nascebatur esse Dominium vniuersi. Secundo dicitur, quòd nomine vniuersi orbis, non intelligitur in illo loco totus mundus: quoniam multæ erant tunc prouintiæ, quæ non erant subiectæ Imperio Romanõ. Sed vniuersus orbis sumitur ibi pro magna parte orbis. Ad quam Romani pertinebant. Vide expositores Euangelistarum super eadem loca, qui plura adducunt testimonia scripturę ad ostendendum hanc esse legitimam ipsius loci explicationem. Et ad hoc deseruit illud quod habetur. Genes. 41. cum dicitur: Omnis terra venit in AEgyptum: intelligitur id est bona pars terræ. & Genesis etiam secundo dicitur de Eua, quòd erat mater cũctorum viuentiũm, quod tamen non extenditur ad irrationalia & insensibilia.

Ad secundam probationem. Si teneamus Christum dominum non habuisse dominium temporale supra totum orbem, eo modo quo explicauimus dubio præcedenti, facile potest responderi, quod D. Thomas intelligitur, quòd Augustus gerebat vices Christi, quatenus eius potestas temporalis erat subiecta spirituali Christi & illius ministra. Quemadmodum etiam & potestas etiam Regiæ dicuntur ministræ Pontificum. Veruntamen etiam tenẽdo alteram sententiam, quòd Christus Dominus habuit dominium temporale supra totum orbẽ. Respondetur quòd D. Tho. intelligit, quòd Augustus gerebat vices Christi, etiam quantum ad dominium temporale; non quidem supra totum orbẽ sed supra magnam illius partem: nempe super totã illius partem quæ subiecta erat Imperio Romano. Quemadmodum etiam solemus dicere, quòd gubernator constitutus à Rege super aliquam prouinciam, gerit illius vices. Non quidem supra omnia regna subiecta ipsimet Regi: sed supra illam prouinciam, super quam constitutus est. Veruntamen Augustus non erat, vt iam dicimus, propriè Vicarius institutus à Christo, sed permissus à Deo, vt nesciẽs quid faceret, prodesset monarchiæ Christi.

Ad confirmationem pariter negatur Tyberium habuisse dominium temporale supra totum orbẽ. Et ad probationem dicitur quòd licet daremus simpliciter & absolutè Tyberium habuisse dominium supra Iudæos & de iure, non inde consequeretur, quòd habuisset dominium supra totum orbem. Secundò dicitur, quòd Iudæi nõ erant subiecti Imperio Romano de iure, sed de facto Gens enim Iudæorum libera erat à dominio cuiuscunque alienigenæ. Imo & in lege prohibitum erat, vt Iudæi haberent dominiũ alienigenam, vt patet ex illo Deuteronom. 17. Eum constitues, scilicet, Regem: quẽ dũs Deus tuus elegerit de numero fratrũ tuorum: non poteris alterius gentis hominẽ Regem facere qui non sit fratres tuus. Cum ergo Christus dominus in illis locis iubet dari Cęsari, quod ipsius erat, non approbat, vt ait Magister Soto dominium Cæsaris, sed volent se eximere à calumnijs Iudæorum, ius tantum naturæ retulit. Ac si diceret, Si quid debetis Cæsari soluite. Sed primum Deo quod illi debitum est reddite. Præterea possumus dicere quòd ideo Christus iussit reddenda esse Cæsari quæ illius erant: quoniam, vt inquit Nicolaus de Lyra super verba Matth. 22. citata, Iudæi iurauerant Romanis fidelitatem se seruaturos, & tributa reddituros à tempore Pompei, qui fecerat Iudæam tributaria. Et ita propter reuerentiam iuramenti illa iubebat reddi. Sed prior solutio est melior.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd D. Hieronymus minime intendit, quòd sit vnus Imperator qui habeat dominium supra totum vniuersum, sed quòd vnius reipublicę debet esse vnus Rex & totius Christianismi vnus Imperator; sicut vnius albearis est vna Apis ductrix aliarũ. Et vnius congregationis gruum est vna, quæ alias ducit. Sicut autem non est vna apis omnium apũ ductrix. Ita neque vnus Imperator totius orbis dominus. Ad confirmationem respondetur, quod Antonius Imperator, illud dixit arrogãter, & ita inde nullum sumitur argumentum.

Ad quartum respondetur, quòd Adam & Noe fuerunt domini orbis quando ipsi soli erant in mũdo: continuò autem diuiserunt filijs terras, vel filij eorũ conuenerunt ex communi consensu, vt vnusquisque suam partem occuparet, vel alio modo facta est diuisio rerum inter eos.

Ad quintum argumentum respondetur, quòd optimus modus gubernandi, non est per monarchiam vniuersalem totius mundi: neque id docet Aristot. aut Diuus Thomas, sed eam gubernationẽ dicunt esse optimam quæ fit per vnum circa vnam multitudinem, non quæ fit per plures. Intelligũtur autem de ea multitudine quæ potest commodè per vnum gubernari. Vt enim dicebamus ad primum ex Arist. respublica non eo melior, quò maior.

Ad vltimum argumentum respondetur, quòd Imperator, nõ ideo dicitur orbis dominus, quia totius vniuersi sit dominus, sed quia dominatur magnæ parti mundi inter Christianos Principes habens quandam ex officio eminentiam.

Disputatio Quinta.
De translatione Dominiorum.

ANTE omnia definire oportet, quid sit translatio dominij, & quæ nam sint huius translationis causæ. Deinde circa ipsas causas sunt examinãdæ grauissimæ quęstiones.

Dominij ergo translatio nihil aliud est, quàm transmissio rei ab eo qui legitimà possidet in alterũ qui incipit de nouo esse dominus eius. Apertissima est definitio ex supradictis: sed explicatur assignãdo causas huius translationis: quæ sunt tres. Prima voluntas diuina quæ declaratur nobis aut iure diuino naturali. (Deus enim manifestas nobis quædam vt autor est naturæ) aut certè per particularem reuelationem quæ expressè facta sit ad manifestandum Dei voluntatem. Sic transtulit Deus regnum à Chananæis in filios Israel: à Saule in Dauidẽ. Ratio huius rei est. Quoniam cùm Deus sit vniuersorum dominus, poterit voluntatem sua quãdo illi placuerit, dominia transferre. Et quidem hæc prima causa parum facessit nobis negotij, quoniam supra id quod manifestissimum est ex naturæ iure, requirit expressam Dei reuelationem. Quæ si constet transfertur dominium, si autem non constet talis expressa reuelatio, nunquam censendum est dominium transferri per hanc causam. Secũda causa est voluntas domini possidentis. Etenim cùm homo sit Dominus per facultatem arbitrij, potest per eandem facultatem

cultatem per quam res possidet, easdem alienare vt habetur. Institutta. de rerum diuisio. §. traditione. Et ex. l. quam: §. liceræ. ff. de acquiren. rerum dominio. Eo vel maximè quòd rei possessę usus, est venditio, donatio, aut denique ab alienatio rei. Tertia causa est voluntas legislatoris & Principis transferentis res ciuium in alios dominos. Declarator autem nobis hæc voluntas Principis aut legibus editis, aut pronuntiatis sententijs. Ratio huius rei est. Quoniã cùm homo sit natura sua animal sociale & politicũ, eodem naturæ iure necesse est sit subiectus legibus & sententijs Principis, quæ ordinantur ad bonum reipublicæ in qua degit homo & vitam agit. Rursos cùm Principi liceat malefactores & reos propter bonum Reipublicæ etiam vita mulctare: multò magis licebit propter bonum ipsius Reipublicę spoliare ciues, omnibus suis fortunis & bonis. Hoc autem efficit voluntas Principis vno duorum modorum. Primus est cohibendo voluntatem veri domini, ne transferat etiam si velit, dominium in alterum. Quo pacto impediuit ne pupillus ab alienet bona sua reddendo ipsum pupillum in habilẽ (aut quod in idem reducitur) redẽdo alterum cum quo fit contractus, inhabilem ad recipiendum. Vt patet in lege de simonia. Vbi is qui recipit pretium, est inhabilis ad recipiendum. Secundus modus est transferendo, velit nolit verus rei dominus, dominium in alium possessorem. Vt patet in lege præceptionis. de his omnibus agendum est per singula.

DVBIVM primum est, Circa secundam causã, vtrum per solam interiorem voluntatem possit homo transferre dominium suæ rei in alterum. Aliquis. v. g. intra se cogitans promittit Petro sine verbis domum: Rogamus num iste teneatur Petro patefacere illam suam promissionem interiorem: etsi Petrus acceptet, donare illi domum. Neque dubitamus in præsentia, cùm tantum interius propositum habetur, & non promissum: tunc enim certum est nullam esse obligationem; sed tota controuersia est, quando interius promittimus vel donamus. Videtur autem, quòd tunc trasfertur dominium, & fit obligatio.

Primò arguitur. Homo est dominus rerum suarum per facultatem arbitrij, ergo per eandem solã sine exteriori signo transfert dominium.

Cõfirmatur. Vocalis oratio tantùm habet quod sit signum & declarato interioris orationis, quod si exterius quis proferat promissionem, obligabit: ergo signum erat, quòd promissio interior obligauerat antea.

Secũdò arguitur. Interior promissio absque vllo exteriori signo Deo facta, obligat secundum ius religionis, quæ est inter Deum & homines, ergo facta homini obligat secundum ius, quod est vnius hominis ad alterum. Confirmatur, talis promissio homini facta si iuramento confirmetur transfertur ius & dominium, obligatque in conscientia. Ergo si circa iuramentum fiat. Probatur consequentia. Iuramentum promissorium tunc obligat tantum, quando promissio alias obligabat, & erat valida.

Vltimò arguitur. Promissio explicata verbis sed absenti facta, obligat in conscientia, & transfert dominium. Ergo & interior, quoniam in oratione ad absentem non magis conferunt verba, quàm sola cogitatio interior.

In hoc dubio Magister Soto lib. 4. de Iustitia. quæst. 5. arti. 1. ad primum. Et copiosiũ. lib. 8. quæst. 2. artic. 1. asserit tria. Primum circa controuersiam vllam, promissionem mentalem non obligare in conscientia: neque transferre dominium, nisi verbis declaretur. Exemplum est in matrimonio: vbi per solum consensum mentalem non transfertur dominium corporis: nisi declaretur signis talis consensus. Idem est in alijs contractibus mutuis Secundum est, promissionem non mutuam, quæ signis non explicatur, non obligare in exteriori foro neq; transferre dominium. Tertium stando in mero iure naturæ, problema est, an promissio ista simplex non mutua obliget in conscientia, si non exprimatur signis. Et quidem duo dicta primum & secundum certissima sunt. Sed circa tertium dictum. Sit nobis conclusio. Citra dubium videtur asserenda pars negatiua, videlicet, Promissio interior verbis non explicata non obligat in conscientia neque transfert dominium. Hæc videtur colligi ex Sacris literis. Prouerb 6. vbi promissionis vinculum & obligatio vocibus tribuitur. Illaqueatus es (inquit sapiens) verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus. Hæc videtur esse sententia communis doctis & indoctis hominibus. Inter doctos est D. Thom. infra quæst. 88. art. 1. Indocti vero & vulgus solent affirmare: verba ligant homines. Ratione vero probatur. Homo non refertur & ordinatur ad alterũ hominẽm per solam cognitationem internam & conceptam, sed per signa sensibilia externa, inter quæ primatum obtinent voces: sed in translatione dominij, ordinatur is qui dominium transfert ad alterum in quem transfert dominium, ergo. Secundò. Promissio mutua nisi explicetur externis signis non transfert dominium, vt omnes consentiunt, ergo nec promissio non mutua: quoniam promissio mutua in hoc tantùm differt à nõ mutua, quòd mutua est obligationis reciproca ex vtraque parte, at non mutua ex altera parte tantum, ergo si in mũtua promissione neutra pars tenetur suam mentalẽ cogitationem alteri explicare, vt videat an altera pars acceptet: neque in non mutua tenebitur.

Ad primum respondetur, non tantùm per internam promissionem voluntariam transferri dominium: sed per eam ordinatam ad alterum, politicè & sensibiliter. Ad confirmationem respondetur, quòd sicut voces sunt per se signa instrumentaria & vicaria ipsorum conceptum ad significandas alijs hominibus eas res, quas conceptus ipsi repræsentant habenti, ita sunt per se instrumenta quædã obligatoria erga alios homines: quantuis absque illis inducatur obligatio religionis erga Deum. Et per hæc patet ad secundum negando consequentiam: quia Deus intuetur cor. Ad confirmationem similiter negatur consequentia. Ad probationem dicitur, iuramentum inducere obligationem quando promissio erat licita, licet non obligatoria. Et idcirco quanuis promissio interior verbis non explicetur, licita est, quòd si iuramento confirmetur, obligatoria est: quanuis aliàs non obligaret. Simile est si latro per vim & metum extorqueat promissionem iuramento confirmatam, citra dubium is qui iurauit propter reuerentiam diuini nominis, tenetur ad implere promissum talis enim promissio licita erat quanuis non esset obligatoria sine iuramento: de qua re copiosius dicetur infra quæst. 89. Ad tertium dicemus dubio sequenti.

DVBITATVR secundò, Vtrùm promissio signis externis aut verbis declarata, sed absenti facta transferat dominium. Videtur vera pars negatiua. Primum in. l. 1. ff. de pollicitationibus. dicitur, quòd pollicitatio nõ sẽper obligat. Pollicitatio vero apud Iurisperitos nihil aliud est quàm promissio facta absenti. Rursus in. l. iuris gentium. ff de pactis. §. igitur. nuda pactio obligationem non parit.

Argui-

Arguitur secundo. Ex conclusione precedentis dubij, & illius rationibus, quę omnes videntur pro cedere pariter in promissione absenti facta. Quoniam quemadmodum ad præsentes, non refertur homo per solum internum consensum, sed necesse est superaddantur verba, ita & ad absentes non refertur per verba sed per scripturam.

Tertiò arguitur contendendo quòd etiam promissio, quæ fit absenti coram testibus, non obliget & transferat dominium. Testes non inducunt obligationem vllam, sed solum testificantur eam obligationem quę oritur ex contractu, cui testas ad sũt: sed vt ostendimus, in promissione ista, quando testes non ad sunt, nulla est obligatio, ergo etiam si coram testibus fiat nulla erit obligatio. Item si talis promissio transferret dominium, sequeretur quòd qui eam facit, teneretur iudicare illam absenti cui facta est, vt si ille velit acceptam habere, & tũc qui promisit tenebitur dominium rei tradere: quod durum videtur, & contra communem usum.

In oppositum est, quòd ratio naturalis dictat vt promissa impleãtur, fides seruetur: alioquin, is qui promisit perfidus & infidelis censetur, ergo cũ talis promissio sit absolutè dicenda promissio, seruanda est. Confirmatur ex. l. 1. ff. de pactis. vbi Vlpianus esserit antecedens argumenti huius, & in c. 1. & in c. qualiter. de pactis. dicitur studiose agendum est vt ea quæ promittuntur opere compelantur, ac demũ in capit. iuramenti. 22. quæst. 5. ex D. Chrysost. dicitur inter simplicem fidelium loquelam & iuramẽtum nullam esse debere distãtiam. In hoc dubio Sotus lib. 4. de Iustitia, vbi sup. idem videtur sentire de promissione quæ verbis explicatur absenti facta, quod de promissionem interna. Item turba non solum hominum vulgariũ, verumetiam Theologorum, non videtur vllam obligationem salutem iustitiæ ponere in tali promissione.

PRO huius dubij intelligẽtia nota primò, quod vinculum seu obligatio orta ex promissione est duplex. Altera est quæ pertinet ad virtutem veracitatis seu fidei seruãdæ: de qua disputat D. Tho. copiose intra quæst. 109. quam obligationem, qui non seruat dicetur perfidus & infidelis, & mendax. Altera obligatio pertinent ad virtutem iustitiæ, quoniam per promissionem vt statuimus, transferũtur dominia rerum. Hanc obligationem qui violat iniustus erit. Et de hac obligatione disputatur in præsentia potissimum.

Secundò nota, quòd promissio externis signis facta & declarata, quæ sola & omnis illa habet verã & propriam rationem promissionis, est duplex. Altera formata solennitate, vt vocato tabellione, adhibitis testib. cũ subscriptione promittẽtis, &c. Alia verò promissio est pura ab istis solẽnitatibus. De priori promissione non dubium, quin etiam si absenti fiat, transferat dominium. De secũda verò promissione suppono in præsentia tanquam rem meo iudicio certam, quòd si præsenti fiat obligat transferre dominium. Quam quæstionem disputant interpretes D. Tho. infr. q. 88. art. 1. & 3. ad primum. Quinimo ex definitione huius nostri dubij, sequitur à fortiori ista sententia quam modo supponimus. Tota igitur controuersia in præsentia est de promissione externis signis declarata, sed in absentia eius cui promissio fit.

Prima conclusio. Si attendamus merum ius Cæsareum aut merum naturæ ius, promissio etiam verbis declarata facta in alterius absentia, non transfert dominium, neque obligat ex iustitia. Hanc cõclusionem concedimus libenter argumentis factis pro parte negatiua huius dubij.

Secunda conclusio. Si attendamus eadem iura, ac multò magis Ius canonicum Pontificium, aut denique ius Regium Hispaniense, circa dubium talis promissio obligat ex virtute fidelitatis, & veracitatis: ita vt qui eam non seruauerit sit mendax & fide fragus. Hanc concedimus argumento in oppositum simul & confirmationi eius.

Sed quantùm attinet ad Hispaniense ius sit nobis tertia conclusio. Apud Hispanos qui vtuntur legibus & foro Castellæ, promissio quæ in iudicio externo probari potest, si appareat animo obligandi fidem facta, obligat ex iustitia, & transfert dominium etiam in animę foro. Dixi in conclusione qui vtuntur legibus Castellæ, vt excipiam inde Aragonios, Valentinos, Chathalanos, & Lusitanos, qui vtuntur suis legibus. Ista conclusio colligitur ex lib. 1. fori Castellani. tit. 11. *De los pleytos que deuen valer, o no.* Sed expresse habetur ista conclusio sancita in lib. 3. de ordinationibus Regijs, tit. 8. *De las excepciones que se ponen el iuyzio, la ley. 3.* vbi expresse Alfonsus XI. Compluti statuit eam legem, quòd omnis promissio seu contractus qui verè, probari potuerit, obliget etiam si inter absentes fiat. Neque possit excipere, is, qui promisit, quòd facta sit ea promissio sine solennitate aut inter absentes. Et in hac re debent multum Castellani Regi Alfonso, qui voluit quòd fides data à Castellanis seruaretur inuiolabiliter, quicquid Cæsares statuerint in re hac de iure communi. Sed exposcit prædicta lex duo, vt talis promissio obliget. Primum est quod in iudicio probari possit. Deinde quòd appareat facta animo obligandi fidem: & hoc item probandum est iuridice. Primum requiritur, quoniam testes gerũt vicem partis absentis cui facta est promissio: & loco illius acceptant promissionem, quousque absens refutauerit promissionem factam. Nisi malumus, quòd Rex ipse acceptet promissionem per legem suam. Requirit autem testes, tum ne falsò quis mẽtiretur, & diceret promissionem sibi factam in absentia, tum maximè quoniam voluit Rex vt fides data coram Hispanis, nullo pacto violaretur. Secũdum requiritur, quoniam promissio simplex, quæ non præsumitur fieri animo obligandi fidem, non est reuera promissio. Et sic patet respõsio ad tertiũ argumentum, quod procedebat contra istam tertiam conclusionem. Etenim testes non inducunt iuræ naturæ nouam obligationem, sed iure Hispaniensi requiritur propter causas dictas. Ac demum respondetur ad vltimum argumentũ, nec enim necesse fuerat, quòd promissio in absentia facta iudicaretur absenti: sed tantùm, quòd post quam semel indicata fuerit, si petierit dominium, reddatur. Hoc enim cautum est est in. l. prædicta, quæ obligat in conscientia. Quod verò leges iustæ ciuiles transferant dominium etiam in foro interiori animæ: patet sup. q. 3. huius tractatus: scilicet, in causa tertia translationis dominiorum, quæ tertia causa cõpiosius deinceps explicanda est à nobis.

Pro huius itaque tertiæ causæ explicatione notandum est primo, quod hæc tertia causa quanuis primo aspectu videatur pugnare cum præcedenti, etenim si homo iure naturæ, ut dictum est in præcedenti causa, per voluntatem propriam transferre potest dominium suarum rerum: videbatur nullo pacto fieri posse quod per voluntatem Principis, & per legem impediretur à tali translatione, ac multo magis videbitur fieri non posse quòd etiam inuito dominio lex transferret dominium rerum suarum. Cæterum hæc quæ apparet pugnantia & con-

tradictio, nulla est re vera, quoniã homo considerari põt, vt pars est reipublicæ, & ut ordinatur ad bonum ipsius reipublicæ, ad quod proinde bonum refertur per voluntatẽ publicam & vniuersalẽ ipsius Principis procurantis bonum cõe ex officio, quę inclinatio & ordinatio est secundùm naturam hominis: quamuis posterior sit magis secundùm eius naturam, ac subinde eum ad bonum cõe expedit, vt proprius appetitus, & propria voluntas hominis cohibeatur, hæc ipsa cohibitio & impeditio magis est homini naturalis quàm translatio dominij per propriam voluntatem. Simile est in natura. Lapis enim naturali inclinatione fertur per grauitatem in locũ inferiorem propter incolumitatem & consistentiã sui. Multò tamen maiori inclinatione naturali fertur, propter bonum cõe in locum superiorem cum opus est ad supplendum vacuum. Idem est in parte integrali totius, vt in manu, quę multò maiori inclinatione fertur etiã cum sui dispendio ad conseruandum totum, quàm ad conseruandam seipsam. Secundo loco notandæ sunt duę regulę. Prima est. Is cui secundũ legem siue Pontificiam, siue ciuilem iuris cõis Cæsaream, siue iuris Regij peculiaris cuiusque Prouinciæ & Regni, tribuitur dominium alicuius rei, est censendus in foro conscientiæ legitimus dominus talis rei. Secunda est precedentis appẽdix & corollaria. Omnis sententia quę in foro exteriori tribuit dominium, eadem in foro conscientię interiori tribuit dominiũ: nisi sententia pœnalis sit, aut nisi fundetur in falsa præsumptione. Excipitur quidem sententia pœnalis, qm̃ pœnam nemo tenetur subire ante iudicis condemnationem. Sententia vero iusta, in foro exteriori, quæ pœnalis non est, non modo obligat post cõdemnationem iudicis, & post pronuntiationem: sed et antequam pronũtiaretur, obligabat etiam in conscientia. Excipitur rursuś sententia fundata in falsa pręsumptione; qm̃ hęc nec ante nec post illius pronuntiationem reuera obligat. Dicitur aũt fundari in falsa pręsumptione, quando pronuntiatur iuxta testimonia testium falsò testificantium: aut certè pronuntiatur per ignorantiam iudicis. Notandum est tertio, has regulas pati tres limitationes. Prima est quando lex est permissiua, à non precepiua. Exemplum est in l. de venditione, quæ negat decepto infra dimidium, actionem in iudicio. Etenim citra dubium, qui decipit infra dimidium non est dominus illius summę, in qua decipit: et si lex permittat ei dominiũ: & iudex pronunciet sententiam pro illo. Secunda moderatio est, quãdo leges decernunt in contractibus, in quibus cõcedũt repetitionem, & restitutionem in integrũ. Etenim tunc ante iudicis sententiam licite possidat is, à quo lex concessit repetitionem. Post sententiam verò tenetur restituere & desinit esse dominus. Exemplum est in legibus quę de ludo decernunt.

Tertia limitatio est quando leges decernunt in contractibus, quos annullat propter defectum solennitatis essentialis in iure. Tunc enim is, in cuius fauorẽ contractus est celebratus, ante iudicis sententiã est uerus dñs: postea verò desinit esse dñs, & tenetur restituere Exemplum est in eo, qui est dñs per testamentum, cui deficit solennitas essentialis iuris: de quibus omnibus dicendum est deinceps per singula. Nunc enim exempla in communi ponimus.

Ex his sequitur corollariũ. Prudens Theologus debet ante omnia consulere in hac parte Iurisperitos, qui dant operã scientię iuris cõis, & particularis cuiusq; regni. Postquam aũt eos consuluerit & sciuerit leges de illa re, super quam consulit: debet postmodum ipse iudicare, sitne talis lex permissiua, an precepiua, an verò pœnalis: & denique an habeat alias exceptiones de quibus egimur.

His præmissis disputandum est in præsentia primum de legibus, quæ impediunt translationem dominij: neq; certè de omnibus, sed de his tantùm de quibus est controuersia inter viros doctissimos. Et deinde de legibus quæ transferunt dominium inuito domino. Sed circa primam partẽ sunt tres disputationes principales. Prima de legibus quę decernũt circa filios illegitimos. Secũda de legibus quę decernunt in ludo. Tertia de legibus q̃ decernũt in cõtractibus, quib. deficit aliqua iuris solẽnitas essentialis.

Prima disputatio sit de legibus quę impediũt trãslationem dominij in filios illegitimos. Pro cuius intelligentia animaduertendum est, q̃ filij illegitimi sunt in duplici differentia. Quidã, qui geniti sunt ex carnali copula, quæ accedente fornicantium consensu, poterat esse cõiugalis & matrimonialis nullo obstãte legis impedimẽto. v. g. qui geniti sunt ex soluto & soluta, nec consanguineis, neq; affinibus. Alij qui geniti sunt ex concubitu, qui nõ poterat esse matrimonialis, etiam accedente consensu fornicantium propter aliquod impedimentum iuris, quod irritat matrimonium. v. g. propter impedimentum religionis, aut consanguinitatis, aut affinitatis. Primę classis illegitimi filij dicuntur vulgò naturales. Secundę vero dicendi sunt à nobis in præsentia geniti ex dãnato concubitu, & simplici vocabulo dicentur spurij. Et quidem de primę classis illegitimis filijs non est in præsentia controuersia: sed tota est de filijs spurijs, seu genitis ex damnato concubitu.

Et est quæstio difficilis. Vtrùm leges quę sanciũt non esse transferendum dominium, in tales filios illegitimos, sic adeo impediant translationem, vt si de facto translatio fiat, facta non teneat, neque ipsi filij comparent dominium.

Primò arguitur. Quòd talis translatio facta contra leges teneat. Et primò. Leges pœnales non obligant in conscientia neq; impediunt dominij translationem sic, vt facta non teneat ante iudicis sententiam, & condemnationem. Sed leges quę in hac materia decernunt contra filios illegitimos sunt pœnales punientes crimen incontinentiæ, seu impudicitiæ parentum in filijs, ergo &c.

Secundò arguitur. Leges, quę prohibent translationem dominij, per contractus, quibus defuit essentialis solennitas iuris, nõ impediunt translationem, sic adeò ut factum non teneat: sed multò vrgentius & efficacius prohibent istę leges translationem dominij per tales cõtractus, quàm leges quę decernũt cõtra filios illegitimos. Ergo si illę, neq; istę impediunt. Maior, ostendetur à nobis infra disputatione tertia tanquã probabilior sniã. Minor aũt probatur ex tenore legũ. Siquidem illę leges tales contractus dicunt nullos & habẽdos pro infectis. Cęterùm leges prohibentes donationes faciendas filijs illegitimis, non continent tã odiosa uerba, neq; dicunt eas donationes esse nullas, aut habendas pro infectis, ergo. Tertiò, leges saltẽ illę quę loquuntur circa filios illegitimos seculatium: tm̃ prohibent tales filios esse parentũ heredes. Ergo parentes illorum possunt extra testm̃ sine peccato vllo donare filijs, siue per donationẽ inter viuos, siue cũ moriuntur, bona sua. Rursus ex eodẽ antecedenti colligitur, ergo si de facto per testm̃ talibus filijs aliquid donetur, donatio facta tenebit. Antecedens probatur. Quoniam in toto iure communi non reperitur aliqua prohibitio translationis dominij extra testamentum, imo vero neq, iure Regio Hispaniensi, quoniã in tali iure nihil arctius, & odiosius inuenitur, & definitur, quàm quod

quod habetur lib.3.tit.15.Partita.4.Et lib.3.Fori regalis tit.6.*De las herencias, en la ley primera*. In quibus locis solùm habetur, ꝙ non possint tales filij iure hæreditario succedere in bona parentum.

Vltimò arguitur, sequeretur ex opposita sententia, ꝙ si parens institueret bonorum suorum hæredem amicum, aliquem fidum: qui præstiterit parenti fidem de restituenda hæreditate filio spurio, teneatur talis hæres ante iudicis condemnationẽ reddere filio illa bona. Cõsequẽs videtur durum, ergo. Sequela probatur. Tale fideicõmissum dirigitur omnino in filium incapacem, & inhabilẽ iuxta oppositã sententiam ad suscipiẽdum dominium, ergo is cuius fidei commissa est talis hæreditas tenebitur non filio, sed fisco eã reddere. In hoc dubio grauissimo est prima sententia extrema, quorundam qui propter duo prima argumenta assetunt, quòd omnino talis donatio siue per testamentum siue extra testamentum fiat, quamuis sit contra leges, facta tamen teneat.

Secunda sententia est extrema aliorum asserẽtiũ, ꝙ talis donatio facta nõ teneat quocunq; pacto fiat.

Tertia est aliorum qui mediant inter istas duas sẽtentias, distinguentes inter filios illegitimos secularium ex vna parte, & filios illegitimos clericorum seu religiosorum ex altera. Et in filijs illegitimis secularium concedunt, quòd facta donatio tenet propter argumentum, tertium, quod nos fecimus. In filijs autem clericorum, & religiosorum, dicunt, ꝙ talis donatio facta non tenet. Magister Soto, quem sequuntur multi Thomistæ tenet istam sententiam lib.4.de iustitia, quæst.5.art.1.ad quartum.

Prima conclusio. Parentes, & possunt, & debent iure naturali diuino, alere filios etiam genitos ex dãnato concubitu. Probatur primo ex cap. cum haberet. de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, vbi Clemens III. præcipit, quòd parentes necessaria subministrent filijs ex dãnato coitu genitis, secundùm quòd eis suppetunt facultates. Item Regia Hispaniensis lex decima inter Taurenses, permittit parentibus alimentorum titulo donare filijs istis illegitimis quintam partem bonorum suorum. Et quanuis Constantinus Imperator, & Iustinianus legibus editis, dixerint tales filios non esse alendos, ut patet ex authentico ex amplexu. C. de incestuosis nuptijs. & §. finali. l. vnica in authentico, quibus modis naturales efficiantur: tamẽ reuera, istæ leges seuerissimæ sunt, & minus piæ: & idcirco merito reuocatæ sunt, tum per ius Pontificium, tum etiam per ius Hispaniense. Ratione vero probatur conclusio. Pater tam communicat naturam filijs illegitimis quam legitimis: sed educare filios, & conseruare in illis naturam semel communicatam est iuris diuini, & naturalis, ergo. Conclusio hæc intelligenda est sic vt parentes quidam minus potentes faciant satis obligationi iuris naturalis, si eiusmodi filijs ea præstẽt alimenta, quæ necessaria sunt in naturę subsidium. Alij possunt multò ampliora alimenta præstare, attenta facultate census patrij, & substantiæ, & qualitate filiorum. Vt si filius vir probus euaserit, dederit literis operam, insigniri cupiat, & ornari ornamentis Licentiati, vel Doctoris aut Magistri, &c. Aut certè si dederit militiæ operam, vel sit Dux belli, &c. Et quidem in secularium filijs hanc summã videtur taxasse prædicta lex Taurensis, ita tamen vt si ea quinta bonorum pars non sit sufficiens pro alimentis quæ requiruntur ad vitã istam conseruãdam: superaddendum sit aliquid, naturę iure, supra istam quintam partem. Si autẽ quinta pars, vsque adeo sit ampla, vt excedat eam summam quæ filiorum dignitati, & qualitati conuenit,

A nullo pacto diminuetur. Dixi tamen in secularium filijs, quoniam lex Taurensis nona, quanuis concedat matri, ꝙ ex testamento designet filio ex damnato cõcubitu progenito, quintam bonorum partem, excipit tamen inde filios clericorum, & religiosorũ: in quibus vult seruari legem Soriæ seu Numantiæ editam à Rege Ioanne Primo, qui strictè nimium, & odiosè loquitur de his filijs. Quibus quidem filijs clericorum poterunt parentes præstare alimenta necessaria pro qualitate filiorum. Si autem quinta pars excedat qualitatem filiorum, non poterunt eam præstare.

Secunda conclusio. Iure Cæsareo, & iure Regio Hispaniensi antiquo filius ex damnato concubitu
B susceptus, inhabilis & incapax est ad suscipiendum aliquid à parentibus, siue ex testamento sue per donationem quanlibet inter viuos & contractũ quemcunque. Hæc conclusio probatur primo in Authentico, quibus modis naturales efficiuntur. §. fin. sic habetur. Omnis qui ex complexibus aut nefarijs, aut incestuosis, aut damnatis processerit, neque naturalis nominabitur, neque alendus est à parentibus. Similia verba habentur in Authen. ex complexu. C. de incest. nuptijs. Vbi dicitur ex complexu nefario, aut incestuoso aut damnato liberi neque naturales nominandi sunt, sed substantiæ paternę beneficio indigni vt à patre alantur. Item in Authentico licet. C. de naturalibus liberis. in postremis verbis dicitur.
C Sed qui ex damnato sunt coitu omni prorsus beneficio excludantur. Deinde iure Regio Hispaniensi in l.10. tit.3. par.6. in vniuersum prohibetur patribus, ne aliquam donationẽ filijs spurijs faciant. Et cõcedit filijs legitimis aut fratribus patris aut auis, vt intra duos menses, possint eã donationem sibi reuocare. Illis aũt non existentibus aut certè negligentibus applicat fisco Regis id quod donatum erat. Deinde l.1.tit.6. de las herencias. & lib.3. fori prohibetur ne filij spurij (de quibus loquimur) hæreditario iure succedere possint patri. & l.3.tit.5.par.4. prohibetur, ne tales filij patri uel matri, vel auo aut auiæ aut consanguineis descendentibus, eodem iure hæreditario succedere possint. Deniq; speciatim de clericorum
D filijs decernitur lib.1. in ordinationibus Regijs, tit. 3. & lib.5.tit.3. l.2. ne filij clericorum habeant bona aut parentum aut consanguineorum neq; per testamentum neq; per donationem, neq; per venditionem. Quam legem Ioanna Caroli V. Cæsaris mater extendit in allegata lege 9. Taurẽsi ad filios religiosorum & monialium.

Secundo probatur conclusio. Iurisperiti, quorum in hac parte non est mediocris auctoritas, in legum interpretatione, intelligũt legibus supra allegatis fieri omnino inhabiles & incapaces istos filios ad comparandum dominium bonorum parentum suorum per testamentum siue extra testamentum, ergo ita
E intelligendæ sunt leges. Antecedens probatur, allegando unum nostri temporis Episcopũ doctissimũ Segobiensem Couarru. in epitome supra. 4. Decret. par. 2. c. 8. conclusione. 1. nu. 3. 7. & 8. qui ita sentit.

Vltimò arguitur, pro hac conclusione speciatim contra opinionem illam mediã, quam retulimus in principio. Illa opinio asserit ꝙ clericorum filij & religiosorũ sunt omnino inhabiles eo ꝙ in ordinationibus Regijs supra allegatis dicitur. *Ni ayan ni puedan auer*, sed multo significantiora sunt verba allegata à nobis superius ex iure Cæsareo ad inhabilitandum filios illegitimos etiã secularũ, ergo nõ est distinguendũ. Minor patet ex illis verbis iuris Cęsarei supra allegatis. ¶ Hinc sequit corollariũ inter illas duas sententias, verisimilior est quæ asserit oẽs

filios

filios spurios, non posse de facto suscipere bona à parentibus per testamentum. Consequentia patet ex argumento modo facto. Et quanuis M. Soto sequutus fuerit illã mediam sententiam, non modo in lib. allegato superius, sed etiam in. 4. Sententiarum dist. 41. quæst. vnica. art. 4. non tamen est mirum quòd in re, quæ pertinebat ad ius Cæsareum, & Regium errauerit, ueq; consulens ipsum ius, neque ipsos Iurisperitos.

Secundum corollarium manfestum est peccare mortaliter tam parentes quã filios, qui cõtra legum tenorẽ, quæ in hac materia decernũt, aliquid donãt vel suscipiunt. Hoc corollarium habet verum in omni sententia. Agunt enim in materia graui cõtra leges iustas, & sanctas, quod est peccatum mortale.

Tertia cõclusio. Iure nouo Regio Hispaniensi filius ex damnato coitu susceptus potest matri succedere etiam ex testamento sine vllo peccato, modo tamen mater pp concubitũ illum nõ incurrerit pœnã mortis, aut nõ susceperit illum ex patre clerico, aut religioso. Vt si mater soluta susceperit filiũ ex coniugato viro potest eum instituere hæredem bonorum suorũ. Hæc conclusio quò ad omnes suas partes expresse definitur à Regina Ioana in allegata. l. 9. Tau. Estq; hęc conclusio exceptio quędam, & moderatio prędecẽti nos adiecimus illud verbum (de iure antiquo) idẽ est, *de los demas parientes de la madre*.

Quarta conclusio. Ante iudicis sententiam filius spurius qui cõtra tenorẽ legũ prædictarum quidpia susceperit: tenetur illud restituere donatori, aut si is, defunctus fuerit, hęredib. illius succedentibus ab intestato siue ex testamento succedentibus. Post iudicis verò sententiam tenetur illud restituere fisco. Prima pars probatur. Filius spurius inhabilis sit, & incapax; vt patet ex prędcedentibus, ad ea bona suscipienda, ergo tenetur ante iudicis sententiã, illa restituere: sed verus dnus illorũ bonorũ est, qui illa donauit, & eo defuncto illius hæres, ergo illis est faciẽda restitutio. Cõsequentia patet, quoniam donator nõ fit inhabilis per donationẽ quã fecit ad dnium illorũ bonorũ quæ donauit, sed tantùm punitur per legem pęnalem vt priuetur à iudice dominio illorum, nec hęredes illius fiũt inhabiles per vllam legẽ. Propter peccatum tamen illius, qui succedit puniũtur, vt priuentur à iudice hæreditate illorũ bonorum. Ergo ante iudicis sententiã illis est facienda restitutio. Secunda pars probatur. Leges iustæ, & sanctæ, potuerunt punire eũ qui talia bona donauit, ut priuaretur hęrede, qui ei aliàs secundum leges succederet. Si autem viueret, priuaretur dominio bonorũ quę donauit; sed lex pęnalis iusta obligat in conscientia post iudicis sententiã, ergo. Maior explicatur. Nã qui donauit talia bona filio spurio commisit crimen inobedientię, cõtra legẽ quæ prohibuit talẽ donationem.

Quinta conclusio. Princeps secularis potest legitimos efficere filios spurios, etiam filios clericorũ quãtum ad successionem hęreditariam, & donationem aliàm quamcunque in bonis, paternis seu patrimonialibus, siue ea redditibus Ecclesiasticis acquisitis. Probatur ex principijs iuris. Res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, & cessante causa, cessat effectus. Hinc arguitur. Impedimentum seu inhabilitas filij spurij ad bona paterna suscipienda (quæcumq; illa sint) tota oritur ex Principis placito, ergo per idem Principis placitum potest dissolui. Secundò. Omnis Princeps potest in suis legibus dispensare, sed leges quę inhabiles faciunt filios spurios ad suscipienda bona paterna, sunt leges ciuiles Principum secularium, & nulla est Pontificia, ergo.

A Ad primum respondetur, leges istas inhabiles, & incapaces facere filios spurios: & idcirco obligare ante iudicis sententiã, eo modo quo explicauimus.

Ad secundum respondetur pro nunc, negãdo cõsequentiam, quoniam leges illæ non faciunt inhabiles, eos in quorum fauorem fiunt contractus minus solennes. Sed de hac re copiosiùs dicetur infra in disputatione tertia huius quęstionis quintę.

Ad tertium respondetur antecedens esse falsum, vt copiose ostendimus legibus allegatis pro secunda conclusione.

Ad quartum respondebitur dubio sequenti.

DVBITATVR cõsequenter, Vtrùm hæres institutus, præstita fide de reddenda hæreditate filio
B spurio, sit uerus hęres, & comparet dominium illorum bonorum, & teneatur in conscientia reddere illa bona hereditaria filio spurio. Eadem est difficultas de donatario extra testamentum, qui data fide de reddendis bonis, quæ illi donantur filio spurio, accipit ea dona, contra tenorem legum, quę in hac re decernunt. Neq; dubitamus in prętentia, quin hi omnes peccent mortaliter: sed quod querimus est, Vtrùm tales comparent dominium, & teneantur filijs spurijs donare illa bona.

Arguitur primo. Videtur quòd ille talis non sit verus hæres neque verus dominus. Primum in l. prędonis. ff. de petitione hęreditatis. Dicitur quòd talis hæres sit censendus prędonis loco: & priuatur
C proinde hęreditate, quę applicatur fisco, qua etiam priuatur. l. ita fidei. ff. de iure fisci. & in. l. in tacitis. & in. l. Lucius. §. finali. ff. de legat. 1.

Secundò arguitur. Sequeretur, ꝙ si talis fideicommissarius esset verus hęres, posset sibi retinere hęreditatem: & non teneretur ante iudicis sententiam alicui reddere. Consequens est falsum: quia ille talis non comparat dominium absolutum, sed sub fide reddendi alteri, scilicet filio spurio. Rursus probatur quòd non teneatur reddere filio. Primò. Ille tantum tenetur (si qua ratione tenetur) ratione fidei datę, et promissi: Omnis autem promissio cõtra leges facta non obligat, ergo. Et confirmatur. Tale fideicommissum dirigitur in filium incapacem, & inhabi-
D lem, vt ostendimus in prędcedenti dubio, ergo &c.

In hoc dubio est prima sententia asserens hũc nõ esse verum hęredem: & non modo non teneri, uerùm nec posse illa bona reddere filio spurio.

Secunda sententia est asserens hunc esse verum hęredem, & dominum. Sed hoc supposito, autores huius sententię variant circa obligationem ad reddendam hęreditatem spurio. Quidam enim aiunt, non teneri ad reddendam hęreditatem filio spurio. Alij verò asserunt teneri quidem, non ex iustitia, sed ex fidelitate tantùm. Alij demum asserunt teneri ex iustitia.

Tertia sententia est media distinguens inter filios secularium spurios ex vna parte, & filios clericorum religiosorum, & monialium ex altera parte.
E Et concedit, quòd filijs spurijs secularium potest sine peccato prestari fides de restituenda hęreditate illis: & teneri iure naturę hęredem sic institutum ad seruandam fidem. In filijs autem clericorum religiosorum monialium esse peccatum mortale prestare talem fidem, nec hęredem esse verum dominum illorum bonorum: neque posse illa reddere filio spurio. Hæc sententia media est Magistri Soto in allegdocis lib.4. de iustitia, & lib.4. Sentẽtiarũ.

PRO decisione sit prima cõclusio. Hęres institutus à parentibus non prestita fide de reddenda hęreditate filijs spurijs, quanuis parentes certam fiduciã cõceperint ꝙ reddet filio spurio, & ob hanc causam

quę-

quæsierint amicum fidum; Ille talis est verus hęres, & dominus illorum bonorum. Neque in conscientia tenetur reddere illa bona hęreditaria filio spurio. Probatur prima pars iuxta leges omnes, talis amicus potest scribi hæres nõ minus quam aliquis ignotus: quòd autem testator speret certò amicum benefacturum filijs spurijs illius, non aduersatur alicui legi, imò est maximè consonum iuri naturæ, & ꝓ illud speret, & quod ob eam causam instituat eum hæredem, ergo ille est verus hæres. Secũda pars probatur. Talis hæres est legitimus, & absolutus dominus illorum bonorum, nulla omnino præstita fide neq; apposita conditione, sed legitimus, & absolutus hæres non tenetur donare bona hæreditaria, ergo nec ille tenebitur reddere hæreditatem.

Secunda conclusio. Nihilominus hæres iste tenetur ex iustitia alere filios spurios testatoris: imo ex gratitudine tenetur ad alia multa obsequia, & beneficia impendenda, & nonnunquam sub pœna peccati. Probatur prima pars. Omnis obligatio ex iustitia qua tenebatur testator simul cum hęreditarijs bonis descendit ad hæredem, sed parentes ex iustitia, imo multò maiori vinculo quam ex iustitia, videlicet, ex pietate, tenentur alere filios spurios, ergo.

Secunda pars probatur. Is qui accipit beneficium tenetur ex gratitudine ad reprendendum aliquid, & nonnunquã omissio huius rei est peccatũ mortale', sed iste hæres suscipit illud à testatore, ergo. Explicatur antecedens. Quoniã ad gratitudinem pertinet, cũ fœnore etiam, remetiri beneficia, imo ordo charitatis exposcit sub pęna peccati mortalis: vt beneficus anteponatur ei à quo nullum suscepimus beneficiũ. Quinimo vix potest omnino iste hæres filijs spurijs nullũ impendere beneficiũ, absque eo ꝓ paruipendat, & despiciat in animo suo, testatorem beneficiũ, & illius beneficium: quod est formaliter loquendo peccatum mortale ingratitudinis.

Tertia conclusio. Hæres institutus, præstita fide de donãda hæreditate filio spurio, est verus hęres, & dominus illorũ bonorũ. Probatur. Nulla est omnino lex inter eas quæ in hac materia relatæ sunt, quę talẽ hæredem inhabilem faciat ad suscipiendũ dominiũ, sed tantum in pœnam præstitæ fidei contra legem, priuant eum, & mulctant hæreditate. Sed leges pœnales non obligãt in conscientia ante iudicis sententiã, ergo ille est verus dominus quousque per iudicis sententiam spolietur dominio. Simile est in legibus quæ prohibent aliquẽ ludum: quę tamen non tollũt quin reuera per talem ludum transferatur dominiũ, quamuis in pœnam criminis commisi contra leges, concedant ei qui amisit pecunias, restitutionem earum intra tempus certum.

Quarta conclusio. Talis hæres tenetur ex fidelitate, simul & ex iustitia reddere hæreditatem filio spurio. Probatur. Ex fidelitate talis hæres sine peccato potest reddere illa bona hæreditaria filio spurio: sed ille dedit fidẽ de reddendis illis bonis spurio, ergo tenetur ex fidelitate. Antecedẽs probatur. Ille est verus dominus, vt ostendimus tertia cõclusione. Neq; lege vlla prohibetur donare illa bona filio spurio, ergo. Probatur autem ꝓ ex iustitia teneatur. Primo ad hominẽ, cõtra eos qui dicũt teneri ex fidelitate tantũ, sed sub peccato mortali. Virtus fidelitatis in materia quãtũlibet graui, nũquã obligat sub peccato mortali nisi admisceatur trãsgressio alicuius alterius virtutis, ergo si talis hęres solum tenetur ex fidelitate, impossibile est, ꝓ teneatur sub peccato mortali. Antecedẽs probatur. Quoniã virtus quę ex genere suo tantum obligat sub pœna venialis peccati, in quacunque materia obligat tantum sub veniali: sed fidelitas tãtùm obligat ex genere suo sub veniali peccato, ergo. Cõfirmatur. Mendacium siue iocosum siue officiosum quantumlibet graue illud sit, nisi perniciosum simul existat contra iustitiam: nũquam est peccatum mortale, ergo nec infidelitas quæcunque.

Secundo probatur ostensiuè. Promissio secũdùm probabilem sententiam, si liberalis sit, & simplex, non obligat in conscientia ex iustitia. Promissio verò quæ non est simplex neque liberalis, sed conditionata quædam pactio in pretium alicuius alterius rei facta, citra dubium obligat ex iustitia. Sed hęres iste promisit non simplici promissione sed conditionata in pretiũ promissionis hæreditariæ, ergo. Hinc sequitur corollarium, si iste fideicommissarius non reddiderit spurio bona: hæredes qui illi fideicommissario succedunt, tenẽtur ea bona filio spurio reddere ex iustitia. Corollarium est manifestum. Quoniam obligatio, & iustitia simul transit ad hæredes cum bonis hæreditarijs.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum respondetur, leges illas pœnales esse, neque obligare ante iudicis sententiam. Ad argumentum secundum: quo quidem Episcopus Segoniensis cõuincitur in loco allegato num. 9. Respondetur, primũ, quòd si hæres iste non teneretur ad reddenda illa bona filio spurio eo quòd promissio fuit facta contra leges: certe teneretur ad non reddendum, & non donandum. Etenim quo casu promissio facta contra leges non obligat, eadem lex, contra quam facta est promissio obligat, ut non impleatur. Et sic talis hęres sinę peccato non posset reddere illa bona filio spurio, quod est falsum. Ideo dicimus secundò, quòd promissio facta contra leges, duplex potest intelligi. Primò quando materia ipsius promissionis seu res promissa est contra legem: & talis promissio citra dubium, non obligat. Imo lex obligat quòd talis promissio non impleatur. Vt si quis promittat mentiri, aut non ieiunare contra legem ecclesiasticam. Secundò dicitur promissio facta contra legem, eo tantùm, quia ipse actus promittendi contra legem est: & tũ temporis talis promissio obligat, siue Deo fiat, siue homini. Vt si quis ꝓ animi vana gloria promittat religionem: aut si quis scorto in pretium corporis promittat pecuniã.

Et sic ad tertium respondetur negando sequelam, & dicimus, quòd tenetur restituere filio spurio. Filius enim spurius est inhabilis ad suscipiendum bona ex donatione parentum, vel testamento nominatus hæres, non tamen ex donatione hæredis, cuius fidei commisit pater illa bona.

Secunda disputatio esse potetat de legibus quæ definiũt circa ludos: de qua re, multa diximus supra in nostro priore tomo. q. 32. art. 7. ad secundum. vbi abũdẽ satis hæc difficultas dissoluitur. Quapropter illuc recurrendum est.

Tertia disputatio principalis est de legibus quæ irritos faciunt contractus propter defectum alicuius solẽnitatis essentialis, vel cęremonię. Vtrũ tales leges impediãt translationẽ dñij per huiusmodi cõtractus.

Pro cuius explicatione notandum est, eiusmodi contractus dupliciter posse esse irritos, & nullos. Vno modo absolutè, & simpliciter, & propter defectum personę contrahentis: vt si pupillus vendat aut emat, &c. de quibus contractibus nulla est controuersia, certum enim est: ꝓ in illis nullum transfertur dominium. Secundo modo contractus fit cassus, & irritus à iure, propter defectum alicuius cæremoniæ, & solennitatis, quam ius præscribit tali cõtractui: & de his cõtractibus est tota nostra cõtrouersia, & disputatio. v. g. in testamẽto, quod fit in scriptis.

scriptis, requiritur testium subscriptio, & testatoris, requiruntur etiam sigillatio, & aliæ cęremoniæ iure ciuili, & communi. Vt habetur in l. hac consultissima. C. de testamẽtis. Iure etiam Regio Hispaniensi, quod habetur in part. 6. in l. 1. & 2. tit. 1. idem requiritur. Vltra quæ omnia lex 3. Taurina, requirit tabellionem qui subscribat proprio nomine, & signo illã obligationem seu testamentum: licet remittat testium sigilla. Testamentum hoc dicitur testamentum in scripris, à nostris uero, testamento certado. Vt habet prædicta lex Taurensis. Testamentum verò nuncupatiuum, quod à nostris dicitur, *abierto*, secundum ius commune requirit totidem numero testes: septem videlicet. vt habetur in allegata. l. hac consultissima. Cęterum iure Regio, requirit tantùm ut fiat corã tabellione, & tribus testibus. Quòd si non possit haberi tabellionis copia: fieri debet coram quinque testibus. Si autem tot numero testes haberi nõ possint; debet, vt minimum, fieri coram tribus testibus. Hoc sancitum est in l. 1. tit. 2. lib. 5. in ordinationibus Regijs. Et sic declaratum est in allegata. l. Taurina. Ecce solemnitatem, quam ius ciuile exposcit in testamentis: sic adeò ut si deficiat hæc solennitas, testamẽtum sit irritum, & habeatur pro infecto.

Dvbitatvr. Vtrùm hæres institutus per testamentum cui deficit solennitas ista essentialis: factum tamen ex libera, & spontanea testantis uoluntate coram duobus tantùm testibus, sit verus dominus, & hæres illorum bonorum: an vero succedat in illa bona tanquam verus dominus hæres ab intestato. Est exemplum. Iure communi Pontificio in alienandis rebus Ecclesiasticis, præscripta est hæc solennitas: vt ab alienatio illa fiat tribus tractatibus. Est igitur etiam dubium, vtrũ si abalienatio rei Ecclesiasticę per venditionem aut per quencumq; aliũ contractũ fiat, prætermissa hac solennitate, ex libera tamen voluntate ipsius Ecclesiæ, & capituli ab alienantis: talis ab alienatio transferat dominium in alterum cum quo contraxit.

Primò arguitur. Videtur enim quòd re vera trãsferatur dominium. Nam solennitas hæc solum requiritur in contractibus, ut obuietur fraudibus, & dolis, qui in talibus cõtractibus committi solent plerumque: sed quando constat manifestè voluntas eorum qui contractus huiusmodi faciunt, etiam si prætermissa sit solennitas illa, cessat ista ratio obuiandi fraudibus, & dolis. Ergo cessat iuris dispositio: quia cessante causa cessat effectus. ca. cùm cessante. de appellationib. Et cap. etsi Christus. de iure iurando. Cõfirmatur. Lex diuina, & naturalis cessat, cùm illius finis, & ratio cessat: vt manifestum est in. l. de corripiendo fratre, quæ non obligat cùm non speratur fructus fratris, qui est finis legis. Ergo multò magis lex positiua cessabit, cessante illius ratione.

Secundò arguitur. Lex & sententia iudicis quæ fundatur in falsa presumptione, non habet locum in foro conscientiæ: quando illa præsumptio cessat, sed in cõtractu minus solenni, cũ manifesta est voluntas contrahentium, omnis abest præsumptio falsa, ergo.

Tertiò arguitur. Contractus huiusmodi minus solennes, reuera inducunt obligationem iuris naturalis: sed ius ciuile non potest abrogare ius naturæ, ergo &c. Maior probatur. Quoniam qui talem cõtractum faciunt per literam suam voluntatem, etiã declaratam coram testibus, obligant seipsos inuicẽ.

Vltimò arguitur. De facto, & reipsa multi sunt, qui possident res Ecclesiasticas, vno tantũ tractatu abalienatas. Multi item sunt qui possident iure hęreditario amplissimas fortunas, & diuitias per testamentum minus solenne. At hos omnes spoliare suis bonis ante omnem iudicis sententiã durissimum est.

In oppositum est, quòd lex iusta ciuilis, seu Canonica in foro conscientiæ impedit translationem dominij, ita vt translatio facta non teneat: sed leges quę irritos, & nullos faciunt contractus propter defectum solennitatis essentialis, impediunt translationem dominij, & annullant illam, ergo. Minor patet, quoniam decernunt tales leges hos contractus habendos esse pro infectis, & irritis.

Confirmatur in exemplo posito. Testamentum minus solenne, non tribuit maius ius hæredi, qui per tale testamentum instituitur: quam si testator decederet intestatus. At si testator intestatus decederet, citra dubium talis hæres nullum haberet ius ad illa bona: sed succederet in defuncti hęreditatem hæres ab intestato, ergo. Maior probatur, quoniam tale testamentum iure habetur pro infecto.

Secundò arguitur, sententia iudicis quę non fundatur in falsa presumptione, obligat in conscientia & confert ius, & dominium, imo obligat reuera in conscientia antequam pronuntiaretur, ut nos declarauimus in principio huius questionis de dominiorum translatione: sed iudex, etiam si sciat eos qui faciunt eiusmodi contractus minus solennes, facere liberè, & spontè etiam cessante omni fraude, & dolo consensisse in eos contractus. Nihilominus tamen pronuntiabit eos esse irritos, & nullos, & non conferre dominium. Ergo reuera nõ conferunt. Minor patet, ex vsu iudicum in omnibus tribunalibus.

Tertiò arguitur. Electio quę est nulla propter defectum solennitatis pręterminisę, quamuis facta sit ex libero consensu eorum ad quos electio pertinebat, non confert ius in conscientia ipsi electo. Item matrimonium contractum ex libero consensu contrahentium, sed absque solemnitate essentiali: quam pręscripsit Concilium Tridentinum, Sessione 24. in Decreto, de reformatione matrimonij, reuera nullum est, neque confert dominium corporum inter sic contrahentes, vt si fiat absq; parocho, & duobus testibus. Ergo idem dicendum est in omnibus alijs contractibus.

Quartò arguitur. Si herus pręscribat œconemo formam, & modum, quem seruare debet in contractibus, quos heri nomine celebraturus est. annullãs, & cassans cõtractus quos illo modo pretermisso fecerit: citra dubium tales contractus facti pretermissa forma heri, non conferunt ius. Sed respublica habet potestatem ad pręscribendum ciuibus formas, et modos quos seruare debent in celebrandis contractibus, non minus quàm herus respectu serui, & œconomi, ergo.

Vltimò arguitur. Leges quę decernunt irritas facientes donationes filijs illegitimis impediunt omnino translationem dominij, ut nos docuimus supra: sed multo significantiora verba habentur in legibus quę irritos faciunt contractus propter defectum solennitatis, quàm in illis, quæ definiunt circa filios illegitimos, vt patet, quoniam in ptęsenti proposito, tales leges expręsè dicunt esse contractus nullos habericq; pro infectis, leges verò alię de filijs illegitimis nihil tale dicunt, ergo &c.

In hac difficili cõtrouersia autores ferè oẽs secantur in duas partes extremas pp argumẽta vsq; adeo contraria, & opposita quę proposuimus. Nam pp argumenta priore loco posita, est sententia asserens, ꝓ omnis contractus, qui est iure naturę validus, ẽt si iure ciuili irritetur, confert dominium in foro cõscientię. In hac sententia sunt innumeri Iurisperiti.

Innocentius cap. quod sicut. de electione. Panormitanus cap. quia plerique. 28. de immunitate ecclesiarum. Et capit. 1. de in integrum restitutione. Hos sequuntur Ancharranus, Antonius de Butrio, Bartolus, Iason, Felinus, Decius, Alciatus, & alij quos refert Episcopus Segobiensis cap. cum esses, de testamentis. nu. 5. Et in relectione regulæ peccatũ. part. 2. §. 4. & Menchaca libr. 2. de successionum creatione & progressu. §. 3. Illatione 23. Inter Theologos sunt in eadem sententia Sylvester verbo. hæreditas. quæst. 7. & verbo, testamentum. 1. quæst. 5. verbo, alienatio. §. 13. Adrianus quodlibeto. 6. arti. 1. conclusio. 2. illatione. 2. Altera sententia extrema ex diametro huic opposita negat per huiusmodi contractus irritos iure ciuili, quantumlibet alias validos iure naturæ transferri dominium. Et conuincuntur argumentis secundo loco positis. In hac sententia sunt inter Iurisperitos Baldus. C. de sacrosanctis ecclesijs. repetitione legis primæ, Alpxander & Imola in. l. nemo potest. ff. de legatis. 1. Fortunius in tractatu de vltimo fine. illatione. 35. quos sequitur Ceuarrub. in locis citatis. Et denique hæc sententia est Iurisperitis communis. In hac sententia, inter Theologos dicitur fuisse M. Frater Melchior Cano. quem sequuntur multi ex interpretibus Diui Thomæ.

Sunt quidam, qui mediam viam sequuntur inter has extremas sententias asserentes, quòd prima sententia habet locum quando is, in cuius fauorem lex ciuilis irritum facit contractum, non dubitat de voluntate illius, qui per talem contractum etiam minus solenne voluit transferre dominium. Secunda vero sententia habet locum, quando talis voluntas est dubia. Hoc vult allegatus autor Hispanus Menchaca, vbi supra. Illatione 24.

PRO decisione huius difficultatis. Sit prima conclusio. Ille in cuius fauorem lex irritum facit contractum, potest propter defectum solennitatis iustè agere coram iudice contra talem contractum & petere declarationẽ, quòd talis contractus sit irritus & nullus. Imò in vniuersum potest perinde se habere, ac si talis contractus nunquam factus fuisset, exceptis pijs causis. Exemplum est. In testamento minus solenni hæres abintestato succedẽs potest iustè patere coram iudice, vt declaret tale testamentum irritum, & nullum, & quòd adiudicet sibi hæreditatem defuncti: nec tenetur legata adimplere, nisi legata sint pia: quoniam legatum in causis pijs habet priuilegium in hoc particulari. Ista conclusio est contra Panormitanum & illius sequaces, qui volebant peccare mortaliter talem hæredem, & teneri ad restitutionem illorum bonorum: si ageret contra testamentum. Sed ista conclusio probatur manifestè argumentis secundo loco factis in hoc dubio. Quam etiam probat Soto multis argumentis vbi supra. Quorum primum est. Contractus quilibet validus iure naturæ & iure positiuo iuste & sancte potest impugnari interdum, videlicet, quando lex concedit integrum restitutionem, ergo multo magis contractus, qui licet iure naturæ alias validus sit, iure tamen ciuili irritus est. Antecedens probatur. Contractus ludi iure naturæ & ciuili validus est: tamen iuste in foro exteriori petitur coram iudice rescisio, & reuocatio talis contractus infra tempus à lege præscriptum. Idem est in vniuersis alijs contractibus, de quibus agitur in titulo de in integrum restitutione. Confirmatur. Contractus validus, vtroque iure naturę & ciuili, quando reuocatur per in integrum restitutionem, rescinditur de nouo is contractus, qui antea validus erat. At contractus qui iure naturæ irritus est: non rescinditur à iudice, sed declaratur irritus & nullius, ergo prædictus hæres licite petit rescindi vel declarari nullum esse talem contractum vel testamentum.

Secundò arguitur. Sequeretur quòd tutor pupilli succedentis ab intestato ei qui condidit testamentum minus solenne, citra culpam vllam suam esset perplexus, idest dubius omninò quidnam faceret, & quidquid ageret malè ageret. Quod non est asserendum, ergo. Sequela patet. Si talis tutor coram iudice petat bona illa sua pupillo, peccat mortaliter iuxta oppositam sententiam, si non petat, postea iudex præcipit, vt ille reddat suo pupillo totam illã defuncti hæreditatem: quam negligentia tutoris pupillus amisit, cùm haberet ius ad illam.

Secunda conclusio. Qui possidet per cõtractum minus solennem, iustè possidet, quotisque à iudice spolietur, nec tenetur indicare vitium talis contractus alteri parti. v. g. in exemplo posito, hæres institutus per testamentum minùs solenne iustè adit hæreditatem & possidet defuncti bona antequam spolietur à iudice: & potest reticere vitium testamenti, neque tenetur reuelare hæredi ab intestato tale vitium. Prima pars huius conclusionis probatur. Leges positiuæ in toto aut in parte obligant, quatenus aut in toto aut in parte recipiuntur per vsum: sed leges ciuiles, positiuæ siue Pontificiæ, quæ irritos faciunt contractus minus solennes, non sunt receptæ per communem vsum sapientum, quantum ad hoc vt spolietur ante iudicis sententiam, qui per talem contractum possidet, ergo reuera ille iustè possidet. Confirmatur. Hominum sapientum declaratio plurimùm valet ad obligationem per leges inducendam, aut certe tollendam, sed inter viros sapientes innumeri ferè sunt, qui asserãt eum qui sic possidẽt iuste possidere, ergo reuera iuste possidet. Secundò probatur. In dubijs melior est possidentis conditio, ergo in tanta opinionum varietate, quanta est in præsenti controuersia, inclinandum est in fauorem possidentis: & dicendum quòd iustè possidet. Secunda pars probatur. Ille, vt ostensum est in priori parte, iuste possidet: & rursus nec tenetur ex charitate cum tanto detrimento proprio, commodum alterius procurare, nec ex iustitia: cum non sit illius tutor vel custos, ergo non tenetur.

Ex hac parte sequitur corollarium. Hæres institutus per testamentum minus solenne, si tutor sit pupilli succedentis ab intestato, tenetur ex iustitia contra seipsum agere pro pupillo suo. Patet, quoniã tutor tenetur ex iustitia procurare pupilli commodum. Quapropter consultissimum erit, vt talis hæres institutus non acceptet tutelam, aut si acceptauerat repudiet eam.

Tertia conclusio, qua respondetur ad quæstionẽ per huiusmodi contractus, iure irritos propter defectum solennitatis essentialis, transfertur quidem dominium, sed infirmum & reuocabile. Hæc colligitur manifestè ex duabus præcedentibus: siquidem in secunda dictum est eum qui possidet, per huiusmodi contractus, iustè possidere. Vnde manifestè sequitur, ꝙ habeat dominium antequàm à iudice spolietur. In prima vero conclusione dictũ est, ꝙ altera pars in cuius fauorem lex fecit irritos tales contractus, potest coram iudice contra talem cõtractum agere, & spoliare eum, qui possidebat bonis suis per iudicis sententiam. Ergo tale dominiũ infirmũ erat. Quò circa nostra hæc sententia est media inter illas duas sniias relatas. Concedimus siquidẽ primæ sententiæ, ꝙ per tales contractus transfertur dñium: negamusque id esse firmũ, & irreuocabile,

contra

contra eandem primam sententiam, Secundę uerò sententiæ concedimus illud dominium esse in firmum & reuocabile. Ex dictis sequitur primum corollariũ. Tutior est in conscientia, is, qui prętendit contractum minus solennem esse irritum vel irritandum, quàm is qui possidet per talem contractum. Vt verbi gratia, hęres ab intestato, tutior est in conscientia, quàm hæres institutus per testamentum minus solenne. Hoc patet manifeste. Quoniam ius illius, qui possidet per talem contractum est reuocabile per actionem alterius qui prętendit tales contractus esse irritos. Secundum corollariũ. Si is, qui possidet per contractum minus solennem dum altera pars in iudicio agit contra talem contractum, occultet cõtractum, adducat testes falsos, aut denique fraude aliqua vtatur: amittit dominium illorum bonorum: & tenetur ad restitutionem faciẽdam alteri parti, ante omnem iudicis sententiã. Probatur. Altera pars habebat ius in conscientia, ad ea bona petenda coram iudice: is autem qui possidebat per talem contractum impediuit per iniquitatẽ ius illius. Ergo verum est corollarium, saltem quatum ad hoc quòd tenetur restituere.

Quarta conclusio. Duos contractus excipimus, in quibus si solennitas essentialis iuris desit, nullum transfertur dominium, neque firmum, neque infirmum, neq; reuocabile, neque irreuocabile. Primus est matrimonium: in quo citra dubium, verum habet hęc exceptio: Vt insinuabamus in argumẽto tertio per secunda sententia huius cõtractus. Exceptionis rõ est. Quoniã matrimoniũ in hoc distinguitur ab vniuersis alijs contractibus, ꝙ matrimoniũ natura sua est irriuocabile & indissolubile: reliqui verò cõtractus reuocari possunt: ac subinde matrimonij contractis aut nullũ omnino transfert dominium, aut si transfert, est irreuocabile & firmum. Alter cõtractus est electio, quę si iure sit irrita, vero similius est quòd nullum transferat in electum dominium: neque electus potest illã acceptare. Rõ huius exceptionis est. Quoniã per electionem cõfertur electo iurisdictio spiritualis, quę est res maximè grauis: at rem vsque adeo magni momenti, non est tutum cõcedere, quod transferatur per contractũ irritum ab ecclesia. Et idcirco uiri sapiẽtes, qui in reliquis cõtractibus concesserunt rerum transferri dominium: illud omnino formidabãt asserere in electionibus. Verum est quòd Panormitanus, & alij Iurisperiti eum sequuti idipsum concedunt de electione, quod de alijs contractibus. Sed verosimilior est multo nostra sententia & tutior.

Reliquum est, vt respondeamus ad argumenta vtriusque partis extremę. Ad argumenta primę partis patet, quatenus procedunt, contra primam conclusionem & contra tertiam & quartam: respõdetur enim legem non cessare cessante fine in particulari: sed tantùm qn cessat in vniuersali finis. At quãuis in vno, aut altero contractu minus solenni, cessent fraudes, manet tn finis legis in vniuersali, scilicet, obuiare fraudibus: quòd si talis solennitas prętermittatur sępissimè committerentur in huiusmodi contractibus.

Ad confirmationem respondetur finem correctionis fraternę, esse bonum particulare fratris: & idcirco qn tale particulare bonum cessat, cessat pręceptum correctionis. Ceterùm legis faciẽtis irritos contractus minùs solennes, finis est bonum publicum, quod proinde constare potest, etiam si cesset bonum huius aut illius in particulari.

Ad secundum respondetur leges istas (de quibus modo loquimur, & sententias iudicum, quę nihil aliud sunt quàm applicationes quędam legis ad particularẽ casum: nõ fundari in falsa pręsumptione. Et idcirco ẽt si constet de voluntate eius, qui fecit talẽ contractum minus solennem: decreuit lex talem contractum esse irritum. Declarat ẽt iudicis sententia legis decretum, eo ꝙ quanuis modo constet de veritate: sępius contingit ꝙ volũtas talis est coacta.

Ad tertium respondetur ius naturæ non determinare formam contractus sed hoc determinat ius positiuum, quod quidem transferendis dominijs autoritate legislatoris habet potius rationem boni communis quàm boni particularis ipsius proprij domini facientis tales contractus.

Ad vltimum respondetur nostrã sententiam esse piã & clemẽtẽ: & idcirco tribuimus dominiũ licet debile ijs, qui possident quousq; spolientur à iudice.

Ad argumenta secundæ sententię quæ parte procedunt contra secundã & tertiã conclusionẽ respõdetur. Ad primũ & ad secundũ dicimus, leges quæ in hac parte decernunt, solùm uelle (ut usus & consensio sapientum declarauit) ꝙ qñ fit, qui petat tales contractus esse irritos: declarentur reuera irriti: & pronũtietur sententia in illius fauorem. Ad tertium respondetur iuxta ea, quæ dicta sunt in quarta conclusione. Ad quartũ uerò respondetur esse maximum discrimen inter œconomum cui herus præscripsit formã celebrandi contractus declarando irritos, qui alio pacto celebrarentur, & ciuem cui lex pręscripsit eandẽ formã. Quoniã ęconomus non est dñs illorũ bonorũ, quæ ab alienat per tale cõtractus, sed dominiũ est penes herũ. Cæterũ ciuis est uerus dñs bonorum quæ ab alienat per eiusmodi contractus & non est dominus ipse legislator, Princeps, aut respublica.

Ad vltimũ respondetur leges irritas faciẽtes donationes, factas filijs illegitimis, efficere inhabiles ipsos filios illegitimos, & incapaces ad habendũ dominium: leges uerò de quibus loquimur, non id efficere, quod colligimus, primò ex usu & declaratione uirorum sapientum, qui aliter has leges interpretati sunt. Secũdò ex sermone & uerbis ipsarum legum. Et enim in illis sermo est ad ipsos filios illegitimos indignos eos dicens, oi beneficio, & subſtantia paterna. At in his alijs sermo refertur, ad ipsos cõtractus, non ad personas, quibuscum fiunt contractus ipsi. Ac denique hoc colligimus ex eo ꝙ in illis legibus punitur crimen non pręsumptũ, sed reuera, perpetratum (incontinentiæ, videlicet aut adulterij) quod est in parentibus filiorum, qui sunt illegitimi. In præsentibus uero legibus proceditur ex præsumptione fraudum quæ in talibus contractibus ferè semper solent committi. Et idcirco leges illæ multo magis odiosę sunt & molestæ filijs illegitimis, quàm istæ illis personis quibuscum fiunt tales contractus. Hactenus dictum sit de tertia disputatione & de illis legibus in uniuersum quæ impediunt translationem dominij non uolente proprio domino.

Quarta & vltima disputatio est de illis legibus, quæ transferunt rerum dominium etiam inuitis proprijs dominis. Quæ leges sunt illę, quę ferunturde præscriptione, & de usucapione. De qua materia extant tituli in utroque iure ciuili & Pontificio: quibus locis tractatur de hac re à Iurisperitis. In regula etiam, possessor. Item in regulis iuris. in 6. & in Decreto. 16. quæst. tertia. A Theologis uero in 4. distin. 15. A Diuo Thom. in quodlibeto. 12. arti. 25. ab Adriano IIII. in materia de restitutione. quęstio. de pręscriptione. A Summistis verbo, præscriptio. & verbo vsucapio.

Exordium aut sit à Notiue vocabulorum. Præscriptio itaque, præter alias significationes Ciceroninas & Latinas, quas habet, significat idem, quòd exceptio: similiter præscribere, id quod exceptionē agenti seu petenti opponere. In qua significatione vsi sunt his vocabulis Latini autores. Cicero sepius. Quintilianus lib. 7. Institutionum oratoriæ artis. Iurisconsultis in titulis de præscriptionibus. Cæterum varij vtriusque interpretes vtuntur hoc vocabulo, in alia significatione. Vt videlicet significēt, ius siue dominium acquisitum ex possessione, confecto tempore legibus definitio. Et hac significatione vsi sūt Summi Pontifices in Sacris Canonibus. Cæterum hoc vocabulum vsucapio, verbum Ciceronianum est: & significat etiam dominium, siue ius acquisitum ex rei possessione, confecto tempore legibus definito. Sed iuris vtriusque interpretes voluerunt, esse distinctionem inter vsucapionem, & præscriptionem. Quòd vsucapio sit tantum circa mobilia bona, & sit triennalis: præscripto autē, sit circa immobilia bona, & requirat longius tempus, quàm triennium. Nobis autem Theologis pro quiete conscientiæ incūbit disputare, vtrum præscriptio, siue vsucapio & in vniuersum possessio rei cuiusque alienæ post confectum tempus legibus statutum, conferat dominium possessori, etiam si post illud tempus sciat rem illam fuisse alienam. Videtur quòd qualibet possessio exacto illo tempore conferat dominium.

Primò arguitur, ex l. si quis. §. 1. & l. cùm notissimi. C. de prescripitionib. Vbi sancitur triginta vel quadraginta annorum præscriptionem, etiam cum mala fide procedere. Id ipsum definitum est in l. Regia. 21. titul. 29. Partita. 3. Sed dicet quis has leges iâ fuisse abrogatas & antiquatas à Sūmis Pontificibus. Ab Alexâdro III. in c. vigilanti. de præscriptionib. Ab Innocentio III. in concilio Lateranensi. Et refertur in ca. finali. eodem titul. à Bonifacio VIII. in regula possessor, de regu. iur. Contra hanc dispositionem.

Secundò arguitur. Pest editas has leges Pontificias Carolus Quintus Catholicus Rex Hispaniæ in conuentu Madritio Anno quòd Domini 1528. Petitione 157. edidit legem, mercedes à famulis & seruientibus exigi non valeant post triennium ab eo die, quo à famulitio cessarunt, nisi intra id triennium stipendium illud petijsse probauerint. Ecce Rex Catholicus approbat præscriptionē solo triennio, quæ absque mala fide rarissimè constitui potest. Similia sunt multa statuta in alijs Regnis & plerisque ciuitatibus. Quinimo vt ius Pontificium iuri Pontificio opponamus, in cap. 1. de præscriptionibus. conceditur Episcopo, vt triennio, partem alienæ diœcesis quam scit esse alienam præscribat. Simile quid habetur in Concilio Milcuitano. cap. 24. & refertur 16. quæst. 3. in cap. placuit. Confirmatur. Respublica ciuilis per se perfecta est, ergo leges illius non possunt antiquari per aliam potestatem. In oppositum est quòd fundamentum præscriptionis bona fides est, vt allegato. capit. habetur, ergo si possessor etiam post transactum tempus legibus definitum habeat malam fidem & conscientiam rei alienæ, corruit ipsa præscriptio, & non confert ius.

Secundo arguitur: triplex finis potest esse legum, quæ de præscriptione seu vsucaptione latæ sunt. Primus ne dominia rerum sint incerta. Secundus vt exterminentur lites. Tertius denique vt puniatur negligentia & socordia proprij domini in procurandis bonis suis & repetendis: sed propter nullum horum finium potest conferri dominium in foro conscientiæ, ergo tales leges non conferunt dominium? Probatur minor. Primus & secundus finis tantum procedunt in exteriori foro. Etenim in foro interiori facile est vt quisque non possideat quod non est suum. Item dominia sunt certa in foro interiori. Tertius vero finis non est sufficiens causa, vt priuetur qui re sua. quoniam talis negligentia in repetēdis proprijs bonis non est digna tanta pena. Et rursus quando digna esset tanta pœna, saltem sequeretur, quòd præscriptio seu vsucapio nō conferret ius in conscientia, quando verus dominus non fuisset negligens in inquirendis bonis suis, ergo.

Vltimò arguitur. Leges quæ denegant actiones in foro exteriori, decepto intra dimidiam iusti pertij in rei vendictione, non conferunt in conscientia ius & dominium. Vt ostendemus infra quæst. 77. ergo neque leges de præscriptione: quoniam finis tam harum quam illarum legum est minuere lites.

In hoc dubio est prima sententia, asserens legis illas seculares, quæ concedunt male fidei possessori iuris & dominium, non esse antiquatas, & abrogatas, imo uerò non posse abrogari à Pontificibus. Sic habet glossa in allegata regula. Eam etiam refert glossa in allegato cap. finali. de præscriptionibus. Et nonnulli Iurisperiti: quanuis non adeo communiter, tamen quantum ad aliquas actiones sequūtur hanc sententiam. Quos refert Couarruu. in relect. super regul. possessor. part. 2. §. 11.

Secunda sententia est Adriani quod libeto. 6. artic. 3. dicentis illas leges seculares esse iustas, non tamen conferre ius in conscientia rei possessæ: sed tantum denegare actionem vero domino, vt post exactum illud tempus lege definitio, posset res suas petere à possessore coram iudice: exemplum est in legib. quas paulò antea dicebamus denegare actionem decepto intra dimidium. Altero modo inuenitur sententia eiusdem Adriani in 4. in. q. de præscriptione dicentis, prædictas leges habere locum in conscientia, quando possessor, licet habeat scientiam se possidere alienum, tamē ex aliqua iusta causa non restituit, & verus dominus est negligens in repetenda re sua. Sed abrogare, inquit, sunt illæ leges à Summis Pontificibus: quoties is, qui possidet non excusatur, restituendo ex aliqua iusta causa, & verus dominus nō est negligens in repetendo. Hāc sententiam, sequuntur multi iurisperitorum, quos refert Couarruu. vbi supra.

Tertia sententia est quorundam asserentium, nō modo leges illas seculares, verum etiam Pontificia quæ concedunt possessori bonæ fidei cum reliquis conditionibus possessionem, non tamen ferre ius in conscientia. Ita tenet multi Iurisperiti: quos refert Sylucster verb. præscriptio. 1. §. 13. & Couar. 3. par. relect. allegatæ. §. 2. Hos sequitur summa Rosella in verb. præscriptio.

PRO decisione sit prima conclusio. Merito Summi Pontifices abrogarūt leges illas, quę concedebant dominium possessori malę fidei tanquam iniquas, & contra ius naturę. Explicatur conclusio. Non modo volumus dicere, quòd nunquam istæ leges ante abrogationem contulerint ius & dominium: verùm etiam quòd erant iniquę quantum ad hoc quòd negabant, actionem petendi vero domino contra possessorem malę fidei. Probatur conclusio. Ratione desumpta ex Innocentio III. in allegato loco cap. finali. Omnis constitutio quæ sine peccato mortali obseruari non potest, deroganda est: sed supradictę leges non poterant sine peccato mortali obseruari, ergo. Probatur tamen à nobis Minor,

Minor, ostendendo eas leges, esse iniquas, ac subinde non posset sine mortali obseruari. Primò Tota æquitas legis desumitur ex bono publico, & communi ad quod lex ordinatur: sed illæ cōstitutiones erant in magnam perniciem boni publici. Etenim quisque præsumeret occupare res alienas, si posset vt post aliquod tempus haberet dominium illarum, & à iudice defenderetur contra verum dominum. Secundo probatur minor, lex quæ fouet mortalia peccata, non potest sine mortali obseruari: sed istæ leges fouebant mortalia peccat, videlicet, possidere contra conscientiam propriam rem alienam, ergo. Vltimò probatur illa minor. Cōtra ius naturæ est quòd fur eo quòd est in mora restituendi comparet sibi dominium circa rem furtiuam, aut quòd ea de causa defendatur à iudice in possessione: sed hæ leges seculares concedebant furibus dominia ob istam causam & defendebant eos in possessione, ergo iniquæ erant.

Secunda conclusio. Præscriptio seu vsucapio perfecta illis conditionibus, quas ius Pontificium expo scit, confert verum ius & dominium in conscientia rei possessæ etiam si post transactum tempus legibus definitum, sciat rem illam fuisse alienam. Cōclusio hæc asseritur à Iurisperitis omnibus ferè, in allegatis locis: & à Theologis. Et probatur ratione manifesta. Leges iustæ & sanctæ, sicut impedire possunt translationem dominij in alios, inuitis proprijs dominis: ita possunt transferre dominia in alios inuitis proprijs dominis, quando expedierit ad bonum commune: sed expedit maximè ad bonum commune, vt præscriptio seu vsucapio perfecta iuxta leges Pontificias, conferant verum ius in conscientia, ergo. Minor patet ex finibus harum legum, quorum vnus & potissimus est, ne rerum dominia tanto tempore maneant incerta: quoniam aliàs illi qui possident res negligerent illas, & non curarent timentes, ne quando & post longum tempus, veri domini eas repeterent. De hoc fine proximo & potissimo agitur in. l. 1. ff. de vsucapionib. & in cap. vigilanti. citato. & 16. q. 3. §. potest. Secundus item finis, scilicet minuere lites, non est parum vtilis bono publico, de quo fine Cicero in oratione pro Cæcina inquit: Vsucapio est finis solicitudinis ac periculi litium.

Ad argumenta vero primo loco posita, quæ procedunt contra primam conclusionem respondetur. Et quidem ad primum responsum est ibidem. Ad replicam verò seu instantiam positam in secundo argumento ex. l. Caroli Quinti. Respondetur, illa lege non concedi dominium stipendij illis dominis, qui non soluerint toto triennio si habuerint malam fidem: sed concedi duo. Alterum est, quòd in casu dubio pronuntianda est sententia pro dominis contra famulos transacto triennio. Alterum est, quòd cum fuerit res certa quòd dominus malam fide possederit, non continuo fit parata executio contra illum: sed admittatur ad probationem. Ita intelligit legem Couar. sup. par. 2. §. 11. sed melius respondetur, quòd non datur actio in iudicio famulis. Ad cap. vero primum de præsciptionibus respondetur, legem illam, non concederet Episcopo dominium illius partis alienæ diœcesis propriè loquendo, titulo præscriptionis: sed potius in pœnam culpæ proprij Episcopi: qui toto illo triennio neglexit procurare filios suos nouiter conuersos ad fidem. Et in huius delicti pœnam priuatur illo dominio, & confertur illud dominium & iurisdictio Ecclesiastica, ei qui conuerti infideles ad fidem. Lex autem de præscriptione non respicit potissimum culpam proprij domini, neque infert illi pœnam vt ostendimus cum ageremus de fine legis huius. Ad confirmationem respondetur rempublicam ciuile esse quidem secundum se & in ordine ad suum finem perfectam, cæterum subijci omnino reipublicæ spirituali in ordine ad spiritualem finem. Et idcirco cùm contra spiritualem finem aliquid statuit ciuilis potestas, tale statutum abrogari ab spirituali principe. Imo potest Princeps spiritualis, si expediat bono spirituali, Principes ipsos seculares & legislatores antiquos deponere, & nouos creare.

Ad argumenta vero secundæ partis quæ procedunt contra secundam conclusionem respondetur. Ad primum respondetur: post exactum tempus ad præscribendum legibus definitum, iam esse certam scientiam in possessore habente conditiones legis ad præscribendum, quòd talis res possessa, sit propria, etiam si certò sciat, quòd olim fuerit aliena. Non secus atque is qui emit rem aliquam, quanuis certo sciat eam rem fuisse alienam ante emptionē: post emptionem verò certò scit esse propriam, sed tempore ipso (quod legibus requiritur, ad præscribendum) decurrente: requiritur ea scientia & bona fides in possessore, vt scilicet, non sciat eam esse alienam. Ad secundum respondetur quòd primus finis sine dubio habet locum & in foro exteriori & in interiori. Secundus verò finis, quanuis in exteriori tantum foro procedat, quantùm ad litium decrementum & diminutionem: tamen confert ius in conscientia. Etenim pax in interiori foro, & est magnum bonum publicum: ac subinde lex quæ respicit talem finem, iusta est & conferre potest ius in foro interiori conscientiæ.

Tertius vero finis est nimium remotus & parum aut certè nullo pacto intentus à leges, sed permissus tantum, & idcirco siue verus dominus negligens fuerit, siue diliges, in re sua inquirenda, possessor habens legis conditiones præscibit seu vsucapit illam. Ad tertium copioso respondebimus. q. 67. pro nunc verò respondeo negando cōsequentiam: quoniam leges illæ de venditione latæ sunt tantum permissiuē. Leges autem de præscriptione, sunt præceptiuæ. Leges autem præceptiuæ differunt à permissiuis, quia illæ conferunt ius in conscientia, istæ verò nō. Sed argumentabitur quispiam ex hisce dictis contra primam conclusionem. Leges illæ de venditione iustè potuerunt permittere, quòd non daretur actio in foro exteriori decepto intra dimidiū contra eum qui deceperat. Ergo leges ciuiles iustè potuerunt permittere, quòd vero domino non daretur actio contra possessorem malæ fidei, post transactum tempus legibus præstitum. Ad hoc respondeo negando consequentiam in deceptione citra dimidium fuit voluntarius aliquo pacto deceptus, neque datur occasio per leges illas ad decipiendum, neque ad alienas res occupandum. Cæterum in malæ fidei possessore verus dominus non est voluntarius ullo pacto: & per leges permittentes ne daretur actio in foro exteriori, dabatur fomentum, & occasio magna ad occupandas res alias & possidendas per iniquitatem.

DVBIVM aliud est consequens pro intelligentia secundæ conclusionis in præcedenti dubio, quænam sint requisitæ conditiones ad perfectam iure humano præscriptionē. Pro cuius dubij intelligentia, sit conclusio vnica. Quatuor sunt numero conditiones requisitæ ad præscribendum iure Pontificio. Prima conditio est. Vera & propria possessio rei præscribendæ. Propter huius conditionis defectum monachus non potest rem aliquam præscribere,

bere: quoniam non potest habere possessionem & proprietatem illius. Item laici non possunt præscribere rem aliquam spiritualem. Secunda conditio est continuatio huius possessionis toto tempore legibus præstituto. Itaque si tempus illud interrumpatur in possidendo non præscribit possessor. Tertia conditio est bona fides, hoc est, conscientia quòd illa res quam possidet non sit aliena. Etenim fides in præsentia accipitur pro existimatione, qua quis existimat rem aliquam quam possidet esse propriam: quæ tertia conditio magni momenti est in præsentia, & explicanda inferius copiosius. Quarta conditio est titulus ad possidendum. Potest autem titulus iste esse triplex, naturalis, aut legitimus, aut denique lege præsumptus. Naturalis titulus est ille qui positus est in ipsa rerum natura, & veritate rei. Legitimus titulus est ille, qui si cõsulamus leges, dominium confert: quanuis reuera præsupponat aliquid falsum. Denique titulus lege præsumptus est ille, vt nomen præ se fert, qui lege præsumitur, iudicis sententia. v.g. qui innititur rei veritati & veræ testium depositioni, & iuris scientiæ. Cæterum iudicis sententia quę fertur secundùm allegata & probata iuxta leges ipsas, sed fundata in falsa præsumptione, in falsa videlicet testium depositione: est titulus legitimus: quoniam est secundum leges lata & contraria sententia est etiam illegitima sententia. Sententia denique iudicis, quæ non est lata secundum allegata & probata, sed omnino contra leges, est titulus lege præsumptus. Etenim lex præsumit sententiam iudicis, quanuis aliàs iniqua sit, esse iustam, imo præcipit eam mandari executioni, quandiu non reuocatur per superiorem. Ex his sequitur primò, quomodo distingui possent inter sese titulus naturalis & legitimus ex vna parte: & bona fides ex altera. Etenim si quispiam per sententiam iuxta allegata & probata pronuntiatam, sed quæ innititur falsæ testium depositioni, possidet rem aliquam, scient tamen vitium illud falsæ depositionis testiũ, citra dubium titulo legitimo possidebit, tamen nullo pacto bona fide. Contra verò si possideat per sententiam iniquam, tamen quam ipse opinatur æquam: possidet manifestè bona fide: non tamen possidet titulo legitimo lege naturali. Rursus datur bona fides sine titulo in eo, qui possidet rem triginta annis vel quadraginta inani titulo: per quem res ad eum peruenerit & in eo est. Item qui existimat rem quam possidet sibi donatam à vero domino aut legatam, cum tamen reuera donata aut legata non fuerit. Item filius, qui succedit in bona paterna iure hæreditatio, credit tamen illa bona esse patris tantum propter testimonium patris: bonam fidem habet sine titulo. Sed tam circa conclusionem, quã circa hoc corollarium nota, bonam fidem esse multo magis necessariam ad præscribendum, quàm titulum: vsque adeo vt sæpius detur præscriptio sine titulo, nunquam tamen sine bona fide. Exemplũ est in præscriptione triginta vel quadraginta annorum. & in c. placuit. §. potest. 16. q. 3. Exemplũ aliud est in præscriptione immemoriali, & in præscriptione centenaria contra Romanam Ecclesiam. De quibus legantur Iurisperiti in locis allegatis. Titulus ergo requiritur semper, tantùm in præscriptionibus vsitati temporis decem aut viginti annorum.

Sequitur secundo, quòd hæres latronis, qui bona fide succedit in defuncti hæreditatem, non habet titulum aliquem ad præscribendum. Hoc corollarium est contra M. Soto in allegato loco. Cæterum est res constitutissima in iure, & communis apud vtriusque Iurisperitos, & certum est quòd non habet titulum naturalem. Quòd vero non habeat titulum etiam lege præsumptum, probatur. Leges de præscriptione expresse asserunt eum non esse titulum aliquem, ergo non est titulus lege presumptus. Antecedens probatur in l. cum hęres. ff. de diuersis temporum præscriptionibus. & in l. vltima. C. corã de vsucapionibus. Verum est tamen quòd talis hæres spatio triginta vel quadraginta annorum, poterit res has legitimè præscribere, quoniam vt paulo antea dicebamus, ad præscriptionem istam longissimi temporis non requiritur titulus: & hoc habetur vt probabilior opinio apud Iurisperitos. Sequitur tertiò, quòd qui emit à latrone rem furtiuam similiter non habet titulum ad præscribendum, neq; reuera præscribit vsitato tempore sed solũ præscriptione longissimi temporis triginta vel quadraginta annorum: hoc habetur in §. quod autem, & §. furtiuæ. Instituta de vsucapionibus. vbi dicitur furtiuæ res, & quæ vi possessæ sunt, etiam si longo tempore possessæ fuerint, vsucapi non possunt, sed intelligendum est hoc de vsucapione vsitati temporis nam de ea quæ longissimis temporis est contrariũ colligitur ex l. omnes. C. de præscriptione triginta vel quadraginta annorum. & ex l. si aliena. ff. de vsucapionibus. Hoc item corollarium est contra Sotũ vbi supra. Cæterum tam hæres latronis, quàm qui ab illa rem quampiam emit, si bona fide possideant, præscribunt & vsucapiunt, fructus rei possessæ etiã vsitato tempore. Hoc habetur in l. bonæ fidei. ff. de acquirendo rerum dominio. vbi dicitur. Illi qui nõ possunt vsucapere propter rei vitium, fructus suos faciunt. Idem habetur in l. si aliena. §. Scæuola. ff. de vsucaptionibus. Itaque si pater furatus est vrbem aliquam: filius hæres illius non potest præscribere vrbem, nisi spatio longissimi temporis. Cæterum fructus vrbis vsitato tempore vsucapit. Vide Sylueſtrum verb. præscriptio. 1. & 2. §. 8. & 12. & Couar. in allegata relectione. par. 2. §. 9.

Dvbivm vltimum est pro intelligentia præcedentium. Vtrùm bona fides necessaria ad præscribendum patiatur secum hæsitationem & dubium. videtur vera pars affirmatiua. Primo ex cap. vltimo de præscriptionibus. Ex quo loco desumimus geminam argumentationem. Alteram quidem ex cõclusione ipse, & ex ratione illius. Pontifex siquidem ibi definit necessariam esse bonam fidem ad præscribendum, & non sufficere malam: quoniam possidere mala fide est peccatũ mortale. Tunc sic. Qui possidet rem aliquam cum hæsitatione & dubio sit ne propria, sed ea animo vt quando sciuerit esse alienam, donet eam vero domino, non peccat mortaliter: quoniam melior est possidentis conditio, ergo ille talis habet bonam fidem necessariam ad præscribendum simul cum dubio. Item argumentum desumimus ex corollario quod Pontifex colligit in eodem cap. Oportet vt qui præscribit nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ. Tunc sic. Qui dubitat sit ne res quam possidet aliena, non habet conscientiam rei alienæ, ergo ille talis habet bonam fidem. Probatur antecedens. Dubium seu hęsitatio non est assensus, aut dissensus in alteram partem, ergo non habet conscientiam rei alienę.

In oppositum est: Quia qui cum dubio & hęsitatione possidet rem tanquam propriam, peccat mortaliter: ergo cum dubio non potest habere bonam fidem ad præscribendum. Antecedens probatur. Exponit se illa talis periculo retinendi rẽ alienam, quanuis habeat animum reddendi illam vero domino cum sciuerit esse alienam. At vero qui amat periculum peribit in illo, Ecclesiast. 3.

In hoc

In hoc dubio est prima sententia quorundam asserentium quòd dubium istud non tollit bonam fidem. Ita asserit glo. in cap. finali de præscriptionib. & cap. si diligenti. eodem titulo. & Panormitanus, quem sequuntur multi Iurisperiti, est in eadem sententia.

Secunda sententia est Adriani in materia de restitutione, quęst. de prescriptione in 4. Sententiarũ: & in quodlibeto. 2. dicentis, eum qui habet dubium sit ne res propria, non posse sine peccato mortali possidere illam tanquam propriam, ac subinde nec præscribere posse: debere tamen seruare illam vero domino, & adhibere diligentiam ad eum inquirendum. Quòd si hoc faciat, prescribit etiam cum dubio illo. Adriani ratio est, quoniam si possideat tanquam proprium peccat mortaliter: vt dicebamus in argumento in oppositum. Si autem seruat eam vero domino non peccat mortaliter.

Tertia sententia est media inter has extremas. Eum qui dubitat posse quidem possidere illam rem tanquam propriam, debere tamen pro qualitate dubij partem restituere, aut illi, cuius dubitat sit ne res illa, aut certè pauperibus, si post factam diligentiam verum dominum non inuenerit: si manet dubius adhuc post diligentiam factam. Cæterum inquit, ꝓ eiusmodi dubium interrumpit præscriptionem.

Quarta sententia item media inter has sententias explicatur sequentibus conclusionibus. Prima conclusio. Qui dubitat probabiliter, An res sit aliena, non habet bonam fidem. Probatur primo, quia dubium verisimile & probabile est medium inter bonam, & malam fidem, sicut pallidum est medium, inter album, & nigrum. Probatur secundò, quòd non sit bona fides ex l. 48. ff. de acquir. rerum domi. vbi dicitur, Bonę fidei, & indubiæ possessor. Et distinguitur manifeste bona fides contra dubiã. Secundo probatur. Bona fides in vniuersis alijs materijs non patitur secum hæsitationem & dubium, ergo nec in ista materia. Antecedens probatur inductione. Si quis dubitet, An hodiernus dies sit dies ieiunij non hẽt bonã fidem, vt vescatur carnib. Etenim si cum illa hæsitatione vesceretur carnibus, peccaret mortaliter: si autem cum bona fide illis vesceretur non peccat mortaliter. Idem est in vniuersis alijs. Quartò, Si dubium esset bona fides, sufficeret ad incipiendam præscriptionem: at hoc consequẽs est falsum iuxta omnium tam Iurisperitorum, quã Theologorum sententiam, ergo & antecedens.

Secunda conclusio. Qui cum dubio verisimili, sit ne res propria vel aliena possidet, adhibet autem diligentiam ad inquirendam veritatem rei: si dubiũ sit æquale pro vtraque parte, iustè possidet rem totam integram. Si vero dubium nõ sit æquale, sed inclinet magis in alterius fauorem, tenetur qui possidet pro qualitate dubij partem restituere. Prima pars probatur ex regulis iuris vulgatis. In pari delicto & causa melior est possidentis conditio. Cum iura partium sunt obscura, reo fauendum est potiùs quam actori. Secundò probatur. Si iudex per sententiam applicaret illam rem totam possessori, ille iuste totam possideret: quanuis adhuc maneret dubium speculatiuũ æquale, pro vtraque parte ergo. Consequentia probatur, quoniam iudicis sententia quæ nõ fundatur in falsa præsumptione, nõ magis confert ius in conscientia post quam pronũtiata est, quàm antea. Secunda pars probatur. In tali casu non est par causa possidentis & non possidẽtis, sed melior non possidentis, ergo non est mirum quòd tunc faueamus magis non possidenti. Secundò probatur. Si dubium illud ita attenuaretur pro parte illius qui possidet, vt nulla maneret verisimilitudo pro illius parte, sine dubio ille teneretur restituere totam rem integram alteri, ergo quando attenuatur in illo gradu, vt videlicet, quamuis aliqua sit verisimilitudo pro illius qui posidet parte, est tamen maior pro alterius parte, tenebit pro rata portione aliquid alteri refundere vel restituere.

Tertia conclusio. Post adhibitam sufficientem diligentiam ad inquirendum verũ rei dominum, is qui possidet: inchoat præscriptionem ab eo temporis puncto quo eam diligentiam adhibuit: etiam si adhuc maneat dubius speculatiuè. Probatur primò. Ad inchoandam præscriptionem, sufficit simul cũ possessione & reliquis conditionibus bona fides humana. Sed post adhibita sufficientem diligentiam possessor iste habet bonam fidem humanam, ergo incipit præscribere ab eo puncto temporis. Probatur minor. Ille possessor est certus practicè & moraliter, quòd illa res est propria, ergo habet bonam fidem humanam. Antecedens probatur, quoniam in moralibus non est efflagitandum mathematicũ iustum. Secundo probatur conclusio. Ex fine legũ quæ sunt de præscriptione latæ qui finis frustaretur certè nisi is possessor præscriberet. Quod sic probatur. Finis legum, quæ de præscriptione latæ sunt, est ne rerum dominia incerta sint longo tempore: at nisi hic possessor præscriberet: perpetuò rei illius quam posidet, dominium maneret incertum, ergo &c. Minor probatur. Siquidem possessor ille cum eodem dubio, transfunderet rem illam in suos hæredes, & illius hęredes in suos. Tertio probatur. Si iudex per sententiam applicaret rem illam possidenti sine dubio à tempore pronuntiatæ sententiæ possessor inchoaret prescriptionem, etiamsi adhuc maneret dubius speculatiuè: sed ad quietandã conscientiam & bonam fidem habendam, tam sufficit diligẽtia adhibita, quàm iudicis sententia, ergo.

Quarta conclusio. Dubium uerisimile & probabile antequam adhibita sit sufficiens diligentia, non sufficit ad inchoandam præscriptionem: Cæterum si superueniat præscriptioni, quę bona fide inchoata erat, non interrumpit illam. Prima pars est communis concesio omnium Theologorum & Iurisperitorum, & ex capitulis requirentibus bonam fidem ad præscribendum patet. Secunda pars est cõmunis omnibus Iurisperitis quos refert & sequitur Sylueſter, verbo prescriptio. 2. §. 3. & copiosius hoc disserit Episcopus Segouiensis par. 2. §. 7. in regula possessor. Quanuis hæc pars sit contra Adrianum & Soto & alios Theologos. Probatur autem hæc pars. De facto in exteriori foro pronuntiaretur sententia pro eo possessore qui bona fide incepisset præscriptionem quãuis postea dubitaret: sed sententia in foro exteriori pronuntiata quæ non innititur falsæ præsumptioni confert ius in cõscientia, ergo præscribit. Maior patet, quoniam omnes Iurisperiti sunt in ea sententia, quòd ille prescribat, Iurisperiti autem sunt iudices pronuntiantes sententiã in foro exteriori. Confirmatur, sententia quę in foro exteriori iuxta omnium Iurisperitorum sententiam pronuntiatur, nõ est iniusta. Alioquin semper tribunal exterius erraret, sententiam pronuntiando in huiusmodi causa ergo talis sententia confert ius. Secundò probatur hæc pars argumento in principio huius dubij facto pro parte affirmatiua ex cap. fin. de præscriptionibus. Et confirmatur ex cap. si virgo. 34. quęst. 2. ex regul. 2. de regulis iuris. in 6. quæ sic habet: possessor malæ fidei tempore non præscribit. In his siquidẽ capituli ad inchoandam prescriptionem exigitur bona fides. Cæterum

ad

ad eam continendam tantum, exigitur, quòd absit mala fides & scientia rei alienæ: qui vero dubitat sit ne res sua, non habet malam fidem, vt ostendimus conclusione.1. Vltimò probatur hæc eadem pars ex cap.inquisitioni. & ex cap. dominus. de secundis nuptijs.vbi fœmina quæ nupsit secundo viro bona fide,priore viuo, iubetur reddere debitum secundo viro, etiam si dubium postea superuenerit ergo multo magis in nostro casu,qui sic dubitat poterit continuare præscriptionem, si adhiberit sufficientem diligentiam.

Sed contra hanc conclusionem arguitur. Per litis contestationem in exteriori foro interrumpitur præscriptio bona fide inchoata, sed litis contestatio solum facit conscientiam dubiam,ergo dubium solum sufficit ad interrumpendam præscriptionem. Repondetur ad hoc, in casu isto non interrumpi præscriptionem propter solum dubium, quod oritur ex litis contestatione, hoc est, ex petitione veri domini:sed quia iura solum volunt fauere possessori pacifico. Cæterum quando dubium aliunde oritur: possessore est pacificus, ac sebinde præscribit. Ad argumenta vero partis affirmatiuæ, quatenus aduersantur secundæ conclusioni, & primæ parti conclusionis vltimæ:patet ex ipsis cõclusionib.Respõdetur enim Pontificẽ in hoc capite vocare peccatum mortale, siue eam conscientiam quæ formaliter peccatum est & mala fides, siue certè eam quæ causaret peccatum mortale:nisi adhibeatur diligẽtia ad inquirendum verum dominum. Et hæc posterior non est sufficiens ad incipiendam præscriptionem,bene tamen ad continuandam.Vt indicat (quantum videtur aperte) ipse Pontifex in corollario quod inde infert. Ad argumentum in oppositũ respondetur, nulli omnino periculo peccati exponere seipsum, qui cum dubio verisimili iuxta definita in nostris conclusionibus possidet rem alienam, etiam tanquam propriam. Hæc dicta sint de materia de Dominio.

QVAESTIO LXII.
De Restitutione.

DEINDE considerandum est de restitutione. Et circa hoc quæruntur octo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ.

Infr.ar.2. & 5.corp.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd restitutio non sit actus iustitię commutatiuæ.iustitia enim respicit rationem debiti. Sed sicut donatio potest esse eius quod non debetur,ita etiam & restitutio. Ergo restitutio non est actus alicuius partis iustitiæ.

2.Præterea.Illud quod iam transijt, & non est,restitui non potest. Sed iustitia & iniustitia sunt circa quasdam actiones & passiones,quæ nõ manent,sed transeũt. Ergo restitutio non videtur esse actus alicuius partis iustitiæ.

3.Præterea. Restitutio est quasi quædam recompensatio eius,quod subtractũ est.Sed aliquid potest homini subtrahi nõ solum in commutatione, sed etiam in distributione,puta cùm aliquis distribuẽs, minus dat alicui quàm debeat habere. Ergo restitutio non magis est actus commutatiuæ iustitiæ quàm distributiuæ.

SED contra. Restitutio ablationi opponitur. Sed ablatio rei alienę est actus iustitiæ circa commutationes. Ergo restitutio eius est actus iustitię, quæ est in cõmutationibus directiua.

RESPONDEO dicendum, quòd restituere nihil aliud esse videtur, quàm iteratò aliquem statuere in possessionẽ, vel dominium rei suæ.Et ita in restitutione attenditur æqualitas iustitiæ secundũ recompensationem rei ad rem:quod pertinet ad iustitiã commutatiuam. Et ideo restitutio est actus commutatiuæ iustitiæ, quando scilicet res vnius ab alio habetur, vel per voluntatem eius sicut in mutuo,vel deposito:vel contra voluntatẽ eius,sicut in rapina vel furto.

Ad primum ergo dicendum, quòd illud quod alteri non debetur,non est propriè loquendo, eius, etsi aliquando eius fuerit.Et ideo magis videtur esse noua donatio,quàm restitutio, cũ quis alteri reddit quod ei non debetur. Habet tamen aliquam similitudinem restitutionis: quia res materialiter eadem est: non tamen est eadem secundùm formalem rationem, quam respicit iustitia, quod est esse suum alicuius. Vnde nec propriè restitutio dicitur.

Ad secundum dicendum, quod nomẽ restitutionis, inquantum importat iterationem quandam, supponit rei indentitatem. Et ideo secundùm primam impositionem nominis, restitutio videtur locũ habere præcipuè in rebus exterioribus, quæ manentes eædem, & secundum substantiã, & secundùm ius dominij ab vno possunt ad alium deuenire. Sed sicut ab huiusmodi rebus nomen commutationis translatum est ad actiones vel passiones, quæ pertinet ad reuerentiam vel iniuriam alicuius personæ, seu nocumentũ vel

vel profectum:ita etiam nomen restitutionis ad hoc deriuatur, quæ licet realiter non maneat,tamen manet in effectu vel corporali, puta cum ex percussione læditur corpus: Vel qui est in opinione hominũ: sicut cùm aliquis verbo opprobrioso remanet infamatus, vel etiam minoratus in suo honore.

Ad tertium dicendum, quòd recompensatio, quam facit distribuens ei, cui dedit minus,quàm debuit,fit per cõparationem rei ad rem: ut si quanto minus habuit quam debuit,tanto plus ei detur. Et ideo iam pertinet ad iustitiam commutatiuam.

SVMMA ARTICVLI.

CONCLVSIO prima est affirmatiua. Ratio breuiter est,qui restitutio importat recompẽsationem rei ad rem secundum æqualitatem.

Secunda conclusio. Notetur in solutione ad primum Restitutio propriè loquendo importat rationem debiti.

Tertia conclusio. Notetur in solutione ad secundum. Restitutio etiam si secundùm primæuam significationem habeat locum præcipuum in rebus, exterioribus tñ transfertur ad actiones vel passiones, quæ pertinet ad iniuriam vel reuerẽtiam personæ.

Quarta conclusio. Recompensatio quam facit distribuens ei cui dedit minus quam debet, fit per recompensationem rei ad rem,& pertinet ad iustitiam commutatiuam.

COMMENTARIVS.

MATERIA hæc de restitutione grauissima est, & Theologo valde necessaria ad decidendas difficultates quæ quotidie in humano conuictu se se offerunt. Differunt Theologi de restitutione in 4.Sententiarum dist.15. vbi Magister agit de tertia parte pœnitentiæ, quæ dicitur operis satisfactio. Summistæ verò in verbo restitutio.inter quos specialiter videatur Caie. Adrian.in 4. in materia de restitutione. & Ioan. de Medina in codice de restitutione.Magist.Soto li.4.de iust.& iur. q.6.& 7.

Nos autem in hoc tractatu stylo quidem breui sed compendioso curabimus vniuersalium & partiarium difficultatum confusionem distinguere & decidere,ita vt nihil necessarium prætermittamus.

ANTEOÍa de vocabulo,restitutio,sciẽdũ est,esse Ciceronianũ sed in significatione vniuersaliter,ita vt idẽ sit restituere atq; reddere siue ex iustitia hoc fiat, siue ex liberalitate,siue alio mõ. Et hoc mõ dr quis restitutus in pristinam salutem beneficio medicinæ,& in pristinam dignitatem opera amici. At vero Theologi de iustitia disputantes strictiùs vtuntur hac voce:vt significet actum iustitiæ commutatiuæ, quo reparatur iniuria, siue in bonis honoris,siue in bonis corporis, siue in bonis spiritualib.Quibusdã tamen Theologis placet distinguere, vt restitutio proprie sit bonorum fortunæ,satisfactio verò sit recompensatio facta pro iniuria circa personam. Nihilominus frequentissime vtrumque vocabulum pro altero vsurpatur. Verum est tamẽ, quòd satisfactio specialiter dicitur,quando quis per actum pœnitentiæ Deo satisfacit, non tamen ita proprie dicetur restitutio:qua reuera Deus non patitur aliquod detrimentum nostris offensis.& ideo restitutio quæ est actus iustitiæ commutatiuæ non potest dici propriè in ordine ad Deum. Et tamen inter Deum & hominem solum ponitur ex parte Dei iustitia distributiua:ex parte vero nostra ponitur pœnitentia quæ est specialis virtus & pars potẽtialis iustitiæ, quatenus homo per contritionẽ nititur satisfacere Deo pro offensa commissa contra eum. Dicitur etiam satisfactio tertia pars pœnitentiæ,secundùm quòd homo facit aliqua opera, per quæ satisfacit pro pœnis debitis in purgatorio.Hatenus de nomine,restitutio.

Definitio vero quid rei talis colligitur è D. Tho. Restituere est iteratò aliquem statuere in dominiũ vel possessionem rei suæ. Intelligitur autem nomine rei, omne illud ad quod homo habet ius. Hæc definitio non indiget noua explicatione, suppositis quæ diximus de dominio & possessio. Ex hac definitione colligit D.Tho.principalem conclusionem huius articuli.Quæ quidem ab omnibus recipitur: & quanuis sit controuersia inter Doctores,an violatio iustitiæ distributiuæ obligẽt ad restitutionẽ:tamen omnes cõueniunt in hoc quòd si illa violatio obligat ad restitutionem, talis restitutio pertinet ad iustitiam commutatiuam. Vtrùm autẽ talis violatio obliget ad restitutionem, disputat Caietanus latè in hoc loco circa solutionem ad tertium. Sed nos opportunius hanc difficultatem definiemus quæst.seq.63.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sit necessarium ad salutẽ, quòd fiat restitutio eius quod ablatum est.

4.d.15.q. 1.art.8.q. 2. Et quolib.12.artic.2.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd non sit necessarium ad salutem, quòd fiat restitutio eius quod ablatũ est.Quod enim est impossibile,non est de necessitatem salutis. Sed aliquando impossibile est restituere, id quod est ablatũ puta cùm aliquis abtulit alicui membrũ vel vitam.Ergo non videtur esse de necessitate salutis, quòd aliquis restituat quòd alteri abstulit.

2.Præterea.Committeret aliquod peccatum non est de necessitate salutis:quia sic homo esset perplexus. Sed quandoq; illud quod aufertur, non potest restitui sine peccato: puta cùm aliquis alicui famam abstulit,verum dicendo.Ergo restituere ablatum non est de necessitate salutis.

3.Præterea. Quod factum est,non potest fieri,vt factum non fuerit.Sed aliquãdo

do alicui aufertur honor suæ personæ ex hoc ipso, quòd passus est ab aliquo iniustè cum vituperante. Ergo non potest sibi restitui quod ablatum est. Et ita non est de necessitate salutis restituere ablatũ.

4. Præterea. Ille, qui impedit aliquem ab aliquo bono consequendo, videtur illud ei auferre: quia quod modicum deest, quasi nihil deesse videtur, vt Philosophus dicit in secundo † Physic. Sed cùm aliquis impedit aliquem vt non consequatur prębendam vel aliquid huiusmodi, nõ videtur quod teneantur ei ad restitutionem præbendę quia quandoque non posset. Non ergo restituere ablatũ, est de necessitate salutis.

Lib. 2 text. 58. 100 mo. 2.

Sed contra est, quòd August. dicit in epistola ad † Maced. 14. question. 6. Si res aliena propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si (vt dixi) restitui potest.

Epist. 54. à medio 1. lius to. 2.

Et habetur. 14. q. 6. c. vt res aliena.

RESPONDEO dicendum, quòd restitutio, sicut dictum † est, est actus iustitiæ commutatiuæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Et ideo restituere importat redditionem illius rei, quæ iniustè ablata est. Sic enim per iteratam eius exhibitionem æqualitas reparatur. Si verò iustè ablatum sit, inæqualitas erit, vt ei restituatur, quia iustitia in æqualitate consistit. Cùm ergo conseruare iustitiam sit necessitate salutis, consequens est quòd restituere id quod iniustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.

Arti. præcedenti.

Ad primum ergo dicendum, quòd in quibus non potest recompensari ęquiualens, sufficit quòd ibi recompensentur ęq possibile est: sicut patet de honoribus qui sunt ad Deum & ad parentes, vt Philosophus dicit † in 8. Ethic. Et ideo quando id quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est: puta cùm aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione vtriusque personæ, secundum arbitrium boni viri.

Lib. 8. cap. vlt. nõ procul à fine, tom. 5.

Ad secundum dicendum, quòd aliquis potest alicui famam tripliciter auferre. Vno modo verum dicendo, & iustè: puta cùm aliquis crimen alicuius prodit ordine debito seruato, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo falsum dicendo & iniustè, & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse. Tertio modo verum dicendo, sed iniustè: puta cùm aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad restitutionem famæ quantum potest, sine mendacio tamen; vtpotè ęq dicat se malè dixisse, vel quòd iniustè eũ diffamauerit. Vel si non posit famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut & in alijs dictum † est.

Ad tertium dicendum, quòd actio cõtumeliam inferentis non potest fieri, vt non fuerit. Potest tamen fieri, vt eius effectus, scilicet diminutio dignitatis personæ in opinione hominum, reparetur per exhibitionem reuerentiæ.

In solutione ad primum.

Ad quartum dicendum, quòd aliquis potest impedire aliquem ne habeat præbendam, multipliciter. Vno modo iustè, puta si intendens honorem Dei, vel vtilitatem Ecclesiæ, procuret quòd detur alicui personę digniori: & tunc nulio modo tenetur ad restitutionem, vel ad aliquam recompensationem faciendam. Alio modo iniustè: puta si intendat eius nocumentum, quem impedit propter odium vel vindictam, aut aliquid huiusmodi: & tũc si impedit ne præbenda detur digno, consulens quòd non detur antequam sit firmatum quòd ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompensationem pensatis cõditionibus personarũ & negotij secundũ arbitriũ sapientis: non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si verò iam firmatum sit quòd alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret quòd reuocetur, idem est ac si iam habitam ei auferret: & ideo tenetur ad restitutionem ęqualis, tamen secundum suam facultatem.

SVMMA ARTICVLI.

CONCLVSIO est. Restituere id quod iniustè ablatum est alicui, est de necessitate salutis. Ratio est, quia conseruare iustitiam est de necessitate salutis.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR primò circa conclusionem articuli, an sit vera. Arguitur primò pro parte negatiua. Qui retinet rem alienam domino irrationabiliter inuito, non peccat: sed quicũque dominus est irrationaliter inuitus

tus, si nolit rem sua detinerit ab altero qui illam accepit, ergo alter non tenetur restituere. Probatur minor. Quia vnusquisque ordine charitatis, tenetur magis diligere bonum spirituale proximi, quã bona temporalia. ergo ex eodem ordine obligatur, vt sit voluntarius quòd alter retineat bona sua tẽporalia ne mortaliter peccet.

Secundò. Si esset præceptum de restitutione, cõtineretur in septimo præcepto Decalogi: Non furtum facies, sed non continetur in hoc, ergo. Probatur minor. Quia illud præceptum est negatiuum, & proinde obligat semper & pro semper, sed præceptum restituendi est affirmatiuum, quod non pro semper obligat, sed pro tempore & loco, ergo non continetur in illo septimo præcepto, Non furtum facies.

Tertiò. Si esset præceptum restituendi, non solum obligaret restituere res iniustè ablatas sed ẽt omnes res alienas etiam iustè acceptas, v.g. si quis accepit mutuò rem alienam, vel etiam inuenit illam: at vero D. Tho. duntaxat inquit esse de necessitate salutis restituere quod iniustè ablatum est, ergo conclusio nõ satisfacit plene titulo articuli. Imo adiũgit D. Tho. ęq si aliquid iustè ablatum sit, inæqualitas erit ei restituere cui ablatum est.

Fuerunt Græci quidã, vt refert Guido Carmelita in lib. de hæresibus negantes, restituere esse de necessitate salutis. Erasmus etiam in quatuor primis editionibus super Euangelia, illud Lucæ, quod superest date eleemosynam, negauit necessitatem restitutionis, sed in editione quinta asseruit illam. Et Castro de hæresibus in verbo, restitutio refert prædictos autores.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Necessarium est ad salutem necessitate præcepti vt qui iniustè retinet alienum restituat illud quomodolibet peruenerit ad manus eius. Ista conclusio videtur vniuersalior quam conclusio D. Tho. sed in substantia eadem est cum illa. Pro cuius intelligentia notandum est quòd ex duplici titulo potest oriri obligatio restituendi. Alter titulus est acceptio rei alienæ, siue iusta, siue iniusta: sicut contingit in mutuo vel in furto siue res illa possideatur ab eo qui ęq cepit, siue non possideatur. Intelligimus ergo nomine acceptionis quamlibet actione, propter quam minus habet alter in bonis suis, quam ius illius postulabat. Vt abscisio brachij, combustio domus. Et isto modo dicitur in præsenti acceptio rei alienæ. Alter titulus est ipsamet res aliena, siue ille qui possidet acceperit illam à vero domino, siue acceptã ab alio retineat, vel ex donatione vel ex venditione vel ex inuentione. Contingit autem aliquando vt vterque titulus conueniat: & teneatur aliquis ex vtroque capite restituere.

Notandum est secundo, quòd acceptio iusta rei alienæ non inducit propriè obligationem restituendi, donec accipiens sit in mora reddendi illam domino. v.g. Si quis accipiat mutuo, vel in deposito pecuniam ad tempus determinatum, tunc si intra illud tempus legitimum reddit, non dicitur restituere propriè. Et ratio est. Quia restituere ex primæua & Latina significatione, est id quod lapsum erat erigere, vel depraauatum corrigere & in pristinum preditum statum reparare: cum autem à Theologis translatum est vocabulum ad actionem quamdam iustitiæ significandam, noluerunt excludere illam proprietatẽ significationis. Alias omnes actus iustitiæ commutatiuæ dicerentur restitutio. Sed intendunt solum modo significare actionem illam iustitiæ commutatiuæ reparatricem damni, quod ex iniustitia emerserat. Et idcirco non quotiescunque redditur res aliena vero domino dicitur restitutio. Et sic intelligatur D. Tho. in hoc articulo. Sed si quis objiciat, quod D. Tho. dicit in articulo primo. Et ideo restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quando scilicet res vnius ab alio habetur, vel per voluntatem eius, sicut in mutuo & deposito, vel contra voluntatem eius, sicut in rapina & furto, ergo cum aliquis reddit mutuum vel depositum, restituit secundum D. Tho. etiam si habet illud per voluntatem domini. Respondetur primò, quòd Diuus Thomas visus est illic explicare genus restitutionis, scilicet æqualitatem iustitiæ commutatiuæ, non autem explicauit in illis verbis differentiam restitutionis, quæ insinuatur in ipsa definitione, cum dicitur iterato statuere. Quod quidem præsupponit læsum esse ius alterius. Respondetur secundo, quòd cum D. Tho. dicit, per voluntatem eius sicut in mutuo vel deposito, intelligit à principio mutuationis vel depositionis: postea vero cum habet locum restitutio, iam homo detinet alienum contra voluntatem domini.

Notandum est tertio, quòd quando quis iam est in mora soluendi rem, etiam licitè acceptam, statim incipit esse iniustus, & illa detentio est eiusdem rationis cum furto vel rapina. Ita docet D. Tho. infrà quæst. 66. art. 5. ad secundum. Vnde quando in definitione furti ponitur acceptio rei alienæ, comprehendit D. Tho. retentionem rei alienæ contra voluntatem domini. Ex dictis colligitur quàm formaliter locutus fuerit D. Tho. in sua conclusione, solum asserens, esse de necessitate salutis restituere, id quod iniustè ablatum est. Nam reddere id quod iustè ablatum est & iustè retinetur, non est propriè restituere. Et propterea vsi sumus vocabulo retentionis iniustæ vt vniuersaliùs loqueremur. Quam conclusionem censemus esse certam secundum fidem. Patet ad Roman. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, &cæt. Patet etiam ex consensu totius Ecclesiæ & doctorum. Et ex communi regula iuris, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Quæ quidem intelligitur quando homo potest restituere. Et est Diui Augustini in epistola 54. & regula & intelligentia ipsius.

Secunda conclusio. Præceptum de restituendo, est simpliciter & formaliter affirmatiuum, sed importat negatium super quod fundatur. Ratio est, ex duplici differentia quam ponunt Theologi inter præcepta affirmatiua & negatiua. Prima est, quòd affirmatiua præcipiunt actus virtutum; negatiua vero prohibent actus vitiorum. Secunda differentia est, quod contra præcepta affirmatiua peccant homines peccatum omissionis, contra negatiua verò peccatum commissionis, scilicet occidendo, &c. At verò præceptum de restituendo præcipit directè actum virtutis iustitiæ commutatiuæ, ergo est affirmatiuum. Quod autem includat negatiuum supra quod fundatur, patet: quia includit negationem retinendi rem alienam inuito domino, quæ est tota ratio quare obligat præceptum affirmatiuum ad restituendum & exercendum actum virtutis.

Ad argumẽta quæ proposuimus respondetur ad primum, quòd non est irrationabiliter inuitus, si velit homo restituj sibi rem suam, quando ex malitia alterius retinetur, tunc enim charitas non obligat: vt quis renuntiet iuri suo propter alterius liberam voluntatem qua vult peccare: sed obligat tempore necessitatis.

Ad secundum argumentum, iam patet responsio ex his quæ dicebamus in secunda conclusione & inter-

interpretatione illius. Præceptum enim restituendi, quanuis sit affirmatiuum, reducitur ad negatiuum tanquam ad principalius præceptum quod est radix & ratio quare illud affirmatiuum obliget sub peccato mortali.

Ad tertium, etiam patet ex dictis in confirmatione primæ conclusionis. In solutionibus ad argumẽta huius articuli tangit Diuus Thomas omnem materiam restitutioni subiectam & modum restituendi qua propter doctrinam harum solutionum exactus oportet examinare.

Aduertendum est igitur, quatuor esse genera bonorum de quibus possumus inquirere an restitutio habeat locum in illis, & quomodo sit facienda. Primò quidem sunt bona spiritualia, vt gratia Dei & virtutes: sunt etiam bona naturalia corporis & animę. Sunt etiam bona extrinseca. v.g. bonæ fortunæ, vt fama & honor. Sunt denique officia & beneficia publica, tam in seculari republica, quàm in Ecclesiastica. De his omnibus latè disputandũ est.

DVBITATVR ergo secundo loco. Vtrùm ille qui læsit proximum in spiritualibus bonis, teneatur ei aliquid restituere. v.g. qui fuit illi causa peccandi, & vt amitteret gratiam & virtutes, vel impediret profectum spiritualem sui persuasionibus.

Primò arguit pro parte affirmatiua. Si quis proximo propinet venenũ, tenet ex iustitia statim quærere illi remediũ, ergo multo magis qui persuasionibus suis propinat alteri spirituale venenum. Patet consequentia, quia iste magis nocet proximo, quàm alter. Secundo si Prædicator vel Doctor falsam doctrinam doceat, tenetur quàm primum poterit reuocare sententiam, ergo pari ratione, si quis induxit particulariter proximum ad peccandum, tenetur illi restituere quàm primum poterit, persuadendo contrarium.

Tertiò. Si quis occidat vel mutilet hominem etiam volentem occidi vel mutilari, peccat contra iustitiam, eo quòd solus Deus est Dominus vitæ corporalis. Ergo si quis inducat hominem ad peccandum, peccabit ipse cõtra iustitiam: & tenebitur ad restitutionem, etiam si alter voluntariè peccet. Probatur consequentia. Quia etiam solus Deus est Dominus gratiæ & virtutum infusarum. Scotus in quarto Sententiarum distinctione. 15. quæstione. 3. articulo. 1. & Ricardus articulo. 4. quæstione. 21. & Pauludanus ibidem, & Adrianus in materia de restitutione vbi supra: ait, ꝙ tenetur homo qui fuit alteri causa peccati restituere illi commodiori via qua poterit. v.g. Suadendo illi contrarium & orando pro illo.

PRO decisione veritatis sit prima cõclusio. Qui induxit alterum ad peccandum sine dolo & fraude, non tenetur ex iustitia ad aliquam restitutionẽ illi faciendam. Probatur, quia sic inducens vel persuadens nihil abstulit à proximo inuito, ergo non tenetur illi restituere. Neque valet responsio Soti, quòd quanuis scandalizator non sit tota causa peccati, est tamen partialis causa quæ antecedit volũtatem alterius: & ex hac parte facit ei aliquam iniuriam & tenetur restituere. Contra hoc est, ꝙ pari ratione qui improbitatem precum obtinet ab amico bonũ aliquod, teneretur illi restituere: quia etiam est causa quædam antecedens voluntatem alterius. Consequens autem falsum est, quia scienti & volenti non fit iniuria, vt habetur de regulis iuris in 6. Igitur vbi non est fraudulentia aut violentia, non oritur obligatio restituendi.

Secunda conclusio. Etiam si quis per dolum & fraudem scandalizet proximum offerendo ille occasionem peccandi, nõ tenetur per se loquendo ad aliquam restitutione faciendam. Hæc conclusio videtur esse contra Magistrum Soto lib. 4. de Iustitia & iure. quæst. 6. art. 3. conclus. 2. & contra aliquos nostri temporis Theologos. Sed probatur conclusio. Ille quantumlibet mentiendo non lædit proximum nisi tantum in bonis spiritualibus, ergo nõ tenetur ad restitutionem. Probatur consequentia, quia bona spiritualia non possunt amitti nisi propria & libere voluntate. v.g. Si quis duxit amicum nescientem in domum meretricis, vbi moraliter loquendo erat scandolizandus, non tenetur illi aliquid restituere, sed solum peccat maximum peccatum cõtra charitatem proximi. Confirmatur, quia tota rõ peccãdi mortaliter huiusmodi fraude ẽ, quia exponit proximum in periculo fornicandi. Sed hęc ratio non obligat ad restitutionem, ergo &c. Dixi autem in conclusione per se loquendo: nam si ex tali fraude aut dolo sequatur pestea aliquod damnum temporale, tenetur qui fecit dolum ad restitutionem. v.g. Si in illa domo erat aliquis coniugalis, qui illum percuteret & spoliaret, tunc tenebitur ille scandalizator ad restitutionem. Similiter si persuasit contractum vsurarium siue manifestè siue per dolum, tenebitur ad omnia damna reparanda, quæ consequũtur ex mala aut falsa persuasione. Cętertum quando per vim detinetur aliquis, vel trahitur ad peccandum, tunc certum est quòd inferre vim illam, pertinet ad iniustitiam.

Tertia conclusio. Speciali obligatione præcepti de correctione fraterna tenebitur scandalizator, si potest proximum corrigere. Hęc conclusio non aliter probatur, quàm ex communi consensu sapientum, qui iudicant quodammodo iustum esse, vt qui causam mali dedit, sit etiam reparator illius.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primũ nego similitudinem rationis: quanuis enim vterque teneatur succurrere proximo, tamen qui propinauit venenum, tenetur succurrere ex iustitia commutatiua: quia autem nocuit in spiritualib. tenetur ex charitate proximum corrigere. Neque enim ex maiori nocumento colligitur obligatio restitutionis: sed ex nocumento contra iustitiam commutatiuam per quod aufertur à proximo aliquid contra voluntatem eius. Vtrum autem sit semper maius peccatum inducere proximum ad peccandum mortaliter. v.g. ad fornicandum, quàm furari ab illo magnam pecuniæ quantitatem, posset aliquis dubitare. Sed respondetur breuiter. Quòd quanuis ex genere suo in communi loquendo sit maius peccatum inducere proximum ad peccandum, & nocere in spiritualibus, quàm nocere in temporalibus, tamen in particulari, quando illa læsio in spiritualibus non intenditur directè, poterit esse maius peccatum furari à proximo magnam pecuniæ quantitatem, quàm illum inducere ad fornicandum. Eò vel maximè quòd ipse fornicator voluntariè peccat, si autem directè ab aliquo intenderetur deijcere proximum à gratia Dei, est maximũ peccatum & contra Spiritum sanctum, videlicet inuidia charitatis fraternæ.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd ille Prędicator aut Doctor non tenetur ex iustitia commutatiua, per se loquendo, retractare sententiam, sed ex charitate. Aliquando etiam tenebitur ex virtute religionis, quando ex mala eius doctrina diminuitur cultus diuinus. Cæterùm aliquando etiam tenebitur ex iustitia commutatiua retractare sententiam: quando ex falsa doctrina illius sequitur incommodum temporale ipsis proximis,

v. g.

v.g. Si prædicauit licitum esse vendere triticum vltra taxationem Pragmaticæ, tenebitur ad restitutionem damni temporalis.

Ad tertium respondetur, quòd quãuis solus Deus sit causa efficiens gratię & virtutum infusarum, tamen huiusmodi pretiosas qualitates ponit in nostro libero arbitrio, & facit nos dominos donorum suorum, ita vt dum illa per peccatum amittimus non peccemus contra iustitiam, & ex consequẽti, neque ille cuius persuasione peccatur, tenebitur ad restitutionem. Secus autem res habet circa vitam temporalem, cuius Deus voluit esse speciali Dominus: ita vt ego ipse contra iustitiam peccem si me occido, vel occidi sine causa permitto. Habemus igitur ex dictis, quòd nulla ratione lęsio in bonis spiritualibus per se loquendo obligat ad restitutionem, ac propterea Diuus Thomas nullam mentionem fecit de lęsione in spiritualibus: dum in hoc articulo intendebat explicare omnem materiam subiectam restitutioni.

DVBITATVR tertiò. Consequenter, an is qui auocat aliquem ab ingressu religionis, vel etiam iam professum inducit vt relinquat religionem, teneatur ad aliquam restitutionem faciendam vel ipsi vel conuentui?

Primò arguitur pro parte affirmatiua. Qui persuasit aliquem ne faciat eleemosynam pauperi, quam paratus erat dare tenetur restituere pauperi illam eleemosynam: quanuis alter non dabat eleemosynam ex iustitia, sed tantùm ex misericordia, ergo pari ratione tenebitur, in casu proposito restituere religioni vtilitatem, & commodum quę prouenirent religoni ex illa persona.

Secundò arguitur. Religio ipsa habet ius respectu monachi professi, videlicet ad operas illius vtiles ipsi religioni. Ergo qui talem monachum à religione abduxit, facit contra iustitiam, & tenebitur restituere.

Tertiò arguitur. Si quis persuadeat seruo vt fugiat dominum suum, tenetur restituere seruum & operas eius vtiles domino, ergo simile est de religioso. De hac re sunt varię opiniones, aliqui sequuntur partem affirmatiuam, maximè quãdo religiosus est professus. Aliqui verò moderantur hanc sententiam, & aiunt, quòd si persuasor fecit animo nocendi, tenebitur restituere, si autem nõ fecit animo nocendi, non tenetur restituere. Alij vero rigurosiùs & scrupulosiùs loquuntur. Aiunt enim, vsque adeo talem persuasorem teneri restituere vt obligẽt eum ad recipiendum habitum religionis, si non potest ipse aliter restituere. Et adducunt exemplũ Raymundi quondam Generalis ordinis Prędicatorum. De quo dicitur ob eam causam ingressum fuisse religionem, quòd alium à proposito religionis auocauerit: & aiunt, hanc sententiam veram esse quando religiosus abductus, erat iam professus, & quando per dolum & fraudem abducitur à religione. Assertores huius sententię refert Sylueſter in verb. restitutio. 3. § primo. dicto. 2.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Qui absque dolo & fraude persuasit alteri ne ingrederetur religionem, vel etiam ingressum nouitium, vel etiam professum abduxerit, quouis animo id fecerit, non tenetur ad restitutionem.

Secunda conclusio. Qui per fraudem, & multò magis, qui per vim, auocat aliquem à firmo proposito religionis, siue secularem siue nouitium siue professum: tenetur ad restitutionem faciendã damni temporalis, quod consequitur, tam ipsi homini, quàm conuentui. Sit exemplum. Si quis Doctor habens cathedram honorificam & pingue patrimonium velit intrare aliquam religionem, vel iam sit in illa nouitius, aut professus, & auocauerit quis eũ à tali religione solis precibus & monitis, non tenebatur ad aliquam restitutionem faciendam illi, vel religioni. Si autem per dolum & fraudem abduxerit eum, & multò magis si per vim, tenebitur ad restitutionem tam ipsi quàm religioni totius damni & lucri cessantis. Vtraque conclusio quantum ad restitutionem faciendam vel non faciendam ipsi particulari: probatur ex definitis in precedenti dubio. Quantùm verò ad restitutionem faciendam vel non faciendam ipsi monasterio. Probatur argumentis factis in principio precedentis dubij. Et tamen quamuis monasterium non habet ius ad eum, qui vult profiteri: tamen habet ius pendens ex voluntate illius qui iam est in promptu, vt ingrediatur religionem. Quapropter, qui impedit per mendacium & fraudem ius illud, quod habet monasterium in voluntate hominis, facit iniuriam monasterio, Et ratio est euidens, quia ille qui mutat propositum propter fraudem & dolum alterius, non voluntariè mutat, idcirco lędit ur ius quod habebat monasterium in voluntate illius. Quemadmodum lędit ur ius pauperis per mendacium illius qui impedit eleemosynam, quam alter paratus erat dare. Si autem solis monitis & precibus desinat aliquis ingredi religionem, vel dare eleemosynam pauperi, non lędit ur ius religionis, neque pauperis. Ratio est, quia totum illud ius positiuum est in uoluntate alterius, & ille uoluntarie non vult dare. Quapropter, poterit persuasor peccare contra charitatem, non autem contra iustitiam. Nec est eadem ratio de mancipio & de monacho. Etenim dominus mancipij habet propriè ius ad personam mancipij, sicut ad alias possessiones: nam potest illud uendere. At vero conuentus & religio habet ius ad monachum ex virtute religionis tantum, & non ex iustitia, & ex eadem radice oritur ius quod habet monasterium ad operas & lucra ipsius monachi religiosi. Verum est tamen quòd cum ipse religiosus per propriam uoluntatem in ipsa professione abdicauerit à se omne dominium & omne ius ad res temporales, & transtulerit in ipsam communitatem, eo ipso quòd acquirit aliquid sua diligentia, statim efficitur proprium ipsius communitatis, & idcirco quantum ad huiusmodi res acquisitas opera monachi tenebitur ad restitutionem, tam ipse quam persuasor si per egressum illius, conuentus amittat illa bona, siue adfuerit dolus & fraus, siue non. Dixi autem de rebus iam acquisitis opera monachi: quoniam potuit contingere, quòd monachus sua opera acquisierit ius ad alias res, quod quidem pendet ex noua opera & diligentia & in tali casu neque religiosus tenebitur si discedat à monasterio ex iustitia, neque persuasor sine dolo & fraude illa bona in spe futura restituere. Et ratio est, quoniam acquisitio illorum bonorũ fundabatur in operatione religiosa ipsius monachi, quę non erat debita ex iustitia. Et idcirco tum ipse, quàm persuasor sine dolo & fraude, non tenebitur ad restitutionem faciendam ipsi communitati.

Iam vero circa huiusmodi materiam commemoranda est decisio Concilij Tridentini in Sessione 25. in Decreto de regularibus. capite. 18. Vbi sic dicitur. Anathemati subijcit Sancta Synodus, eos qui quomodocunque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam ad ingrediendum monasterium, uel ad suscipiendum habitum, vel ad mittendam

professionem. Et etiam eos qui imp edierint ingre di religionem, vel votum emittere. Cæterùm nihil definit Concilium circa viros, quoniam nõ pręsumuntur inuiti intrare religionem, vel in ipsa profiteri. Sed tamen circa viros tantum dicit, si aliquis prætendat se per vim & metum ingressum fuisse religionem, aut ante ætatem debitam se professum fuisse: non audiatur, nisi ante quinquennium tantum à sua professione.

Ad argumenta ex prædictis facillimum est respõdere. Ad primum enim respondetur, quòd qui impedit eleemosynam fieri pauperi absque fraude & dolo, non tenetur ad restitutionem; quamuis possit peccare contra charitatem.

Ad secundum respondetur, quòd religio non habet ius erga monachum & operas eius ex iustitia commutatiua, sed ex virtute religionis. Et ea est ratio quare abducens monachum à monasterio sine fraude & dolo, non tenetur ad aliquam restitutionem, magis quam ipse monachus, nisi rerum temporalium iam acquisitarũ: si fortè monachus asportat secum illas ex consilio alterius, tunc enim vterq; tenebitur restituere.

Ad vltimum argumentum respondetur. Vt iam dictum est, quod non est eadem ratio de seruo & monacho. Hactenus dictum est de spiritualibus bonis.

DVBITATVR quartò de bonis temporalibus. Et primo quidem de corporeis naturalibus. Et quęritur primo de corporalibus bonis, vtrum qui læsit aliquem occidendo, vel mutilando, vel quomodolibet saluti damnum inferendo, teneatur restituere damnum illud.

Pro cuius dubij intelligentia. Notandum est, quòd duo mala possunt considerari in huiusmodi læsionibus. Alterum est ipsa læsio secundum se, scilicet occisio, vel abscisio manus. Alterum est, quod consequitur, videlicet expensæ faciendæ in curatione, lucrum cessans, damnum emergens. Ante omnia de vtroque damno sit nobis conclusio certissima qui læsit, tenetur ad restitutionem vtriusque damni. Hæc conclusio communis est consensus doctorum. Et ratio est manifesta. Quia ex illatione vtriusque damni ląditur iustitia commutatiua. Neq; ualet obijcere, quòd homo non est dominus proprię vitæ aut membrorum, ac proinde quòd non sit facienda restitutio illi, quando ląditur in huiusmodi bonis: sufficit enim ad hoc quòd lædatur iustitia commutatiua, quòd homo sit dominus usus uitæ & membrorum. Difficultas autem dubij in hoc consistit, vtrum percussor aut occisor teneatur restituere in alio genere bonorum, quando in illis non potest restituere in eodem genere.

Primò arguitur pro parte affirmatiua. Quia Exodi 24. dicitur, Si quis percusserit seruum, & luscum eum fecerit, dimittet eum liberum pro oculo quem eruit. Et ibidem dicit, Si quis percusserit mulierem pręgnantem, & abortum fecerit, subiacebit damno quod maritus postulauerit, & arbitri iudicauerint, ergo. Et confirmatur ex doctrina communi plurimorum Doctorum. Imo & Diui Thomæ in solutione ad primum, ubi ait, quòd quando id quod ablatum est, non est restituibile, debet fieri compensatio quatenus possibilis est, putà cum aliquis alicui abstulit membrum aliquod, debet ei recompensare uel in pecunia uel in aliquo honore, cõsiderata conditione utriusque personę secundùm arbitrium boni viri.

Secundò arguitur, ex more Reipublicæ etiam Christianæ. Etenim qui ląsus est in bonis corporis reis, vel etiam filius & consanguineus illius, vel hęres, pactum sępe facit cum læsore de aliqua pecunia recipienda pro ląsione, quod quidem pactum nemo condemnat: sed omnes iustum arbitrantur: ergo restitutio in alio genere bonorum debet fieri. Probatur consequentia, quoniam aliàs, ipse qui ląsus est, non posset iustè accipere pecuniam pro læsione.

Tertiò arguitur. Qui ląsit alterum in bonis proprij corporis non minus videtur ad restitutionem obligari, quàm qui ląsit in bonis fortunę, sed illa restitutio fieri non potest in eodem genere, ergo necesse est, quòd fiat in bonis alterius generis. Videlicet in pecunijs uel honore.

Quartò arguitur & vltimo. Pecunia inuenta est ab hominibus, ut sit mensura quę adęquare possit res omnes in commutationibus humanis, sed satisfactiones corporalium ląsionum numerantur inter humanas commutationes, ergo in pecunia debet fieri satisfactio quando aliter fieri non potest. Maior est Aristotel. libro 5. Ethicorum cap. 5. Et explicatur à Diuo Thoma, quęstione pręcedenti, articulo vltimo. Minor etiam in artic. 1. ad secundum. & etiam artic. 3. Et confirmatur, quia libertas compensari potest pretio, siquidem homo potest se ipsum pretio vendere, ergo etiam usus vitę & membrorum potest recompensari in pecunia pro ipsa læsione.

SED in oppositum est text. in l. fin. ff. de his qui deiecerunt, uel effuderunt. Vbi Iurisconsultus ait cicatricum autem & deformitatis nulla fit ęstimatio, quia liberum corpus nullam accipit ęstimationem.

Secundò arguitur. Quoniam ex oppofita sententia sequitur, quòd si is qui ląsit puniretur à iudice talionis pœna debita secundum legem, adhuc ille teneretur ad faciendam recompensationem in pecunijs vel in alio bonorum genere. Probatur sequela. Quoniam per iudicis sententiam qua reus punitur talionis pœna, solum fit satisfactio respectu Reipublicę, quę custos est vitæ & salutis hominum, ergo adhuc tenetur reus satisfacere parti ląsę. Consequens est contra communem sententiam. Et confirmatur exemplo. Nam si fur puniatur à iudice, etiam vltimo supplicio, nihilominus tenetur etiam restituere bona quæ furatus est, & declarare vbi nã sint illa bona quæ furatus est, ut restituantur parti læsæ, ergo à simili. Si ille qui læsit in bonis corporis teneretur restituere parti læsæ in alio genere bonorum secundum iustitiam commutatiuam, non liberaretur ab ista obligatione per hoc, quòd punitur à republica pœna talionis.

Tertiò arguitur. Hæres etiam necessarius, eius qui læsit alterum in bonis corporis, non tenetur ad restitutionem faciendam ei qui læsus est, pro ipsa læsione, ergo neque ipse qui læsit tenebatur. Antecedens probatur. Quoniam si hæc restitutio deberet fieri, facienda esset pro crimine iniurioso defuncti, at vero filius non debet portare iniquitatem patris: neque enim tenetur petere veniam pro iniuria quã pater fecit. Consequentia vero probatur. Quoniam hęres pręsertim necessarius succedit in omni obligatione, ad quam tenebatur ex iustitia ipse defunctus.

Quartò arguitur. Fur quando in proprio genere non potest restituere, non tenetur in alio bonorum genere restituere, neque adulter tenetur in alio bonorum genere recompensare iniuriam, quam fecit marito, ergo neque ille qui læsit in bonis corporis tenebitur pro ipsa læsione in alio bonorum gene-

genere restituere. Probatur consequentia. Quoniam honor siue fama, quam lædit adulter, magis commensurabilis est pecunia, quam salus aut vita aut membra corporis.

Quintò arguitur. Restitutio cum sit actus iustitiæ commutatiuę ęqualiter nos obligat erga omnes, sed si quis occidat infidelem non tenetur pro ipsa occisione aliquam restitutionem facere, offerendo pro ipso sacrificia & orationes ad Deum ergo huiusmodi restitutio non obligat per se, etiam si occidatur Catholicus inique. Sed hoc argumentum non habet multam vim, quoniam potest solui si dicas, quod infidelis, quia non est capax huiusmodi satisfactionis, propterea homicida excusatur ab illa satisfactione facienda.

IN huius dubij decisione sunt variæ sententiæ Scotus in quarto distinctione 15. quæstione. 3. acriter reprehendit confessarios faciliores ad absoluendum homines homicidas, quàm canicidas. Sentit autem illa, legitimam satisfactionem homicidij esse talionis pœnam à iudice infligendam: quòd si hoc nõ contigerit, debet ipse homicida exponere se ipsum periculo mortis in bello iusto pro Ecclesię pace contra infideles, quòd si hoc non fuerit possibile, tenebitur multis sacrificijs & orationibus iuuare animã defuncti. At vero in mutilationibus satisfactionem dicit faciendam esse pecunijs.

Hanc sententiam tenet Palud. in eadem distinctione, ibidem quæstione. 2. Adrianus vero in quarto, in materia de restitutione circa finem. Addit, quòd tantum pretij reddendum est pro brachio abscisso, quantum mutilatus ipse postulauerit. Sed profectò esto ita facienda esset restitutio in pecunijs, melius dixisset quantum vir bonus & prudens iudicauerit, attenta qualitate vtriusque personę. Magister Soto vbi supra articul. 3. ad tertium. ait satisfactionem fariendam esse petitione veniæ, uel alia arbitraria pœnitentia, quòd si nulla pateat alia restituendi uia, erit commoda satisfactio iuuare defuncti animam precibus & sacrificijs, non tamen existimat ad huiusmodi satisfactionem obligari ex iustitia.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio certa. Qui læsit alterum in bonis corporis abundè satisfacit pro ipsa læsione, cum per iudicis sententiam punitur. Verbi gratia. Si quis alteri abscidit manum, & puniatur talionis pœna, non tenebitur amplius satisfacere mutilato. Hæc conclusio est communis sententia. Et ratio est manifesta. Quoniam iudicis legitima sententia, sicut actori confert ius in conscientia, ita absoluit etiam reum in foro conscientiæ quantum ad satisfactionem alteri parti faciendam, sed iudex quando punit pœna talionis reum, non imponit ei alteram satisfactionem pro ipsa ląsione, ergo reus non tenetur amplius satisfacere.

Secunda conclusio. Verisimilior mihi est sententia, quòd huiusmodi ląsiones non debent necessariò compensari in alio genere bonorum, scilicet, si in pecunijs aut honoribus aut precibus & sacrificijs. Ratio est, quòd quamuis argumenta facta pro parte affirmatiua sint probabilia, tamen argumenta facta pro parte negatiua, vrgentiora sunt nostro iudicio. Deinde ista conclusio sequitur ex prima per necessariam consequentiam, ergo tenenda est sicuti prima. Probo antecedens, quoniam sententia iudicis, quæ nõ fundatur in falsa præsumptione confert ius in conscientia, siue ligando siue absoluẽdo, sed quando punitur quis talionis pœna, non obligatur ad aliquam pecuniariam restitutionem, ergo neque tenebatur ad illam ante iudicis sententiam. Et confirmatur hæc ratio argumen. 5. & 2. factis pro parte negatiua. Hanc conclusionem tenuerunt & tenent aliqui viri docti nostri temporis, inter quos fuit Magist. Victoria. Videtur etiam esse Magist. Sentent. in 4. distin. 15. propè finem. vbi cum mentionem fecisset utriusque damni illati per læsionem corporalem, asserit primum damnum, de quo nunc disputamus, sola pœnitentia emendandum esse & reparandum coram Deo. Posterius vero malum restitutione reparari. Consonat denique hęc nostra sententia cum quadam alia sententia doctorum asserentium, quòd fama iniustè ablata non necessario est restituenda pecunijs, aut in alio genere bonorum. De qua re paulò post dicturi sumus. Hactenus diximus de restitutione & satisfactione quantum est ex iustitia commutatiua. At vero de satisfactione pro huiusmodi læsione in foro pœnitentiario.

Sit tertia conclusio. Temperanda videtur in foro pœnitentiario vtraque pars huius dubij tali moderamine, videlicet: quòd prudens confessarius cognoscens homicidam uel percussorem commodè posse pro huiusmodi læsione recompensationem facere pecunijs parti læsæ, debet prudenter iniungere talem satisfactionem. Quòd si ipse homicida vel percussor non potuerit talem satisfactionem facere, non debet illam præcipere confessarius. At vero si ipse reus contendat rationabiliter se nolle facere talem restitutionem, quamuis commodè possit facere, tunc recurrendum est ad regulam de modo imponendi pœnitentiam peccatorum. Si enim satisfactio imposita prudenter imponitur & reus non profert idoneam excusationem ad non admittendam illam: confessarius nihilominus obliget eum vt acceptet illam. Si autem voluerit condescendere cum illo & imponere aliam satisfactionem pro peccato illius condignam: poterit licitè facere, & absoluere illum, si aliàs apparet bene dispositus: neque enim in hac parte fauemus homicidis, neque percussoribus, sed potius illorum delicta exaggeramus, quia vita & salus & membra hominis quæ illi destruunt, sunt tam excellentia bona, ut secundum se non admittant pecuniariam restitutionem & æstimationem. Quapropter eorum delictum maius est apud Deum. Quę diximus deseruiunt ad componendos homines vulgares & plebeios. Etenim homines nobiles & illustres non curant de huiusmodi pecuniaria restitutione.

Ad argumenta partis affirmatiuæ respondendum est pro parte negatiua. Ad primum respondetur, quòd iam leges illæ Exodi antiquatę sunt, quia numerantur inter iudiciaria. At vero olim iustæ leges erant, quoniam in pœnam delicti possunt constitui leges pœnales iustæ in solutione pecuniæ pro læsione facta. Est exemplum in pœna quadrupli, quam fur tenebatur soluere. Item in foro pœnitentiario potest confessarius imponere pecuniariam satisfactionem pro peccatis, & tamen nõ obligabant peccata antea ad huiusmodi satisfactionem, quia erant contra alias virtutes, contra charitatem, temperantiam &c.

Ad confirmationem respondetur primo. Quòd sententia illa communis habet suam verisimilitudinem. Sed respondetur secundo, pro nostra sententia, quòd D. Thom. & alij quidam doctores intelligendi sint de damno consequenti, & quantum ad hoc ait, faciendam esse restitutionem in alio genere bonorum vt explicabimus dubio sequenti. Item Diuus Thomas potest explicari eum dicit, debet

debet fieri, hoc est decet vt fiat maximè in foro pœnitentiario vbi confessarius potest obligare, imo & aliquando debet obligare reum vt satisfaciat pecunijs, vel honore parti læsę, attenta conditione vtriusque personę. Et ad hoc fere semper obligat charitas, quia tali via componitur, pax & amicitia inter læsorem & partem læsam.

Ad secundum respondetur illud factum esse iustissimum, quoniam qui læsus est ius habet ad petendam vltionem iniurię illatę coram iudice. Et vt huic iuri cedat, quod vulgò dicitur *pierda la quexa*, licitum est illi accipere pecuniam quantam viri prudẽtes iustam esse iudicauerint.

Ad tertium respondetur, quòd quanuis omne peccatum contra iustitiam commutatiuam, quantum est ex parte sua, obliget ad restitutionem, tamen quędam sunt de quibus non potest fieri restitutio, & tunc excusatur qui peccauit à restitutione. V.g. parochus, qui noluit ministrare sacramenta subditis, peccauit contra iustitiam commutatiuam: tenebatur enim ex officio ministrare, & tamen non potest restituere damnum illud: & ita excusatur à restitutione. Item si quis interficiat proprium seruum infidelem, excusatur ab omni restitutione, & tamen peccauit contra iustitiam: quia non erat dominus vitę illius.

Ad quartum argumentum respondetur, pecuniã duntaxat esse mensuram rerum venalium, at verò liberi hominis uita, salus & membra uenalia nõ sunt. Ad confirmationem respondetur, quòd operationes potentiarum ex quibus aliquod lucrum uel commodum alteri prouenit, possunt uendi, alię uero operationes ex quibus nulla commoditas alteri prouenit, non sunt uendibiles.

DVBITATVR quintò circa detrimenta quę consequuntur læsionem corporalem, Vtrùm qui lęsit teneatur soluere expensas curationis, & lucrum cessans & damnum emergens. Ad hoc dubium breuiter respondendum est.

Prima conclusio. Qui læsit, tenetur omnia prędicta soluere ad arbitrium boni viri. Hęc conclusio ab omnibus asseritur. Solus Maior in 4. dist. 15. differt quantum ad modum & quantitatem restitutionis. Ait enim quòd si læsus sit artifex, & non possit exercere officium propter lęsionem, non tenetur percussor tantum soluere quantum laboranti accresceret, quia non debetur tantum otioso quantum laboranti. Nihilominus probatur nostra conclusio. Primò quidem, illa habetur expressè Exod. 21. & refertur cap. 1. de iniurijs & damn. & in l. fi. ff. de his qui deiecerunt vel effuderunt. Deinde probatur ratione. Quia lęsus offenditur & damnificat in tantis bonis temporalibus per iniuriam percussoris, sed huiusmodi lęsio reparatur per restitutionem ad equalitatem, ergo talis restitutio debet fieri.

Præterea. Si quis per vim & etiam occultè capiat instrumenta artificis, ex quibus ipse redditur impotens ad comparandum victum suo labore, tenetur qui accepit tantum restituere quantum ipse artifex lucraturus erat, ergo multo magis si percussit manum vel abscidit, tenebitur restituere. Neque argumentum Maioris aliquid valet. Quia si artifex ille vacat, hoc prouenit ex iniuria alterius & non ex ignauia propria, & idcirco in eiusmodi recompensationem habenda est ratio lucri cessantis, etiam in spe lucri futuri, vt D. Tho. ait ad quartum argumentum huius artic. & in art. 4.

Secunda conclusio. Si duo inuicem rixantes seipsos ad certamen prouocent, ita vt vterque libens ad certamen accedat, neuter tenetur alteri restitue-

A re prędicta incommoda. Probatur ex communi regula iuris, scienti & volenti nulla fit iniuria: & etiam ex testimonio, vulgari Arist. Nemo patitur iniustum uolens: sed in isto casu uterque consentit certamini, & cedit iuri suo voluntariè, saltim quantùm ad petendam restitutionem, ergo neuter tenetur alteri restituere quidquam. Maior explicata est à nobis sup. quęst. 50. art. 3. Hinc colligitur, quòd si alter percussus petat coram iudice satisfactionem, peccat contra iustitiam commutatiuam, & tenetur restituere si quid accepit à percussore.

Tertia conclusio. Si quis alterum prouocauerit ad pugnam, & ipse prouocatus descendit ad certamen solùm ex eo quòd aliter non potest effugere in-
B famiam, tunc prouocans tenetur ad restitutionem, si prouocatum percusserit: ipse autem prouocatus, si alterum percusserit, non tenetur ad restitutionem. Probatur prima pars, quia prouocator ipse iniuriã facit alteri, & quasi uiolentiam, ex qua postea sequitur damnum, ergo qui fecit iniuriam prouocãs, tenebitur tale damnum restituere. Secunda vero pars probatur, quia prouocans voluntariè cedit iuri suo, ergo nulla est illi facienda restitutio, quia ipse ultro uoluit se exponere tali periculo.

Sed est obiectio. Quando quis trahit alterum ad ludum per uim, ille qui tractus est, si forte lucrifaciat, non potest lucrum retinere apud se, magis quã ille qui traxit. Vterque enim tenetur ex æquo resti-
C tuere quod lucratur, ergo etiam in casu nostræ conclusionis uterque tenebitur alteri restituere, si læserit alterum. Respondetur negando cõsequentiam. Et ratio discriminis est. Quoniam tractus per vim ad ludum tenetur restituere ratione rei alienæ acceptæ, per quam ipse melioratur. At uero in casu nostræ conclusionis, lacessitus nihil alienum recipit, neque retinet apud se, cum alterum lædit: qui voluntariè se exposuit tali periculo: & ideo non est eadem ratio.

DVBITATVR sextò. Vtrùm qui læsit alterum in bonis corporis teneatur restituere hæredibus.

Arguitur primo pro parte negatiua. Quoniam ipse, qui percussus est, non tenebatur ex iustitia ale-
D re filios, uel hæredes, ita ut si non faceret teneretur restituere, ergo neque ille qui percussit, uel interfecit tenebitur restituere hęredibus. ¶ Arguitur secundò. Qui sine dolo & sine ui abduxit religiosum à monasterio, diximus quòd non tenetur restituere conuentui vtilitatem illam, quam monachus præstiturus erat. Eo quòd monachus non erat obligatus ex iustitia impendere suas operas in vtilitatem conuentus: sed tantum ex religione & obedientia, ergo simili ratione non tenebitur percussor in casu proposito.

Arguitur tertiò. Quoniam sequitur ex opposita sententia, quòd si quis occideret hominem debitis implicatum, quòd teneatur occisor restituere creditoribus, si propter mortem illius minus habeant,
E quàm habere illos oportebat. Sequela probatur, quia ipse defunctus tenebatur etiam ex iustitia soluere illa debita. Consequens autem nimis rigidum videtur: nemo enim obligat ad huiusmodi restitutionem.

SED in oppositum est, quòd qui læsit aliquem in bonis corporis tenetur restituere, sicut diximus in prima conclusione dubij præcedentis, sed hęres succecit in omne ius defuncti, ergo illi facienda est restitutio expensarum & damni emergentis, & lucri cessantis. Secundò. Omnes debitores, qui debebant defuncto, tenentur alterius generis debita restituere hęredibus V. g. si quid debebant ex mutuo,

tuo, vel emptione & uenditione, ergo etiam istud genus debiti ex percussione corporali contractum tenetur restituere hæredibus.

PRO decisione huius difficultatis notandum est, quòd hęredes sunt in duplici differentia. Quidam sunt qui dicuntur necessarij & legitimi, qui non possunt à testamento repelli: quales sunt filij & parentes, & inter hęc censetur uxor, quia pertinet intrinsecè ad ipsam familiam viri, quamuis non sit hæres, sed potius socia lucri. Alij uero sunt hęredes uoluntarij ipsi testatori, qui libere instituit illos in suo testamento, ut sunt extranei, amici, & fratres, & consanguinei: tametsi fratres & cõsanguinei succedant ab intestato, non tamen sunt necessarij hæredes, quia possunt repelli à testamento.

Hoc supposito sit prima conclusio. Hæredibus necessarijs & legitimis facienda est restitutio prędictorum incommodorum. Verbi gratia, si quis lęsit vel occidit patrem, tenetur alere filios & vxorem habita ratione conditionis ipsorum ad arbitrium boni viri. Intelligitur conclusio, quando filij & uxor minus habent ad sustentationem suam, quàm haberẽt uiuente patre familias. Hæc conclusio communis est Doctoribus. Sed Scotus ait, quòd etiam tenetur, qui lęsit, alere totam familiam. Quod nos quidem falsum reputamus, quoniam ratio restitutionis in eo fundatur, quòd filij & vxor non habeant minus ad honorem & decentiam sui status, quàm haberent, uiuente uiro, sed poterit contingere quòd filij & vxor non habeant opus tãta familia post mortem ipsius patris familias, ergo qui percussit non tenetur alere totam familiam, sed illam quæ necessaria est & decet ad sustentationem filiorum & vxoris honorificam. Et idcirco in eo quod diximus in conclusione quod teneatur sustentare filios & vxorem, includitur etiam familia necessaria ad arbitrium boni viri ad debitam sustentationem filiorum & vxoris. Probatur ergo conclusio. Quoniam hæredes necessarij & legitimi læduntur in bonis proprijs quando læditur is cuius sunt hæredes necessarij, sed ad restitutionem pertinet reparare læsionem, quæ facta est in bonis proprijs ipsius proximi, ergo talibus hæredibus facienda est restitutio. Ante-
D cedens declaratur. Quoniam pater respectu filij est ueluti quodam totum, & filius est ueluti pars. Item uir & uxor, sunt consortes & ueluti una caro, & ipso iure naturę parentes filios & uiri uxores alere tenentur, ergo huiusmodi alimenta sunt bona propria ipsorum. Idipsum dicimus de fama, quòd si iniustè ablata fuerit patri, restituenda est filijs & hæredibus necessarijs: quoniam una & eadem censetur fama uel infamia ipsorum. Imo addiderim obiter, quod attinet ad famam, quòd etiam si defunctus non habeat hæredes necessarios, locum habet restitutio ipsi defuncto: quoniam adhuc anima ipsa immortalis cum sit, habet ius ut non sinistrè de illa iudicetur à uiuentibus.

Secunda conclusio. Hæredibus non necessarijs non est facienda restitutio titulo alimentorum. Verbi gratia, occidit aliquis artificem, qui arte sua sustentabat hominem quem uoluntarie hęredem instituit: tunc dicimus, quòd non est facienda restitutio illi homini si nullas expensas fecit in curatione defuncti. Ratio est, quia tales hęredes non læduntur in bonis proprijs ex eo quòd lęsus est testator, ergo non est illis facienda restitutio. Antecedens probatur, quia tales hęredes neque sunt partes testatoris, neque ipse testator tenebatur iure naturæ illos sustentare.

Tertia conclusio. Fieri potest, vt alijs titulis de-

A beatur restitutio aliqua huiusmodi hæredibus, verbi gratia, si facta fuerat conuentio inter vulneratum & vulnerantem pro condonanda iniuria certo pretio pecuniarum, tunc illa pecunia reddenda erit hæredibus, etiam non necessarijs. Item si vulneratus ipse erat artifex, & accepto vulnere uixit per annum integrum, nec potuit exercere artem suam, tenebitur percussor restituere lucrum cessans hęredibus etiam non necessarijs, quia tenebatur ipsi defuncto. Hanc conclusionem probant argumenta facta in oppositum pro parte affirmatiua.

Hactenus dictum est de restitutione facienda hęredibus defuncti, sed de restitutione, quam debent facere hæredes percussoris sit quarta conclusio.

B Hęredes quilibet eius qui percussit tenentur restituere omnia damna quæ consequuntur in bonis fortunæ: si tamen defunctus reliquit bona ex quibus fiat solutio. Ratio est. Quia illa bona in quibus succedit hæres, sunt obligata ex iustitia ad reparanda damna, quæ dominus fecerat ex iniuriosa læsione. Hinc sequitur corollarium, quòd pater ut in plurimum quamuis sit necessarius hæres sui filij, non tenetur restituere damna quæ consequuta sunt ex eo quòd filius percusserit aliquem. Ratio est: Quia vt in plurimum ipse filius non habet bona quę pater acquirat de nouo, & in quibus succedat per obitum filij. Si tamen habuerit bona quæ dicuntur castrensia, fueritque iam emancipatus, tene-
C bitur pater restituere de illis bonis, sicut & alij hæredes. Diximus tamen in conclusione, restituenda esse damna, quæ consequuntur ex læsione: quoniam etiam si concederemus, quòd pro ipsa lęsione secundùm se fit aliquid restituendum ab ipso percussore, nihilominus hęredes illius non tenentur ad istam restitutionem. Et idem iudico de infamia cuius causa fuit pater, quòd non tenebitur filius hęres illam restituere. Et ratio est, quia vtriusque damni restitutio debetur ratione criminis personalis, at uero culpa patris uel testatoris non transit ad hęredem, & idcirco non tenebitur restituere illud quod pręcise respondet ipsi crimini & lęsioni iniuriosæ.

D AD argumenta in oppositum respondetur. Ad primum, quod pater quidem, vinculo charitatis & pietatis, quod est maius & fortius quàm iustitiæ commutatiuæ, tenetur alere filios, & ipsi filij habent ius naturale, vt sustententur à parentibus: & idcirco qui patrem occidit iniquè, impedit per iniquitatem ius filiorum, vt sustentarentur à parente: quapropter tenetur filijs restituere. Neque valet consequentia ista, quòd si pater non tenebatur ex iustitia commutatiua alere filios quòd neque etiam teneatur qui impediuit per iniquitatem ius filiorum ad huiusmodi alimenta. Quemadmodum enim licet Petrus non teneatur, nisi ex misericordia, dare eleemosynam, tamen qui impediuit per mẽdacium
E & iniquitatem pauperem ne recipiat illam eleemosynam, tenetur restituere ex iustitia commutatiua totam eleemosynam illam pauperi, sic etiam in illo casu, qui occidit patrem tenetur restituere filio.

Sed est obiectio. Si ipse pater prouocauerat percussorem ad certamen, impeditur etiam ius filiorum ad alimenta, & tamen non tenetur restituere illis, ergo non oritur restitutio ex eo quòd impeditur per iniquitatem ius alterius. Probatur consequentia. Quia ille prouocatus nihilominus iniquè occidit & uerè homicida est. Confirmatur. Quia etiam si pater prouocans videatur renuntiare iuri suo quantùm ad seipsum attinet, tamen non po-

test renuntiare iuri filiorum quod habetur vt sustentur à parentibus, ergo percussor adhuc teneretur restituere filijs si prædicta ratio valeret. Respondetur, quòd totum ius filiorum quantumlibet naturale quod habent vt alantur à parentibus, pendet nihilominus ex pietate patris, quam ipse tenetur exercere erga filios. Et idcirco quando pater renuntiat iuri suo, & voluntariè se exponit periculo mortis, petit consequenter ius filiorum contra percussorem, quoniam percussor tenebatur filijs quatenus tenebatur ipsi patri, eo quòd erant aliquid patris, qui licet peccauerit contra pietatem exponẽdo se periculo mortis imprudenter: potuit tamen de facto renuntiare iuri filiorum, quatenus erant aliquid sui.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd potius confirmat nostram sententiam. Etenim si monachus per fraudem aut vim abducatur, tenebitur qui abduxit restituere conuentui incommoda quæ sequuntur, vt iam dictum est à nobis, ergo similiter in nostro casu tenebitur ad restitutionem, qui per vim & iniustitiam læsit patrem, ipsis filijs, omnia incommoda quæ illis sequuntur ex læsione patris. Intelligimus autem cùm dicimus, qui per iniquitatem occidit uel percussit de iniquitate & iniustitia directè contra ipsum percussum commissa. Etenim si ipse uoluntariè se exposuit tali periculo prouocans alterum ad certamen, non est iniqua percussio respectu illius: quamuis sit iniusta & iniqua respectu reipublicæ, vel respectu Dei qui est dominus specialis vitæ.

Ad tertium argumentum ut respondeamus sit ultima conclusio. Qui occidit debitorem non tenebitur creditoribus restituere etiam si ipse non reliquerit bona ex quibus soluatur debitoribus, nisi forte interfecerit illum ea intentione: ut creditores non recuperent sibi debita. Probatur prima pars, quia nulla actio datur creditoribus contra huiusmodi homicidam in foro exteriori. At vero iudices fori exterioris sunt custodes iustitiæ, ergo certum signum est quòd interfector non tenetur ad talem restitutionem. Confirmatur, quoniam in foro pœnitentiario confessarij prudentes qui debent esse iudices obligationis conscientię nunquam interrogant homicidam an interfectus habuerit creditores: nec si habere cognouerint, obligant ad restitutionem ipsum pœnitentem, ergo etiam est signum certum quòd nulla est talis obligatio. Neque ualet obiectio quòd impeditur ius creditoris quod habet erga occisum sicut impeditur ius filiorum quod habebant erga patrem, ergo si tenetur restituere filijs tenebitur etiam restituere creditoribus. Respondetur etenim quòd non est eadem ratio, quoniam ius creditorum quod voluntariè acquirirur ea conditione acquiritur, vt maneat pendens à periculis vitæ & bonorum personæ debitoris. At uero ius filiorum ex natura rei inditum est illis, & debet esse tutum eo quòd in natura ipsa fundatur & non in libero aliquo contractu.

Secunda uero pars probatur ex communi regula iuris. Si tua culpa damnum datum est aut iniuria illata, iure te super his satisfacere oportet. Quæ regula sic intelligenda est de culpa contra iustitiam commissa. At verò, qui in fraudem creditorum occidit debitorem, peccat contra iustitiam, & apponit medium efficax ad damnificandos creditores, ergo tenebitur illis restituere.

Et denique si in foro exteriori probetur talis dolus aut fraus, dabitur actio creditoribus contra huiusmodi homicidam.

A DVBITATVR septimò. An ille qui vitiauit virginem teneatur restituere? Arguitur primò pro parte affirmatiua ex illo Exod. capit. 22. Si seduxerit quis virginem nedum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam & accipiet eam in vxorem. Quòd si pater virginis noluerit eam illi dare, dotabit eam secundùm quòd virgines accipere consueuerunt. Habetur iste tex. in cap. 1. & 2. de adulterijs. Et in Concilio Tridentino Sessione 24. in Decreto de reformatione matrimonij cap. 6. dicitur, quòd raptor virginis vltra pœnas excommunicationis & infamiæ quas incurrit, tenetur virginem arbitrio iudicis dotare, siue in matrimonium accipere.

B Arguitur secundò ex regula sæpe citata, si tua culpa damnum datum est, &c. Sed culpa stupratoris multa damna consequuntur tam patri quàm virgini in honore & in bonis temporalibus: quamdiu enim virgo est sub custodia parentum fit illis iniuria si corrumpatur, non scientibus illis. Item ipsa virgo præcipuam dotem habet virginitatem: qua amissa opus habet maiori dote, vt possit nubere secundùm statum suum.

Denique arguitur. Si mulier quæ amisit virginitatem, nubat viro ignoranti stuprum, nialè tractabitur, imò exposita ex periculo vitę & diuortij, ergo vitiator virginis qui tantorum malorum causa fuit tenetur ad restitutionem.

C In hoc dubio dissoluendo sunt varię sententię. Prima est quę uniuersaliter asserit stupratores teneri ad dotandam virginem, & accipiendam illam in vxorem, ita tenet Paludanus distinctione 15. quęst. 2. in 4. & alij quos refert Syluester in verbo luxuria, quæst. 5.

Secunda sententia est quę per oppositum asserit raptorem uirginis teneri ad dotandam illam duntaxat. Authores huius sententię refert Syluester ibidem: imò & Magister Soto uidetur esse huius sententię libro 4. de iustitia & iure, quęst. 7. artic. 1. ad secundum.

Tertia sententia est media quę habet, cum qui per vim vel dolum vitiauit virginem teneri ad dotandam illam uel ducendam uxorem. Eum autem D qui stupraui virginem uoluntariam, non teneri ad restitutionem aliquam.

Pro cuius rei intelligentia aduertendum est. Stuprum posse committi aliquando per vim & dolum, aliquando vero ipsa virgo sponte sua etiam præueniens virum consentit in stuprum vel etiam inducta uerbis amatorijs & blanditijs.

PRO decisione ueritatis sit prima conclusio. Si virgo omnino fuit uoluntaria vel inducens ipsa uirum amatorijs blanditijs, uel inducta sit ab ipso, nõ tenetur stuprator ad restitutionem faciendam neq; virgini neque patri. Quòd non teneatur uirgini, E probo, quia scienti & uolenti nulla fit iniuria, sed virgo voluntariè consensit, ergo non patitur iniuriam.

Confirmatur. Quia etiam si alicui abscindatur manus scienti & uolenti, non tenetur percussor ad aliquam restitutionem illi faciendam, ergo neque stuprator virginis consentientis, tenebitur ad aliquam restitutionem: sed hæc ratio procedit etiam si teneamus quòd ipsa virgo non est domina integritatis suæ magis quàm manus. Cæterùm existimo, quòd mulier est domina vsus illius membri, sicut aliorum, & quia talis vsus non est sine corruptione non peccat illa contra iustitiam si amittat virginitatem volens. Vnde hic non habet locum quod supra diximus ex aliorum sententia, quæstione 59.

ne 59. articulo. 3. pagina. 73. §. his suppositis. Videlicet, quòd quanuis in abscisione manus consentiat homo voluntate personæ, dissentit tamen voluntate naturæ. Etenim natura ipsa ordinauit membrum fœminæ ad illum vsum, ergo si adest voluntas personæ, nullum est inuoluntarium in apertione membri fœminei. Quòd verò non teneatur patri restituere, probatur. Quia ipsa virgo non tenetur ad aliquam restitutionem patri faciendam: ergo neque stuprator. Probatur consequentia. Quia ipsa virgo est causa principalis illius damni, ergo si illa non tenetur quæ est causa principalis, non tenebitur stuprator restituere qui est causa minus principalis. Confirmatur. Nam si virgo contra patris voluntatem nupserit, vale matrimonium nec tenetur patri quicquam restituere ipsa: neque vir illius, ergo etiam qui admiserit stuprum cum illa volente, non peccat contra iustitiam, neque ipsa neque stuprator: sed contra castitatem.

Prædicta conclusio intelligenda est quantùm ad læsionem integritatis & damna temporalia consequuta. At verò quantùm ad honorem ablatum ab ipso patre dicimus, qnòd tenetur stuprator restituere illum honorem patri quantùm fuerit sibi possibile in eodem genere ad arbitrium boni viri.

Secunda conclusio. Qui per vim aut fraudem stupraui virginem, tenetur restituere & virgini & patri omnia damna quæ consequuta sunt ex stupro, tàm in honore quàm in bonis temporalibus. Hæc conclusio probatur ex dictis de restitutione facienda pro læsione corporali: & argumentis factis in principio huius dubij. Quæ conclusio mea sententia non solùm habet locum in raptore, sed etiam in alijs qui verbis fraudulentis & mendacibus decipiunt virginem. v. g. si stuprator dicat ei, quòd non corrumpet eam: postea verò frangit fidem & integritatem virginis stultè confidentis.

Tertia conclusio. Si quis sit nimiùm molestus extraordinarijs diligentijs solicitans virginem adhuc repugnantem: & illa tandem victa non dolo aut fraude succumbat: tenetur ad restitutionem & virgini & patri vtriusque damni in honore & in bo nis temporalibus. Ratio huius assignatur à viris D prudentibus: quoniam respectu fœminæ, huiusmodi solicitationes reputantur pro violentia. Vnde meritò in tali casu obligatur ad restitutionem huiusmodi stuprator. Et confirmatur. Nam si quis ex industria adhiberet aliqua media quibus ipsa virgo excitaretur ad passiones vehementes luxuriæ: vt illa consentiret in stuprum faciliùs, procoldubio videtur teneri ad restitutionem damni: quia quanuis illæ passiones augeant voluntarium, tamen diminuunt liberum. Et cùm hæc diminutio proueniat ab extrinseco qui fraudulenter excitat illa passiones, non est quare non obligemus illam ad restitutionem, ergo similiter tenebitur restituere qui extraordinarijs solicitationibus attraxit virginem ad stuprum. Quænam autem sint istæ extraodinariæ so- E licitationes, relinquimus arbitrio boni viri. Neque enim arbitror dona etiam maxima, quæ voluntariè accipiuntur à virgine inter huiusmodi extraordinarias solicitationes esse numeranda. Ratio est. Quoniam ipsa virgo ex cupiditate accipit, & non censetur violentiam pati, sed potius ipsa voluntariè aperit viam ad stuprum admittendum. Quidam tamen viri docti & prudentes in fauorem mulierum, iudicãt inter huiusmodi extraordinarias diligentias & solicitationes, preces affectuosas & importunas, crebra suspiria, & amatoria carmina frequenter decantata, & alia similia. Alijs tamen metaphysicè considerantibus rem istam omnia hæc media videntur, multùm extrinseca, vt virgo dicatur violentiam pati. Et ratio est, quia hæc omnia voluntariè audit & paulatim afficitur ad libidinem, & tandem admittit voluntariè stuprum.

Arbitror tamen ego, si quę sunt solicitationes violentæ, eas esse in quibus ipse virgo repugnans incipit obtrectari per amplexus & oscula & tactus impudicos, per quæ omnia tandem virgo afficitur nimis & admittit voluntariè stuprum peccans. Ratio huius est, quia moraliter loquendo, quasi non potest se defendere: opus enim habet heroica virtute, vt vincat talem tentationem. Quapropter qui cõstituit virginem per talem antecedentem violentiam in tanto discrimine: tenebitur ad restitutionẽ perinde atque si violenter corrupisset. Et ratio huius est, quia quanuis mulier peccet admittendo stuprũ, tamen illud voluntarium admixtum ex cum iniurioso violento ex parte stupratoris, & hinc oritur ratio restitutionis. Sit exemplum. Si ego haberem facultatem excitandi tempestatem in mari, & sciens & prudens quòd mercator nauigans, vrgente tempestate, proijciet merces sua in mare, tenerer ergo restituere damnum illud etiam si mercator voluntariè proijciat merces in mare: quia illud voluntarium dicitur esse admixtum cum violento secundùm qui antecedenti. Sic etiam in nostro casu licet C virgo tandem voluntariè peccet: tamen propter violentiam antecedentem iniuriosè cõstituta est in illo discrimine, vt moraliter loquendo vix possit non consentire. Idem dicimus si virgo per fraudem & dolum ducatur ad locum vbi occultatur vir potens qui intendit cum illla stuprum committere.

Quarta conclusio. Quando stuprator est diues, è contra verò virgo nimium pauper, tenebitur ille iudicio prudentum ad aliquam restitutionem faciendam in pecunia pro dote vel pro parte dotis, etiam si non intercesserit aliqua violentia aut fraus: sed ipsa voluntariè consensit cum illo. Ratio huius est, quia inter huiusmodi personas meritò iudicatur aliquod pactum implicitum & interpretatiuum interuenisse. Quoniam similes virgines pauperes merito iudicant & humanam fiduciam habent, quòd tales viri dotabunt illas sicut solent facere similes viri.

Vltima conclusio. Quando stuprator secundùm prædicta documenta tenebitur restituere, non obligabitur à confessario ante iudicis sententiam integram dotem reddere. Sed obligabitur in foro conscientiæ ad restituendum damnum quod ex illa læsione consequutum est. Explicatur, ista cõclusio. Erat virgo quę habebat dotem mille aureorum, cum qua dote poterat nubere secundùm conditionem sui status. At vero amissa virginitate non potest nubere cum viro eiusdem qualitatis, nisi cum dupla aut tripla dote. Tunc dicimus quòd non opus est vt stuprator reddat integram dotem: sed sufficit quòd reddat excessum necessarium ad supplendum damnum consequutum ex corruptione virginis. Si autem condemnetur à iudici in foro exteriori in pœnam delicti, tunc tenebitur etiam in foro conscientiæ stare sententiæ iudicis. Quemadmodum enim pro lęsione corporali non tenetur percussor restituere quicquam pro abscisione ipsa membri secũdùm se, quanuis teneatur ad damna quæ consequuta sunt ante sententiã iudicis. Ita dicimus de læsione corporali integritatis virginis quòd non tenetur stuprator ante sententiam iudicis, nisi ad damna quæ consequuta sunt.

Ex dict is sequitur, quomodo possit accipi iudiciũ ad definiendum, an teneatur quis restituere mulieri iam antea corruptæ. Etenim quando non est facienda restitutio virgini, multò minus mulieri quæ inuenitur corrupta. Si autem per vim accesserit vir ad mulierem corruptam, tenebitur ad omnia damna quæ consequuntur ex illo accessu, tam in honore quàm in bonis etiam temporalibus. Item si vir habens infirmitatem contagiosam, accesserit ad mulierem ignorantem illam infirmitatem, etiam volentem copulam illam fornicariam, tenetur soluere & restituere: si illam infecerit, expensas, scilicet, curationis, & alia damna emergentia, & lucra cessantia: nisi fortè fuerit mulier omnibus exposita venientibus ad illam. Tunc enim ipsa se exponit voluntariè tali periculo. Sed nihilominus si illa interrogauerit virum, an ipse habeat infirmitatem contagiosam, tenebitur restituere si illam deceperit. Quòd si mulier corrupta conceperit ex viro, etiam si ipsa voluntarie consenserit in fornicatione, tenebitur vir procurare fœtum ipsum, & nutrire & alere filium: non quidem ex obligatione iustitię commutatiuæ, sed ex iure & pietate naturali in ordine ad filium. Si autem inuitam uel per fraudem & dolum impregnauerit illam, tenebitur ex iustitia commutatiua respectu mulieris: quoniam consideratur ipsa conceptio & partus & nutritio prolis tanquam damnum consequens actionem iniuriosam.

IAM ad argumenta in oppositum respondetur, quòd testimonia illa planè intelliguntur quãdo per vim aut fraudem corrumpitur virgo: & tunc adhuc non tenebitur stuprator soluere pœnam legis pro delicto impositam, ante sententiam iudicis: sed tantum illud damnum tenebitur restituere, quod reuera consequutum est.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd si virgo libens consensit in stupro, non est digna nubere viro sibi compari. Si autem pater uoluerit honorifice illam locare, ipse debet adijcere ad dotem, non autem ipse stuprator. Si autem ipsa virgo inuoluntariè corrupta est, iam diximus quòd tenebitur stuprator ad damna.

Ad tertium respondetur, quòd omnia illa damna quæ consequuntur stuprum virginis quæ liberè voluit stuprum, erunt sibi imputanda. Si autem per vim aut fraudem corrupta fuerit, iam diximus in secunda & tertia conclusione qualiter tenebitur stuprator ad omnia illa damna quæ consequuntur.

DVBITATVR octauo & principaliter circa restitutionem faciendam de fama & honore. De qua re D. Tho. nos docet in solutione ad secundum & tertium argumentum breuiter & compendiosè.

Dubitatur itaque, Vtrum qui infamauit teneatur ad restitutionem.

Arguitur primo pro parte negatiua. Qui falsum crimen imponit proximo, infamat illum: & tamen non semper tenetur restituere, ergo non semper est regula certa, ꝙ infamator tenetur restituere. Probatur minor in multis casibus. Primò quidem, quando is cui crimen imponitur nihil æstimat. v.g. si imponatur falsum testimonium viro illustri & seculari, quòd lacessitus ab altero interfecit illum. Similiter si dicatur de milite quòd stuprauit virginem. Alter casus est, si is cui crimen falsum imponitur, est aliàs infamis in illo genere peccati. V.g. si dicatur de publico vsurario, quòd heri dedit pecuniam suã ad vsuram, quam tamen non dedit. Tertius casus est, quando is qui crimen imponit habetur mendax & vir nullius fidei Sed dicet aliquis & merito, ꝙ

A in istis casibus reuera non læditur fama, & idcirco non est obligatio ad restitutionem.

Arguitur secundo & replicatur. Reus qui in iudicio accusatur de vero crimine contra iuris ordinem, si interrogatus etiam iuramento, negauerit se commisisse tale crimen, infamat accusatorem; habebitur enim ille tanquam criminator, & tamen non tenetur restituere, ergo. Item testis qui per errorem inculpabilem testificatur in iudicio, quòd Petrus commisit graue crimen, quod reuera non commisit, infamat illum, & tamen non tenetur restituere, etiam si postea cognouerit se falsum dixisse, ergo. Item iudex qui pronuntiat sententiam secundùm
B allegata & probata cõtra ipsum innocentem quem scit esse innocentem, scientia priuata, infamat reuera illum, per suam sententiam: & tamen non tenetur restituere, ergo. Sed tamen adhuc respondebit aliquis, quòd in istis casibus læditur fama: sed tamen iuste aufertur.

Arguitur tertio & replicatur contra hoc. Si vir illustris & cuius fama utilis est reipublicę infamet hominem plebeum, non tenetur restituere illi famam, quam tamen iniuste abstulit, ergo. Probatur minor. Quia si vir ille dicat se falsum dixisse aut iniquè egisse contra proximum infamabitur ipse, ex cuius infamia sequitur damnum communitatis: pręterquam quòd ipse cum maximo suo detrimento
C restituit famam minimi valoris, ergo non tenetur restituere.

PRO decisione huius difficultatis sit prima conclusio uniuersalis. Omnis qui infamat proximum tenetur restituere illi famam & omnia damna quæ consequuntur ex infamia illius. Ista conclusio explicatur, & aduertendum est quòd propriè loquendo infamare, non est quomodolibet auferre famam proximi etiam inuito domino, sed auferre illam iniustè & iniquè prout prohibetur in 8. Decalogi precepto. Quemadmodum etiam qui accipit rem alienam, etiam inuito domino, non furatur si non faciat contra iustitiam. Vnde in extrema necessitate licitum est accipere res alienas, etiam inuito domino. Illa acceptio non dicitur furtum: & idcirco in
E casibus commemoratis in primo & secundo argumento, non est infamia proprie loquendo ex parte illorum, qui videntur auferre famam. Conclusio sic explicata communis est omnibus doctoribus. Et ratio est manifesta, quia omnis qui lædit proximum in aliquo bono contra iustitiam, tenetur restituere inquantum possit in eodem genere boni: sed fama est maximum bonum hominis, ergo qui læsit debet restituere illam. Similiter, si quæ damna consequuntur infamiam. v. g. Si infamatus propter infamiam priuetur episcopatu quem habebat vel quem habiturus erat, uel alia quauis dignitate: tenebitur infamator restituere omnia illa damna. Ratio hęc manifesta est ex his quę diximus in du-
E biijs precedentibus. Sed maior difficultas est in modo restituendi famam. Et quidem quando per mendaciũ quis abstulit alicui iniquè famam, manifestus est modus restituendi, quamuis difficilis. Vnde sit.

Secunda conclusio. Qui per falsitatem & iniquitatem abstulit famam proximo, tenetur illã restituere dicendo se mentitũ esse ex passione uel odio. Probatur conclusio, quia ille tenetur restituere famam, ut dictum est in prima conclusione, sed iste modus cõmodissimus est & ęqualis secundum iustitiã. Ergo tenetur illo modo restituere. Quemadmodum si quis fuit causa, ut proximus amitteret centum ducatos tenetur ipsos à seipso auferre & reddere illi.

Ergo

Ergo non minus tenetur qui iniquè infamauit & per mendacium illo modo restituere, etiam auferẽdo à seipso famam & reddendo illi. Sed maxima difficultas est quando dicendo veritatem reuelauit ali quis crimen occultum ex quo iniquè infamauit proximum, vnde sit.

Tertia conclusio. Multiplex modus assignatur à doctoribus ad restituendam famam in prædicto casu. Primus est quem ponit Diuus Tho. in solutione ad secundum. Videlicet, quòd infamator dicat, se iniquè egisse sicut malum Christianum. At verò modus hic intelligendus est sufficere, quando per illum efficaciter restituitur fama. Sed tamen raro hoc continget, nisi forte apud rusticos & vulgares homines. Etenim mediocriter instituti homines in
B telligent per illa verba verum esse quod ille dixerat: & magis confirmatur infamia proximi. Quapropter secundus modus est, quòd apertè dicat se mentitum esse. Et quando obijcitur, quòd qui isto modo restituit mentitur de nouo, at vero dicit Diuus Tho. quòd nullo modo debet dicere mendacium: respondent, qui sequuntur istum modum dicendi, videlicet, quòd mendacium dupliciter accipitur. Vno modo speculatiuè prout distinguitur contra verum speculatiuum. Altero vero modo practicè, prout distinguitur contra verum practicũ. Et quia hoc nomen mendacium seu verbum mentiri, est amphibologicum: dicunt quòd tenetur infamator vti verbis amphibologicis ad restituendam famã proximi, & vti illis vero sensu: licet audientes accipiant in alio sensu. Et ita ille verum dicit, cùm ait se mentitum fuisse. Quia profectò mentius est practicè: dixit enim mendacium practicum contra proximum.

Pro explicatione huius aduertendum est, quòd verum practicum dicitur illud quod confirmatur appetitui recto. Et ratio est, quia recti tudo appetitus desumitur ex regula rationis, in qua est formaliter verum, siue specularium quod conformatur rebus ipsis, siue practicum quod ordinatur ad rectitudinem appetitus. Atque ita Iacob quando accessit primò ad Liam putans esse vxorem suam, habuit quidem dictamen, hæc est mea vxor, accedẽ-
D dum est ad illam, quod erat speculatiuè falsum, sed practicè verum erat. Sic etiam dicunt, quòd omnis qui peccat, mendacium facit. Et omne peccatum est mendacium practicum: quia non conformatur appetitui recto. Hic modus dicendi conformatur valdè cum modo dicendi sacrarum literarum. Legimus enim in Psal. 4. dictum peccatoribus, Vt quid diligitis vanitatem & queritis mendacium. Vbi nomine mendacij non intelligitur solùm peccatum quod committitur in falsitate verborum: sed omne peccatum quod est mendacium practicum. Similiter & illud, Omnis homo mendax. Quod habetur Psal. 115. Similiter nomine veritatis intelliguntur omnia opera virtutem. V.g. Omnia manda
E ta tua veritatis Psalm. 118. & Ioan. 3. Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestetur opera eius Et alias sæpe in Sacris literis inuenitur iste modus loquendi, vt veritas accipiatur pro operatione virtutis: & mendacium pro operatione vitiosa. Nihilominus modum istum loquendi & restituendi famam improbant aliqui viri docti. Primò quidẽ, quia duæ contradictoriæ non possunt simul esse veræ, sed in illo casu hæc est vera, ego non sum mẽtius. Ergo illa est falsa: ego sum mentius. Sed hoc argumentũ est puerile. Respondetur enim, quòd est æquiuocatio in verbo mentiri, siue in ipso nomine mendacij. Et propterea non sunt contradictiorę.

A Secundum argumentum est contra istum modum restituendi famam. Nam sequitur ex ista doctrina, quod confunditur modus restituendi famã, quando per impositionem falsi criminis ablata est cum modo restituendi, quando per reuelationem veri criminis iniquè ablata est. Hoc autem est maximum inconuenientes & duplex. Primo quidem, quia videtur fieri iniuria per istam doctrinam homini infamato per impositionem falsi criminis: quoniam audientes restitutionem, per illum modũ loquendi non distinguent, an in rei veritate infamatus fecerit tale crimen vel non: quia ille modus loquendi indifferens est ad utrumlibet. Secundum inconueniens est quoniam qui infamauit imponẽ-
B do falsum crimen magis peccauit quam ille qui infamauit dicendo veritatem reuelando crimen verum iniquè: ergo ad maiorem restitutionem tenetur. Sed respondetur ad hoc argumentum, concedendo sequelam, quod idem erit modus restituendi. Et ad primũ inconueniens respondetur, quòd cæteris paribus non magis lædit in effectu, qui infamatur per impositionem falsi criminis: quam qui infamatur per reuelationem iniquam veri criminis. Restitutio autem respondet & tantum obligat secundum damnum illatum. Ratio huius est, quia non minus habet ius ad bonam famam in republica peccator occultus, quam innocens, & ita non grauius lædit infamator per impositionem fal-
C si criminis, quam per reuelationem veri criminis: vnde non minus peccat contra iustitiam iste quam ille. Et ad secundum inconueniens respondetur ꝙ quanuis magis peccet impositor falsi criminis, quã reuelator iniquus veri criminis: tamen illa minor grauitas non est contra iustitiam, sed contra veritatem quapropter circunstantia illa non est mortaliter agrauans supra peccatum iniustitiæ quod cõmittit destruens famam proximi. Etenim mendacium ex genere suo peccatum veniale est: fit autem mortale quando est perniciosum, non igitur ex maiori grauitate peccati colligitur maior restitutio facienda, sed ex maiori damno illato.

Tertium argumentum est contra eundem mo-
D dum restituendi. Videtur enim durissimum vt homo qui verum dixit saltim speculatiuum, obligetur vt retractet quod dixerat: est enim maxima infamia præsertim apud Hispanos quòd aliquis retractet quod affirmauerat: magis enim manet infamatus quam si ipse committeret adulterium quod ipse imposuit vel reuelauit. Respondetur quòd in præsenti solum contendimus quòd isto modo absque mendacio potest fieri restitutio: tamen aliquando secundum regulas prudentiæ nòn erit licitum vel obligatorium vt illo modo restituẽdi: aliquãdo vero erit licitum & iustum. De qua redicendum erit aliquid in solutione ad tertium.

Tertius modus restituendi in eodem casu est, vt
E infamator non amplius verbum faciat de illa infamia: sed procuret prudenter vt sepeliatur & oportunitatem nactus loquatur bene & honorifice de illa persona infamata. Sed cauendum est ne huiusmodi loquutio videatur affectata & ordinata ad restitutionem illam, tunc enim magis nocebit, & magis confirmabuntur audientes, verum esse crimen quod ille reuelauerat.

Quartus modus mihi certus & conuenientissimus est ad restituendam famam, vt qui per falsitatem infamauit hominem, dicat & iuret si oportuerit, ego iniquè & nesciens quidquam mali illius hominis propter vindictam aut ex odio dixi crimen illud de illo, aut forte, quòd per ignorantiam illud

dixit

dixit: sed iam cognita veritate, remordente conscientia, restituit illi honorem & famam suam. Probatur, quia nescire & ignorare est verbum vsitatum in hac significatione, videlicet, vt aliquis dicatur nescire quod non scit ad reuelandum, vt receptum est apud omnes Theologos. Et ita intelligunt illud quod dixit Christus Dominus Marci cap. 13. De die illa nemo scit neque filius hominis, hoc est ad reuelandum. Alias enim de fide est quòd Christus Dominus inquantum homo cognoscit diem iudicij. Ita etiam possumus intelligere illud Psalm. 68. Deus tu scis insipientiam meam, hoc est, quia Christus non sciebat practicè peccata. Diximus autem esse conuenientissimum modum, quia nemo impositor criminis potest ab illo excusari, siquidem cum minimo suo detrimento potest restituere famam alienam.

Quarta conclusio. Quotiescunque infamatus recuperat famam quamcunque via siue per seipsum siue in iudicio publico, excusatur iam infamator à restitutione. v.g. Si infamatus inductis testibus probauit falsum esse testimonium quod de se dictum est. Item si infamia propter temporis diuturnitatē obliuioni data est. Sed in hoc casu aduertēdum est, quod quando fuerit aliquod dubium declinandum erit in fauorem innocētis. Probatur ergo conclusio sic explicata. Restitutio fit ad reparandam læsionē secundum iustitiam commutatiuam: sed quoties aliquis alia via reparauit suam famam iam cessauit læsio, ergo. Confirmatur exemplo. Nam si Petrus aliqua via recuperauit rem furto ablatam, non tenebitur fur ad restitutionem ipsius, ergo similiter non tenebitur infamator in nostro casu: nisi fortè infamatus fecerit expensas in recuperanda fama.

Vltima conclusio. Si postquam aliquis infamauit iniquè proximū, ipse proximus alias publice infametur de eodem crimine: non tenebitur prior infamator restituere famam illius, quanuis tenebitur ad omnia damna quæ in famatus passus est propter infamiam medio illo tempore ante publicam infamiam. Et ratio est manifesta, quia prior infamator fuit causa illorum malorum. Quod si publica infamia ortum habuit non casualem sed radicalem ex priori infamia: tenebitur infamator ad restitutionē publicæ infamiæ: sed forte excusabitur quia non potest resarcire tantum malum. Si autem casualiter ex priore infamia orta est publica infamia, non tenebitur prior infamator ad restitutionem: quia non est in culpa publicæ infamiæ, sed ipse infamatus propter suam indiscretionem fuit causa publicæ illius infamiæ, quia. v.g. ipse plus nimio conquerebatur publicè de infamatore.

Ad argumenta in oppositum respondetur facile iam ex dictis. Ad primum optimè dictum est ibidem, quod in illis casibus nulla est infamia.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd in illis casibus non est propriè infamator, quanuis auferat famam: quia non aufert illam iniustè. Cæterùm non est huius loci perfecta examinatio illorum casuum: sed primum discutiemus in quæst. 69. Secundum verò in quæst. 70. in solutione ad tertium. & in quæst. 77.

Ad tertium argumentum respondebitur dubio sequenti.

DVBITATVR ergo. Vtrùm cum detrimento propriæ famæ teneatur infamator restituere famam alienam? Respondetur & sit prima cōclusio.

Prima conclusio affirmatiua. Probatur ex definitis in præcedenti dubio: quoniā in illis omnibus ferè modis quibus diximus famam esse restituendam

A includitur aliqua infamia ipsius restituentis: sed illi modi sunt conuenientes & necessarij: ergo non obstante infamia restituentis debet restituere. Confirmatur simili exemplo. Restitutio pecuniarum facienda est cum detrimento sui proprij census, vt patet menifestè in eo qui fuit causa incendij domus alienæ: ergo similiter contingit in restitutione famæ.

Hinc sequitur vnum collarium, quòd restitutio famæ facienda est cum detrimento proprij census si opus fuerit. Explicatur hoc. Tenetur infamator adhibere aliquas diligentias. v.g. vocare testes ad ad restitutionem famæ, tunc dicimus quòd si fuerit necessaria pecunia ad istas diligentias tenetur illas expendere. Probatur corollarium, quoniam res inferioris ordinis debent ancillari rebus superioris ordinis. Sed census est inferioris ordinis respectu famæ, ergo qui tenetur restituere famam debet adhibere pecunias si necessariæ fuerint ad media necessaria ad restitutionem. Confirmatur, quoniam qui læsit alterum in bonis corporis vulnerando illum, tenetur expendere pecunias necessarias ad curationem vulneris: ergo qui læsit alterum in ipsa fama: tenebitur adhibere pecunias necessarias ad media apta restitutioni.

Secunda conclusio. Quoties infamator ex ipso modo restitutionis incurrit magnum detrimentum sui honoris: non tenetur restituere famam quę non erat magni momenti. Explicatur cōclusio. Vir illustris qui in republica infamauerit plebeum, si restituat illi famam, quæ non est magni momenti omnibus pensatis, amittit vir illustris plurimum honoris in republica. Dicimus ergo quòd infamatus est irrationabiliter inuitus, si velit sibi fieri restitutionem: ergo alter excusatur à restitutione. Probatur antecedens, quoniam irrationabiliter vult aliquis, quòd proximus suus subeat magnum detrimentum propter modicum commodum suum: sed ita contingit in tali casu si plebeius vellet sibi fieri restitutionem, ergo illustris excusabitur.

Confirmatur exemplo & similitudine. Si quis vellet, quòd proximus, restitueret sibi paruam quantitatem pecuniarum cum magno detrimento sui census, irrationabiliter vellet talem restitutionem fieri sibi, & debitor excusaretur pro tunc, ergo similiter contingit in nostro casu. Sicut enim se habet parua pecunia ad multam, ita se habet parum famę & honoris ad plurimum.

Confirmatur secundo, quoniam si vir illustris aut Prælatus subdito contumeliam fecerit: non tenetur restituere cum detrimento autoritatis prælatæ. Iuxta id quod dixit August. in regula loquens cum Prælatis, si etiam modum vos excessisse sentitis non à vobis exigitur vt à vobis subditis venia postuletis: ne apud eos quos oportet esse subiectos dum nimium seruatur humilitas regendi frangatur autoritas. Ergo in casu in quo alius æqualis teneretur petere ueniam: non tenetur superior propter decentiam status sui. Ergo simile quid continget in nostro casu. Quoniam decet ad autoritatem & bonam gubernationem reipublicæ, quòd illustres habeant honorem integrum apud vulgus. Hic autem honor non conseruaretur, si in omni euentu in quo alter æqualis teneretur restituere famam cum detrimento propriæ famæ: tenerentur etiam illustres ciuitatis cum detrimento suæ famæ restituere, quæ est maximi valoris & vtilitatis in ipse republica. Obseruandum tamen est, quòd tanta potest esse infamia hominis plebei, vt quantumliber illustris sit læsor teneatur restituere cum detrimento

propriæ

propriæ famæ. v.g. Si imposuit illi crimen læsæ maiestatis vel hæresis.

Ista conclusio sic à nobis explicata asseritur à Magistro Soto supra art. 3. ad 4. Contrariam tamē tenet Nauarro in suo Manuali. cap. 18. nu. 47. Neque tamen ille affert aliquam rationem contra nostram conclusionem: sed duntaxat intendit infirmare nostrum simile de restitutione pecuniarum. Ait enim quòd est duplex differentia. Prima quidem, quòd restitutio famæ semper fit cum detrimento propriæ famæ, ergo illa non oportet obseruare an restituens amittat famam suam. Cæterùm in pecuniæ restitutionem non semper interuenit detrimentum proprij census. Secunda differentia est, quoniam magna iactura proprij census in restituendo alienum, non tollit in perpetuum obligationem restituendi, sed prorogat tempus restitutionis: at vero in nostro casu & assertione videmur tollere obligationem restituendæ famę in perpetuum. Igitur non est simile exemplum ad rem præsentem. Nihilominus respondetur, quòd istę differentiæ nuliatenus infirmant nostrum simile. Et ad primā differentiam dicimus, falsum esse quòd restitutio famæ semper fiat necessario cum detrimento propriæ famæ, præsertim cum notabili detrimento. Et enim in tertio & quarto modo restituendæ famæ qui explicati sunt in tertia conclusione dubii præcedentis: nulla omnino aut certè leuis est infamia restituentis. Respondetur secundo, quòd quanuis semper fieret restitutio famæ cum detrimento propriæ famæ, non autem restitutio census fiat cum detrimento proprij census: tamen adhuc conueniunt istæ restitutiones in hoc, quòd cum maximo detrimento restituentis & paruo eius cui fit restitutio cessat obligatio. Ad secundam differentiam dicimus nos æquale esse iudicium vtriusque restitutionis, quātum ad hoc quòd ad tempus vel in perpetuum cesset obligatio. Etenim si speratur futurum tempus in quo illustris qui infamauit possit plebeio minimo detrimento restituere, vel certè ipse infamatus æquale detrimentum patiatur: non excusamus illustrem in perpetuum ab illa restitutione facienda. Sed prorogamus tempus restituendi. Quod si nunquam illud tempus venerit, excusabitur in perpetuum à facienda restitutione: quanuis ex radice iniuriæ factæ tenebatur restituere: quapropter nulla est differentia inter restitutionem census & famæ, quod attinet ad rem præsentem. An vero teneatur quis restituere famam cum vitæ periculo, dicemus infra artic. 6. ad secundum.

DVBITATVR decimo. Vtrùm quando fama non potest restitui in eodem genere boni, teneatur restituere illam infamator in alio genere bonorum, vt in pecunia vel orationibus.

Arguitur primo pro parte affirmatiua. Nam D. Tho. in hoc artic. ad 1. & ad 2. expressè dicit, quòd si infamator non potest famam restituere, debeat aliter ei recompensare.

Arguitur secundo. Cum opus est impendere pecunias ad restituendū in proprio genere. v.g. in adducendis testibus, diximus iam quòd tenetur infamator oēs pecunias necessarias ad talem finē expēdere: ergo multo magis tenebitur expendere pecunias pro ipsa fama immediatè quam non potest aliter restituere. Probatur consequentia, quoniam pecunia & census omnis, destinatur ad humanū honore & hominis tanquā inferius quid ad superius.

Arguitur tertio, Pecunia potest esse pretium famæ, licet fama sit superioris ordinis secundum suū genus: ergo poterit recompesari pecunia. Probatur

A antecedens à simili, quoniam licet aurum sit pretiosius argento secundum speciem suam: nihilominus adæquari possunt in valore adhibita magna quantitate argenti & diminuta auri. Ergo similiter adhibita multa quantitate pecuniæ, poterit esse iusta cōpensatio cum fama hominis vulgaris. Et confirmatur ex vsu, nā homines vulgares solent æstimare honore suum certis pecunijs: & ita acceptant restitutionem suæ famæ. Confirmatur secundo. Quoniā vir illustris vt diximus in dubio præcedenti tenetur cum maximo detrimento sui honoris famā restituere, poterit autem facile satisfacere parti læsæ numerando illi pecuniam: ergo obligandus erit vt hoc faciat.

B Quarto & vltimo arguitur omnibus argumentis quę supra fecimus contendendo quòd pro læsione corporali facienda est restitutio in alio genere bonorum? Propter quæ argumenta diximus probabilem esse sententiam illam. Ergo multo magis probabilis erit pars affirmatiua in isto dubio. Probatur consequentia, quia fama magis commensurabilis est cum pecunia, quam membra corporalia.

Sed in oppositum est, quòd qui non potest debitum pecuniarum soluere in proprio genere, non tenetur restituere in fama, vel honore, vel sacrificijs: ergo hæc genera bonorum non sunt commensurabilia adinuicem.

Arguitur secondo. Adulter qui infamauit virum accedendo ad vxorem alterius, non tenetur restituere illi in pecunijs illam infamiam quando in proprio genere non potest, ergo neque in præsenti casu.

Vltimo argumentari possumus omnibus argumentis, quibus supra ostendimus probabiliorem esse sententiam illam quòd non tenemur homini restituere lęsionem corporis secundum se in alio genere bonorum.

In hoc dubio dissoluendo sunt duæ extremæ sententiæ. Altera est affirmatiua ex glossa in c. ecclesia. titulo, vt lite pendente nihil innouetur, quam sequitur Scotus in. 4. dist. 15. & Soto vbi supra arti. 3. ad. 4. & Couar. libr. 1. Varia. resol. c. 2. nu. 8. & in repetitione regul. peccatum. 1. part. versic. sed & Altera sententia est negatiua, quam habet Sylvest. verb. detractio, quæst. 4.

PRO decisione huius dubij, sit prima conclusio. Si iudex per sentētiam imponat infamatori pœnā pecuniariam pro restituenda fama, vel etiam si cōueniant inter se infamatus & infamator de certa pecunię summa, vt infamatus cedat iuri suo: tenebitur infamator in conscientia reddere illam pecuniā. Hæc conclusio certissima est apud omnes. Et probatur, quoniam sententia iudicis iusta in foro exteriori & iusta pacta obligant in foro conscientiæ: sed huiusmodi sententia & pacta obligant in foro conscientiæ. Probatur minor, quia ad iudicem spectat ne delicta maneant impunita: potest igitur & debet in pœnam peccati contra iustitiam, punire & imponere illam pœnam in fauore partis læsæ. Item ipse infamatus habet ius agendi in iudicio contra infamatorem, ergo vt cedat iuri suo potest recipere pretium pecuniarum.

Secunda conclusio. Quanuis verosimilis sit pars affirmatiua huius dubij: tamen verosimilior est pars negatiua. Probatur, quoniam licet argumenta pro vtraque parte sint probabilia: tamen magis vrgent argumenta partis nagatiuæ.

Tertia conclusio. Vtraque sententia temperanda est à prudenti confessario. Etenim si commodè poterit infamator in pecunijs facere restitutionem, iniungat illi vt faciat. At vero si nō commodè potest

rest facere, vel nimium ægrè ferat dare pecuniam: non obliget illum vt faciat talem restitutionē: siquidem vtraque opinio probabilis est. Similes conclusiones posuimus supra in dubio de læsione corporali: fateor tamen quòd in præsenti dubio pars affirmatiua videtur mihi probabilior, quam pars affirmatiua alterius dubij de læsione corporali. Et hoc probat quartum argumentum, quod fecimus pro parte affirmatiua. Quapropter sit quarta conclusio. Quando infamatus est talis conditionis respectu infamatoris, quòd receptis ab illo pecunijs fit honorabilior in populo: tenetur infamator ad arbitriũ boni viri facere restitutionem in pecunijs. Probatur, quia tunc facit restitutionem in eodē genere; etenim honor & fama eiusdem ordinis bonorum sunt: sed pecuniæ considerantur in isto casu velut instrumenta ad restituendam famam in proprio genere: ergo sicut infamator tenetur expendere pecunias in adducendis testibus ad restituendam famã in proprio genere: tenebitur etiam expendere in isto casu, siquidem illis mediantibus restituitur fama in proprio genere. Et hæc est differentia inter læsionem corporalem membri & infamiam, quòd quantumlibet expendantur pecuniæ semper manet mutilatus: at verò infamia pecunijs interdum obruitur & suffocatur. Et idem est si læsio corporalis fuit contra salutem hominis reparabiliter tamẽ, tunc enim constat quòd læsor tenetur expendere pecunias ad reparandam salutẽ in proprio genere.

Ad argumenta in oppositum pro parte affirmatiua respondetur ad primum, quòd D. Thom. non est intelligendus de restitutione famæ secundum se in alio genere bonorum: sed de damnis consequuti ex infamia. Secundo respondetur, quòd D. Tho. potest intelligi quando pecunijs datis raparatur homo in honore & fama iuxta tenorem quartæ conclusionis.

Ad secundum argumẽtum negatur consequentia. Et ratio discriminis est, quoniam in casu antecedentis, pecuniæ ancillantur ipsi famæ, deseruiũt enim ad media quibus reparatur fama. At vero in casu consequentis pecunia non ancillaretur famæ sed esset mensura illius & dominaretur ei.

Ad tertium argumentum negatur antecedens. Et ad probationem respondetur, non esse simile conueniens de auro & argento. Etenim aurum & argentum sunt eiusdem ordinis mortaliter in humano conuictu: sunt enim bona vtilia extrinseca homini. At vero fama est superioris ordinis & debetur virtuti: quapropter nullo pretio potest commensurari, sicut neque ipsa virtus cui debetur honor & fama.

Ad primam confirmationem respondetur, iuxta doctrinam primæ conclusionis & quartæ. Licitum est n. homini pactum facere cũ infamatore, vt recepta pecunia cedat iuri suo: vel etiam quando mediantibus pecunijs ipsa fama & honor reparatur, tunc potest æstimari ad arbitrium boni viri quantum pecuniæ sit necessarium.

Ad secundam confirmationem respondetur, q̃ in illo casu æquum est vt vir illustris det pecuniam aliquam infamato iuxta moderationem tertiæ cõclusionis: etsi opus fuerit iuxta doctrinam quartę conclusionis.

Ad vltimum argumentũ respondetur, ex dictis in explicatione secundæ & quartæ conclusionis.

Poterat disputari in præsenti de restitutione quã tenentur facere hæredes infamatoris. Et rursus quibus hæredibus hominis infamati sit facienda restitutio. Sed tamen hæc difficultas per omnia definiẽda est determinanda, sicut supra determinauimus de hæredibus hominis qui læsit in bonis corporis alterum, & de hæredibus eis qui læsus est.

DVBITATVR secundo. Circa alium modum restituendi famam. Vtrum infamatur possit condonare famæ restitutionem: ita vt ipse infamatus & infamator maneant tuti in conscientia nulla facta restitutione.

In hoc dubio sunt duæ sententiæ. Altera est affirmatiua, quæ innititur huic principio, quòd homo est dominus propriæ famæ. Huius sententiæ est D. Antoninus in secunda parte titul. 2. capit. 2. §. tertio & Adrianus in 4. in materia de restitutione. Et quodlibet. 1. art. 1. Magister Soto vbi supra ad quartum. Et etiam lib. 5. de Iustitia & iure, quæst. 10. art. 2. Et in relectione de ratione tegendi secretum, membro. 1. d. quæstio. 5.

Altera sententia est negatiua, quæ innititur contrario fundamento, quòd homo non est dominus propriæ famæ. Hãc tenet Caietanus in summa verbo detractio & inf. quæst. 73. art. 2. & Ioan. Maior in quarto distin. 15. quæst. 16.

PRO decisione huius veritatis suppon amus ex tractatu de dominio, quòd homo est dominus suæ famæ: & nihilominus inquirimus an ex illo fundamento necessario colligatur non esse peccatum saltem ex genere suo mortale, condonare restitutionẽ famæ sine vlla rationali causa: sed potius sit quasi peccatum prodigalitatis sicut quando homo facit de suo quod vult absque rationabili causa. Pro cuius intelligentia aduertendum est, quod etiam si homo sit dominus proprię famæ: sunt tamen quidam qui habent propriam famam ex officio, & ex iustitia alijs obligatam, quales sunt prælati respectu subditorum & prædicatores respectu populi cui prædicant. Alij vero non habent obligatam famam suam alij saltim ex iustitia, quales sunt priuati homines.

Secundo notandũ est, quòd crimina quę infamãt homines sunt in duplici differentia. Quædam enim non infamant solum propriam personam Prælati, sed etiam infamant ipsos subditos personaliter: quæ sunt crimina in quibus subditi solent plerumque imitari prælatos, cuiusmodi est crimen hæresis. Etenim subditi solent sequi prælatorum doctrinam. Vt si episcopus esset hæreticus præsumerẽtur oues infectæ hæresi, ac proinde si prælatus notatur de hę resi notatur etiam de eodem crimine subditi. Alia sunt crimina quæ infamant tantum personaliter personam prælati, ex cuius infamia non sequitur subditos alia infamia, nisi quòd habẽt prælatum infamatum. Huius generis sunt crimina in quibus subditi non statim præsumuntur imitari prelatum: quale est peccatum inuidiæ & ambitionis.

His suppositis sit prima conclusio. Prælatus ex cuius infamia sequitur subditorum infamia primi generis: tenetur ex iustitia non condonare famæ restitutionem: ita quòd si remissio facta fuerit, nihil valeat. Probatur: prælatus non potest cedere iuri subditorum, quin potius ex officio & iustitia tenetur illud tueri: sed quando subditi notantur de crimine infamiæ propter infamiam prælati habent ius ad famam Prælati & ad propriam: ergo prælatus non potest condonare restitutionem propriæ famæ.

Secunda conclusio. Prælatus ex cuius infamia sequitur nõ quidem personalis infamia subditorum, sed solum secundi generis infamia: nihilominus ad huc tenetur ipse Prælatus non solum ex charitate, sed etiam ex iustitiæ titulo, non remittere restitutione

tionẽ, si modo in officio perseuerare vult. Et in hoc differt ista conclusio à prima. Quòd in casu primæ conclusionis, siue perseueret in officio siue non: tenetur ex iustitia non condonare famæ restitutionẽ.

Probatur ergo conclusio secunda. Prælatus tenetur ex officio strictiori vinculo charitatis, quam alij erga subditos: rursus tenetur etiam ex iustitia, docere subditos & bonum eius exemplum præbere & fraterna admonitionem corripere, & reliqua spiritualia officia impendere. At vero prælatus infamis etiam in crimine in quo solus ipse notatur, non potest hæc officia commodè præstare: ergo vera est conclusio. Probatur minor, ex vulgatissimo dicto Diui Gregorij, necesse est vt cuius vita despicitur, doctrina quoque & prædicatio cõtemnatur. Ex dictis sequitur corollarium, quòd infamator in casibus prædictarum conclusionum non manet tutus in cõscientia, etiam si infamatus dicat se remittere restitutionem suæ famæ: sed adhuc tenetur restituere ex iustitia.

Tertia conclusio. Persona particularis non peccat contra iustitiam si remittat propriæ famæ restitutionem. Probatur cõclusio, quia ille est dominus suæ famæ & non habet illam obligatam alteri ex iustitia: ergo ex nulla parte potest peccare contra iustitiam condonando restitutionem propriæ famæ.

Hinc sequitur corollarium, quòd infamator talis personę non peccabit contra iustitiam, si non restituat illi famam facta tali condonatione.

Quarta conclusio. Persona priuata non peccat mortale peccatum contra charitatem, etiã si absque rationali causa condonet propriæ famæ restitutionem. Hæc conclusio intelligenda est per se loquendo & quantum est ex parte obiecti, scilicet ex parte remissionis propriæ, id est ex parte remissionis famæ. Etenim ex parte circunstantiarum poterit esse mortale. Probatur conclusio sic intellecta, qui prodigit totum censum proprium non peccat mortaliter, quantum est ex parte obiecti, sed solum peccat peccatũ prodigalitatis quod ab vniuersis Theologis dicitur veniale ex obiecto: ergo similiter persona priuata quæ propriam famam etiam absque rationali causa remittit: non peccabit mortaliter sed venialiter tantum. Hæc conclusio est contra aliquos Theologos modernos, qui tenent esse peccatum mortale contra charitatem ex genere suo remittere restitutionem propriæ famæ absque rationabili causa, sed profecto non probant: Quoniam illorum argumenta solum efficiunt quod ex circũstantijs erit mortale peccatum. Quæ argumenta ponemus ad probandam quintam conclusionem. Sit igitur quinta conclusio. Ex circonstantijs sæpenumero erit mortale peccatum contra charitatem remittere propriæ famę restitutionem: imo vero quotiescunque est peccatum mortale talis remissio etiã contra iustitiam, prouenit ex circunstantijs: vt patet in prima & secunda conclusione, vbi propter qualitatem personæ quæ habet obligatam famam ex officio, efficitur mortale remittere restitutionem famæ. Probatur cõclusio. Fama vt plurimum necessaria est priuatæ personæ ad continendum ipsum hominem in officio virtutis: experimur enim q̃ homines infamati statim præcipites feruntur in vitia: quod etiam docuit D. Tho. supra. q. 33. art. 7. ergo absque rationabili causa remittere restitutionẽ propriæ famæ erit contra charitatem propriam sui ipsius, & mortale ex circunstãtia, quæ vt plurimum inuenitur in hominibus. Et propterea Sacræ literæ nos admonẽt. Curam habet de bono nomine: magis enim tibi proderit quam diuitiæ multæ. Et Apostolus alibi inquit, de cætero fratres quæcunque bonæ famæ facite, seu operamini. Deinde probatur conclusio. Peccare coram alijs frequenter, est peccatum mortale scandali contra proximi charitatem: sed multo magis præbet occasionem ruinæ qui scandalizat fratrem qui remittit huiusmodi restitutionem: est enim atque si coram oculis omnium peccatum illud quod sibi imponitur peccaret, ergo. Tertio est alia circunstantia, quod amicis consanguineis & familiaribus magna ac cedit infamia ex amici consanguinei & familiaris infamia: & obseruandum est in prædictis conclusionibus, idem esse quantum attinet ad infamatum, non curare de famæ restitutione, & remitere illam expressè, in quibus enim casibus erit mortale remittere de famam: erit etiam mortale non curare de famæ restitutione media conuenientia & ordinaria.

Hinc sequitur vnum corollarium, quòd infamator in casu præcedentis conclusionis, tenebitur saltim ex charitate restituere famam infamato etiam remittenti restitutionem expressè. Si autem non remittat expressè, sed solum patienter ferat, & non curet de restitutione, siue hoc faciat prudenter siue imprudenter: tenebitur nihilominus ex iustitia restituere illi famam. Quemadmodũ licet martyres patienter ferebant tormenta, & maximè voluntariè propter Deum: tamen Tyranni peccabant contra iustitiam torquentes illos. Ita licet infamatus vel propter Deum patienter, ferat, vel propter negligentiam suam, peccet non curando de bono nomine: nihilominus infamator tenebitur non solum ex charitate, sed etiam ex iustitia restituere illi famam: quia patientia infamati vel negligentia non debet fauere infamatori. Et propterea diximus in hac obseruatione, quòd quãtum ad infamatum, idem erat remittere & non curare: quia non est idem quantum ad infamatorem.

Sit iã sexta conclusio. Aliquando non solum nullum est peccatum remittere restitutionem famæ, vel non curare de illa: sed ẽt valde meritorium, videlicet quando fuerit rationalis causa secundum leges prudentiæ & charitatis: de quibus iudicant viri spirituales eruditi: doctrina & exemplis Sanctorum. Ratio huius conclusionis est, quoniam quanuis fama & honor sit optimum bonum temporale, tamẽ ordinatum est ex natura sua ad maius bonum, vel communitatis vel virtutis: sicut & ipsa vita pretiosissima exponitur periculis prudenter & sanctè propter huiusmodi maiora bona, ergo.

Deinde probatur exemplis Sanctorum, imo & Christi Domini: qui sæpe non curauit de infamia falsorum testimoniorum quæ aduersum se obijciebantur, vt patet coram Pilato, Iesus autem tacebat. Cuius etiam exemplo sæpe sancti tacuerunt, dum falsa crimina imponebantur eis.

Sed est vnum argumentum principale contra corollarium quod intulimus ex prima & secunda conclusione. Diximus in superioribus quòd si pater læsus in bonis corporis: remittat percussori non solum iniuriam sed etiam damna consequuta: non tenetur percussor restituere quicquam filijs neque tanquam hæredibus, neque titulo alimentorum ad quæ filij habebant ius, ergo similiter si prælatus condonet restitutionem propriæ famæ: non tenebitur infamator famam subditis restituere. Probatur consequentia. Quia sicut prelatus tenetur procurare suam famam pro gubernandis subditis qui sunt filij spirituales: ita etiam pater carnalis tenetur & seipsum & bona sua conseruare pro sustentatione filiorum: ergo eadem est ratio vtriusque casus.

Ad

Ad hoc argumentum respondetur, quòd non est eadem ratio sed est magna differentia, quonjam pater carnalis est totalis dominus bonorum suorum: quod si filij habent ius ad illa bona vt sustententur à patre: tamen istud ius fundatur non in iustitia commutatiua qua obligetur pater sustentare filios: sed fundatur in voluntate & pietate patris, qua tenetur alere filios, & idcirco remittente patre restitutionem illorum bonorum, factum tenet: quanuis ipse peccet contra pietatem. Quapropter non tenebitur percussor ipsius patris ex iustitia quidquam filijs restituere. At vero prælatus tenetur ex iustitia & ex officio defendere famam subditorum, & propriam famam habet obligatam ex iustitia ad bonam gubernationem subditorum. Ex quo sequitur, quòd si ex infamia prælati sequatur infamia subditorum: tenebitur infamator vtranque famam restituere. Quod si prælatus remiserit restitutionem quod ad se attinet: nihilominus infamator tenebitur restituere subditis famam suam, maxime in casu primæ conclusionis quando notantur subditi de eodem crimine, Nam in casu secundæ conclusionis, si prælatus dimittat officium, non tenebitur infamator vltra restituere quidquam subditis. Ex dictis potest colligi solutio aliorum dubiorum minorum, scilicet, Vtrùm qui infamauit seipsum teneatur sibi famam reparare? Respondetur, quòd si prælatus sit, tenetur ex iustitia reparare famam suam iuxta tenorem primæ & secundæ conclusionis: quoniam huiusmodi iustitia non consideratur in ordine ad se ipsum, sed ad subditos quibus prælatus tenetur ex iustitia commutatiua. At vero si priuata persona sit nunquam peccabit contra iustitiam quæ non est ad seipsum: poterit autem peccare contra charitatem sui ipsius, vel proximi mortaliter vel venialiter, vel tandem nullo modo peccare iuxta tenorem aliarum conclusionum supra positarum.

Secundo colligitur solutio alterius dubij, Vtrùm qui se inuicem infamauerunt possint sibi inuicem condonare famæ restitutionem. Dicendum enim est, quòd si prælati sunt non possunt condonare ad inuicem restitutionem, sed peccant etiam contra iustitiam ratione subditorum iuxta tenorem primæ & secundæ conclusionis. Si autem sunt personæ priuatæ, dicẽdum est de illis, iuxta tenorem aliarum conclusionum. Poterit autem contingere quòd quando duo ad inuicem se infamauerunt non sit æqualis vtriusque causa ita vt ambo æqualiter possint condonare restitutionem. Tertiò potest colligi solutio specialis difficultatis. Quomodo sit facienda honoris restitutio. Est enim honor eiusdem ordinis cum fama, & debetur virtuti secundùm se, sed differt à fama in eo quòd honor exhibitur præsenti fama vero est de absentibus proprie. D. Tho. in solutione ad tertium, dixit de restitutione honoris. Nos autem ponimus primam conclusionem, qui honorem per contumeliam abstulit vel quomodolibet alias, tenetur in eodem genere restituere, scilicet, exhibendo reuerentiam iuxta conditionem personæ. Secundo probatur ex illo ad Rom. 13. Reddite omnibus debita cui honorem honorem, &c. Probatur. Quoniam qui honorem abstulit, iniuriã fecit proximo contra iustitiam commutatiuam in re quæ in eodem genere restitui potest, ergo tenebitur in eodem genere restituere.

Secunda conclusio: Conuenientissimus modus & aliquando necessarius ad restituendum honorẽ, est veniæ petitio. Probatur ex doctrina August. in regula, melior est enim qui quanuis ira sæpe tenetur, tamen impetrare festinat vt sibi dimittat cui se agnoscit fecisse iniuriam: quam qui tardius irascitur & ad veniam petendam tardius inclinatur. Quibus verbis expresè satisfactionem pro conuitio & maledicto dicit esse venię petitionem. Et statim subijcit. Qui autem nunquam vult petere veniam aut non ex animo petit sine causa est in monasterio, etiamsi inde non proijciatur. Et hæc est communis sententia doctorum. Solus Caietanus infra quæst. 72. art. 3. videtur negare petitionem venię esse necessariam ad restituendum honorem. At vero ipsemet in opusculo. 17 responsionum, responsione. 13. puncto. 5. explicans locum citatum, sentit omnino nobiscum in hac conclusione. Verũ est tamen quòd sunt duæ exceptiones in hac nostra conclusione. Prima est quando prelatus fuit qui fecit iniuriam subdito in honore: iste enim non tenetur petere veniam iuxta doctrinam Diui Augustini, ne regendi frangatur autoritas: sed alia via potest honorare subditum. Idem dicimus de magistris respectu discipulorum, & de illustribus ciuitatis respectu vulgi proportionabiliter ad arbitrium boni viri. Secunda exceptio est, quando vsus patriæ & prouinciæ non admittit huiusmodi restitutionem honoris per petitionem venię: sed potius talis petitio reputatur & iudicatur noua iniuria. Tũc enim alia via suauior quærenda est, vt iniuriam passus recuperet honorem suum.

Diximus hactenus de restitutione facienda proleſionibus, tam in corpore, quam etiam in fama & in honore. Cæterum de ipsis læsionibus secundùm se in sequentibus dicendum erit. Præterea. Difficultas huius articuli est circa solutionem ad tertium, vbi D. Tho. agit de restitutione ab eo facienda, qui impedit aliquem à consequutione prebendę vel officij. Et quanuis dupliciter possit oriri obligatio restituendi in distributione harum dignitatum, videlicet vel ex parte distributoris qui iniquè diuidit atque distribuit, vel ex parte iniustè impedientis bonam distributionem: tamen in presenti, solũ facimus sermonem de obligatione restituendi qua tenetur impediens bonam distributionem. Nam de priori obligatione vniuersaliter agendum est in quæst. 63.

DVBITATVR duodecimo & vltimo in hoc articulo, Vtrum vniuersaliter omnis impediens iniustè, vel per dolum aut fraudem, alterum à consequutione officij vel beneficij, teneatur illi restituere?

Arguitur primo pro parte negatiua. Ad hoc quòd propriè dicatur restitutio, necesse est quòd aliquis sit deiectus a dominio vel possessione rei suæ, vt uerè dicatur restitui. Sed ille qui impeditur à consequutione eius quod nondum habet videlicet beneficij, non est deiectus à dominio vel possessione rei suæ: ergo qui impediuit non tenetur restituere.

Secundò arguitur. Qui per fraudem aut dolum impedit dignum à consequutione beneficij vt prebenda detur digniori, non tenetur restituere, & tamen iniustè impedit videlicet per fraudem & dolum, ergo illa non est vniuersalis regula. Maior videtur esse doctrina D. Tho. in solutionem ad tertium, vbi docet quòd qui impedit dignum à consequutione beneficij propter bonum Ecclesiæ, vt detur digniori: non tenetur restituere quidquam. Confirmatur. Quoniam animus impedientis bene vel male affectus, nihil confert ad rationem iniustitiæ: sed pertinebit affectus ille ad charitatem vel ad odium proximi. At vero obligatio restituendi pensatur ex iniuria & damno dato, ergo nihil refert quòd impediens intendat bonum ecclesiæ vel non intendat: vt teneatur restituere præbendam: quamuis alias tenebitur ad restitutionem famæ si infamauit eum, vt impediretur à consequutione beneficij.

Tertio arguitur. Ipsemet oppositor qui petit beneficium simul cum alijs candidatis siue oppositoribus concurrentibus, quos ipse cognouit esse digniores se, impedit iniuste alios digniores à consequutione prebendæ: & tamen si sibi conferatur præbenda non tenebitur ad vllam restitutionem faciendam: ergo non est vniuersalis regula. Minor probatur ex communi consensu & vsu omnium. Maior autem probatur. Quia ille inducit electores in hunc errorem vt existiment se digniorem esse cæteris, ergo.

Quartò arguitur, & intendimus probare ꝙ saltẽ qñ solis precib. induxit aliquis electores vt conferant beneficium minus digno vel certè indigno: non teneatur ad restitutionẽ digniori vel digno impeditio ad consequutionem beneficij. Est argumentum à simili. Quando aliquis precibus aut consilio induxit aliquem, ne daret eleemosynam pauperi, vel ne reliqueret hæreditatem vel legatum vel quãlibet liberam donationem, non tenetur ad aliquã restitutionem faciendam ei quem impediuit à cõsequutione beneficij, ergo neque in nostro casu tenebitur ille ad restitutionem aliquam faciendam. Antecedens ab omnibus conceditur: consequentia probatur. Quoniam idcirco in casu exempli adducti, non tenetur impediens restituere: quia impeditus nondum erat assequutus illud beneficium, quin potius assecutio pendebat ex libera voluntate collatoris. Sed hoc ipsum contingit, quando quis precibus inducit collatorem vt conferat præbendam: ergo non tenetur ad restitutionem,

Vltimò arguitur. Ipsemet distributor si iniquè distribuat prætermittens digniorem, conferens beneficium digno: imò etiam indigno: non tenetur ad aliquam restitutionem faciendam digniori vel digno, ergo multo minus tenebitur, qui induxit illũ solis precibus vt ita distribuere. Antecedens ferè ab omnibus doctoribus nostri temporis conceditur. Qui solum aiunt, quòd si qua restitutio facienda est quando elegit indignum: illa facienda erit ecclesiæ vel communitati, cui accidit incommodum & malum ex electione indigni. Consequentia probatur. Quia quando causa principalis alicuius actionis nõ tenetur ad restitutionem: minus videtur obligari causa minus principalis. Et confirmatur. Quia si impediens teneretur in prædicto casu ad restitutionẽ faciendam: teneretur ad restitutionem faciendam totius damni illati. Hoc autem est falsum, vt docet Diuus Thomas ad tertium, vbi ait, quòd non tenetur in totum restituere, sed ad arbitrium boni viri. Sequela probatur. Distributor ipse, si teneretur ad restitutionem, teneretur ad restitutionem totius dãni illati, ergo etiam ille qui induxit eum ad prædictam restitutionem: sicut qui induxit alterum vt occidat hominem.

IN hoc grauissimo dubio prima sentẽtia est Scoti, Ricardi, & aliorũ in 4. aſſerentiũ, ꝙ ille qui impediuit alterum à consequutione beneficii, si id fecit intendens commodum suum vel amici: non tenetur ad vllam restitutionem faciendam. Si tamen id fecit in odium impedit vt ei malum faciat: tenetur ad restitutionem. Et aliqui existimãt quòd D. Tho. ad 4. supra fauet huic sententiæ. Veruntamen sententia Diui Thomæ explicabitur sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio est. Quod impediens aliquem iustè à consequutione præbendæ, videlicet, intendens honorem Dei vel vtilitatem ecclesiæ, procuret quòd detur digniori, non tenetur ad aliquam restitutionem.

Secũda conclusio. Qui impedit iniustè, intendẽs impediti nocumentum, consulent quòd non detur digno præbenda antequam sit firmatum quòd ei detur: tenetur ad aliquam restitutionem faciendã ad arbitrium boni viri.

Tertia conclusio. Si iam firmatum erat vt daretur præbenda alicui, & alius propter indebitam cautam procuret quòd reuocetur propositum illud: tenetur ad restitutionem æqualis, scilicet, totius dãni. Ecce in istis conclusionibus D. Thom. nihil fatuet prædictæ sententiæ. Alia sententia est cuiusdam Geraldi, qui statuit regulam generalem. Quoties quis impedit alterum ab eo quod nondum erat sui iuris: non fit ei ad restitutionem obnoxius. Refert istum autorem Adrian. in 4. Sententiarum in materia de restitutione, fol. 47. & Magister Soto art. 3. vbi supra ad sextum. ipse vero Magister Soto asserit, quòd is qui precibus aut consilio impedit dignu aut digniorem à consequutione officij publici: non tenetur ad aliquam restitutionem faciendam impedito. Si autem per vim aut fraudem impedierit: tenetur ad restitutionem faciendam magis vel minus iuxta moderationem Diui Thomæ ad quartum. In eadem sententia est Nauarro in Manuali. capit. 17. à numer. 69. & deinceps.

Vltima sententia est asserentium, quòd ille solum tenebitur ad restitutionem in casu nostri dubij, qui impedit iniustè dignum à consequutione præbendæ: is autem qui impedit iuste, quocunque animo id fecerit non tenetur ad restitutionem. Hæc sententia videtur mihi esse D. Thom. & est Caietani super hunc artic. in solutione ad quartum. Hanc sequutus fuit Magister Victoria.

PRO decisione huius rei & intelligentia D. Tho. notandum est primò, quòd bona à quorum assecutione potest aliquis impediri sunt in duplici differentia. Quædam sunt ei debita ex iustitia, siue commutatiua siue distributiua. Alia vero non quidem ex iustitia, sed solum ex liberalitate & misericordia alterius expectantur. Exemplum primi est, in bonis publicis quæ ex iustitia distributiua debetur ciuibus pro qualitate meritorum. Exemplum secundi ex in bonis gratuitis, scilicet, in largitis eleemosynis. Rursus bona publica quæ iustitia distributiua debentur diuidi possunt in duplici differentia. Quędam quæ potissime destinata sunt incommodum & fauorem personarum: quædam vero quę licet aliquo modo ordinata sunt in fauorem personarum, tamen per se primo instituta sunt in commodum vtilitatem reipublicæ. Exemplum primi est in ærario publico quod distribuitur per singulo ciues. Exemplum secundi est, in publicis magistratibus & officijs, siue ecclesiasticis siue secularibus. Notandũ est secundò, quòd duobus modis potest aliquis impedire aliquem à consequutione alicuius boni, videlicet iustè vel iniustè. Iustè quidem dicetur quis impedire alterum, quãdo neque contra commutatiuã iustitiam neque distributiuam quid facit. v.g. si quis sine vi & dolo impediat dignum vel minus dignũ à consequutione beneficij iuste facit. Rursus dupliciter potest contingere quòd aliquis iustè impediat alterum. Vno modo iustè formaliter secundum rationem formalem virtutis iustitiæ perfectæ, videlicet, quando impedit propter debitum finem debito loco & tempore, & cum reliquis circunstantijs

virtutis. Altero modo potest impedire iustè materialiter, & quantum ad substantiam actus: non violans iustitiam commutatiuam vel distributiuam. Vt si aliquis imprudenter maloque animo, & propter malum finem impediat à consequutione boni alicuius. Iniustè vero potest quis impedire alterum. Primò quidem contra iustitiam commutatiuam tantum. Secundò contra distributiuam tantũ. Tertiò contra vtranque simul. Exemplum primi, in eo qui per vim aut fraudem impedit indignum aut minus dignum à consequutione boni. Exemplum secundi est in eo qui absque vi & dolo impedit dignorem à consequutione præbendæ. Exemplum tertij est in eo qui vi aut fraudem adhibita, impedit digniorem à consecutione præbendæ. Rursus qui iniustè impedit contra iustitiam commutatiuam tantum, aliquando procurat distributiuam iustitiam bene exerceri. V.g. si impediat indignum vt detur beneficium digno, vel impediat minus dignum vt detur digniori. Quandoque vero non procurat iustitiam distributiuam. v.g. si impediat dignum vt detur equè digno. Denique aduertendum est, quòd quanuis præsens quæstio principaliter instituatur de officijs publicis, & distribuendis, & de impedimento bonæ & debitæ distributionis: tamen obiter etiam definiemus illam respecto cuiuslibet boni quod aliquis intendit vel sperat.

Prima conclusio. Qui per medium aliquod tantum contra iustitiam commutatiuam, impedit alterum à consequutione boni quod non est sibi debitũ ex iustitia, sed ex liberalitate: tenetur ad restitutionem faciendam. Si autem non impediat per vim aut fraudem: non tenetur ad restitutionem. Prima pars conclusionis probatur. Quia per restitutionẽ debet reparari omnis læsio contra iustitiam commutatiuam & omnia damna, ergo qui per tale medium contra iustitiam commutatiuam impediuit aliquem à cõsequutione boni quod erat in prompti obtinere, etiam si obtinendum ex misericordia vel liberalitate alterius: tenebitur ad restitutionem faciendam illius damni consecuti ex iniustitia quam ab altero passus est.

Secundò probatur cõclusio. Qui per vim illatã in bonis corporis, vel etiam per infamiam, fuit causa quod proximus non obtinere aliquod bonum: tenetur ad restitutionem illius boni, vt difinitum est in superioribus, ergo etiam in casu nostræ conclusionis tenebitur qui impediuit per aliquod inediũ cõtra iustitiã cõmutatiuã. Secũda vero pars cõclusionis probat ex opposita ratione. Ille nõ facit aliquid cõtra iustitiã cõmutatiuam neq; distributiuã, ergo non tenetur restituere. Probatur consequentia. Quia sola læsio contra iustitiam, obligat ad restitutionem. Hæc conclusio asseritur ab omnibus fere saltem quoad secundam partem, quantum vero ad primam partem videtur Caietanus aliquo modo contrariari in hoc artic. dub. 6. asserit enim vniuersaliter, quod qui impedit alterum à consequutione huiusmodi bonorum, non tenetur ad restitutionẽ, etiam si faciat id ex odio. Ad eundem modum loquitur in Summa, verbo, restitutio. Sed profecto Caiet. nullibi dicit expresse, quòd si apponat medium contra iustitiam commutatiuam per quòd impediat alterum à consequutione talis boni, non teneatur ad restitutionem: sed solum dicit, etiam si id faciat ex odio. Et sic Caietanus intelligendus erit quando non interuenit vis aut dolus. Syluester autem in verbo restitutio. 3. §. vltimo. magis videtur aduersari nostræ sententiæ: sed nos demonstrationem illam existimamus.

Secunda conclusio. Quandocunque aliquis impedierit ciuem à consequutione boni quod sibi conueniebat ex iustitia distributiua, & iniustitiam erat principaliter in bonum particulare ciuium: tenebitur restituere, etiam si solis precibus absque dolo & fraude impedierit. Hæc conclusio communis esse debet consensus omnium doctorum: & probatur. Distributor ipse minister reipublicæ, si non distribuat illa bona secundùm proportionem iustitiæ distributiuæ, tenebitur ad restitutionem faciendam illi, cui minus dedit: sed qui impedit distributorem etiam solis precibus & consilio quominus exerceat rectè officium ministri distribuentis est concausa illius damni quod alteri prouenit: ergo similiter ad restitutionem tenebitur: quoniam omnis consulens aut deprecans vt fiat iniustitia alteri: tenetur similiter ad restitutionem cum illo qui facit iniustitiam, quando suo consilio vel precibus mouit alterum vt faceret iniustitiam. Secũdo probatur exemplo. Qui impedit œconomum solum consilio & rogatu, ne elargiatur eleemosynam illi pauperi cui dominus fieri præceperat: tenetur ad restitutionem, ergo etiã in nostro casu, quoniam distributor per omnia quãtum ad hoc similis est œconomo. Tenetur enim singulis ciuibus distribuere huiusmodi bona secundũ voluntatem reipublicæ, quæ domina est illorum bonorum. Sed de ista conclusione & ratione illius, dicemus postea copiosius quæstione sequenti. Hactenus diximus de bonis priuatis in conclusione prima, & publicis ordinatis in bonum particulare.

At vero de bonis publicis destinatis principaliter in commodùm communitatis, sit tertia conclusio. Qui impedit iuste formaliter aliquam à consequutionem officij publici, non tenetur ad aliquam restitutionem. Qui autem impedierit iuste materialiter tantum: peccabit quidem: non tamen tenebitur ad vllam restitutitionem faciendam. Sit exemplum primæ partis conclusionis, in illo qui bono animo, attentis omnibus circũstantijs impediuit indignũ vel minus dignum à consequutione beneficij. Exẽplum secundæ partis, est in eo qui malo animo & malo fine idipsum fecerit, sine fraude tamen aut vi. Vtraque pars conclusionis videtur euidens, quia ille operatur secundũ virtutem, ergo ad nullã tenetur restitutione. Secundam vero probatur. Quoniã euidens est quòd solius iustitiæ violatio obligat ad restitutionem. Qui autem illo modo impedit, solum peccat contra charitatem & prudentiam: ergo non tenetur ad restitutionem.

Quarta conclusio. Qui impedit iniuste contra commutatiuam iustitiam procurans tamen, quòd iustitia distributiua seruetur procurans quòd officium detur digniori, tenetur ad restitutionem iniuriæ illatæ contra iustitiam commutatiuam: non tamen tenetur ad restitutionem officij ablati. Itaque si vi aut fraus contra minus dignum æstimetur centum aureos, debet restituere centum aureos, nihil tamen pro beneficio ablato, etiam si aliàs certissime minus dignus assequuturus erat officium. Prima pars conclusionis manifesta est, quia læsio contra iustitiã commutatiuam reparanda est restitutione. Secunda vero pars, quòd ista restitutio non sit extendenda ad restitutionem beneficij vel officij. Probatur. Quia illud officium debebatur secundùm iustitiam distributiuam dignior, ergo minus digno non est facienda restitutio. Probatur consequentia. Quia quanuis, dignus absolutè consideratus ius habet, vt se opponat officio vel beneficio: tamen comparatione dignioris non propriè impeditur ius illius ad beneficium: quia comparatione dignioris non

non habet ius legitimũ vt acquirat beneficium secundùm iustitiam distributiuam. Secũdò probatur. Quoniam si ipsemet minister distributor consentiret cum fraude & dolo, vt minus dignus impediretur à consequutione officij vel beneficij non teneretur ad aliquam restitutionem beneficij quod datum est digniori: nam ipse ita tenebatur distribuere vt daret digniori, ergo neque alter tenetur restituere qui fuit concausa per fraudem & dolum, vt auferretur à minus digno & daretur digniori, siquidem causa & concausa æqualiter tenentur ad restitutionem. Ex hoc sequitur, quòd etiam si ille qui impediuit per fraudem & dolum contra iustitiam commutatiuam minus dignum à consequutione beneficij non procurauerit bonum iustitiæ distributiuæ. Tamen illud consequutum est, vt daretur digniori: nõ tenebitur ad aliquam restitutionem beneficij faciẽdam minus digno magis quam ipse distributor. Ratio huius est, quia restitutio obligat propter solũ malum animum iniquè operantis, sed propter damnũ reuera consequutum, ad cuius contrarium bonum habebat ius ille qui impeditus est.

Quinta conclusio. Qui impedit iniustè contra iustitiam commutatiuam tantum, si ex actione illius consequutum est quòd seruetur distributiua, siue per se siue per accidens, non tenebitur ad restitutionem faciendam pro beneficio, etiam si ipse intenderet quòd eligeretur indignus. Cuius ratio est eadem atque corollarij præcedentis.

Sexta conclusio. Qui per vim aut fraudem impediuit dignum vt daretur beneficium æquè digno, vel reuera ita consequutum est, quòd propter eius impedimentum daretur beneficium æquè digno, nihilominus ille tenetur ad restitutionem. Probat ex celebri regula, si tua culpa damnum datum est, &c. sed culpa eius qui impediuit dignũ per vim aut fraudem datum est illi hoc damnum quod caret beneficio quod erat habiturus iure optimo, ergo tenetur illi restituere. Confirmatur. Quia quanuis oppositores sint æque digni, tamen ille qui per vim & fraudem impeditur, habebat ius magis propinquũ ad obtinendum beneficium quam alij, ergo qui cõtra iustitiam commutatiuam impediuit illam propinquitatem tenebitur ad restitutionẽ illius damni.

Hic sequitur, quòd si per vim aut fraudem reuera ille non fuit impeditur, licet iniquus intenderit impedire, non tenetur ad restitutionem si alteri æquè digno datum est beneficium. Ratio est à contrario conclusionis præcedentis. Etenim reuera per fraudem & dolum nõ est datum illi hoc damnum, quoniam etiam si abfuisset vis aut fraus ille nõ erat consequturus beneficium.

Sed est obiectio cõtra istam conclusionem. Nam in quarta conclusione dictum est qui tantum impedit contra iustitiam commutatiuam etiam per fraudem & dolum non tenetur ad restitutionem beneficij, quia non læsit iustitiam distributiuam: sed hoc ipsum contingit in casu sextæ conclusionis, ergo eadem est vtriusque ratio. Ad hoc argumẽtum respondent quidam, esse differentiam in eo quod in casu quartę conclusionis non solum non lędiur iustitia distributiua, sed etiam procuratur & consequitur recta distributio iustitię distributiuę quod beneficium detur digniori. At vero in casu sextę cõclusionis quanuis non lædatur iustitia distributiua tamen non procuratur nec consequitur. Nihilominus nobis alia solutio videt melior, videlicet, quod est impertinens quòd procuretur iustitia distributiua quando non consequitur talis rectitudo: si autem consequitur, etiam si quis procurauerit oppositum per iniquitatem nõ tenebitur ad restitutionem beneficij faciendam digno quem impediuit. Est igitur differentia inter casum quartę conclusionis & sextæ, quod peccatum contra iustitiam commutatiuam commissum in casu conclusionis sextæ extendit se ad maius damnum eius qui impeditur, videlicet, quod cæteris paribus ille erat propinquior assecutioni beneficij, eo quod distributor parat erat illi cõferre nisi per iniquitatẽ alterius, scilicet, fraudẽ vel dolũ aut vim auerteret eius animus vt illi non conferret: & hoc est damnum quod consequitur ex iniquitate alterius contra iustitiam commutatiuam, ac proinde tenetur restituere beneficium: at uero in casu quartæ conclusionis datur beneficium digniori, respectu cuius dignus non habebat ius. Sed dicet aliquis: quid erit si per preces uel cõsilium impediat aliquis dignum ad quem animus distributoris erat iam inclinatus ut conferret illi beneficium, & propter preces uel consilium alterius auersus est ab illo animo & contulit beneficium alteri æquè digno. An tunc impediens teneatur restituere beneficium. Respondetur, quòd non tenetur restituere. Ratio est manifesta. Quia ille non peccat contra iustitiam commutatiuam neque distributiuam, ergo non tenetur ad restitutionem. Probatur antecedens. Quia ille precatur & consulit id quod distributor posset iuste facere, ergo non peccat contra iustitiam distributiuam nec commutatiuam. Item medium quo utitur, scilicet, preces & consilium absque ui & fraude non est contra iustitiam commutatiuam respectu digni quem impedit. Probatur. Quia licitum est unicuique rogare pro amico æqualiter digno absque ui & fraude respectu alterius digni.

Septima conclusio. Asseritur à quibusdam modernis Theologis sub ista forma. Omnis qui impedit iniustè contra iustitiam distributiuam tantum, etiamsi non utatur ui aut fraude, sed roget uel consulat ut beneficium detur minus digno tenetur ad restitutionem faciẽdam pro beneficio digniori impedito. Hæc conclusio videtur necessario coniuncta cum sententia quæ asserit quòd distributor qui violat iustitiam distributiuam tenetur ad restitutionem digniori faciendam, quæ quidem sententia, vt dicemus quæst. sequenti, verior est. Sed nunc probatur conclusio, quia D. Thom. in responsione ad quartum, nullam aliam iustitiam assignat in eo qui impedit iustè, nisi quòd ille procurat quod detur prębenda digniori. Item nullam iniustitiam aliam assignat in eo qui impedit iniustè, nisi quòd prębenda detur minus digno, sed illa iustitia quòd prębenda detur digniori distributiua est & illa iniustitia quòd prębenda detur minus digno contra distributiuam tantum est, ergo ex hac sola radice quòd lædatur iustitia distributiua tantum, tenebitur ad restitutionem, non solum distributor, sed etiam impediens & consulens. Secundò D. Thom. absolute pronuntiat quod qui impedit iniustè, tenetur ad restitutionem faciendam nulla facta mentione fraudis aut violentiæ, sed qui contra iustitiam distributiuam tantum impedit digniorem, reuera iniustè impedit non minus, imo magis quam si contra iustitiam commutatiuam tantum impediret, eo quòd iustitia distributiua præstantior est quam commutatiua: reperitur enim in Deo proprie non autem commutatiua, ergo tenebitur ad restitutionem qui contra tantum iustitiam distributiuam impedit digniorem. Denique Diuus Thom. expresè dicit, quòd qui impedit ne prębenda detur digno vel digniori, consulens quòd ei non detur tenetur, ad restitutionem, sed iste tantum peccat contra iustitiam distributiuam,

butiuam, ergo conclusio posita est expressa sententia Diui Thomæ.

Nihilominus his non obstantibus ostendemus diligenter in quæst. 63. sequenti. quòd nisi in violatione iustitiæ distributiuæ interueniat læsio contra iustitiam commutatiuam expressa uel uirtualis, nũquam oritur ratio vel obligatio restituendi. V. g. si distributor sit absolutus dominus distribuendorum bonorum, potest quidem ille exercere iustitiam distributiuam. At vero non poterit peccare contra iustitiam commutatiuam etiam si minus dignis maiora conferat. Et ratio est, quia facit de suo quod vult neque tenetur aliunde ex vi iustitię commutatiuæ rectè exercere officium iustitiæ distributiuæ. Exemplum huius esse potest in Rege qui ex proprio patrimonio velit militibus aliquod beneficium conferre. Tunc enim etiamsi minus dignis maiora conferat, non tenebitur ad aliquam restitutionem. Hoc ipsum magis lucet in Deo qui exercet iustitiã distributiuam proprissimè quando vult & reddit vnicuique secundum opera sua. At uero si Deus de facto velit maioribus meritis minus præmiũ conferre, non teneretur ad restitutionem, sed quia dixit q̃ redditurus est vnicuique secundùm opera sua, non esset verax & fidelis, nisi ita distribueret. Sic igitur in proposito dicemus, q̃ impediẽs etiam absque vi & fraude ne detur beneficium digniori, facit quidem contra iustitiam distributiuam expressè & formaliter, sed tamen tenetur ad restitutionem quia virtualiter facit contra iustitiam commutatiuam, quia ex iustitia commutatiua tenetur vnusquisque non impedire ius alienum. At vero dignior habet ius ad beneficium respectu distributoris qui tenetur digniori conferre, quamuis nõ teneatur unusquisq; ex iustitia commutatiua illud procurare, tamen tenetur illud non impedire. Item est alia ratio quare ille peccet contra iustitiam commutatiuam, quia ipse distributor cum non sit dominus absolutus illorũ bonorum, tenetur ex iustitia cõmutatiua rectè exercere officium distributoris, quamdiu vult esse dispẽsator reipublicæ quæ domina est illorum bonorum & idcircò tenetur illa bona dispensare secundùm voluntatem domini. Hinc igitur est quòd consulens & rogans ne recte exerceat officium distributoris peccet idem peccatum quod peccat ipse distributor contra iustitiam commutatiuam, sicut qui cõsuleret alicui ministro quòd non daret eleemosynam secũdùm voluntatem domini teneretur etiam ipsi pauperi restituere.

Habemus igitur intentum quòd obligatio restituendi semper oritur ex læsione iustitiæ commutatiuæ expressa & formali vel saltem uirtuali. Vnde sit septima conclusio. Si intelligatur expresè & formaliter vel virtualiter de impedimento contra iustitiam commutatiuam tantum vera est, si autem dictio exclusiua, tantum, excludat læsionem virtualẽ falsa est. Denique circa omnia prędicta de restitutione pro beneficio totaliter vel in parte obseruanda est mens & intentio distributoris. Etenim si nulla est intentio moraliter loquendo quòd distributor collaturus est beneficium impedito etiam per iniquitatem non tenebitur intendens impedire ad aliquam restitutionem faciẽdam, si autem aliqua spes erat, sed non certa moraliter loquendo, tunc intendens impedire, tenetur ad arbitrium boni viri aliquã partem restituere. Si uerò certissima spes erat, quòd ille impeditus assecuturus erat officium uel beneficium, tunc qui iniustè impediuit tenebitur ad restitutionem æqualis. Rursus ex parte impedientis multum confert considerare intentionem illius: aliquando enim bona fides eius excusabit eum à restitutione. V. g. si Petrus intendebat eligere digniorem neque sibi constabat quòd per suam diligentiã forte eligeretur indignior, tunc etiam si indignissimus euadat electus non tenetur ad aliquam restitutionem, quia neq; obligatur ratione iniuriosę actionis, neque ratione rei acceptæ.

Sed contra huiusmodi obseruationes, & ea quæ supra dicta sunt in prima & tertia conclusione est argumentum ex Iurisconsulto ex l. 1. §. denique. & l. 2. §. idem Labeo. ff. de aqua pluuiali arcenda. vbi inquit, quòd si vicinus superior fontem aut torrẽtem qui per fundum suum decurrit & in inferioris vicini prędium deuoluitur auerterit. Si quidem animo nocendi uicino id fecerit est iniurius & tenetur ad restitutionem: si autem id fecerit ut sibi suisque rebus prospiciat aut consulat non est iniurius, neque tenetur ad restitutionem. Confirmatur ex l. Proculus. ff. de damno infecto. ubi simile quid habetur, imo vero D. Thom. in solutione ad quartum huius articuli inquit, quòd qui impedit iniustè tenetur ad restitutionem. Et ponit exemplum. Si quis intendit nocumentum eius qui impedit propter odium & vindictam. Ad hanc obiectionem respondetur primò cum Iurisperitis doctissimis nostri temporis, leges illas esse pœnales & punire odium quod exercere potest vicinus contra vicinum: at uero pœna non incurritur ante iudicis sententiam & condemnationem. Respondetur secundò & melius leges illas non esse pœnales sed directiuas, & tribuere ius fontis aut torrentis ei per cuius agrum fons vel torrens præterlabitur ea conditione, ut suis & sibi necessaria prouideat, quòd si non fuerit ei necessarius totus fons aut torrens tribuit ius vicino inferiori in cuius agrum decurrit, & consequenter si non existenti tali necessitate auertat fontem etiã si ex odio id faciat, non tenetur ad aliquam restitutionem. Et ratio est, quia odium illud non est causa iniuriæ: leges autem loquuntur ex odio ex quo tanquam ex causa oritur illa iniuria.

Eodem modo respondetur ad legem Proculus. vbi est similis casus. At uero ad Diuum Thom. respondetur, quòd ille solum intendit quòd qui fuit causa damni iniustè teneatur ad restitutionem, & quoniam vt plurimum causa huius nocumenti est odium & vindicta: posuit exemplum in eo qui ex odio impediebat rectè fieri distributionem officiorum vel beneficiorum: quod autem dicit D. Thom. in solutione ad quartum. in vltimis uerbis, quòd si aliquis propter indebitam causam procuret quòd reuocetur animus firmus distributoris qui decreuerat dare beneficium digniori tenetur ad restitutionem, diuersimodè intelligatur à discipulis D. Tho. quidam enim inter quos est Magister Soto vbi supra, aiunt indebitam causam esse tantũ uim uel fraudem aut dolum. Alijs vero uidetur q̃ D. Tho. universaliter loquatur de indebita causa, ita ut per indebitam causam intelligatur siue sit contra iustitiam commutatiuam per vim aut fraudem siue contra distributiuam tantũ. Nobis autem vt q̃ planius intelligatur per indebitam causam quando aliquis procurat quomodocunque, q̃ præbenda non detur minus digno & auferatur à digniori siue id faciat per dolum aut uim siue per preces aut consilia, siue per pretium aut quomodocunq; hoc fiat. Cęterum iam nox diximus quòd per solam læsionem & uiolationem iustitię distributiuæ nunquam oritur obligatio restitutionis. Hactenus diximus de restitutione quã debet facere impediens ipsi impedito. At uero de restitutione quæ facienda est Ecclesiæ uel communitati

munitati communis est sentẽtia doctorũ, quòd impediens digniorem, si tamen officium vel beneficiũ conferatur digno nõ tenetur ad aliquam restitutionem faciendam communitati quomodocunque impedierit. Sed tamen hæc sententia quantumlibet cõmunis diligenter examinabitur in quęst. 63. sequẽ.

Ad argumenta quę posita sũt in principio huius dubij facile est respõdere. Ad primum respondetur, quòd quãuis aufertur ius vel committitur fraus & dolus contra aliquem, manifestum est, quòd auferẽt ab illo id ad quod habet ius acquisitum, videlicet libertas propria vel cognitio veritatis vel etiã fama, quapropter qui sic impedit tenetur ad omnia damna quę consequuntur inde, quando vero lędit iustitia distributiua tantum expresè & formaliter vt in casu septimę cõclusionis à nobis explicatum est, tunc etiam aufertur ab impedito illud quod erat in promptu vt esset suum secundum voluntatem reipublicę: & hoc sufficit vt ex necessitate facienda sit illi restitutio quia ibi latet violatio commutatiuę iustitię eo quòd impediẽs procurat, quòd distributor qui est minister non distribuat illa bona secundum voluntatem domini. Vnde vterq; peccat cõtra commutatiuam iustitiam.

Ad secundum argumentum respondet quòd impediens per vim aut fraudem minus dignum nõ tenetur ad aliquam restitutionem pro beneficio. Sed tantum tenetur ad restitutionem iniurię, factę contra iustitiam commutatiuam, reddendo illi libertatem vel famam suam.

Ad confirmationem respondetur, quòd animus bene vel male affectus non obligat ad restitutionem neque liberat à restitutione, sed nocumentum reuera illatum obligat ad restitutionem.

Ad tertium argumentum respondetur. Raros esse homines qui sint recti iudices suorum meritorũ, sed esto ita quòd aliquis modestus intelligat se quidem esse minus dignum alijs candidatis seu oppositoribus, sed tamen non iudicat se esse indignum, si enim hoc iudicaret peccaret certè cõcurrendo cum alijs dignis, etsi obtineret præbendam teneretur illam renuntiare & restituere digno à quo ablata est. Quod si fuerit dignus non peccat concurrendo cum alijs quos nouit esse digniores, sed licitè potest proponere sua merita in veritate coram iudicibus. Ratio est quia non tenetur ipse docere electores quod non sit dignior, sed ipsi electores tenentur ex officio hoc examinare. Item quia sępe contingit, vt qui minus dignus est in oculis suis sit dignior respectu communitatis.

Ad quartum argumentum respondetur negãdo consequentiam quoniam gratuitum donum nõ debetur ex iustitia impedito. Cęterum officium publicum debetur ex iustitia distributiuam digniori.

Ad quintum argumentũ respondet, quòd etiam ipse distributor tenetur si iniquè distribuat ad restitutionem faciendam digniori, quia non est dominus distributionis bonorum, sed minister & tenet distribuere secundum voluntatem Domini.

Ad confirmationem negat sequela quoniam distributor tenetur ex officio applicare secundum iustitię distributiuę formam beneficium digniori, neque ab ista applicatione potest impediri nisi culpa sua, at vero ille qui impedit nõ tenebatur ex officio applicare illud beneficium digniori: & rursus gerit illud negotium contra digniorem qui aliàs multipliciter poterat impediri, & propterea non semper tenetur ad restitutionem ęqualis quanuis distributor teneatur. Reliqua quę poterant hic examinari remittuntur ad quęstionem 63.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sufficiat restituere simplum quod iniuste ablatum est.

Infra ar. 4. corp. Et 12 q. 105. art. 8 ad 9. Et 4. dist. 15. q. 1. ar. 5. q. 2. ad 5.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quòd non sufficiat restituere simplum quod iniustè ablatũ est. Dicitur enim Exod. 22. Si quis furatus fuerit bouem aut ouẽ: & occiderit vel vendiderit: quinque boues pro vno boue restituet: & quatuor oues pro vna oue. Sed quilibet tenetur mandatum diuinæ legis obseruare. Ergo ille qui furatur, tenetur restituere quadruplum, vel quintuplum.

2. Præterea. Ea quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt dicitur ad Rom. 15. Sed Lucæ 19. Zachæus dixit ad Dominum: Si quem defraudaui, reddo quadruplum. Ergo homo debet restituere multiplicatũ id qd̃ iniustè accepit.

3. Præterea. Nulli potest iustè auferri id quod dare non debet. Sed iudex iustè aufert ab eo qui furatus est plus quàm furatus est pro emenda. Ergo homo debet illud soluere: & ita non sufficit reddere simplum.

Sed contra est, quod restitutio reducit ad æqualitatem quod inæqualiter ablatum est. Sed aliquis reddendo quod accepit simplum reducit ad æqualitatem. Ergo solum tenetur restituere tantum quantum accepit.

Respondeo dicendum, quòd cùm aliqui iniustè accipit rem alienam, duo sunt ibi considerandã: quorum vnum est inæqualitas ex parte rei quæ quandoque est sine iniustitia, vt patet in mutuis. Aliud autem est iniustitiæ culpa, quæ potest esse etiam cũ æqualitate rei: puta cùm aliquis intendit inferre violentiam, sed non prævalet. Quantum ergo ad primum, adhibetur remedium per restitutionem: inquantum per eam æqualitas reparatur: ad quod sufficit quòd restituat tantum quãtum habuerit de alieno. Sed quãtum ad culpam, adhibet remedium per pœnam, cuius inflictio pertinet ad iudicem. Et ideò antequam sit condemnatus per iudicem, non tenetur restituere plus quàm accepit. Sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam soluere.

Et per hoc patet responsio ad primum: quia

quia lex illa determinatiua est pœnæ per iudicem infligendæ: & quamuis ad obser uantiam iudicialis præcepti nullus teneatur post Christi aduentum, vt suprà habitum † est, potest tamen idem vel simile sta tui in lege humana: de qua erit eadẽ ratio.

1.2.q 104 artic.3.

Ad secundum dicendũ, quòd Zacheus id dixit quasi supererogare volens. Vnde & præmiserat: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.

Ad tertium dicendum, quòd iudex cõdemnando, iustè potest accipere aliquid amplius loco emendæ: quod tamen antequam condemnaretur, non debebatur.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Sufficit ex parte inæqualitatis rei restituere simplum quod iniustè ablatum est, hoc est restituere tantum quantum abstulit. Ratio huius est in argumento, sed contra.

Secunda conclusio. Ex parte iniustitiæ culpabilis quatenus scilicet iniustitia culpa est, non sufficit restituere simplum, sed oportet restituere pœnam infligendam à iudice.

Tertia conclusio. Ad huiusmodi pœnam soluendam non tenetur quis ante iudicis sententiam, sed post illam tenetur soluere.

COMMENTARIVS.

DVBIVM primum in hoc articulo literale est, an sit vera doctrina harũ conclusionũ.

Arguitur primo. Pro parte negatiua ad restitutionem pertinet vniuersaliter reparare omnem inæqualitatem quæ iniustè facta est & omnem culpabilem iniuriam & iniustitiã in bonis cuiuscunque generis, vt dictum est, ergo frustra distinguit D. Tho. in hoc articulo, de inæqualitate ex parte rei reparanda per restitutionem & de iniustitię culpa reparanda per pœnam à iudice impositam.

Arguitur secundo. Si quis attentet inferre vim alteri, & tamen re ipsa non inferat. v.g. Si quis euaginet gladium aduersus alterum neque tamen percutiat, conatus iste est iniurius alteri, & reparandus per restitutionem, ergo falsum est, ꝙ dixit D. Tho. quod tantum inæqualitas ex parte rei reparatur per restitutionem & quòd iniustiriæ culpa reparatur per pœnam à iudice infligendam.

Arguitur tertio. Leges & ministri legũ qui sunt iudices duntaxat puniunt actus perfectos & cõsummatos, sed culpa solum inchoata etiam imperfecta obligat ad restitutionem, ut in casu precedentis argumenti, ergo huiusmodi inæqualitas non reparatur per pœnam infligendam à iudice. Maior patet, quoniam lex non punit simoniacum qui tentauit vendere beneficium neque semper punit eum qui tentauit hominem occidere vel furari.

Denique arguitur quarto, quoniam in qualibet acceptione iniusta rei alienæ interuenit præter inequalitatem rei ablatæ etiam iniuria & culpa contra proximum: læditur enim in honore & in respectu sibi debito, ergo vtraque inæqualitas reparanda est per restitutionem ante iudicis sententiam. Antecedens probatur inductiuè, in rapina quidem manifestum est, quòd fit iniuria ei à quo aliquid rapitur coram oculis eius & à manibus eius. Præterea, in furto etiam videtur misceri minor respectus & despectus quidam eius à quo quis occulte accipit. Pro intelligentia literę D. Thom. notandum est quòd in omni acceptione iniusta & læditur pars contra quã exercetur iniustitia & lex contra quam peccatur violatur ac per consequens peccatur contra legislatorem & ministros eius qui sunt iudices. exemplum est in furto per quod lędit proximus & violatur prœceptum: non furtum facies & fit contra legislatorem.

Sit ergo prima conclusio D. Tho. in hoc articulo appellat inæqualitatem ex parte rei uniuersaliter omnem iniuriam quæ fit proximo in quibuslibet bonis. Vocat autem iniustitiæ culpam quatenus quis operatur contra legem & legislatorem: ratio huius loquutionis est quoniam si propriè & formaliter loquamur nulla inæqualitas etiam ex parte rei habet rationem culpę & peccati nisi quatenus contra legem quis operatur. vt patet ex definitione peccati. Peccatum enim est dictum vel factum uel concupitum contra legem Dei. Vnde Dauid in Psal. 50. Cũ adulterium & homicidium commisisset agens pœnitentiam aiebat, Tibi soli peccaui & malum coram te feci. quoniam adulterium & homicidium non haberet rationem culpæ nisi esset cõtra legem Dei, & idcirco Diuus Thom. voluit in hoc articulo loqui propriè & formaliter & intelligere per inequalitatem ex parte rei omnem iniuriam contra proximum qua ratione est damnificatiua proximi. At vero omnem iniustitiæ culpam uocat inæqualitatẽ non quidem ex parte rei, sed qua ratione est contra legem & legislatorem unde reparanda est per pœnam à ministro legis infligendam.

Secunda conclusio. Omnis offensa contra proximum in quibuslibet bonis compensanda est per restitutionem simpli, hoc est ut tantum reddat quantum abstulit, uel quantum damnificauit. Explicatur in furto quo quidem offenditur proximus in bonis temporalibus. At uero in honore raro aut parum offenditur ille à quo quis in occulto accipit. Quapropter abundè satisfacit fur si reddat simplũ quod abstulit: si autem sciens & prudens quòd alter plus nimio affligendus erat & ꝙ incurrere poterat aliquam infirmitatem: tenebitur etiam restituere ipsa damna consequuta. Cæterum in rapina manifestũ est, ꝙ pręter damnum datum in bonis temporalibus lędit proximus contumeliosè in ipso honore. Vnde oportebit etiam restituere non solum rem ablatam, sed etiam honorem ipsum secundum regulas supra positas.

Tertia conclusio. Iniustitię culpa quatenus contra legem est, reparatur tantum per pœnam à iudice per sententiam infligendam. Probatur conclusio. Ex differẽtia quæ est inter ipsam legem & iudicem. Etenim lex ipsa est quasi quidã magistratus mutus & mortuus. At uero iudex ipse dicitur esse lex animata, & iustum animatum loquens & habens manus ad executionem: ita prorsus vt ex lege & iudice compleatur integrum ministerium legislatoris. Ergo ad iudicem pertinet vendicare offensas commissas cõtra legem & legislatorem. Confirmatur, quoniam iustitia vindicatiua potissimè residet in ipso iudice ad ciuium malefacta punienda. Denique ipse iudex ex officio & ex iustitia commutatiua tenetur seruare rempublicam in pace & purgare illam à perniciosis hominibus: quemadmodum custos vineę tenetur seruare vineam à bestijs & latronibus.

Ad argumenta in principio dubij posita, respondetur, ꝙ cõfirmant & probant nostras cõclusiones.

Sed

Sed pro maiori explicatione secundi & tertij argumenti, notandum est, ꝙ leges quandoque puniunt crimina inchoata nondum perfecta & consummata. v.g. Punitur crimen læsæ maiestatis attentatum & non consummatum. Punitur etiam propinatio veneni, etiam effectu non consequuto. Et non solũ hęc grauissima crimina inchoata puniuntur, sed quędam alia minus grauia puniuntur inchoata. Vt habetur in l. 1. ff. de extraordinarijs pœnis: quamuis leuiori pœna puniantur inchoata: & profectò potestatem habet respublica puniendi omnia peccata exteriora, quatenus sunt contra legem. At vero plurima impunita permittit fieri: quoniam non perturbant pacem reipublicæ. Quin potius si illa punirentur, perturbaretur pax reipublicæ, & maiora damna euenirent. Et idcirco permittit publicas meretrices, & alia similia peccata. Dictum ergo Diui Thomę absolutè intelligitur, ꝙ lex punire potest & iudex omnem iniustitiæ culpam, quatenus est contra ipsam legem. Quòd si de facto non puniat omnem iniustię culpam etiam delatam ad iudicium: hoc prudenter dissimulat propter maiorem tranquillitatem reipublicæ. Et idcirco permittit fraudem in emptionibus & uenditionibus citra medietatem iusti pretij adminuendas lites. Cętetum quamuis huiusmodi iniustitiæ culpa interim nõ reparetur per iudicium reipublicæ: nihilominus reparanda est omnino per iudicium supremi legislatoris Dei, vel in foro pœnitentiali misericorditer ad veniam per ministrum sacramenti, vel in die iudicij in condemnationem, & tunc non solum iniustitia populi, sed etiam ipsorum iudicium reparabitur per uindictam. Iuxta illud Ecclesiastes cap. 3. Vidi in loco iudicij iniquitatem, & dixi in corde meo, iustum & impium iudicabit dominus: & tunc tempus omnis rei erit. Hactenus de literę intelligentia sufficienter dictum est.

DVBITATVR secundo. Circa secundam & tertiam conclusionem. An leges pœnales ante condemnationem per sententiam iudicis obligent reũ ad subeundam pœnam legis: uel etiam post ipsam sententiam latam teneatur ipse pœnam soluere.

Et quoniam quæstio hæc propriam sedem habet in 1.2.q 96. artic. 4. & apud Magistrum Soto in lib. 5. de Iustitia & iure. quæst. 6. artic. 6. habetur latius definita: operæpretium est in summa huius difficultatis decisionem proferre.

Notandum ergo primò, ꝙ leges pœnales quandoq; continent solas pœnas, nullam mentionem facientes pręcepti affirmatiui uel negatiui: sed pręsupponentes peccatum vel operationem aliquam, adijciunt pœnas. Exemplum est cum dicitur. Qui gladio occiderit gladio peribit. Qui ceciderit ligna de sylua, soluat certam pœnam. Alię vero leges sunt pœnales, quę continent duas partes: in priore parte dirigunt homines pręcepto affirmatiuo uel negatiuo, in altera parte adijciunt pœnam cõtra transgressores. Exemplũ est in Pragmatica sanctione de venditione tritici: vbi pręcipitur, ne quis vendat triticũ, vltra quatuordecim argenteos: & adijcitur contra transgressores, ut qui oppositum fecerit, soluat certã pecuniæ quantitatem. Nos igitur in pręsenti non disputabimus de priori parte huiusmodi legum, an obligent in foro conscientiæ. Est enim constitutissimum apud uniuersos Theologos, ꝙ prior pars obligat in conscientia ante iudicis sententiam: ita vt qui vendiderit triticum vltra taxationẽ Pragmaticę, teneatur restituere emptori. Tota igitur difficultas est de lege quę continet tantũ pęnã uel de posteriori parte legis: quę continet pęnã. Notandum est secũdo ꝙ reus qui cõmisit crimen quod lege punitur potest considerari in triplici statu. Primus status est, quando patratum est crimen: sed nondum est delatũ ad iudicium exterius, vel si delatum est: nondum interrogatur à iudice iustè secũdum ordinem iuris. Secundus status est, quando iam accusatus est & interrogatus à iudice iuridicè. Tertius status est, quando iam contra reum est pronuntiata iuridica sententia, quã reus puniendus tali pœna decernitur.

Notandum est tertio, leges pœnales quandoque continere sententiam ferendam à iudice: vt quãdo lex dicit, qui tale crimen commiserit, excommunicetur, suspendatur. Quandoq; verò lex ipsa pœnalis continet formam latæ sententiæ ab ipsa lege. Vt cũ dicitur qui tale crimen commiserit, sit ipso facto excommunicatus, sit ipso iure & facto expoliatus bonis suis.

Sit prima conclusio. Lex pœnalis quę continet sententiam tantum ferendam de aliqua pœna, non obligat ad soluendam pœnam ante iudicis sententiam. Hęc communis sententia est Doctorum omnium: & ratio est manifesta ex ipsa forma legũ: quæ committit iudici, ut talem pœnam infligat. Iudex autem non nisi per sententiam, cognita causa condemnat quemquam.

Secunda conclusio. Lex pęnalis Ecclesiastica quę continet sententiam latam alicuius censuræ. v.g. Excommunicationis vel suspensionis uel irregularitatis statim ante aliquam iudicis sententiam habet effectum quantum ad ipsam pœnam censuræ. Hæc etiam est communis omnium sententia: quamuis in ratione conclusionis non omnes conueniant, sed nos statim reddemus rationem communem quatuor conclusionibus.

Tertia conclusio. Nulla lex pœnalis etiam si contineat sententiam latam obligat reum, ut seipsum expoliet bonis suis. Hęc conclusio uerior est & communior inter Iurisperitos & Theologos.

Quarta conclusio. Verosimilis sententia est: quæ asserit, quòd reus qui commisit crimen contra legẽ quę continet sententiam latam de priuatione bonorum, ipso facto sit priuatus statim dominio bonorũ suorum, licet maneat cum possessione & vsu illorũ bonorum. Hæc est Caietani sentẽtia in pręsenti art.

Quinta conclusio. Verosimilior sententia est, ꝙ eiusmodi reus retinet adhuc dominium bonorum suorum, licet caducum & infirmum ante sententiã iudicis. Hanc tenet Mag. Soto ubi supra citatus est, & latius ostendimus in nostris commentarijs supra 2.2.q.12.art.2.dub.vnico, de pœnis Apostatarum & hęreticorum. Ponamus exemplum quartæ & quintæ conclusionis. Est lex quæ hæreticum ipso facto decernit esse priuatum bonis suis, quæ bona applicat fisco. Dicit Caietanus & qui illam sententiã sequuntur: ꝙ hæreticus ante sententiã iudicis iam est priuatus dominio bonorũ suorum, & manet cũ possessione illorum & usufructu & non poterit illa vendere. At verò nos dicimus cũ probabiliori sentẽtia, ꝙ adhuc hęreticus maneat etiam cum dominio bonorum suorum, licet caduco & infirmo: & ꝙ poterit non solum vti & frui bonis suis, sed etiam uendere, & alienare declarando tamen uitium rei uenditę, scilicet dicendo, ꝙ illa bona poterunt confiscari. Neque in hac sententia aliquatenus derogatur iuri quod habet fiscus erga illa bona, quoniam post latã sententiã omnia bona hæretici à die commissi criminis confiscantur vbicunque reperiantur. At uero ante latam sententiam, communior consensus est doctorum, ꝙ hæreticus non tenetur seipsum priuare bonis suis & tradere fisco. Ergo per quartam & quintam conclusionem nihil derogatur nec autertur

fertur à fisco. Ratio autem communis prędictarum
A conclusionum, & quæ mihi magis satisfacit, ea est:
quòd leges pœnales non sunt extendendæ magis
quam oporteat ad bonum commune & intentio-
nem legislatoris, sed potiùs oportet eas suauiores fa
cere. Et quia in re dubia semper fauendum est ma-
gis reo quam actori, præsertim cum commune bo-
num non periclitatur: idcirco nobis probabiliores
sententiæ videntur, quæ declinant in fauorem ip-
sius rei: quoniam non inuenimus in illis conclusio-
nibus, quòd aliqua ex parte derogetur bono com-
muni. Imo vero prouidemus suauitati legis, quę in-
star Dei debet omnia suauiter disponere. Cùm igi-
tur esset durissimum obligare hominem hęreticum
etiam occultum, vt spoliaret se statim bonis suis &
B traderet fisco, præsertim cum nullus homo hoc fa-
cturus esset: & lex nihil aliud tunc efficeret, quàm
scandalum hominis hæretici: idcirco optima ratio-
ne ducti declinamus absque iniuria legis in fauorē
rei: non solum in tertia conclusione, sed etiam in
quinta conclusione, eo vel maximè quòd si hæreti-
cus nunquā deducitur in iudicium, vel quia crimen
fuit occultum, vel quauis alia ratione, manebit ipse
& hæredes illius perpetua possessione bonorum il-
lorum. Frustra ergo aufertur ab illo dominium, &
rationabilius dicimus, quòd manet cum dominio
caduco & infirmo magis aut minus secundū maio-
rem & minorem probabilitatem, quòd crimē illius
deferendum sit ad iudicium. Vnde si omnino fuerit
C crimen illius occultum, poterit vendere suam do-
mum tanti quanti si non commisisset hæresis cri-
men. Hactenus de primo statu rei diximus in istis
quinque conclusionibus.

Sed est obiectio aduersus prędicta. Diximus enim
legem pœnalem ecclesiasticam, quæ continebat la-
tam sententiam de aliqua cēsura ecclesiastica, statim
ligare ipso facto ante iudicis sententiam: quanuis in
ipsa lege non dicatur quòd obliget ante iudicis sen-
tentiam. Ergo alię leges pœnales, quæ continēt for-
mam latæ sententię, per hoc quòd dicunt ipso facto
& ipso iure aliquem priuari dominio bonorum suo
rum statim obligant, ita vt qui commiserit tale cri-
men ante iudicis sententiam teneatur bona sua red-
D dere fisco cui applicantur per legem. Et cōfirmatur,
quia procul dubio legislator habet potestatē trans-
ferendi dominium bonorum per legem latam ab ip
so, cum expedierit bono cōmuni: sed nullis alijs ver
bis poterit commodius exprimere mentem suam,
quàm dicēdo, ipso facto sit priuatus dominio bono-
rum suorum. Ergo eadem est ratio de huiusmodi le
gibus atque de leges ecclesiastica: quæ continet cen-
suram latę sententię. Respondetur ad hanc obiectio
nem, quòd quanuis reuera ita sit, quòd legislator ha
beat potestatem transferendi dominia rerum per le
gem iustam, cùm expedierit bono communi: tamen
nunquam prę̃sumendus est id velle facere ante iudi
cis sententiam, qui cognoscat de crimine perpetra-
to, & applicet pœnam legis spoliando hominem bo
nis suis. Et ratio est quoniam ad suauitatē legis per-
tinet, vt nō obliget criminosum hominem, quòd ip-
se sit executor suæ pœnę & priuet se bonis quorum
possessionem actu habet. Est enim hoc durissimum
secundum hominum ingenium & naturam, & vix
reperiretur qui in hac parte obediret legi. Vnde lex
non deseruiret nisi ad scandalum animarum. Et id-
circo merito probabiliores sententias existimamus,
quę requirunt cognitionem iuridicam facti & con-
demnationē à iudice legem applicante. Cęterum in
legibus ecclesiasticis cōtinentibus censuram latę sen
tentię uel ipso facto, non est eadem ratio. Quoniam
per illam pœnam non priuatur homo bonis quę an
tea acquisierat actu, vt patet in sententia excōica-
tionis, per quam priuatur homo suffragijs spiritua-
libus quę sibi prouenire poterant ab ipsa ecclesia. At
vero quę antea acquisierat non amittit per illam sē-
tentiam: similiter dico in censura suspensionis & ir-
regularitatis, ꝙ propter quas pœnas non tollitur po
testas homini, quam antea habebat, sed tantū impe-
ditur ne exerceat. Item pœnę Ecclesiasticę quę sunt
censuræ merè priuatiuæ, non ligant hominem, vt ip
se sit exequutor suę pœnę. At vero leges pęnales quę
priuant dominio & possessione bonorum suorum
obligarent hominem, vt ipse esset exequutor suę pœ
nę, nisi fuisset necessaria iudicis sententia.

Hinc sequitur vnum corollarium: quòd si in lege
Ecclesiastica quę continet pœnam latę sententię de
aliqua censura, simul contineretur aliqua pœna pe-
cuniaria, non obligaret illa lex ad soluendam illam
pœnam ante iudicis sententiam: quantumlibet sub
eadē forma legis dicatur, quòd ipso facto sit excom
municatur & soluat decem millia dipondiorum.

De secundo vero statu, sit sexta cōclusio. Suauior
& clementior sententia est & mihi vero similior,
quòd etiam si reus iuridice interrogatus, videlicet,
quando tenetur respondere veritatem criminis, ne
get illam vt effugiat pœnam legis: non tenebitur re
stituere bona sua fisco. Ratio est, nō solùm suauitas
legis (vt iam dictum est): sed etiam quia ille non te-
nebatur confiteri veritatem ex iustitia commutati-
C ua, sed solum ex iustitia legalis; cuius trāsgressio nō
obligat ad restitutionem: & ex alia parte fiscus nun
quam acquirit dominium illorum bonorum ante
iudicis sententiam. Ergo non est aliqua causa quare
obligetur ille ad restitutionem suorum bonorum fa-
ciendam fisco. Et denique humano more non est fa
ctibile, quòd aliquis qui ita euaserit condemnatio-
nem suam: velit reddere bona sua fisco: ergo nō est
credendum, quòd lex velit illum obligare ante con-
demnationem iudicis.

Et confirmatur, quoniam ille qui sic euasit indi-
cium condemnationis suæ, non tenetur iterum re-
uerti ad iudicium & confiteri veritatem quam ne-
D gauerat: ergo neq; reddere bona sua fisco. Probatur
consequentia, ex vulgari maxima, pp quod vnum-
quodq; tale & illud magis. Ergo si ille teneret red-
dere bona sua fisco: magis teneret confiteri ueritatē
in iudicio, pp quam condemnatur vt reddat sua bo-
na fisco. Eo vel maximè, quia si redderet illa bona
fisco, perinde esset atq; si cōfiteretur crimen suum.

De tertio statu sit septima & vltima conclusio.
Qui post latam sententiam à iudice: per dolum uel
fraudem aut vim occultat bona sua, ne sententia
executioni mandetur: tenetur ipsa bona restituere
ante aliam iudicis sententiam fisco. Est hæc conclu
sio concors omnium doctorum sententia. Et ratio
eorum est manifesta, qm̄ omnis qui retinet alienū:
E tenetur illud restituere vero domino. Sed per sen-
tentiam iudicis aufertur dominiū à criminoso, &
transfertur in fiscū: ergo ipse tenet illa reddere fisco.

Sed obseruandum est, non opus esse ꝙ ipsemet
condemnatus proprijs manibus reddat bona illa fi-
sco, nisi forte expresse iuberetur ita facere: sed suffi-
cit ꝙ permittat illa à se auferri, nec occultet: sed ma
nifestet ueritatem interrogatus. Et ratio huius est,
quoniam ipsamet sententia iudicis non obligat con
demnatum, ut ipse sit exequutor illius, sed ea condi
tione transfert dominium in fiscum: vt fiscus sit
executor sententię illius.

Ex quo sequitur, quòd ille condemnatus, si fiscus
fuerit negligens in exigendis illius bonis: poterit
pre-

præscribere intra tempus à legibus designatū. Hoc
A dixerim, nisi forte sit aliqua lex ecclesiastica, quæ
impediat huiusmodi præscriptionem in pœnam hæ
reticorum.

Deinceps agendum nobis est de triplici genere le
gum pœnalium: de quibus frequenter dubitari so-
let: an obligent ad solutionem pœnæ ante sententiā
iudicis, & quomodo obligent in foro conscientiæ?
Huiusmodi leges sunt. Primò quæ feruntur de tri-
butis soluendis. Secundò leges quæ prohibent cęsi-
onem lignorum in syluis alienis, uel non proprijs.
Tertiò leges quę prohibent uenationem, piscatio-
nem, & aucupium præsertim columbarum in alie-
nis columbarijs.

DVBITATVR tertio. Vtrum leges latæ de tri
butis Regi soluendis, obligent in foro conscientiæ
ad soluendum, non solum tributum, sed etiam pœ-
nam impositam non soluenti intra tempus defini-
tum? Pro cuius rei intelligentia supponendum no
bis est ante omnia: tributa deberi ex iustitia ipsis
Regibus, quamuis aliquando Reges ipsi, iniusta tri-
buta soleant imponere reipublicæ. Nos autem lo-
quimur de iustis tributis quorum iustitia inde colli-
gitur: quoniam Reges tenentur ex officio seruare
rempublicam in pace & in bello. In pace quidem,
componendo lites ciuiles & puniendo malefacto-
res potenter, etiam ipsos magnates. In bello autē,
defendendo rempublicam ab inuasoribus iniquis,
& insuper vindicando iniurias factas reipublicę: ad
quę omnia necessariæ sunt opes ingentes, & etiam
ad splendorem regium tam in cibo quam in multi-
tudine ministrantium. Ergo cum ipsa respublica
transtulerit suam auctoritatem totam in Regem ea
conditione, ut talia exequatur officia difficillima: te-
netur ei tributa conuenientia exhibere, ut decenter
& conuenienter possit gubernare. Igitur quemad-
modum mercenario debetur merces ex iustitia cō-
mutatiua: multò magis ipsi Principi debetur ingens
tributum pro labore & officij sui dignitate.

Confirmatur prędictum fundamentum. Quoniā
decimę ecclesiasticæ debentur, ex iustitia ecclesia-
sticis ministris pro stipendio officij sui: sed non sunt
minus necessarij in republica seculari princeps &
ministri eius. Ergo respublica tenetur illos conue-
nienter sustentare pro dignitate officij sui. Hoc
etiam fundamento constat ex sacra Scriptura, imo
Christus Dominus Matth. 17. Indicauit Reges ter-
ræ iustè tributa exigere dicens, Reddite quæ sunt
Cæsaris Cæsari, & quę Dei Deo. Et D. Hieronymus
& Theophilactus aiunt, ꝙ Christus Dominus
iussit ibi tributa dari Cæsari, & Apostolus ad Ro-
ma. 13. prēcipit, Reddite omnibus debita cui tribu-
tum, tributum: cui vectigal, vectigal. Et denique
vniuersi Reges tam in populo Dei antiquo quam
etiam inter gentes acceperunt sibi tributa semper à
suis regnis. Ergo illa necessaria iudicata sunt ab om
nibus gentibus ut respublica rectè gubernaretur.

Obseruanda sunt tamē quatuor in iustificatione
huiusmodi tributorum. Primo quidem, quòd ipsi
regno interest quòd Rex sit potentissimus & diues.
Rursus regi etiam interest, quòd regnum sit locu-
ples & abundet diuitijs, ut habeat unde possit rex
abundantia tributa recipere. Secundo quòd utra-
que pars nititur ad se trahere alteram in huiusmodi
diuitijs. Et ideò regula componendi utraque partē
desumitur ex fine officij Regis: quod quidem est cō
siderare seipsum esse propter regnum, non autem re
gnum esse propter ipsum. Vnde ad sustentandam
regiam magnitudinem seu magnificentiam, nō de-
bet pati regnum, nisi tantum quantum satis est ad
salutem regis. Quòd si circunstantiæ fuerint tales, ꝙ
requirantur sumptus maiores solito: ita ut necessa-
rium fit, ꝙ populus grauetur tributis, tunc tributa
iusta erunt, si & ipse Rex in sua proportione simili-
ter patiatur cum populo, & sese temperet à sumpti-
bus superfluis: alioquin erunt tributa iniusta. Et ra-
tio est, quia in tali euentu Rex non ordinaretur ad
bonum regni: sed potius ordinaret regnum ad seip-
sum tanquam ad finem, quod consueuit Turca ty-
rannissimus facere.

Tertio obseruandum est, quòd postquam consi-
liarij Regis & procuratores regni conuenerunt in
aliquo tributo & noua impositione iniusta: nihilo-
minus huiusmodi iniustitia toleranda est potiusquā
B admittatur rebellatio populi. Ratio est euidens: quo
niam de duobus malis minus est eligendum. Est au-
tem maximum malum regni diuisio & rebellatio ab
ipsa vnitate, quę est in vno Rege: sicut experientia
compertum est. Tunc enim contingunt in populo
maximi insultus latrocinia &c. Et quod peius est re
ligio Christiana patitur detrimentum. Ergo Theo-
logi prudentis & concionatoris officium erit, suade
re populo, ut obediat mandatis Regis, nec exaspe
ret populum manifestam adorationem iniustitiæ tri
butorum, etiam si essent iniusta. Notandum est se-
cundo, quòd in Hispania sunt duo genera tributo-
rum. Alterum est decima pars pretij eorum quæ
venduntur, quod vulgo dicitur, *Alcauala*. Quod
C quidem impositum est & originem habuit, quando
Reges Catholici Ferdinādus & Isabela bellum mo-
liebantur contra Regnum Granatense, quod Sara-
cені occupabant. Et in subsidium huius belli po-
stulauerunt à regno necessarium tributum: & tunc
Decretum est, ꝙ daretur Regibus decima pars pre-
tij eorum quæ uenderentur, quod vocatum est me
ritò *Alcauala*. Quia quidam de consultoribus ad-
inueniens hunc modum tributi, quod non esset illu-
stribus molestum, sicut illud quod vulgò dicitur, *Pe-
cho*, dixit, *Yo dire al que vala tanto y mas que pecho,
y non sea pecho*. Postea verò finito huiusmodi bello
mansit huiusmodi tributum in corona Regia non
cum tanto rigore, ita ut solueretur decima pars pre-
D tij, sed trigesima pauò plus minusve. Et huiusmodi
pactum inter nos dicitur, *Encabecamientos de los
pueblos y ciudades*. Rex autem huiusmodi tributum
aliquando transfert in alios uel donatione uel ma-
gnificentia Regia uel etiam venditione.

Rursus est aliud genus tributi, quod soluitur pro-
terea quòd merces aliquæ transuehuntur de regno
in regnum. Et quidem si per mare transferantur
appellatur à nostris, *diezmos del mar*. Quę autem
per terram trāsferuntur dicuntur à nostris *portaz-
go*, & à Latinis vectigal.

Tertiò notandum est pro explicatione huius tri-
buti, ꝙ sunt aliquæ leges quę prohibent aliqua trans
ferri de regno in regnum, sub certa pœna: & huius-
modi leges non sunt proprię de tributis, sed sunt le-
E ges pœnales, de quibus iudicandum est secundùm
decisionem dubij precedentis. Non enim obligant
ad solutionem pœnæ ante sententiam iudicis, quan
tumlibet aliquis per fraudem & dolum sese occulta-
uerit ad transferēdas merces uel pecunias de regno
in regnū. Aliæ uerò sunt leges quæ non prohibent,
sed potius admittunt & præsupponunt aliqua trans
ferri de regno in regnum: sed imponunt transferen
tibus aliquod tributum Regi soluendum. Et istæ le-
ges propriè sunt tributariæ.

His ita constitutis arguitur primo pro parte affir
matiua. Id quod debetur ex iustitia commutatiua,
soluendum est ante omnem iudicis sententiam:
sed

sed iusta tributa debentur Regi ex iustitia commutatiua, ut dictum est, ergo quilibet tenetur ea soluere antequam exigantur.

Arguitur secundò Quoniam publicani, quos vulgò dicimus *alcaualeros*, vel *arrendadores*, dato prætio Regi emunt huiusmodi tributa, ergo qui non soluunt tributa iniuriam faciunt istis hominibus, qui titulo emptionis habent ius ad ea percipienda. Et denique multi magnates, in regno siue alias diuites emunt à Rege oppida multa cum iure percipiendi huiusmodi tributa, ergo illis etiam fiet iniuria nisi tributa soluantur ante iudicis sententiam vel ministri exequutionem. Ad hanc dubitationem Summa Angelica in verbo pedagium, quęst. 6. asserit vniuersaliter partem negatiua. Sed opposita sententia est communis doctoribus Theologis & Iurisperitis.

PRO decisione huius difficultatis sit prima conclusio certa naturali ratione & secundùm fidem. Tributa de quibus constat esse iusta, soluenda sunt ante iudicis sententiam cum eis conditionibus, quę lege aut usu admittuntur. De quibus dicemus sequentibus conclusionibus. Ista conclusio non aliter probatur quam ex fundamento primo & rationibus eius.

Secunda conclusio sit specialiter de tributo, quod dicitur *alcauala*. Qui merces suas vendit bona fide, idest, absque dolo & fraude interueniẽte in illis occultandis, si fortè id faciat ignorante publicano, non tenetur huiusmodi tributum ipsemet reddere. Si autem aliquis dolo & fraude vtatur in occultanda venditione rei, tenetur in foro conscientiæ reddere huiusmodi tributum ante iudicis sententiam, & antequam exigatur ab ipso publicano ignorante. Probatur prima pars conclusionis, quia huiusmodi tributum semper in Hispania visum est durum post bellum Granatense: & propterea mitigatum est à Regibus, vt nõ exigatur decima pars sed tricesima plus minusvè & cum conditionibus, quæ tributum reddant suauius, videlicet, quòd venditor soluat, illud tributum quando requisitus fuerit. Esset enim durissimum & intolerabile, quòd qui uendit rem suam necessitate coactus, teneatur ipsemet querere publicanum & reddere illi decimã partem pretij, & hoc est receptissimum iam in Hispania inter viros timoratæ conscientiæ & doctissimos, quòd huiusmodi uenditor nõ teneatur soluere huiusmodi tributum, nisi fuerit requisitus. Ex quo sequitur, quòd lex quędã 120. quę habemur *en el quaderno de las alcaualas*, quæ præcipit, quòd venditor intra quinque dies notam faciat publicano venditionem, nunquam fuit vsu recepta: vtpote quæ reputata est acerbissima. Secunda uero pars conclusionis probatur. Quia hoc genus tributi cum prædictis conditionibus & moderaminibus iustum est, & debetur ex iustitia commutatiua, ergo tenetur venditor qui vsus est fraude dolo, in foro conscientiæ restituere.

Tertia conclusio. Venditor etiã qui vsus est fraude & dolo, non tenetur ad restitutionem transacto biennio. Probatur ex l. 129. in citato quaternione. Vbi prefigitur ipsi publicano tempus biennij intra quod possit huiusmodi tributa exigere. Imo in quibusdam mercibus quæ non venduntur coram tabellione, prefigitur illi spatium duorum mensium, intra quod possit exigere tributa, ergo cum ista conditione obligantur venditores soluere tributum.

Quarta conclusio. Vt in plurimum in oppidis particularium dominorum, qui sunt vassali Regis, etiam qui utuntur fraude & dolo non tenentur ad restitutionem aliquam faciendam huiusmodi tributi. Imo propriè non est fraus aut dolus, sed cautela

A occultare uenditionem mercium suarum. Ratio est, quia vt in plurimum isti domini exigunt tributa cũ maiori rigore quam ipse Rex: quod est iniquissimum, quia Rex ipse non dedit illis maiorem potestatem, quam ipse haberet in exigendi tributis. Diximus autem regulariter, quoniam aliqui sunt dominii oppidorum, qui non exigunt tributum acerbius quàm ipse Rex, ergo istis soluendum est tributũ iuxta conditiones secundæ cõclusionis & tertiæ.

Vltima conclusio. Qui bona fide merces uel res alias transferunt de regno in regnum, si portitor nõ adsit qui exigat portorium: non tenentur ipsi quidquam soluere. Si autem mala fide, scilicet, vtendo fraude & dolo occultant transitum mercium, tenen
B tur ad restitutionem tributi sicut dictum est *del alcauala*.

AD argumenta in oppositum respondetur. Ad primum, quòd quamuis ipsa respublica teneatur ex iustitia commutatiua sustentare Regem, tamen sufficienter hoc præstat per impositionem tributorum cum illis conditionibus, quæ efficiunt suauiora tributa: ac proinde qui soluit tributa cum illis conditionibus, non tenetur ad aliquid amplius.

Ad secundum & tertium argumentum respondetur, quòd tam pulicani quam domini oppidorum recipiunt ius percipiendi illa tributa cum illis conditionibus. Vnde qui seruat illas conditiones non facit eis iniuriam. Hactenus de tributis.

C DVBITATVR quartò, Vtrùm qui ligna cędũt in alienis syluis colligant sylueſtres glandes, castaneas, vel etiam qui pascunt in alienis pascuis sua pecora, teneantur ad restitutionem in foro conscientiæ ante omnem iudicis sententiam.

Arguitur primò pro parte affirmatiua. Isti lædunt iustitiam commutatiuam, ergo tenentur restituere. Probatur antecedens. Quia damnum inferunt in alienis bonis.

Arguitur secundò, & confirmatur. Quia isti sunt verè fures, & sic appellantur. ff. arborum furtim cæsarum, maximè in l. 2. Et probatur, quia vsurpant rem alienam inuito domino. Sed dicet aliquis q̃ hoc argumentum non procedit de vicino qui cæ
D dit ligna in sylua sui oppidi, quoniam illa sylua communis est. Sed contra replicatur: quia non minus est fur, qui compilat publicum ærarium, quàm qui furripit pecuniam à proximo, imo ille magis punitur: quia grauius peccat, ergo non minuitur obligatio restituendi per hoc quòd quis cędat ligna in sylua communitatis ipsius.

In hac difficultate dissoluenda, quidam doctores graues sunt plus nimio scrupulosi. Nam Ioannes de Medina in C. de restitutione. quæstio. 12. asserit vniuersaliter partem affirmatiuam, nisi forte excusentur omnes isti ex aliquo statuto vel voluntate interpretatiua domini sylue: qui videtur esse con
E tentus ipsa pœna, quando capiuntur homines cædentes ligna. Sed Castro lib. 1. de potestate legis pœnalis. c. 10. corol. 1. asserit, omnino condemnandos esse lignatores, qui in alienis syluis ligna cædunt: & inuehitur uehementer in confessarios qui illos absoluunt absque restitutione.

PRO decisione veritatis notandum est, quòd sylue quædam sunt communitatis: aliæ vero sunt adiudicatæ particularibus personis. Et istæ sunt in duplici differentia. Quædam enim adiudicatæ sunt particulari personę ab ipso Rege vel à republica: aliæ uero possidentur à particulari persona, titulo plantationis in proprio fundo: quoniam ipse plantauit sylua uel antecessores eius à quibus illam hę reditauit uel emit, &c.

Secun-

Secundo notandum, quòd quando non constat de isto secundo titulo, præsumendum est quòd prioti titulo possidetur sylua ab aliquo particulari. Et ratio est, quia is qui secundo titulo possidet, semper curat diligenter huius rei testimoniũ habere vel proferre.

Sit ergo prima conclusio. Frequens lignorum cæsio in alienis syluis, quæ sunt communitatis, peccatum est contra iustitiam legalem. Ratio est, quia semper est lex vel statutum in ipsa communitate, vt non cedantur ligna de sylua communis: nisi certis temporibus & cum certa moderatione, ergo cum iustitia legalis respiciat bonum commune, ipsi particulares tenentur secundùm legem non destruere sylua, sed conseruare, & peccatum erit contra iu-
B stitiam legalem frequenter ligna cædere extra tempora determinata. Non autem audeo semper condemnare eos peccati mortalis, nisi quando notabile detrimentum fit in ipsa sylua, attenta proportione quantitatis & magnitudinis ipsius sylue. Tunc enim erit peccatum mortale.

Secunda conclusio. Qui cædit ligna in syluis alienis etiam priuatæ personæ, quas tamen non constat esse consitas à particulari persona, non tenetur ad aliquam restitutionem: nisi fortè sylua deuastauerit, quòd vulgo dicitur *talar*. Probatur prima pars conclusionis. Si ab initio sylue essent adiudicatæ siue oppidis siue particularibus personis ea cõ
C ditione, vt ipsis dominis liceret impunè materiam inde cædere, alijs tamen liceret, sed non sine aliqua pœna, tũc ipsi lignatores non tenerentur ad restitutionem: sed tantum soluere pœnam dum caperentur. At vero ita se res habet q̃ oppidis & huiusmodi priuatis personis hac lege & conditione, saltim interpretatiua, adiudicatæ sunt sylue: quod etiam constat ex consuetudine, ergo non tenentur nunc ad restitutionem. Probatur minor. Quoniam arbores sylueſtres quas sua sponte terra producit, aut certè minima humana industria, sunt maximè necessariæ humanis vsibus, ergo non decebat, ita appropriari dominis sicut appropriantur arbores, quę maiore indigent diligentia, ergo. Minor illa vera est
D Confirmatur. Quoniam ad quietem conscientiarum hominum pertinebat, vt hoc modo adiudicarentur sylue: quia mortaliter loquendo necessitas frequens & communis earum vsus cogit homines ligna de sylũis cædere. At vero ad quietem conscientiæ quo ad fieri poterit, reficienda sunt & reducẽdà omnia commoda temporalia reipublicæ, ergo meritò sic arbitramur: eo vel maximè quòd parũ incommodatur respublica, & particulares maximè accommodãtur: & sufficienter conseruatur sylua cum illa pœna, ergo absque aliquo dubio hæc sentẽtia potest teneri & practicari. Hoc ipsum probatur ex more & vsu non solum lignatorum quorum nemo existimat teneri se ad aliquam restitutionẽ: sed etiam ipsorum iudicium, qui capiunt huiusmodi lignatores ligna cædentes, non enim obligant ad restitutionem ipsorum lignorum: sed tantum ad statutũ pœnam. Secunda vero pars probatur. Quoniam qui depopulatur sylua etiam proprij oppidi, peccat contra iustitiam commutatiuam, ergo. Probatur antecedens. Quoniã ille tollit & destruit à domino sylue ius quod habet ex iustitia commutatiuam ad ipsam sylua, & ad vtilitatem illius, tã pro communitate quàm pro perticularibus, ergo qui isto modo deuastat sylua, tenetur ad restitutionem. Et hoc probat replica facta in secundo argumento.

Tertia conulusio. Qui cædit ligna in aliena sylua,

A quam constat esse plantatam à domino in proprio fundo, tenetur ad restitutionem damni illati ante omnem sententiam iudicis. Ratio est, quia plantatio sylue in proprio fundo est perfectus titulus propter quẽ sylua appropriatur perfectè ipsi dño: ita vt ipsi soli liceat colligere fructus & ligna cædere, ergo qui inde aliquid accipit tenetur restituere, sicũt qui accipit ex vineam vel ex messibus alienis. Hanc conclusionem probant argumenta facta in principio huius dubij. Et probatur adhuc, quia ille qui plantauit sylua in proprio fundo, priuauit se alijs commoditatibus & fructibus terræ illius, ergo qui inde aliquid accipit, perinde atque si acciperet ab alijs fructibus quos ille dominus poterat habere ab illo fundo: tenebitur ad restitutionem.

Nihilominus sit quarta conclusio, quæ præcedẽtem moderatur. Graue damnum & insigne requiritur, vt qui ligna cædit in huiusmodi syluis, obligetur ad restitutionem sub peccato mortali. Explicatur ista conclusio ex differentia, quæ inuenitur inter obligationem ad restituendum damnum datũ in huiusmodi syluis & in alijs. Etenim in alijs sola populatio & deuastatio obligat ad restitutionem. Quæ vero dicatur depopulatio vel deuastatio relinquitur arbitrio boni viri iudicandum. At verò in sylua de qua loquimur in hac conclusione, etiam circa depopulationem, obligamus ad restitutionẽ. Cæterum vt obligemus sub mortali peccato, requi-
C rimus graue damnum datum sylue domino. Hoc autem graue damnum aliter iudicatur pro diuersitate qualitatis materiæ. Etenim ad grauem materiam in furto, minor requiritur quantitas in auro, quàm in argento. Similiter in rebus quas sponte terra ipsa producit, maior quantitas requiritur, vt materia sit grauis, quam in illis rebus quas frequens humanam industria produci facit. Cum igitur sylueſtres arbores consitæ à domino sylue requirunt minimam industriam, requiritur magna quantitas vt sub peccato mortali obliget restitutio. Et dicerim ego iudicio meo, esse peccatam mortale integram arborem detruncare. Et ratio est quia quanuis in
D colendi huiusmodi arboribus non requiratur frequens industria, tamen multo tempore procreantur: & postquam procreatæ sunt huiusmodi arbobores, multum fructum afferunt, & vtilitatem annualem, ergo priuare dominum hac vtilitate ad multos annos, grauis materia est & mortale peccatum. Cæterũ ramos ex huiusmodi arboribus cædere, vix erit pecatum mortale: nisi sit frequens cæsio.

Quarta conclusio. Quod dictum est de arborib. sylueſtribus, dicendum est de illarum fructibus ita videlicet, quòd in syluis in quibus licet ligne cædere, licebit etiam colligere fructus arborum. In sylu-
E uis autem in quibus non licet ligna cædere, non licebit neque fructus illorum accipere. Probatur cõclusio. Quia fructus sequitur naturam & conditionem arboris, & eodem modo applicatur suis dominis, qualiter & applicantur sylue, ergo ita iudicandum est, Vtrum liceat vel non liceat fructus colligere, & vtrum accipientes teneantur restituere, sicut supra iudicauimus de cæsione lignorum. Et cõfirmatur. Quia fructus etiam arborum vtiles & necessarij sunt in varios vsus, videlicet, ad ignem, ad pastum peccorum & hominum, sicut & ipsæ arbores, ergo & idem iudicium erit de vtriusque.

Sexta conclusio. Qui pascit pecora in syluis alieni, si huiusmodi sylue circumseptæ sunt, tenetur restituere damnum illatum ante iudicis sententiã: si uerò prata non circundata sunt, qui pascit herbam illorum, non tenetur restituere: sed subiacebit pœ-

nis

nis taxatis à lege. Prima pars probatur. Quia sicut consertio & seminatio syluarum tribuit ius & dominium perfectum seminanti domino: ita similiter circundare prata, tribuit ius & dominium perfectum suis dominis, ergo qua ratione qui cædit ligna syluarum quæ appropriata sunt titulo plantationis, tenetur restituere ante iudicis sententiam ita etiam qui pascit herbam prati circundati contra voluntatem sui domini, tenebitur restituere. Et confirmator. Quia vt diximus de præcedentibus, herba prati per uia est, & indiget sua custodia, ergo si ipsa iam septa est & perfectè appropriata domino, tunc qui illam pascit tenetur restituere.

Ex quo sequitur secunda pars conclusionis, quòd videlicet si prata non sint peculiari titulo adiudicata perfecto domino, non tenebitur restituere nisi fiat maxima deuastatio prati.

Ad primum respondetur, quòd peccatum cedentis ligna in sylua non est contra iustitiam commutatiuam, nisi in syluis appropriatis titulo plantationis: & quando fuerit magna depopulatio. Et ita non semper tenentur lignatores ad restitutionem.

Ad secundum respondetur, quod ille propriè loquendo nec furatur neque appellabitur fur, quia non accipit alienum simpliciter. Nam quando syluæ & nemora donantur, aut sunt reipublicæ, non perfectè subduntur dominio illorum: sed tantum quantùm ad hoc quòd ipsi vtantur & possideant talem syluam qualiter libuerit sine peccato & sine pœna. Alij verò cum pœna taxata & sententia ista à iudice poterunt eisdem syluis vti: & ita leges inductæ abusiuè & impropriè loquuntur appellantes fures eos qui sic cædunt ligna.

Ad tertium respondetur, quòd quæ reponuntur in ærario ciuitatis, omnino sunt appropriata dominio reipublicæ in commodum singulorum ciuium. Vnde qui compilat ærarium, tenetur restituere nõ aliter atque fur & latro. Verum tamen syluæ & ligna & herbæ camporum non ita sunt appropriatæ: sed vt diximus appropriatione imperfecta & dominio diminuto. Et hoc fit propter maximam necessitatem talium rerum, quas non decet omnino appropriari dominis, ita vt reliquis ciuibus non liceat aliqua via vti illis ad supplendam suam indigentiam. Ex quibus sequitur primo, quòd arbores hortenses & similiter fructus eorum qui accipit: tenetur restituere; quia similiter deputati sunt & circumsepti, & indigent peculiari industria & custodia.

Secundò, sequitur, quòd quando feruntur excommunicationes contra cæsores lignorum, solùm obligant illos de quibus diximus, quòd teneatur restituere etiamsi excommunicatio omnes videatur respicere: quia illi solum peccant mortaliter qui contra iustitiam commutatiuam cædunt ligna, & excommunicatio solum ligat, supposito peccato mortali.

Tertiò sequitur, quòd episcopi imprudenter imo perperam concedunt huiusmodi excommunicationes: quia peccata ista etiam si procedant contra iustitiam commutatiuam: tamen communia sunt & frequentia, quæ vix à lignatoribus & pastoribus euitantur. Vnde in Concil. Trident. Sessio. 25. de reformat. ca. 3. præcipitur ne excommunicationes ferantur pro delictis vulgaribus.

DVBIVM aliud est, Vtrùm qui venatur in alienis montibus & nemoribus, & qui piscantur in alienis fluminibus, aut denique qui aucupantur in alienis locis, & maxime ex columbarijs, teneatur restituere damnum illatum ante iudicis sententiam. De

A quà materia disputant Scholastici in 4. Sententiarum quæst. 13. Suimmistæ verbo venatio, & verbo restitutio. Ioã. Medina in cap. de restitutione quæst. 12. Cast. opusc. 17. responsionum, responsi. 12. Soto lib. 4. de iustitia quæst. 6. art. 4. Nauar. in Manua. ca. 17. quæst. 120. Couar. in relect. supra regula peccatum. §. 8.

PRO explicatione huius rei, tria animaduertenda sunt. Primum est, supposito quòd Princeps iustis de causis potest interdicere uenationem, piscationem, & aucupium. Prima ratio est quæ desumitur ex tempore: quare iustè interdicantur huiusmodi. Vt quòd. v. g. instet tempus, quando animantia edunt suos partus: aut in tempore frigoris & niuis,
B quando facile animantia capiuntur, & ita fit magna deuastatio illorum. Secunda causa est, propter modum & instrumenta quibus aliqui uenatores utuntur: qui cedunt in perniciem ipsorũ animantium & reipublicæ. De quo vide. l. 40. tit. vlt. c. 8. in Regijs ordin. & etiam in Repertorio Pragmat. Caroli V. lib. 8. tit. de las cacas. specialiter videantur duæ leges editæ à Carolo ipso V. apud Matritum, anno 1552.

Tertia causa quare venatio vel piscatio interdicitur est, ratione loci: quia, videlicet, locus aut ferè vel aues ibi existentes applicatæ sunt alicui domino in particulari à republica vel à principe. Et in præsenti non quærimus de venatione aut piscatione quæ fit contra legem prohibentem ratione tem
C poris aut instrumentorum: manifestum est enim, quòd isti venatores peccant contra leges, & tenetur luere pœnas taxatas facta condemnatione, sed loquimur de venatione vel acupio interdictu, ratione tertia.

Secundo nota quod applicatio ista ferarum vel auium aut piscium potest fieri tripliciter. Primò, quia locus vbi existunt feræ vel pisces vel aues applicantur alicui domino: qualiter applicata sunt Regi Catholico Philippo I. Inc mora quæ circunstant Matritum. Quòd potuit fieri rationabiliter dupliciter. Primò, quia hoc respublica gratuitò potuit donare. Secundò, quia ipse Princeps potuit sibi deputare ista loca, etiam non consentiente republica, quia
D in hoc Rex vtitur iure suo. Decet enim maiestatem Regiam, quædam loca in Regno sibi designare recreandi animi gratia, etiam renuente communitate. Veruntamen hoc moderatè debet fieri: ita nempe vt nec plura loca, nec magna sibi vsurpet contra vsum & commoditatem populorum. Vtrum verò Reguli idipsum possint facere? Respondetur negatiuè, sed suis facultatibus possunt emere agros, vel petere à republica vt nemora sibi constituant. Poterunt tamen interdicere venatione suis oppidantis certis temporibus & locis ex causis congruentibus: hoc enim expedit ipsi communitati. Secundo modo potest fieri hæc applicatio à Principe, qui interdicit venationem aut piscationem talis loci
E existentis sub dominio alicuius priuatæ personæ: quod potest fieri iustè, licet non debeat frequenter, quia venatio & piscatio videntur esse de iure gentium. Vnde non debent totaliter vel quasi totaliter impediri. Tertia applicatio fit quando dominus priuatus vallat & circundat locum suum, syluam aut stagnum vbi existunt feræ & pisces, quod pro suo libito potest facere. Tertiò nota, quòd damna quæ sequuntur ex huiusmodi venationibus vel piscationibus interdictis, debent restitui in integrum dominis locorum in quibus fiunt damna. Et confessarij non possunt absoluere damnificantes, nisi restituant: & cauti debent esse in prospiciendo lucro cessante & damno emergente. Vt si. v. g. seminentur

agri

agri & plantentur vineæ, si fructus in spe recipiendi pereant propter feras, si etiam incumbant custodiæ ipsi agricolæ taliter quòd desistant ab alij laboribus sibi proficuis. Si etiam infestentur occasione nemorum custodibus & ministris ipsius Principis. Hæc enim omnia & similia expendenda sunt à cõfessario: alias sibi imputabuntur ad peccatum huiusmodi damna.

HIS suppositis, quæ sunt fundamenta huius materiæ, & quæ communiter recipiuntur, est modu difficultas proposita de obligatione ad restitutionem. Et pro parte affirmatiua arguitur primò ex. l. 16. titu. 18. Part. 3. Et. §. feræ. Instit. de rerum diuisione. vbi habetur, quòd qui in alienis syluis venatur aliquam feram non manet dominus illius, ergo te
B netur restituere. Probatur consequentia, quia retinet alienum.

Secundò arguitur. Recte applicantur loca ista & feræ aut pisces priuatis dominis, ergo iustè possidet ac subinde iniustè accipit piscator & venator: & tenebitur restituere. Confirmatur. Quia facta applicatione loci, si quis vsurparet illum aut partem illius, esset iniustus & teneretur restituere: vt manifestum est, ergo etiam ille qui accipit feram aut pisces, ita enim applicantur huiusmodi feræ prædictis dominis, sicut & loca in quibus existunt.

Tertiò. Venator aut piscator accipit alienum, inuito domino, ergo iniustus est & tenetur restituere. Antecedens patet, quia domini syluarum & fluminum maxime resistunt huiusmodi venationibus.

Quartò. Si isti venatores non tenentur restituere, ergo manent cum dominio venationis & piscationes. Consequens est falsum, ergo. Minor probatur, quia non habent aliquem titulum in quo fundetur tale dominium. Non enim iniqua acceptio & clancula, & furtiua venatio præstant ius, sicut in iure habetur, quòd fraus & dolus nemini patrocinantur.

In huius dubij solutione sunt tres sententiæ. Prima quæ asserit, quòd istæ applicationes & reseruationes venationum & piscationum sunt iniustæ omnino: ac subinde venatores non peccant contra iustitiam; nec tenentur restituere. Ita multi ex Iu
D risperitis, quos refert Couar. vbi supra, sentiunt.

Secunda sententia est ipsius Episcopi Couar. vbi supra, quòd non teneantur isti venatores restituere omnem prædam: veruntamen tenentur restituere damnum illatum domino illius fundi. v. g. si dominus voluit exercere venationem aut piscationem, & tantum accepit paucas feras, duas vel tres, vel pisces paucos: quia præuentus est ab alio iniquo venatore vel piscatore deuastante magnam partem prædæ: ait quòd iste venator tenetur restituere eam quantitatem ferarum aut piscium, quam probabiliter caperet verus dominus, si non præueniretur ab illo.

Tertia sententia eorum qui dicunt, quòd venatores non tenentur restituere quæ ceperunt, nec dam
E num illatum: nisi fiat magna deuastatio aut strages ferarum aut piscium.

PRO decisione huius difficultatis iuxta doctrinam præcedentis dubij decisuam, cui proportionatur præsens difficultas; Respondetur & sit prima conclusio. Qui venatur in montibus patentibus & non circumspetis cuiuscunque sint huiusmodi mõtes, non tenetur restituere, nisi faciat magnam deuastationem ferarum. Et hoc ipsum dico de piscatione in fluminibus patentibus & communibus. Probatur primò, quia venatio & piscatio, similiter feræ & pisces sunt communes de se, & illis gaudent rationabiliter oppidani, & quicunque

A etiam plebani, ergo quando montes aut flumina donat & applicat alicui in particulari, existimãdũ est rationabiliter: quòd non est illi translatum dominium ita exactum & perfectum, vt nullus possit venationem & piscationem exercere, se subijciendo pœnis statutis pro conseruatione piscium & ferarum. Quod patet, maxime si aduertamus quæ de cæsione lignorum dicta sunt. Qualiter, videlicet, dominium sit imperfectum. Ex quo prudenter colligimus lignatores non tenei ad restitutionem. Ita ergo in proposito dicendum est de piscationibus & venationibus, quas omnino auferre à vulgo, iniquũ esset & durum nimis.

Secunda pars conclusionis probatur. Quia talis
B venator tollit ius quod habet verus dominus super animantia aut pisces, ergo. Antecedens patet quia tollit materiam venationis & piscationis, quam dominus loci illius poterat exercere. Et confirmatur. Quia grauiter lædit rem alienam, qui facit huiusmodi stragem, ergo contra aliquam virtutem peccat, & non nisi contra iustitiam commutatiuam, ergo tenebitur restituere.

Secunda conclusio. Venator qui capit animalia existentia intra nemora circumuallata, tenetur restituere damnum illatum, & etiã animalia & aues. Et idem dico de piscibus reseruatis in stagno. Et quidem de damno dato communis sententia ita tenet. De restitutione verò animalium, probatur. Quia
C per inclusionem illam, quæ fit medio vallo, manet dominus perfectus & perfectum habet dominium omnium eorum: quæ reseruantur in talibus nemoribus, ergo iniustitiam committit, qui animalia extrahit aut aues. Et quidem certum est, quòd qui iustè potuit circumuallare montem aut stagnum, iustè etiam possidet: quæ ibi reseruantur? Hæc conclusio certa est, si loquatur de animalibus & auibus mansuefactis, vel quæ non possunt extra exire, vt sunt cuniculi & lepores inclusi. Si autem loquatur de feris & auibus quæ possunt vltrò exire, non ita certum est. Nihil ominus tamen est satis probabile quòd de ijs etiam verificetur cõclusio: quia etiã huiusmodi peculiariter deputata sunt & pertinent ad
D tale nemus. Sed contra. Nam possessor talis montis non habet dominium supra huiusmodi feras liberè exeuntes, ergo venator non tenetur restituere, licet intra montem capiat illas. Et confirmatur de auibus quæ liberè volant, & ita vagantur, ac si non haberent habitudinem aliquam ad fundum illud. Respondetur tamen ad argumentum, primo negando consequentiam, quia licet possessor talis loci non habere dominium supra animantia: habet tamen ius, vt quando libuerit possit ea occidere in propriam commoditatem: & hoc iure priuatur à venatore, quod non potest restitui commode, nisi restituatur animal occisum.

Secundo respondetur negando antecedens, & ad probationem dico, quod eodem argumento pro
E bares, quod aqua quæ intrat & labitur hortum meum, non sit mea: quia statim postquam egreditur à mea hæreditate, aliena efficitur. Ita etiam in proposito dicendum est. Ad cõfirmationem, fateor mihi videri nimis durum, quòd qui aucupantur aues feraces seu liberas, vt sunt perdices intra nemus alienum, obligentur ad restitutionem: quia nullus videtur titulus præstans efficaciter dominium illarum possessori illius montis. Non enim est titulus proprietatis & possessionis iustæ, qualiter loquis ipse est possidentis. Neque etiam est titulus genegrationis & procreationis prouenientis ex tali fundo: qua ratione arbores & herbæ possidentur

à do-

à domino illo, neque etiam est titulus custodiæ aut reclusionis: quia aues illæ libere volantes non reputantur nec astringuntur custodiæ aut reclusioni. Quocirca ego non obligarem istum captorem ad restituenda ista volatilia. Licet oppositum sit probabile propter autoritatem asserentium.

Tertia conclusio. Qui venantur animalia exeuntia extra septa nemoris, non tenetur illa restituere: etiam si talia animalia consuetudinem habeant eundi & redeundi ad nemora. Probatur primò. Quia ista animalia postquam vagantur communia sunt iure naturæ, ergo non manent sub dominio possessoris illius mõtis. Antecedens patet, quia postquam exeunt, iure naturæ omnino libere vagantur, ergo Secundò. Si Petrus v.g. manucapiat feram aut auem & illa effugiat, quam postmodum Paulus accepit profecto eo ipso quòd effugit manus Petri, etiam effugit eius dominium, & subijcitur dominio Pauli capientis, ergo à simili postquam animal effugit sylvam, & aliis egrediatur, potest possideri à quolibet capiente, & non manet sub dominio antiqui possessoris. Antecedens ab omnibus conceditur: & probatur consequentia. Quia animal captum à Petro magis subijcitur dominio Petri quam animal existens in sylua subijciatur domino illius sylvæ. Tertiò, quia columbæ vt statim patebit, postquam egrediuntur vltra leucam à columbario, possunt occidi & efficiuntur occiforis, etiam si consuetudinem habeant eundi & redeundi ad propria columbaria, ergo à simili dicendum est de animalibus & auibus egredientibus à locis circumseptis.

Sed contra est argumentum, quo continuntur aliqui doctores ex.l.naturali.§.seruos.ff. de acquirendo rerum dominio. & §. ijs igitur animalibus. Instit. de rerum diuisione. & in l. Regia tit. 28. l. 22. Part. 3. vbi approbatur regula quæ dicit, quòd animalia quæ habent consuetudinem eundi & redeundi ad sua loca, tandiu censentur esse domini illius loci, quandiu seruant consuetudinem eundi & redeundi, ergo qui capit ista animalia quæ reuertuntur ad propria loca, iniustitiam facit & contra voluntatẽ veri domini. Respondetur nihilominus quòd regula ista interpretanda est de animalibus quæ mansuefacta sunt & discedunt & redeunt. Ita gloss. in dict. §. ijs igitur. & colligitur exemplis ipsis adductis à legibus in argumento memoratis. Nam prima lex ponit exemplum in ceruis mansuefactis. Et lex Regia ponit exemplum in anseribus & faisanis, accipitribus, & cignis, quæ mansuescunt. Idem dico de piscibus qui forte irrepserint per rimulas stagni, aut ex paludibus circumuallatis, fiunt enim capientis. Ex quibus sequitur primò, quòd postquam animal egrediens à nemore obsito, occiditur & capitur, ita efficitur illius capientis, vt etiam si dominus nemoris assistat & velit tale animal repetere, non habet ius, quia per egressum animalis & captionem alterius, illud amisit. Sed quid si venator occiderit feram, & antequam illam manucapiat adueniat dominus nemoris volens illã accipere? Respõdetur, quòd habet ius ad illam sibi assumendam, quia vsque dum capiatur à venatore non est illius. Et ita dominus nemoris habet ius vt feram inuenerit nõdum captam eam sibi arripiat. Colligitur ex.l. naturalem. §. illud. ff. de acquirendo rerum dominio. vbi dicitur, quòd venatores percaptionem comparant sibi dominium.

Sed contra. Nam si postquam venator occiderit feram, aut lethali vulnere percussam insequitur, habet ius vt ipsam capiat, sic adeò quòd si qui occurrerint, non possunt illam feram sibi assumere aut occultare, ergo occisio aut percussio ante manucaptionem præstat ius venatoribus. Respondetur, quòd absque dubio occisio aut percussio tribuunt ius quasi in via & in spe: si tamen venator persequatur animal, & sua industria facile possit illud comparare, non iustè impeditur à pastoribus vel occurrentibus. Secus est de possessore nemoris, qui quousque capiatur animal in re, habet ius ad ipsum non obstante percussione venatoris. Hoc dixerim nisi propter rationabilem causam leges quandoque decernant oppositum: quod factum est in aliquibus partibus, vt refert Couar. vbi supra. Idem etiam intelligo de feris vltro egredientibus. Cæterum si venator arte aut violenter allicjat & extrahat feras aut pisces à locis in quibus reseruantur, non potest illas capere: & tenetur restituere perinde ac si intra nemus illas acciperet.

Secundò sequitur, quòd animalia mansueta & etiam mansuefacta, etiamsi egrediantur à montibus circumsceptis, non potest venator illa sibi accipere, quia mansueta sunt & vbique pertinent ad possessorem nemoris. At vero quia mansuefacta consuetudinem amittunt aliquandò eundi & redeundi, & multo tempore extra sylvam commorantur vt nõ censeantur iam pertinere ad talem sylvam, tũc prudenter censendum est idem de illis sicut de feris.

Quarta conclusio. Qui aucupatur columbas intra alienum columbarium, aut vero prope ipsum, tenetur restituere & damnum & columbas. Probatur. Quia columbæ istæ sunt sub dominio possessoris columbarij duplici titulo. Primò, quia ibi recluduntur & quasi domi reseruantur. Secundò, quia peculiari custodia & cura sustentantur, ergo qui columbas acupatur intra vel prope columbarium, tenetur restituere. Et suppono quòd columbaria ista iustè construantur & etiam iustè conseruentur absque iniuria vicinorum & conformtur ad leges positiuas regni. Nam si secus res habeat nullum acquirit ius constructor talis columbarij super columbas ibi iniquè reseruatas.

Quinta conclusio. Qui aucupatur columbas intra leucam à columbario peccat, nõ tamen tenetur restituere illas. Prima pars probatur, ex l. Henrici Tertij Regis Hispaniæ qui præcepit, quòd nullus intra leucam aucupetur colũbas alienas, ergo cum lex ista iusta sit, obligat in conscientia ex iustitia legali. Eademque confirmata est à Carolo Quinto apud Matritum, Anno 1552. Secunda pars conclusionis quæ videtur contra Sotum & Couarruuiã. Probatur, quia lex huiusmodi, non aufert nec confert dominiũ colũbarũ exeuntiũ à colũbario alicui: nec de dnio verborum loquitur. Ergo qui aucupat intra leucã nõ tenet restituere. Probatur consequẽtia, quia istæ columbæ postquam exeunt & vagantur non sunt possessoris columbarij, nec à lege illud habent, ergo erunt capientis. Quod confirmatur, quia columbæ istæ feraces sunt, ergo qui extra locũ eas ceperit efficitur iustè dominus illarum: sicut diximus de feris egredientibus à uallatis locis. Et hæc omnia intelligenda sunt, si non inferatur graue dãnum aut magna strages in columbario quod prudenter iudicandum est.

Ad primum argumentum respondetur, quòd leges illæ loquũtur de animalibus mansuetis & quandiu consuetudinem retinent eundi & redeundi ad proprium locum. De animalibus autem feracibus sequendæ sunt regulæ prædictæ.

Ad secundum argumentum respondetur, concedò quòd applicatio nemoris lignorum & animaliũ iustè fit & iustè posidetur. Vnde argumentum conuincit,

uincit, quòd qui tollit hoc ius iuiustitiam committit. Cæterum qui venatur in montibus patentibus, non tollit propriè ius: sed utitur iure suo, quòd luẽdo pœnas venetur animantia intra montem. Similiter qui feras exeuntes à montibus circumuallatis ceperit, vtitur iure suo: quia animantia ista sicut iura vagantur, iure etiam capiuntur à quolibet in discriminatim.

Ad confirmationem respondetur, quòd diuersimodè applicatur locus & arbores, quam animantia. Nam locus & ligna ibi perseuerant vinculo naturæ. Feræ autem & aues iure naturæ possunt vagari.

Ad tertium respondetur, quòd venator ille non accipit alienum perfectum: sed quòd habet aliquã dependentiam à casibus supra commemoratis.

Ad quartum respõdetur, quod habet titulum venator iure naturæ, & similiter iure positiuo legibus concedentibus, quod per manutentionem comparetur dominium ferãt aut piscium aut auium.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm aliquis debeat restituere quod non abstulit?

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd aliquis debeat restituere quod non abstulit. Ille enim qui damnum infert alicui, tenetur damnum remouere. Sed quãdoque aliquis damnificat aliquem vltra id quod accepit: puta cùm aliquis effodit semina: damnificat eum qui seminauit in tota messe futura. Et sic videtur quòd teneatur ad eius restitutionẽ. Ergo aliquis tenetur ad restitutionem eius quod non abstulit.

2. Præterea. Ille qui detinet pecuniam creditoris vltra terminum præfixum: videtur eum damnificare in toto eo quod lucrari de pecunia posset: quod tamen ipse non aufert. Ergo videtur quòd aliquis teneatur restituere, quod non abstulit.

3. Præterea. Iustitia humana deriuatur à iustitia diuina. Sed Deo debet aliquis restituere plus quàm accepit ab eo: secundũ illud Matthæi 25. Sciebas quod metò vbi non semino: & congrego vbi non sparsi. Ergo iustum est vt etiam restituat homini aliquid quod non accepit.

Sed contra est, quòd recompensatio ad iustitiam pertinet in quantum æqualitatẽ facit. Sed si aliquis restitueret quod non accepit, hoc non esset æquale. Ergo talis restitutio non est iustum quòd fiat.

RESPONDEO dicendum, quòd quicunque damnificat aliquem, videtur ei auferre id in quo ipsum damnificat. Dãnum enim dicitur ex eo quod aliquis minus habet quàm debet habere, secundum Philosophũ in quinto † Ethicor. Et ideo homo tenetur ad restitutionem eius in quo aliquem damnificauit. Sed aliquis dãnificatur dupliciter. Vno modo, quia aufertur ei, id quod actu habebat: & tale dãnum est semper restituendum secundum recompensationẽ æqualis, puta si aliquis damnificet aliquem diruẽs domum eius, tenentur ad tantum quantum valet domos. Alio modo, si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur quod erat in via habendi. Et tale damnum non oportet recompensare ex æquo, quia minus est habere aliquid in virtute quàm habere in actu. Qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel potestatem, & ideo si redderetur ei, vt haberet hoc in actu, restitueretur ei quod est ablatum non simplum, sed multiplicatũ: quod non est de necessitate restitutionis, vt dictum † est. Tenetur tamẽ aliquam recompensationem facere secundum conditionem personarum & negotiorum.

Et per hoc parte respõsio ad primũ & secundum. Nam ille qui semen sparsit in agro, nondum habet messem in actu, sed solum in virtute. Et similiter ille qui habet pecuniam, nondum habet lucrum in actũ, sed solum in virtute: & vtrũque potest multipliciter impediri.

Ad tertium dicendum, quòd Deus nihil requirit ab homine, nisi bonum quod ipse in nobis seminauit. Et ideo verbum illud vel intelligitur secundum prauã existimationem serui pigri, qui existimauit se ab alio non accepisse: vel intelligitur quãtum ad hoc, quòd Deus requirit à nobis fructus donorum qui sunt & ab eo & à nobis: quamuis ipsa dona à Deo sint sine nobis.

Lib. 5. ca. 4. to. 5.

Articl. præcedenti.

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA conclusio. Qui infert damnum alteri in re quam actu possidet, tenetur ad restitutionem æqualis.

Secunda conclusio. Qui infert alteri damnum in re quam non actu possidet, sed est in via habeat illã, non tenetur ad restitutionem æqualis: sed ad recõpensationem, habita ratione personarum conditionis & negotiorum. Ratio huius est, quia id quod habetur in actu respectu eius quod habetur in potentia

tentia aliquid maius est. Ergo si quis damnificet in eo quod habetur in potentia, non debet restituere tantum quantum si damnificaret in eo quod habetur in actu: alias non sufficeret restituere simplum.

COMMENTARIVS.

MENS D. Tho. in hoc articulo est docere, nihil referre commodum accipientis alienum, vt ipse teneatur restituere: sed attendendum esse ad damnum quod reuera intulit in actu siue in spe.

DVBITATVR circa secundam conclusionẽ, & arguitur primo contra illam, Sufficit ad reparãdam omnem iniuriam factam contra iustitia commutatiuam reddere æquale. At vero si quis redderet quantum valet res in potentia, habita ratione futuri, cogeretur dare plusquam æquale. Ergo hoc non est necessarium. Probatur minor, quia iustum pretium rei est illud in quo æstimatur in præsenti. Confirmatur, nam si quis occideret infantem seruũ vel equuleum, nõ tenetur restituere pretiũ in quo æstimaretur mancipium in ætate virili vel in quo æstimaretur equus perfectus, ergo non oportet habere rationem futuri.

Arguitur secundo. Sequitur ex secunda conclusione, quòd qui furatus est frumentum quando æstimabatur magno pretio, sed erat seruatum à domino in aliud tempus in quo fortè accidit, vt minori pretio æstimaretur: quòd ille fur non tenetur restituere triticum in illo pretio maiori in quo æstimabatur quando illa furatus est, sed sufficit quòd restituat in illo modico pretio. Consequens videtur falsum: qui ille damnificbuit in eo quòd ille habebat actu, scilicet in tritico quod tunc æstimabatur in tanto pretio.

Arguitur tertio. Sequitur ex illa conclusione, ꝙ qui furatus est pecunias negotiatori, teneatur restituere pretium quod ille lucraturus erat cum illis pecunijs ex negotiatione sua. Consequens contendit probare falsum Magister Soto in lib. 4. de Iustitia & iure. quæst. 6. art. 5. ad 2. & libr. 6. q. 1. art. 3.

Sed in oppositum est, primo quidem vsus agricolorum, qui solent in æstimandis damnis illatis segetibus quando sunt in herba, solent inquam expectare tempus messis: & tunc habita ratione messium vicinarum & similium iudicant faciendam esse restitutionem eius quod minus habet damnificatus, quam vicinus in similibus terris.

Arguitur secundo. Ipse dominus rei in qua damnificatus est, paratus erat & volebat expectare pericula quibus res illa erat exposita: sed qui damnũ intulit per iniuriam, destruxi hanc expectationem. Ergo tenetur totum restituere quod ille habiturus erat.

Denique si quis Tyrannus vim inferens reipublicæ depopuletur agros, videlicet, vineta olineta, &c. videtur quòd si iste non teneatur restituere totum pretium totius fructus agrorum, vehementer pateretur respublica & deuenire in summam inopiam & in caritatem magnam annonæ.

Ad hæc duo argumenta postrema respondet Soto art. 5. vbi supra, quod si damnum datum fuerit à casu & non è proposito, non tenetur damnificator ad restitutionem æqualis: sicut D. Tho. asserit in ipsa conclusione. At vero si damnum datum fuerit consultò per iniuriam, & renuente domino, tunc erit facienda restitutio æqualis eius quod erat in spe: præsertim quando damnum fuerit graue vt in casu postremi argumenti.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Quando quis sine culpa in foro conscientiæ, hoc est omnino inuoluntarie damnum dedit, non tenebitur ad aliquam restitutionem in foro conscientiæ. Probatur primo, ex illa communi regula, si tua culpa damnum datum est, &c. Ergo requiritur culpa, vt aliquis obligetur restituere tale damnum.

Deinde probatur, quia duplex titulus est vnde oritur obligatio restituendi. Alter est ipsius rei acceptæ: alter iniustæ acceptionis. Sed neuter titulus est vbi nulla est culpa. Ergo nulla est obligatio restituẽdi in foro conscientiæ. Dixerim in foro conscientiæ, quoniam sæpe numero contingit in foro exteriori, vbi nulla est culpa, quia præsumitur esse, iudicetur aliquis obligatus ad restitutionem.

Secunda conclusio. Quando quis dedit damnum alteri voluntariè quidem, non directè sed indirectè & interpretatiue, tenetur ad restitutionem faciendam damni illati: sed non erit obligandus ad solutionem pretij rigurosi, quo æstimaretur res illa si venditioni exponeretur. Exemplum est in illo qui per ignorantiam culpabilem occidit puerum mancipium, vel cõculcauit segetes in herba. Probatur ista conclusio, quia in huiusmodi casu oritur obligatio restituendi tantum ex iniusta acceptione: sed inter iniustas actiones ea minima reputatur, quæ fit per ignorantiam & negligentiam, ac proinde non est directè voluntaria sed indirectè & interpretatiuè. Ergo qui taliter damnificauit, sufficit quod restituat pretium quidem iustum, sed minimum. At vero minimum pretium est quo æstimatur quando vltro exponitur venditioni. In huiusmodi casu procedit primum argumentum cum sua confirmatione.

Tertia conclusio. Quando quis damnum dedit alteri voluntariè quidem formaliter, non tamen per se primò, licet per se secundo: tenetur ad restitutione iuxta tenorem secundæ conclusionis Diui Thomæ, hoc est habita ratione futuri boni expectati. Probatur conclusio, quia ista acceptio iniusta est directè & per se voluntaria. Ergo iste per se obligandus erit ad solutionem iusti pretij, non quidem minimi quando res vltrò exponitur venditioni, sed ad restitutionem maioris pretij iusti quando scilicet, emptor rogat dominum vt vendat: tunc enim habetur ratio futuri commodi expectati. Diximus autem acceptionem iniustam esse directè, & per se secundo, quãdo aliquis. v. g. Sciens & prudens quòd damnificat proximum, nihilominus eligit illud medium videns sequi damnificationem, quia est medium ad finem per se primò volitum & intentum. Et quia iste casus est frequens in humanis damnificationibus, ideo in illo maximè verificatur secunda conclusio Diui Thomæ.

Quarta conclusio. Qui voluntariè & directè & per se primò intendit dare damnum alteri, obligabitur ad restitutionem cum summo rigore: ita vt teneatur restituere simpliciter æquale habita ratione absolutè expectati commodi. Ista conclusio verificatur in casu postremi argumenti pro secunda parte, quando tyrannus depopulatur vineta & olineta & messes. Et probatur ista conclusio argumento ibidem facto.

Aduertendi tamen sunt duo modi pro intelligentia præcedentis conclusionis, qui seruari possunt in huiusmodi restitutionibus. Prior est, si attentis periculis quibus res erat exposita, & deductis expensis faciendis in curanda re eo tempore quo infertur damnum, tunc æstimetur res ipsa arbitrio prudentis

tis viri certo quodam pertio, & hic modus iustus est & seruandus in casu tertiæ conclusionis, si velit ille qui damnum intulit isto modo restituere, etiam si ipse dominus renuat damnificatus. Secundus modus est quem significabamus in primo argumento in oppositum, & est iustus modus ex conuentione & condicto vtriusque partis, neque tamen necessario seruandus absolute, si nolit damnificator ita conuenire. At vero in casu quartæ conclusionis, si pars læsa istum modum eligat, etiam si reclamet damnificatus, seruandus est iste modus. Et ratio huius est æquissima. Etenim æquitate plenum est, vt qui ex animi nequitia intendit aliquem fraudare expectatione, quam habebat prouentuum & commodorum: ipse cogatur ad restituendum totum commodum quod expectabatur, maximè autem habet verum ista sententia quando damnificator aperto mar te intulit damnum.

Ad argumenta quæ proposita sunt in principio respondendum est quatenus militant contra tertiam & quartam conclusionem: quanuis faueant primæ & secundæ conclusioni. Respondemus ergo ad primum argumentum cum sua confirmatione, quod iustum pretium rei non debet iudicari esse illud quo æstimatur res quando vltro venditur & quærit emptorem. Etenim in casu tertiæ & quartæ conclusionis dominus rei nulla ratione quærit emptorem, qua propter pretium iustum non erit illud quo æstimaretur res vltro quæreret emptorem.

Quod si quis objiciat, quoniam in casu secundæ conclusionis dominus rei non quærit emptorem, & nihilominus diximus, quòd pretium iustum ad restituendum in illo casu erat illud quo æstimaretur res vltro uenditioni exposita, ergo etiam in casu tertiæ & quartæ conclusionis erit illa sufficiens restitutio. Respondetur non esse eandem rationẽ. Negatur enim consequentia. Quoniam in casu secundæ conclusionis quanuis dominus non erat paratus vendere rem suam tamen res ipsa exposita est fortuitis periculis atque fortunis quæ solent contingere vel cum nulla culpa damnificantis, & tunc nulla est obligatio restituendi in foro conscientiæ, vel cum minima culpa quando damnificator non est directè & formaliter voluntarius, sed indirectè & reductiuè dicitur voluntarius. Et propterea meritò & æquissimè arbitramur quòd in casu secundæ conclusionis satisfiat domino ipsius rei, si restituatur illi minimum pretium quo res solent valere & quo valent æstimari quando vltro venduntur, etiam si ipse dominus non erat venditurus. Cæterum in casu tertiæ & quartæ conclusionis, vbi iniusta acceptio est completissime voluntaria, merito condemnamus damnificatorem, vt restituat cum illo rigore iustum pretium.

Ad secundum respondent aliqui viri docti, quòd in illo casu si fur conuertit in suum commodũ triticum, quod furatus est. v. g. vendendo vel comedẽdo, tunc tenetur restituere pretium illud, quo in præsenti æstimabatur frumentum. Et ratio est, quia tũc ratione rei alienæ factus est ditior. Cæterum si fur ipse frumẽtum combussit aut forte seruauit in aliud tempus, ad quod dominus erat seruaturus, dicunt quòd tunc satisfacit, si reddat pretium, quo æstimabatur illo tempore frumentum. Et ratio huius est, quia ipse dominus non est damnificatus re vera: nisi in illo pretio quo ipse tunc erat venditurus. Sed profecto quanuis hæc sententia vtcũque probabilis sit, mihi non placet: sed videtur aliter dicendum, videlicet, quòd quia obligatio restitutionis statim oritur in illo casu ex ipso furto: tunc erit positum in voluntate domini vt eligat pretium quo sibi debeat fieri restitutio. Ita prorsus quòd si velit exigere à fure non solum pretium quo pro tunc æstimabatur frumentum (hoc enim iustissimum est secundum primam conclusionem Diui Thomæ) sed etiam aliquid amplius ad arbitrium boni viri propter commodum quod expectabatur in futurum, quia ille erat reseruaturus furmentum: erit iustissimum & illud tenetur fur restituere statim, quia in toto isto pretio damnificat dñm rei. Et confirmatur nostra sententia, quia nõ vt æquum vt fur ille sit melioris, conditionis quã qui per ignorantiam damnificaret dominum rei: iste enim obligatus est à nobis & ab eis qui habent contrariam sententiam, vt soluat pretium quo pro tunc æstimaretur res, si venditionis esset exposita: constat autẽ quòd in casu secundi argumenti triticum pluris uaiet de præsenti quàm valiturum erat in futuro tempore, ergo melioris conditionis esset fur quia reseruauit triticum vel combusit, quam ille qui per ignorantiam perdidit.

Ad tertium argumẽtum respondetur, quòd eius difficultas examinabitur quæstione. 78. Est enim singularis opinio Magistri Soti contra communem sententiam quæ tenet, quòd ratione lucri cessantis licitum est aliquid accipere.

ARTICVLVS V.

Vtrùm oporteat semper restitutionem facere ei, à quo acceptum est aliquid.

AD Quintum sic proceditur. Videtur, quòd non oporteat semper restitutionem facere ei, à quo acceptum est aliquid. Nulli enim debemus nocere. Sed aliquando esset in nocumentum hominis si redderetur quod ab eo acceptum est, vel etiam in nocumentum aliorum, puta si aliquis redderet gladium depositum furioso. Ergo non semper est restituendum ei, à quo acceptum est.

4. dist. 15 q. 1. art. 5. q. 4. & opusc. 67. et opusc. 72. cap. 17. & 18.

2. Præterea. Ille qui illicitè aliquid dedit nõ meretur illud recuperare. Sed quãdoque aliquis illicitè dat quod alius etiã illicitè accepit, sicut apparet in dante & reccipiente aliquid simonicatè. Ergo nõ semper restituendum est ei, à quo acceptum est.

3. Præterea. Nullus tenetur ad impossibile. Sed quandoque est impossibile restituere ei, à quo acceptum est, vel quia est mortuus, vel quia nimis distat, vel quia est ignotus. Ergo non semper facienda est restitutio ei, à quo acceptum est.

4. Præterea. Magis debet homo recompensare ei, à quo maius beneficium accepit.

pit. Sed ab alijs personis homo plus accepit beneficij, quàm ab illo qui mutuauit vel deposuit, sicut à parentibus. Ergo magis subueniendum est quandoque alicui personæ alteri, quàm restituendum ei, à quo acceptum est.

5. Præterea. Vanum est restituere illud quod ad manum restituentis per restitutionem peruenit. Sed si prælatus iniustè aliquid ecclesię subtraxit: & ei restituat, ad manus eius deueniet: quia ipse est rerum ecclesiæ conseruator. Ergo non debet restituere ecclesiæ à qua abstulit: & sic non semper restituendum est ei, quo est ablatum.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.

Respondeo dicendum, quod per restitutionem fit reductio ad æqualitatem cõmutatiuæ iustitiæ, quæ consistit in rerum adæquatione, sicut dictum † est. Huiusmodi autem rerum adęquatio fieri non posset nisi ei, qui minus habet quàm quod suum est, suppleretur, quod deest. Et ad hanc suppletionem faciendam, necesse est vt ei fiat restitutio, à quo acceptum est.

Art. 2. huius quæst. & q. 58. à ti. 10.

Ad primum ergo dicendũ, quòd quãdo res restituenda apparet esse grauiter nociua ei, cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui: quia restitutio ordinatur ad vtilitatem eius, cui restituitur. Omnia enim quę possidentur, sub ratione vtilis cadunt. Nec tamen debet ille qui detinet sic rem alienam, sibi appropriare, sed vel reseruare, vt congruo tempore restituat, vel etiam alibi tradere tutius conseruandam.

Ad secundum dicendum, quòd aliquis dupliciter aliquid illicitè dat. Vno modo, quia ipsa datio est illicita, & contra legem sicut patet in eo qui simoniacè aliquid dedit. Et talis meretur amittere quod dedit: vnde non dẽt ei restitutio fieri de his. Et quia ẽt ille qui accepit, cõtra legẽ accepit, nõ dẽt sibi retinere, sed debet in pios vsũ cõuertere. Alio modo aliquis illicitè dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipsa datio non sit illicita: sicut cùm quis dat meretrici propter fornicationem. Vnde & mulier potest sibi retinere quod ei datum est. Sed si superfluè aliquid per fraudem vel dolum extorsisset, tenetur eidem restituere.

A Ad tertium dicendum, quòd si ille cui debet fieri restitutio, sit omino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, siue sit mortuus, siue sit viuus: præmissa tamen diligenti inquisitione de persona eius, cui est restitutio faciẽda. Si verò sit mortuus ille, cui est restitutio facienda, debet restitui hæredi eius, qui computatur quasi vna persona cum ipso. Si verò ille sit multum distans, debet
B sibi transmittit quod ei debetur, & præcipuè si sit res magni valoris, & possit cõmodè transmittit. Alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, vt pro eo conseruetur, & domino significari.

Ad quartum dicendum, quòd aliquis de hoc quod est sibi propriũ, debet magis satisfacere parentib. vel his à quib. accepit maiora beneficia. Non autem debet aliquis recompensare benefatori de alieno.
C Quod contingeret, si quod debet vni, alteri restitueret: nisi fortè in casu extremæ necessitatis, in quo posset: & debet et aliquis, etiam auferre aliena, vt patri subuenire.

Ad quintum dicendum, quòd prælatus potest rem ecclesiæ surripere tripliciter. Vno modo, si rem ecclesiæ non sibi deputatam, sed alteri sibi vsurparet, puta si episcopus vsurparet sibi rem capituli. Et
e tunc planum est quod debet restituere,
D ponendo in manus eorum, ad quos de iure pertinent. Alio modo, si rem Ecclesiæ suæ custodiæ deputatam in alterius dominium transferat, puta consanguinei vel amici. Et tunc debet restituere Ecclesiæ, & sub sua cura habere, vt ad successorem perueniat. Tertio modo potest prælatus surripere rem Ecclesiæ solo animo, dum, scilicet, incipit habere animum possidendi eam vt suam, & non nomine Ecclesiæ: & tunc debet restituere, talem animum
E deponendo.

SVMMA ARTICVLI.

CONCLOSIO est affirmatiua. Ratio est, quia per restitutionem fit rectitudo secundum æqualitatem iustitiæ commutatiuæ, quæ consistit in adæquatione quadam ipsarum rerum: sed ista adæquatio fieri non potest nisi restituatur eidem qui minus habet, quam oporteat eum habere: ergo eidem facienda est restitutio à quo aliquid acceptum est.

COMMENTARIVS.

ACTENVS D. Thom. definiuit quæ pertinebant ad substãtiam restitutionis ipsius: nunc autem in hoc articulo & sequentibus agit de circunstantijs restitutionis: & in hoc quinto articulo agit de circunstantia, cui scilicet facienda est restitutio. Et quamuis conclusio D. Tho. habeat formam vniuersalis in eo ꝙ dicit semper: tamen intelligenda est per se loquendo & quantum est ex natura rei, si absolute consideretur ipsa iniusta acceptio, vel detentio quod idem est. Nihilominus possunt interuenire quædam accidentia & circunstantiæ propter quas non possit eidem fieri restitutio à quo aliquid acceptum est: & de istis agit D. Thom. in solutionibus ad argumenta. Sed antequam ad argumentorum explicationem perueniamus, oportet aduertere quasdam intelligentias & moderationes ipsius conclusionis. Prima intelligentia & moderatio est, ꝙ D. Thom. dicit quòd semper fieri debet restitutionem eidem à quo aliquid acceptũ est, intelligendum est si ille sit verus dominus: quoniã qui furatur à latrone non debet restituere latroni, sed vero domino. Et secundum hanc intelligentiã procedit ratio articuli, alias minimè. Si enim latroni fieret restitutio, latro haberet plusquam oporteret eum habere & uerus dominus haberet minus: ergo talis operatio non est uera restitutio. Notandum tamen est, ꝙ si qui accepit dubitat an ille à quo accepit furatus fuerit rem illam uel non, tunc tenetur eidem restituere. Ratio est, quoniam in re dubia melior est conditio possidentis. Itaq; debet esse homo certus ꝙ ille à quo accepit detinebat rem illam iniustè & iniquè. Secunda limitatio est, quando ille qui accepit à latrone incurrit magnum detrimentum si restituat vero domino & non latroni: & hoc maximè habet verum quando ille qui accepit, bona fide accepit. Ratio huius est, quia nemo tenetur cum dispendio & detrimento proprio rebus alienis consulere, præsertim quando ipse qui accepit non habuit culpam iniustæ acceptionis. Diximus quando non habuit culpam: quoniã si quis
D sciens & prudens, quòd ille à quo accipit furatus est rem illam, eam accipit, iam quasi consors furti tenebitur cum aliquo detrimento vero domino restituere: quantum vero detrimenti teneatur pati relinquitur arbitrio boni viri: non enim tenebitur restituere cum periculo vitæ aut percussionis, aut famæ, neq; cum periculo notabili bonorum suorum: sed attendenda est quantitas furti: si enim fuerit res magni momenti tenebitur etiam ille qui cum mala fide accepit à latrone, pati aliquod detrimentum bonorum suorum, ut res illa restituatur uero domino: non tamen tenebitur tantum detrimenti pati quantum ille qui primo furatus est. Et ratio est, quoniã qui accepit uel emit rem ab ipso latrone, accepit eã iam periclitantem & sine spe redeundi ad uerum
E dominum: quapropter si eam reddat eidem latroni, non obligabitur vt cum maximo detrimẽto suo teneatur illam reddere vero domino. Si autem absque suo detrimento potuit illam rem reddere vel seruare vero domino tenebitur ad restitutionem in integrum: quoniam rem alienam constituit in manibus ipsius latronis.

Tertia moderatio est, quando ille qui accepit rẽ illam reddit alicui tertio de quo certus est quòd reddet uero domino. v. g. qui furatus est rem alienam ab aliquo patrifamilias potest eam reddere vxori uel filio uel maximo amico, de quibus certus est ꝙ

A reddent uero domino, uel expendent in utilitatem ipsius secundum uoluntatem eius saltim interpretatiuam. Sed obseruandum est hic, ꝙ qui isto modo restituit per tertiam personam, debet procurare ut uerus dns nõ possit alias petere rẽ illã à latrone, & ut latro non putet se teneri iam ad restitutionẽ. Hoc autem cõuenienter fiet, si possibile est per admonitionem utriusq;. Sed est unicum argumentũ contra conclusionem sic explicatam & moderatã. Quoniam in cap. in literis. de restit. spol. & etiam in l. bona fide. ff. depositi. dicitur ꝙ prædo spoliatus, est ante omnia restituendus secundum ordinem iuris, sed leges iustæ obligant in foro conscientiæ: ergo ille qui accepit rem à latrone, tenebitur in foro con
B scientiæ eidem restituere, ut ipse adimpleat suam obligationem & restituere possit vero domino. Respondetur, ꝙ huiusmodi leges non transferunt dominium neque conferunt ius ipsi prędoni ut sibi fiat restitutio: sed sunt quasi pœnales in odium eius qui propria auctoritate accepit rem ab ipso latrone, & propria auctoritate vult rem illam proprio domino reddere quando causa educta est iam ad iudicium: tunc enim ordo iuris merito postulat, vt per manus iudicis fiat ista restitutio. Cæterum vniuersaliter uerum erit in foro conscientiæ, quòd si quis restituat rem uero domino etiam si imprudenter faciat quando res deducta est uel deducẽda creditor ad iudicium: non tenebitur in foro conscien-
C tiæ amplius aliquid restituere prædoni.

Iam uero in solutionibus ad argumenta D. Thomponit quasdã alias limitationes cõclusionis articuli.

Sit igitur conclusio in solutione ad primũ. Quando restitutio nociua est ei cui debet fieri uel tertiæ personæ: non est facienda tunc. Ratio est, quia restitutio ordinatur ad vtilitatem eius cui facienda est: ergo si fuerit nociua destruitur omnino finis restitutionis, ac proinde non est facienda tunc. Sed aduertit D. Tho. ꝙ tunc debitor debet seruare rem illam reddendam opportuno tempore, vel deponere illam apud tertiam personam, ut commodius seruetur & reddatur.

DVBITATVR primo, circa istam conclusio-
D nem. An sit peccatum in tali casu reddere uero domino suum debitum.

Arguitur primo pro parte negatiua. Ipse dominus in eo quòd vere dominus est, ius habet ad petendã rem suam: ergo debitor facit illi iniuria non tedendo saltim cum petit, alias esset quasi bellum iustum ex utraq; parte.

Arguitur secundo. Ipse debitor non est tutor vel custos creditoris, sed solum est debitor: ergo ad illũ non pertinet nisi ut faciat officium debitoris: ipse autem creditor prouideat sibi an sit commodum sibi tunc recipere debitum an non.

SED in oppositum est. Primo ꝙ dicitur Eccl. 17. Vnicuiq; mandauit Dominus de proximo suo. Et
E Prouer. 24. Erue eos qui ducũtur ad morrem, ergo cum ipse debitor retinendo pro tunc debitum, custodiat creditorem uel à damno spirituali peccati, vel à temporali maiori quam carentia debiti, aut ẽt tertiam personam eripiat uel custodiat ab huiusmodi malis: non tenebitur pro tunc restituere.

Arguitur secundo ratione D. Thom. in solutione ad primum. Et confirmatur, quia quanuis restitutio secundum specificam rationem iustitiæ commutatiuę non respiciat nisi æqualitatem rei ad rẽ in quia debet esse actus virtutis: oportet vt fiat vbi & quando secundum rectam rationem expedierit. At vero pro tunc non expedit, imo vero nocet, ergo non est facienda pro tunc.

Arguitur tertiò. Quoniam etsi verus dominus habeat ius ad suum depositum vel ad quoduis aliud debitum: tamen non habet ius vt pro tunc exigat debitum ab altero. Nemo enim habet ius ad id quod non est secundùm rectam rationem: cum igitur nõ sit secundùm rectam rationem tunc accipere non est illi facienda restitutio.

PRO decisione huius difficultatis sit prima conclusio. Quando debitor nullum incurrit detrimentum ex retentione debiti & alias sequitur graue detrimentum siue spirituale siue temporale ex illius solutione debiti: erit peccatum tunc reddere debitum maxime si creditor non vrgeat neque instet. Istam conclusionem probant argumenta facta pro secunda parte & hanc videtur D. Tho. voluisse statuere in solutione ad primum: neque enim distinxit de dãno spirituali vel corpora, sed communiter dixit quãdo fuerit grauiter nociua restitutio.

Secunda conclusio. Nõ est peccatum reddere debitum domino petenti: etiam si ex solutione debiti sequatur graue damnum spirituale vel corporale petenti vel tertiæ priuatæ personæ, quando ex retentione debiti sequitur graue damnum ipsi debitori. V.g. si latro comminetur mihi mortem nisi reddam ei gladium alienum quod emi ab illo, possum illi reddere licitè, vt iam diximus: ergo multo magis quando ipse verus dominus exigit rem suam ita vt nisi reddidero notabile periculum incurram ego. Ratio huius conclusionis est, quia in tali casu damnum illud quod sequitur non est mihi voluntarium expressè: neque interpretatiue. Expressè quidem patet, nõ enim intendo damnum alterius. Interpretatiuè vero probatur, quia interpretatiuum voluntarium dicitur & est, quando aliquis tenetur aliquod malum impedire & non impedit: at vero pro tunc ego non obligor succurrere proximo cũ tanto periculo meo vt diffiniuimus supra. q. 26. art. 4. ergo non est illud damnum pro tunc mihi interpretatiuè voluntariũ. Probatur & explicatur secundò bono exemplo. Nemo tenetur succurrere hosti periclitanti, si prudenter existimat quòd erutus ab illa necessitate occidet illum vel aliquod magnum damnum inferet, ergo simile est in nostro casu. Diximus autem in conclusione vel alterius priuatæ personæ: quoniam si fuerit persona publica cuius vita, & salus est reipublicæ maximè necessaria, tenebitur ipse debitor pati detrimentum illud propter illius personę salutem.

Tertia conclusio. Quando ex debiti retentione nullum detrimentum incurrit debitor, etiam si creditor vrgeat: erit peccatum reddere debitum: si malum quod sequitur ex debiti solutione est corporale etiam ipsius petentis. Non autem erit peccatum si illud damnum quod sequitur fuerit spirituale ipsius petentis. Ista conclusio quantum ad vtranque partem, probatur soluendo obiectionem quę statim se offert. Etenim damnum spirituale multo maius est quam corporale: quomodo ergo si tenetur debitor non reddere debitum quando sequitur malum corporale petenti, dicimus quòd non tenetur non reddere quando sequitur malum spirituale? Respondetur ergo, quòd non est eadem ratio sed est differentia maxima, quoniam retentio debiti pro tunc medium est ex natura sua ordinatum & efficax vt proximus non incurrat malum illud corporale: at vero vt non incurrat damnum spirituale nõ est medium ordinatum neque efficax: etenim medium ordinatũ est correctio fraterna. Deinde etiam si denegatur debitum, iam ipse proximus peccauit in corde suo, & fortassis peccabit magis ex nõ redditione debiti propter maiorem appetitum ex priuatione.

A Est & alia optima differentia: videlicet, quòd bonorum corporis, scilicet, vitę & salutis homo nõ est dominus: & propterea cum illa periclitantur tenetur quisque impedire etiam impugnante ipso domino. At vero ipsarum actionum spiritualium homo dominus est, qua propter nemo potest cogere hominem quando vult peccare nulla interueniente iniuria tertiæ personæ: nisi forte at iudex aut prælatus ad cuius officium pertineat impedire per aliqua media determinata. Est exemplum huius quod dicimus. Si Petrus velit se ipsum vel alium occidere aut percutere, possum ego imo tenebor, si absque meo detrimento id possem facere: ligare illum, & in vincula si opus fuerit conijcere: at vero si pergit
B fornicari, nõ est mihi licitum ligare illum aut aliquã vim facere ne pergat ad fornicandum: sed solummodo possum vti correctione fraterna.

Ex dictis sequitur, quòd si detrimentum quod sequitur ipsis creditor fuerit rei familiaris: tunc scienti & volenti detrimentum, licitum est mihi, & debeo soluere debitum ipsi petenti. Ratio est, quia ille est dominus rei familiaris & potest pati detrimentum.

Quarta conclusio sit, in eodem casu precedentis conclusionis. Si damnum quod sequitur redundat in tertiam personam siue sit corporale siue sit spirituale, peccatum erit reddere debitum. Prima pars patet ex præcedenti conclusione & ratione ipsius.
C Secunda vero pars probatur, videlicet quando damnum spirituale sequitur tertiæ personæ. v.g. si petat debitum ad solicitandam mulierem non paratam. Probatur ex illo testimonio Ecclesiasti. 17. Vnicuique mandauit Dominus de proximo suo, sed in illo euentu ego possum absque detrimento meo euitare scandalum proximo: ergo debeo euitare retinendo debitum, si quidem ex hoc efficaciter impeditur scãdalum. Neque valet obiectio ex præcedenti conclusione, vbi diximus quòd quando ipse creditor petit debitum ad fornicandum vbi incurrit damnum spirituale: non possum illi denegare, ergo eadem est ratio quando tertia persona incurrit damnum spirituale. Respondetur quòd est maxima differentia;
D quoniam ipse creditor petens debitum ad fornicandum, iam fornicatus est in corde suo: at vero tertia persona innocens scandalizanda nondum peccauit: quapropter retentio debiti est medium efficax ad impediendum damnum spirituale illius tertiæ personæ, non autem est efficax ad impediendum damnum spirituale ipsius creditoris.

AD argumenta vtriusque difficultatis facile potest patere responsio ex supradictis, præterquam ad primum argumentum pro parte negatiua positum.

Pro cuius solutione notandum est, quòd dupliciter potest dici quis habere ius ad aliquid petendum: vno modo secundùm rationem iustitię, materialiter & quantum ad substantiam actus: altero modo formaliter secundùm rationem iustitię, prout est virtus requirens circunstantias virtutis. Dicimus ergo, quòd quando creditor petit debitum suum semper habet ius ad petendum priori modo: & si debitor soluit semper facit opus iustitię quantum ad substantiam actus saltim, etiam si aliàs peccet. At vero quãdo creditor petit debitum deficientibus circunstantijs illius, de quibus diximus in supradictis conclusionibus, excusatur ipse debitor sufficienter propter rationes quas diximus.

DVBITATVR secundò, Vtrùm quando in prædictis casibus est peccatum reddere debitum, sit peccatum contra charitatem tantum, an vero sit etiam contra

contra iustitiam? quod quidem multũ refert Theologo dignoscere, quoniam si tantùm est peccatum contra charitatem, non obligabit ad restitutionem. Si autem fuerit etiam contra iustitiam, tenebitur peccans restituere totum damnum consequutum ex redditione debiti.

Ante omnia supponamus, quòd quando damnũ consequutum ex redditione debiti fuerit tantum contra charitatem, ipsa etiam redditio debiti erit tantum contra charitatem. Sed tota difficultas est quando damnum consequutum fuerit contra iustitiam, an tunc ipsa redditio debiti sit etiam semper contra iustitiam?

Arguitur primo pro parte negatiua. Ex differentia quæ inuenitur inter personam priuatam & personam publicam, ad cuius officium pertinet gubernare rempublicam, innocentes defendere & alia huiusmodi. Etenim huiusmodi persona peccat contra iustitiam, si sciens & prudens non euitet periculum quod instat ciuibus: at vero persona particularis non tenetur ex iustitia obuenire huiusmodi periculis sicut nec iam periclitantem defendere. At vero debitor siue depositarius persona particularis est: ergo non peccat contra iustitiam si reddat debitum siue depositum nihil curãs de damno proximi quod postea consequetur. Et confirmatur. Si me præsente Petrus inuadat Ioannem, & ego sim potens absq; meo detrimento eripere Ioannem, nihilominus non pecco contra iustitiam si nolim eripere: sed solum contra charitatem, ergo debitor qui non tenetur ex iustitia defendere proximum, non peccat nisi cõtra charitatẽ reddendo debitum. Ipsa enim redditio debiti secundùm se bona est neq; ordinatur à reddente ad damnificandum proximum, sed solum erit mala & peccatum ex illa circunstantia quã ipse debitor non tenetur ex iustitia euitare.

Arguitur secundò. Si creditor in eodem casu dubij petat à debitore debitum coram iudice, & iudex ferat sententiam vt reddat statim debitum, ipse debitor non peccabit si statim reddat obediendo iudici: ergo neque etiam peccaret contra iustitiam saltim, si ante sententiam iudicis redderet. Probatur consequentia. Quia si antea erat peccatum contra
D iustitiam, non potuit per sententiam iudicis excusari debitor à peccato.

Arguitur tertiò. Si debitor uel depositarius in eodem casu fuisset homicidij causa reddendo gladium aut debitum, sequitur quòd si etiam ipse aliquod detrimentum pateretur ex retentione debiti: non posset reddere debitum absque peccato contra iustitiam, quod est contra definita in dubio precedenti. Probatur sequela, quia si ipsa redditio debiti vel depositi in illo casu est causa homicidij: non poterit fieri licita propter detrimẽtum quòd aliàs incurreret ipse debitor si retineat debitum.

PRO decisione veritatis sit vnica conclusio. Redditio debiti in casu nostri dubij peccatum est cõtra iustitiam, & per consequens qui reddit debitum tenebitur ad restitutionem totius damni consequuti.
E Ista conclusio euidenter sequitur ex quadam falsa sententia Caietani in summa in uerbo, restitutio. Vbi tenet, ꝙ quando quis absque detrimento suo põt defendere proximum & non defendit, peccat contra iustitiam, & tenetur restituere, ergo multo magis in nostro casu, ubi debitor dat instrumentũ vel exercet actionem vnde sequitur damnum. Videtur etiam sequi ex alia sententia eiusdem Caiet. infra q. 169. art. 2. ad 4. dub. 2. ubi asserit, ꝙ vendentes arma gerentibus bellum iniustum contra ecclesiasticos, homicidæ sunt & sacrilegi: ergo etiam in

A nostro casu reddens gladium apud se depositum ei qui vult proximum occidere, erit etiam ipse homicida: & nihilominus aliqualis est differentia inter vendentes arma & reddentes depositum siue debitum in prædicto casu. Quoniam sic uendentes non possunt cogi ut vendant, isti vero possunt cogi à iudice ut reddant, quapropter illi sunt magis voluntarij respectu damni consequuti quam reddentes depositum aut debitum.

Deinde probatur conclusio ex vulgari regula in cap. fin. de iniurijs & damno dato. si tua culpa damnum datum est, aut iniuria irrogata, aut irrogantibus opem fortasse tulisti: Iure te super his satisfacere oportet. Sed debitor in casu proposito fert opẽ
B homicidæ reddendo gladium uel pecunias, ergo tenebitur restituere. Idem colligitur ex l. si pignore. §. ferramenta. ff. de furtis. ubi habetur quòd qui ferramenta sciens & prudens accommodauerit ad defringẽdum ostium vel armarium, etiam si nullum consilium dederit ad furtum faciendum: tenetur ad restitutionem furti. Præterea probatur conclusio. Debitor qui reddit debitum in casu nostræ cõclusionis, in foro exteriori si accusetur condemnabitur & obligabitur ad restitutionem damni: sed sententia iudicis quæ non fundatur in falsa presumptione non obligat de nouo ad restitutionem ad quam antea non tenebatur ipse reus: ergo in foro conscientiæ tenebatur ipse reus restituere. Denique
C si debitor uel depositarius in eodem casu reddat gladium amenti furioso qui alium parat occidere, proculdubio esset reus illius homicidij & teneretur ad restitutionem: ergo etiam si reddat gladium homini quidem mentis compoti sed irato & parato occidere proximum, erit reus homicidij. Probatur consequentia, quoniam non minus concurrit cum isto quam cum ipso amente, quamuis ille qui non est amens adijciat suum voluntarium. Hoc enim non diminuit meum voluntarium neque meum concursum moralem.

AD argumenta in oppositum respondetur ad primum & confirmationem, quòd aliud est non defendere proximum, aliud offendere apponendo aliquã actionem uel instrumentum unde noceatur proximus.

Ad secundum respondetur, ꝙ in illo casu tenetur ipse debitor admonere iudicem de periculo quod timetur contra proximum, & tunc si nihilominus cogatur reddere gladium vel depositum ipse excusatur à culpa.

Ad vltimum argumentum respondetur, quòd in illo casu debitor non est voluntarius respectu dãni quod sequitur: quia non tenetur pro tunc retinere depositum cum tanto suo periculo.

Deinceps in solutione ad secundum ponit D. Tho. duas conclusiones. Prima est quando datio est illicita & contra legem is qui accepit tenetur restituere, non ei qui dedit: sed in pios vsus debet conuertere. Ponit exemplum in datione pretij simoniaca ex vtraque parte.

Secunda conclusio est. Quando ipsa datio non est illicita sed est propter rem illicitam: nihil est restituendum, nisi superfluè aliquid accipiatur ad fraudem & dolum. Ponit exemplum in pretio quod datur meretrici pro illicito vsu corporis.

PRO intelligentia huius doctrinae notandum est primò, D. Thomas vocat hic dationem illicitã eam quę ab intrinseco illicita est, vocat vero dationem licitã eam quæ non habet ex proprio obiecto & materia aliquam culpam: quamuis habeat illam ab extrinseco ex fine uel alia circunstantia fiat illicita.

Nota secundo, quòd datio quæ est illicita in seipsa & intrinsecè, potest esse illicita ex parte utriusq;, scilicet, dantis & accipientis: vt contingit in datione pretij simoniaca & conuentione. Aliquando vero potest fieri illicita tantum ex altera parte scilicet recipientis. v. g. si Petrus det pretium Ioanni ne cõmittat aliquod flagitiũ tunc recipiens peccat.

Denique nota, q̃ datio illicita ex vtraque parte dupliciter potest contingere. Vno modo q̃ sit illicita ratione materię quę non est pretio æstimabilis, vt pater in exemplo posito simoniacæ conuentionis & dationis. Altera vero est illicita ex eo tantum quod est contra legem, quamuis materia sit pretio æstimabilis. V.g. cum Petrus dat Ioanni pretium vt interficiat hominem. De his omnibus dicendum est per singula, præterquam q̃ tractationem de simonia remittimus in quæstionem centesimam.

DVBITATVR tertiò in ordine huius articuli. Vtrùm quando datio est illicita in seipsa ex parte vtriusque, & nihilominus datio est pro re quæ pretio ęstimari potest, est tamen contra legem & iniuriam & detrimentum alterius, ut cum datur iudici pretium pro iniqua sententia, vel testi pro falso testimonio: teneatur recipiens ad restitutionem pretij? nam de damno dato alteri parti non est dubitandi ratio.

Arguitur primo pro parte affirmatiua. Qui accipit pretium pro beneficio ecclesiastico per conuentionem simoniacam tenetur illud restituere & eidem qui dedit, ut habetur probabilis opinio, ergo etiam in casu nostri dubij tenebitur recipiens pretium eidem cui dedit restituere.

Arguitur secundò. Qui dedit pretium in casu nostro, per talem conuentionem non abdicauit à se dominium neque transtulit in alterum qui accepit pretium, ergo qui accepit tenetur restituere. Probatur antecedens, quoniam per contractum & conuentionem iure irritam non transfertur dominiũ, sed illa conuentio quæ est ex parte vtriusque illicita est, etiam iure ipso irrita & nulla est, vt patet in l. iurisgentium. §. si hoc maleficium. ff. de pact. & in l. generaliter. ff. de verb. oblig. & in c. non sane. 14. q. 5. quod desumitur ex August. in epist. 54. quæ est ad Macedonium.

Arguitur tertiò. Si quis recipiat pretium pro re quam tenetur ex iustitia facere. v.g. iudex pro iusta sententia pronuntianda, tenetur restituere illud pretium: ergo multo magis tenetur restituere qui accipit pretium pro iniusta sententia. Inquit enim D. August. vbi supra, q̃ iniquius accipitur pretium pro iniqua sententia, quam pro iusta.

Sed pro altera parte arguitur. Non tenetur iure naturæ qui accipit pretium per huiusmodi conuentionem ex utraque parte illicitam ad aliquam restitutionem, sed ius positiuum tam ciuile quam canonicum damnans huiusmodi conuentiones, solum denegat actionem petendi & reperendi pretium in iudicio, & non facit inhabilem eum qui recipit, ad recipiendum dominium pretij, vt patet consideranti leges pro contraria parte, ergo. Maior patet. Quoniam industria ipsa & labor quem impendit is qui accipit in pretium per huiusmodi conuentionem in vtilitatem illius qui dat pretium, profecto est pretio ęstimabilis: at vero ex conuentione utriusq; partis fit pretium iustum: ergo non tenetur qui recipit illud iure naturæ restituere.

Arguitur secundò & confirmatur. Quoniam ex opposita sententia sequitur q̃ faber qui fabricat vel acuit gladiũ ex pacto alterius qui vult occidere hominẽ: teneatur ad restitutionẽ pretij pro suo labore. Itẽ miles qui conductus est stipendio ad bellum iniquum teneatur ad restitutionẽ stipendij. Item qui vendidit venenum sciens in malum vsum vendi teneretur ad restitutionem pretij pro veneno accepti, quæ omnia falsa reputamus.

Deniq; arguitur tertio. Si restitutio esset facienda in casu proposito, maxime illi qui dedit pretiũ. Consequens est falsum, ergo nulli facienda est restitutio. Sequela probatur à sufficienti diuisione, qm̃ non est facienda pauperibus. Nam pauperes substituuntur loco veri domini qm̃ ipse dominus non cõparet: sed in casu nostro verus dns comparet, ergo. Deinde non est facienda restitutio illi in cuius iniuriam facta est iniqua conuentio, qm̃ illi sit satis si restituatur totum damnum illatum, reliquũ est ergo, quòd maxime sit facienda ei qui dedit. Hoc autem esse falsum probatur, is qui dedit pretiũ pro re quæ pretio ęstimari poterat, voluntarie abdicauit à se dominium ex pacto & conuentione vtriusque partis, ergo illi non est facienda restitutio.

In hoc dubio definiẽdo, Doctores variè sentiũt. Prima sententia est affirmatiua, sed inter affirmantes est maxima dissensio cui facienda restitutio sit. Caiet. in summa, in verbo restitutio. cap. 4. inquit, faciendam esse restitutionem ei in cuius iniuriam fit iniqua conuentio, aut certe Christo vniuersorum hęredi, idest, pauperibus.

Secunda sententia est, faciendam esse restitutionem ei qui dedit vel pauperibus indifferenter ad libitum recipientis. Hanc videtur sequi Sylvest. in verbo restitutio. 2. §. 1. & uerbo restitutio. 4. §. 1. & Adria. in 4. in materia de restitutione, in speciali quæstione de hac re.

Alij dicunt, faciendam esse ei qui dedit. Hanc sequitur Soto li. 4. de Iust. & iure, art. 1. ad 2. col. 4. & 5.

Alij vero aiunt faciendam esse restitutionẽ pauperibus si maleficium iam perpetratũ est pro quo datum fuerat pretium, si autem nondum fuerit admissum, facienda est restitutio ei qui dedit. Sic opinatur Medina Compluten. in C. de restitutione. in tract. de restituendis rebus, quæst. 2. dub. 2.

Secunda sententia principalis est in altero extremo, nullam faciendã esse restitutionem si recipiẽs pretium perpetrauit delictum pro quo datum est. Hanc sententiã videtur sequi Sylvest. in uerb. eleemosyna, q. 4. & summa Angelica in uerbo cõcussio. & uerbo restitutio. j. & Nauar. in man. c. 17. à nu. 33.

Tertia sententia est quę videtur esse media inter has sententias, q̃ quando res pro qua datur & accipitur pretium non est ęstimabilis pecunia: tunc pauperibus restitutio facienda est. Et inter res non ęstimabiles pecunia connumerat hęc opinio iniustam sentẽtiam iudicis. Quando vero res pecunia ęstimabilis est & requiritur labor corporis aut vsus illius, tunc non obligat ad restõnem ei qui dedit. Sic opinat Coutar. in relect. reg. peccatũ in 2. par. §. 2. nu. 7.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Si consideremus solum naturæ ius, nulla ex huiusmodi conuentione obligatio oritur ad restituendum. Hæc conclusio iudicio meo demõstratur argumentis factis pro parte negatiua. Tota igitur difficultas est si consideremus ius positiuum. Pro quo sit secunda conclusio. Iure positiuo saltim denegatur actio & repetitio in foro exteriori ei qui dedit pretium pro maleficio perpetrando. Hæc cõclusio satis probatur legibus citatis pro parte affirmatiua, & hĩ ẽt in l. 3. & 4. & in l. si ob turpem. ff. de conditionib. ob turpẽ causam. & in l. 2. C. eo. tit. & in regula, In pari delicto & causa melior est conditio possidentis de reg. iur. in 6. Decret. & in l. Regni. 53. tit. 14. part. 5.

quibus

quibus in locis statutum est quòd in pari turpitudinis gradu, vt contingit in casu nostro, deneganda est actio ei qui dedit pretium. In hac conclusione nulla est controuersia inter ipsos doctores.

Tertia cõclusio. Probabilis est sententia communior quæ tenet restitutionem esse faciendam in casu proposito, & consequẽter verosimilior est sententia quæ asserit faciendam esse ei qui dedit pretium. Istam conclusionem competenter probant argumẽta facta pro parte affirmatiua & autoritas autorum sic opinantium.

Quarta conclusio. Nihilominus nobis multo probabilior & verosimilior est sententia quæ negat obligationem restituendi etiam iure positiuo. Hæc conclusio probatur ante omnia argumentis factis pro parte negatiua. Deinde probatur reprobando aliorum sententias. Et principio quidem tanta differentia eorum qui asserunt faciẽdam esse restitutionem super hoc cui facienda sit, magnum est argumẽtum nullam faciendam esse necessario restitutionem. Deinde inter istos autores quidam dicunt restitutionẽ faciendam esse aut ei qui dedit, aut pauperibus: quidam vero aut ei qui dedit, aut ei in cuius iniuriam facta est conuentio. Cõtra hos autores optimum est argumentum. Etenim videntur sibi cõtrariari. Nam restitutio faciẽda est vero domino, nisi forte propter crimen puniatur & priuetur: at vero iuxta sententiã horum Doctorum necessario dicendum est, quòd is qui dedit, est verus dominus pretij dati, & quod non est lege spoliatus: ergo illi solum necessario facienda esset restitutio. Maior manifesta est ex definitione restitutionis. Minor autem probat quantum ad priorem partem. Nam iuxta horum autorum sententiã: idcirco restitutio facienda est in præsenti casu: quia per talem conuenientiam iniquam ex vtraque parte non transfertur dominium, eo q̃ iure positiuo irrita est: ergo consequenter debent dicere quod manet dominium apud eum qui dedit. Rursus probatur minor quantum ad alteram partem, scilicet, quòd ipse non sit spoliatus. Quoniam isti autores asserunt quòd potest fieri restitutio, ergo non est aliqua lex quæ faciat ipsum inhabilem ad recipiendum pretium datum, & per consequens sibi cõtrariant. Denique vltimò probatur conclusio. Quidam istorum doctorum numerant sentẽtiam iudicis iniustam inter res quæ pecunia æstimari non possunt: at vero hoc falsum est, non enim sententia iniusta est aliqua res spiritualis quæ pretio ęstimari non potest, quin potius est actio quędam libera in vtilitatem eius qui dat pretium & in periculũ eius qui profert iniquam sententiam: ergo hac ratione poterit inter illos fieri pactum de pretio iusto secundùm se inter ipsos pactum facientes, quanuis sit iniustum pactum ex fine ad damnificãdum aliquem tertium. Propterea vterque tenetur ad restitutionem illam in intergrum faciendam. Valebit igitur huiusmodi cõtractus, vt pretio dato obligetur aliquis ad faciendam iniuriã proximo, ita, vt si fecerit adquirat dominium pretij dati neque teneat ad illius restitutionem; sed maneat obligatus ad restitutionem damni cõtra proximum.

Ad argumenta pro parte affirmatiua respondetur ad primum negando consequentiam. Quoniam pro simoniaca cõuentione sunt iã lege ecclesiasticę. At vero leges quę reprobant conuentiones prædicta non faciunt inhabilem recipientem pretium neque impediunt dominij translationem quando res ipse pecunia ęstimabilis est. Et per hoc patet ad secundum. Ad tertium vero argumentum dicemus in sequentibus.

DVBITATVR quartò circa dationem illicitam ex altera parte, scilicet ex parte recipientis. Vbi si propriè loquamur, potius dicemus quod recepto est iniusta non vero ipsa datio. Quærimus ergo, Vtrum pretium quod recipit aliquis iniustè teneatur restituere ante omnem iudicis sententiam. v. g. si datur pretium sicario ne occidat hominem & iudici ne proferat iniquam sententiam, sed potius iustam & scholari vt det suffragium digniori?

Arguitur primo pro parte negatiua. Quando datio & acceptio est iniusta ex vtraque parte, diximus esse probabilius quòd accipiens pretium non tenetur ad restitutionem: ergo neque quando est iniusta ex parte recipientis. Probatur consequentia. Nam quòd vterque peccet non excusat alterum à restitutione, ergo si cum vterque iniquè agit non tenetur recipiens restituere, non etiam tenetur cum ipse solus iniquè agit.

Arguitur secundò. Sit iudex iam paratus & certus ferre iniustam sententiam vel etiam sicarius qui statuerit occidere hominem: sit etiam homo qui precibus & pretio vtrunque auertat ab iniquitate exercenda. Tunc sic arguitur. Quanuis illi iniqui teneantur cessare præcepto iustitiæ ab huiusmodi iniquitatibus, tamen in casu proposito reuera non cessant nisi in gratiam eius qui pretium dat: ergo pro illa actione vel potius cessatione ab iniquitate poterunt recipere pretium, siquidem pretio æstimabilis est.

Arguitur tertiò & probatur, quòd non sit possibile quòd acceptio sit iniusta & datio sit licita, sed q̃ vtraque sit iniusta si altera iniusta est, ac proinde recipiens nõ tenetur ad restitutionem iuxta definita in precedenti dubio. Probatur hoc. Quia non solum peccat qui facit aliquod peccatum, sed etiam qui consentit facienti, præsertim si persuadet & rogat vt faciat: sed in prędicto casu ille qui dat pretium rogat vt alter accipiat, & prouenit illum: ergo etiam ipsa datio est iniqua. Et confirmatur ex. l. 2. ff. de cõditionibus ob turpem causam. vbi Vlpianus expresse determinat, quòd qui dat pecuniam pro sẽtentia iusta pronuntianda crimen contrahit & punitur litis amissione: & legibus Regni cautum est ne quis iudici munera offerat.

SED in oppositum est quod dicitur in l. 1. ff. vbi supra. quòd si conuentio fuit turpis tantum ex parte recipientis: id quod acceptum est repeti potest ab eo qui dedit. & in l. 2. adhibentur exempla, vtpote si dedero pretium ne sacrilegium facias, ne occidas. Idem habetur in l. 4. & in l. vltima ibidem. & in cap. non sanè. 14. quęst. 5.

In hoc dubio, communis sentẽtia Iurisperitorum in locis citatis, imo & Theologorum est, quòd qui accepit tenetur ad restitutionem. Sic tenet Adria. & Sylvest. vbi sup. & & Ioan. de Medina vbi sup. q. 25. & Caiet. in verb. restitutio. c. 4.

Est altera sententia, q̃ non tenetur ad restitutionem. Cęterum quantum ad repetitionẽ in foro exteriori distinguit hęc sententia. Si enim peccatum à quo auertitur recipiens pretium, sit contra iustitiã: dabit repetitio in foro exteriori illi qui dedit. Si autem peccatum non fuerit contra iustitiam sed contra virtutes alias, non dabitur huiusmodi repetitio. Hęc est expressa sententia Soti in loco citato in illa longa solutione ad secundum. quanuis Nauar. in manual. c. 17. nu. 37. dicat M. Soto sentire q̃ in priori mẽbro huius distinct. sit obligatio ad restitutionẽ: in secundo vero membro non sit obligatio ad restitutionẽ. Sed M. Soto nihil tale dicit. Nihilominus ipse Nauar. sequitur illam sententiam q̃ in priori casu tenetur recipiens restituere, non autem in secundo.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Re A petitio in casu nostri dubij dabitur ei qui dedit pretium quando peccatum erat contra iustitiam: non autem quando fuerit contra alias virtutes. Hæc patet ex legibus citatis quæ expresse probant priorem partem huius conclusionis. Secunda vero pars probatur. Quia cum illæ leges sint pœnales & odiosæ non sunt extendendæ vltra casus ibidē positos: qui profecto sunt cōtra iustitiā. Sed vt definiamus quando sit faciēda restitutio ante iudicis sententiā, oportet aduertere ꝙ peccatum contra iustitiam à quo auertitur aliquis propter pretium, quandoq; potest esse cōtra iustitiam & in iniuriam eius qui pretium dat. Aliquando vero erit contra iustitiam & in iniuriam alterius tantum.

Secunda conclusio. Quoties aliquis accipit pretium vt cesset à peccato quod est contra iustitiam eius qui dedit pretium, proculdubio tenetur in foro cōscientiæ ante omnem iudicis sententiam. Hęc cōclusio euidens est, & quauis Magister Soto vniuersaliter negauerit obligationē restitutionis in casu dubij propositi: tamen intelligendus est iuxta subiectam materiam de qua loquebatur, quando peccatum erat contra iustitiam tertij. Probatur autem nostra conclusio. Qui dat pretium in casu nostræ cōclusionis non transfert dominium, ergo alter nō recipit ac proinde tenetur restituere in foro conscientiæ. Probatur antecedens. Nam qui dat est inuolutarius in dando, sed solum dat vt redimat vexationem suam iniquā: quòd est dare inuoluntariè mixtè, quod quidem sufficit vt alter qui iniuriam facit & accipit pecuniam non acquirat dominium.

Arguitur secundò & confirmatur prędicta ratio. Vsurarius certissimè tenetur restituere vsuras, ergo multomagis qui accipit pretium in casu conclusionis. Probatur consequentia. Quoniam vsurarius tenet ad restitutionem, quoniam etiam si ex iustitia commutatiua non tenebatur dare mutuum, tenebatur tamen ex iustitia commutatiua nihil recipere ratione mutui. At vero in casu nostræ conclusionis ille qui accipit pretium tenetur ex iustitia commutatiua non solum non recipere pretium propter illam causam, sed etiam tenebatur non me lædere: ergo pro eo quòd me lædit nulla ratione adquirit dominium pretij, se tenebitur ad restitutionem magis quam usurarius.

Tertia conclusio. Verosimilis est sententia quę tenet ꝙ is qui accipit pretium quando peccatū à quo auertitur est contra iustitiam alterius tertiæ personę, tenetur ad restitutionem pretij in foro cōscientiæ. Hæc est fere sententia omnium doctorum communis, uno excepto Magistro Soto ubi supra. Probatur secundò. Is qui accipit pretium in prędicto casu tenebatur ex iustitia commutatiua non lædere proximum, ergo modo cum pretium accipit peccat contra iustitiam commutatiuam. Probatur consequentia, quia facit ut qui dat pretium minus habeat in bonis suis quam oportebat illum habere, ergo tenetur illi restituere. Confirmatur. Cum iudex accipit pretium ut proferat iustam sententiam, accipit amplius quam mereatur exercitium sui officij, ergo non est illi licitum accipere. Antecedens probatur. Quoniam respublica iudicibus prouidet sufficiens stipendium, ergo non potest amplius accipere pro ferenda iusta sententia.

Quarta conclusio. Si rationibus hæc res expēdenda sit & non multitudine doctorum: non minus uerosimilis, imo & uerosimilior nobis iudicatur sententia quæ asserit non esse obligationē ad restituendum quando recipiens pretium recipit illud, ut cesset ab iniustitia contra tertiam personam. Hæc est expressa sententia Magistri Soto ubi supra, & argumenta facta pro parte negatiua probant illam: quę mihi ualidiora uidentur quam argumenta præcedentis conclusionis. Deinde probatur & explicatur conclusio, ex differentia quæ inuenitur quando peccatum à quo cessat recipiens pretium, est contra iustitiam respectu dantis pretium, & quando est contra iustitiam alterius tertiæ personæ. Etenim iam in priori casu ex iustitia debitum erat ei qui dedit pretium antequam daret, quòd recipiens cesset à tali peccato: & idcirco qui pretium accipit manifestam iniuriam illi facit. At vero quando peccatum iniustitię erat futurum contra tertiam personam, nō debebat ex iustitia ei qui dat pretium, ille qui recipit B cessare à peccato in gratiam dantis pretium, ergo propter istam gratiam quam illi facit poterit recipere pretium non peccando cōtra iustitiam, respectu illius. Hinc sequitur, quòd quando tertia illa persona cui facienda erat iniuria, est vsquē adeo coniuncta ei qui dedit pretium, ut etiam illius iniuria redūdet in iniuriam ipsiusmet dantis pretium: tunc recipiens pretium tenetur in foro conscientiæ restituere illi qui dedit pretium. v.g. si pater dat pretium ne quis occidat filium, imo si socius peregrinationis dat pretium inuasori ne socius suus occidatur: tenetur qui accipit pretiū in foro cōscientiæ restituere.

Sequitur etiam ex dictis aliud corollarium, quòd C quando peccatum quod erat committendum à recipiente pretium, futurum erat contra charitatem aut alias virtutes: non tenetur restituere in foro cōscientię. v.g. tenebatur aliquis medicus ex charitate aut etiam ex misericordia curare pauperem infirmum & nolebat eum curare: in tali casu si recipiat pretium pro illa curatione siue ab illo paupere siue ab alio non peccat contra iustitiam. Idem dicimus de aduocato in casu quo teneretur causam dicere pro paupere ex misericordia, sed nihilominus recipit pretium pro aduocatione. Hoc corollarium sufficienter probatur rationibus factis pro quarta conclusione.

C Ad argumenta vero facta pro tertia conclusione D hinc patet solutio. Ad primum quod erat ex multitudine doctorum, respondetur, quòd in rebus moralibus obscuris & difficillimis decidendis non mirum est si alicui viro docto se se offerat aliqua noua ratio vrgentior, vt opinetur contra communem sententiam merito & non temerariè: & isto modo sunt introductæ plurimæ opiniones contrariæ alijs quæ solebant esse communes. Neque hoc habet aliquid temeritatis quando optima ratione discedit à communi sententia in rebus moralibus.

Ad secundum argumentum quod procedebat ex ratione: dicitur, quòd qui dat pretium ne fiat iniuria alteri tertio, non habet minus quam ex iustitia debet habere. Illi enim nulla fit violentia aut iniuria, sed liberè omnino ex charitate & misericordia E proximi dat pretium ficariū ne occidat hominem, ac proinde non violatur iustitia commutatiua respectu dantis: quin potius recipiens pretium cessat ab iniuria facienda illi tertio.

Ad confirmationem respondetur, quòd etiamsi iudex non haberet stipendium ab ipsa republica, sed merè gratis uellet exercere officium iudicis, nō posset recipere pretium pro cessatione à ferenda sententia iniusta contra datorem ipsum pretij: peccaret enim contra iustitiam & teneretur restituere pretium: non autem peccaret contra iustitiam si reciperet pretium pro cessatione ab iniqua sententia ferenda contra tertium hominem.

Iam

Iam verò ad argumenta pro parte negatiua quatenus procedunt contra primam conclusionem respondetur breuiter. Ad primum negatur consequentia iuxta ea quæ dicebamus in explicatione quartæ conclusionis, illic enim patet manifestum discrimen.

Ad secundum negatur consequentia, uel certè respondetur, quòd probat nostram quartam conclusionem.

Ad tertium respondetur, quod dans pretium vt redimat propriam vexationem uel alienam: non consentit iniquitati recipientis, siue recipiēs peccet contra iustitiam siue contra aliam virtutem. Quemadmodum qui dat usuras vsurario non consentit cum iniquitate illius: quoniam ille paratus est dare B pecuniam suam ad vsuras. Si enim persuaderet illi vt exerceret officium vsuræ: consentiret cum peccato illius.

Notandum est tamen, ꝙ in casu particulari huius argumēti, quòd attinet ad iudicem qui pretium recipit, tenetur omnino restituere à quocunque recipiat. Quoniam leges Regni in Hispania reddunt inhabilem ipsum iudicem ad hoc recipiendum, vt patet, *En el libro segundo de las ordinaciones Reales, en el titulo del Consejo del Rey, y en el titulo de la Audiencia y Chancilleria, y en el titulo de los Alcades y Corregidores, &c.* Cæterum ꝙ leges illæ allegatę, quantum attinet ad illum qui dat pretium iudici: ideo puniunt illum in litis perditione: quia presumunt, ꝙ dat pretium ad peruertendum iudicium & non ad redimendum suam uexationem.

DVBITATVR quinto. Vtrùm impudicę fœminæ possint accipere pretium sui corporis?

Arguitur primo pro parte negatiua. Nemo est dominus sui corporis aut membrorum sui corporis, ergo ille fœminę non possunt vendere suum corpus & pretium receptum retinere.

Arguitur secundo. In pari turpitudinis gradu, melior est conditio possidentis: sed vir & fœmina parem turpitudinem committunt in fornicatione: ergo ipse vir commissa iam fornicatione non tenebitur promissum pretium soluere.

Arguitur tertio. Quia pari ratione sequeretur ꝙ ipse vir posset exigere pretium à fœmina & vendere corpus suum, quod nullatenus est in consuetudine. Et confirmatur, quia si fœmina prębet usum corporis sui viro & est obiectum delectationis ipsius viri: etiam ipse vir reddit æquale, ergo, iniquum est pretium quod vltra accipitur.

Arguitur quarto, & probatur quòd saltim fœmina coniugata non possit recipere pretium pro adulterio: quia illa nō est domina sui corporis neq; vsus sui corporis, sed vir eius est dominus: ergo non pōt iustè recipere pretium siquidem alienum vendit.

Denique arguitur. Sequitur pari ratione quòd vir possit accipere pretium pro nefando vsu corporis sui, quod videtur absurdissimum.

Circa istam difficultatem sunt qui asserant omnes huiusmodi impudicas fœminas teneri ad restitutionem accepti pretij pro turpi vsu corporis sui. Sic aiunt quidam Iurisperiti in l. 4. §. sed neque meretrici. ff. de conditionib. ob turpem causam. Inter Theologos etiam Ioan. de Medina. C. de restit. tractatu. de rebus restituendis, opinatur meretrices nō posse recipere pretium corporis sui: bene tamen possunt aliquid recipere titulo liberę donationis. Alij vero dicunt ꝙ publicis meretricibus licitum esset pretium recipere, non tamen occultis. Hoc etiam tenent quidam Iurisperiti quos refert Couarruuias in relect. reg. peccatum. 2. par. §. secundo. Alij deni-

A que aiunt, licitum quidem esse omnibus solutis fœminis pretium recipere pro vsu corporis sui, non autem coniugatis propter quartum argumentum.

PRO decisione ueritatis sit prima conclusio vniuersalis. Omnes fœminæ possunt absque iniustitia in pretium sui corporis aliquid accipere & retinere. Ista conclusio quod attinet ad meretrices, patet ex cōi omnium nationum vsu. Etenim non solum permittuntur in republica, sed etiam defenduntur petentes pretium sui corporis. Et confirmatur etiam in Sacris literis. Nam Genes. 38. narratur, Iudam fecisse pactum cum Thamar, quam existimabat meretricem, & postea illud pretium procurauit soluere. Item Prouer. 6. dicitur pretiū scorti vix est vnus B panis: Ecce vbi vocat pretium, quod datur scorto pro actu turpi. Sunt deniq; plurimæ leges in iure ciuili, quibus hoc ipsum confirmatur, quas refert Couar. vbi supra. Probatur autem conclusio rōne vniuersalis. Omnis contentio & promissio quę iure naturę valida est imo & ciuili, transfert dominiū quando exercetur & confert ius in conscientia, etiā si ab extrinseco fiat illicita: sed datio quę fit impudicę fœminę pro turpi actu iure naturæ & ciuili valida est: ergo transfert dominium, licet ab extrinseco sit illicita. Minor probatur, quantum ad ius naturę: qm̄ illa datio fit pro re quę pretio estimari potest, videlicet pro delectatione quam exhibet impudica fœmina vsu sui corporis. Quantum vero ad ius ciuile probatur, quoniam non inuenitur lex quę casset C & irritet huiusmodi contractus & translationes dominij.

Et confirmatur. Nam si quis pactum faciat cum cauponario in die ieiunij Ecclesiastici, vt det sibi cibos ad comedendum mane, ille contractus validus est, & homo ille tenetur soluere pretium ex iustitia, ergo non obstat quòd pretium detur pro re turpi & illicita, quo minus sit valida ipsa datio pretij & trāslatio dominij.

Deinde probatur, qm̄ si fœmina consentiat cum viro in turpem actum ea cōditione vt vir postea ducat eam in vxorem, poterit fœmina iustissimè petere à viro ut adimpleat promissum, & dabitur fœmi- D nę actio in iudicio, & compelletur vir ducere illam vxorem vel illam dotare: ergo multo magis poterit iustè recipere aliud pretium. Id ipsum quod dicimus de fœminis respectu virorum, asserendum est de viris respectu illarum, possunt enim ab illis pretium accipere delectationis prestitę.

Sed aduertendum, ꝙ lucrum quod ex turpi actu acquirunt fœminę nuptę debet reponi in cōi thesauro mariti, & reputandum est sicut alia bona quę acquiruntur durante societate matrimonij: & ita est expendendum, & diuidendum suo tempore. Idem dicimus proportionabiliter de pretio quod acquirit religiosa mulier: illud enim communitati acquiritur sicut aliud pretium, quod monacha acquireret E labore manuum suarum.

Secunda conclusio. Si fœmina impudica solummodo blanditijs & verbis amatorijs exigat à viro pretium plusquam par erat: non tenebitur ad restitutionem illius excessus accepti: bene tamen tenebitur ad restitutionem si dolo aut fraude extorsit illum. Prima pars probatur, quia is qui dat illum excessum dat omnino voluntariè, ergo valida est translatio.

Sed hic obseruandum est, quòd continget aliquā do. Vt fœmina petat ab amatore suo aliquid pretiosum coram alijs personis coram quibus cogitur cōcedere, alias amittet honorem suum. Tunc dicimus quòd talis fœmina non potest recipere illud, sed

tenebitur restituere: quoniam inuoluntariè mixtè datum est. Secunda vero pars probatur, quia fraus & dolus causant inuoluntarium. Etenim si vir cognosceret fœminam mentiri, non daret illi quod petit. Exemplum est si impudica fœmina fingat se esse virginem & ob hanc causam exigat pretium notabile, tenebitur illud restituere. Item si mentiatur dicens se nullum alium amatorem ad missuram, & ob id multa munera recipit: tenetur omnia illa restituere si alium admittat.

Tertia conclusio. Si quis promittat impudicæ fœminæ aliquam quantitatem pretij quam exhibere est prodigalitas: non tenetur postea adimplere promissum, etiam si iurauerit. Probatur quia iuramentum promissorium de re illicita non est adimplendum, imo est peccatum illud facere, & maius peccatum titulo religionis illud adimplere: sed prodigalitas saltim est peccatum veniale cum quis propria bona prodigit: ergo vera est conclusio. Quenam autē sit prodigalitas in huiusmodi casu, iudicio prudentis considerata personarum qualitate arbitrandum est.

Aduertendum est tamen, quòd si de facto ipse vir prodige dedit meretrici quod promisit, factum tenet & illa manet domina accepti pretij, dummodo qui dedit non sit pupillus: quoniam iste secundum leges non potest alienare bona sua: poterit autem tantum dare meretrici quantum ludere. De religiosis autem qui omninò sunt pauperes, aliter arbitrandum est quantū ad huinsmodi expensas, secundum facultatem quam unusquisque habere præsumitur à suis prælatis ad expendendas pecunias in sibi placitis. Neque in hoc peccabit peccatum iniustitiæ, nec tenebitur ad restitutionem ipse, neque meretrix quæ accepit tale pretium iustum proportionatum cum facultate interpretatiua prelati ad expendendum in rebus sibi placitis in animi sui gratia.

Ad argumenta in oppositum respondetur ad primum, quòd quamuis fœmina non sit domina sui corporis secundum se neque est domina vitæ: verumtamen est domina usus sui corporis: vnde sicut potest aliquis locare operas suas uel uendere. v. g. iter facere aut saltare: ita etiam fœmina potest uendere illum usum corporis sui.

Ad secundum respōdetur, quòd quamuis in actu impudico vir & fœmina parem turpitudinis gradū incurrant: tamen in datione & acceptione pretij nulla est turpitudo.

Ad tertium concedo sequelam. Verum est tamen, quòd quia mulier est infirmior, & in illo actu magis impudice se habet: habet tamen se passiue: magis decet quòd vir det pretium fœminæ, quam fœmina viro.

Ad quartum argumentum respōdetur, quòd mulier nupta quamuis non sit domina usus sui corporis sed vir, tamen est domina actionis liberæ committendi adulterium in gratiā adulteri: & pro hoc potest pretium recipere. Sicut sicarius non est dominus uitæ alienæ, & tamen cū sit dominus actionis suæ libere occidendi uel non occidendi proximum: potest iustè vendere istam actionem in gratiam postulantis mortem alterius. Ita contingit in muliere adulterante, quæ quidem facit iniuriam uiro: non tamen adultero recipiens pretium ab illo.

Ad quintum argumentum respondetur, quòd tota turpitudo, & absurditas in illo actu non est contra iustitiam, sed contra virtutem castitatis, usque adeo ut sit uitium omnino contra naturam non solum rationalē, sed etiam contra naturā animalē.

A Iam uero in responsione ad tertium docet Diuus Tho. quomodo sit facienda restitutio quando dominus rei non comparet. Numerat autem tres casus in quibus rei dominus dicitur non comparare. Primus est quando est ignotus. Secundus quando erat notus sed obijt. Tertius quando est notus & uiuit, sed distat longè.

In primo casu est prima conclusio Diui Thomæ. Restitutio facienda est conuertendo rem in usus pios.

Secunda conclusio. In secundo casu restitutio facienda est hęredi.

Tertia conclusio. In tertio casu, transmittendum est debitum in locum ubi est uerus dominus, maximè si debitum sit notabilis quantitatis & transmissio commodè fieri potest, alioquin deponatur in loco tuto & significetur uero domino quòd illic habet rem suam.

B

Circa primam conclusionem dubitatur sexto. Quis nam sit & dicatur dominus ignotus rei. Respondetur & sit prima conclusio. Non dicitur verus dominus esse ignotus moraliter loquendo, donec fiat sufficiens diligētia & inquisitio illius arbitrio boni viri secundum qualitatem negotiorum & rerum. Probatur, quoniam aliàs culpabiliter esset ignotus ex parte eius qui rem alienam habet, & verificaret de illo: noluit intelligere ut bene ageret.

Secunda conclusio. Si facta iam diligentia & inquisitione sufficienti non constet determinatè, quis nā sit uerus dominus, sed sit in dubio an sit Petrus, uel Paulus: tunc diuidendum erit debitum iuxta proportionem dubij inter illos de quibus dubitatur. Itaque si dubium fuerit æquale inter utrumque diuidatur debitum æqualiter inter ambos: uel etiam si fieri potest de consensu illorum mittatur sors vel applicetur alteri. Ratio huius est, quia quamuis in re dubia melior sit conditio possidentis: tamen vbi nullus possidet debet fieri diuisio inter eos de quibus dubitatur quis nam sit dominus.

C

Tertia conclusio. Quando nullo pacto constat quis nam sit dominus, constat autem de oppido cuius erat ciuis: tunc facienda est restitutio pauperibus reipublicæ illius maximè si res erat alicuius momenti, si autem non sit notabilis momenti poterit fieri restitutio occurrentibus pauperibus. Sit exemplum primæ partis conclusionis. Multi ex Hispanis asportauerunt ab Indis magnas diuitias iniquo bello acquisitas, isti tenentur non comparentibus veris dominis restituere pauperibus illius oppidi vbi erant ciues veri domini. Probatur conclusio quantum ad priorem partem. Quoniam uerosimile est quòd in illo oppido maneant saltim hæredes veri domini, ergo conuenientius & certius fiet illic restitutio ad voluntatem ipsius reipublicæ. Secundo probatur, quoniam quando verus dominus non comparet, facienda est restitutio illi de quo præsumitur quod uerus dominus in tali casu habet uoluntatem interpretatiuam vt illi detur: sed vnusquisque merito præsumitur habere amorem & pietatem erga patriam vel rempublicam: ergo illi facienda est restitutio. Et intelligimus conclusionem etiam si res illa non sit ablata cum iniuria facta reipublicæ aut oppido, contra Mag. Soto vbi supra in solut. ad 3. qui tenet quod solum facienda est restitutio ipsi oppido, quando res ablata est cum iniuria facta ipsi oppido. Secunda pars conclusionis maximè probatur arbitrio boni viri, quoniam res minoris pretij nō est materia restitutionis necessariæ respectu reipublicæ, sed sufficiet illam dare occurrenti pauperi. Eo uel maximè quòd rationes factæ pro priori parte

D

E

te

te conclusionis non militant pro secunda parte.

Dvbitatvr septimo. Quo iure, ignoto vero domino aliquibus facienda est restitutio. Et supponendum est nobis quòd in præsenti non loquimur de restitutione rerum inuentarum, de quibus dicemus quæst. 66. sed loquimur de restitutione rerum quæ per iniquitatem ablatæ sunt. Respondetur ergo ad hoc dubium breuiter, & sit prima conclusio. Si consideremus præcise solum ius naturæ, facienda est restitutio reipublicæ: vbi constat quòd ipse dominus ciuis erat. Probatur, quia iure naturæ bona ciuium ordinantur ad bonum reipublicæ, sicut bonum partis ad bonum totius, ergo deficiente vero domino respublica habet ius ad bona illius.

Secundo probatur. In tali casu illa bona quasi redeunt ad statum in quo omnia erant communia antequam fieret rerum diuisio & applicatio: sed in illo statu bona erant communia reipublicæ: ergo in nostro casu respublica acquirit ius ad illa bona. Maior probatur, quia quantum attinet ad mores hominum, idem omnino est quòd non compareat verus dominus cui applicata erant, & quod nunquam fuerint applicata, ergo finita applicatione ad particulare dominium, manent sicut antea. Probatur tertio, quoniam si respublica non est domina iure naturæ illorum bonorum, sequitur, quòd illa bona sunt omnino deserta absque vero domino quod videtur esse inconueniens.

Secunda conclusio. Legibus ciuilibus & potissimè Ecclesiasticis & ipsa consuetudine introductū est, vt huiusmodi bona conuertantur eleemosynas. Probatur ex cap. cum tu. de vsuris. & cap. quanquam. eod. tit. in 6. & cap. non sanè. 14. q. 5. quibus in locis expressè definitur conclusio. Item in authem. omnes peregrini. C. de successionib. colla. 10. & in lege penul. titu. 1 parti. 6. decretum est, quòd bona peregrini morientis absque testamento distribuenda sunt in pios vsus, & eleemosynas si legitimus hæres non compareat. Quod autem huiusmodi leges sint sanctæ & iustæ probatur, ex conclusione præcedenti. Quoniam huiusmodi bona iure naturæ efficiuntur reipublicæ: sed princeps tam ecclesiasticus quam secularis habet potestatem ab ipsa republica administrandi bona publica: ergo in fauorem pauperum quorum cura pertinet ad rempublicam, optimè decernunt vt huiusmodi bona pauperibus obuenirent. Et denique probatur, quoniam superflua eroganda sunt in pios vsus & eleemosynas: sed hæc bona superflua videntur esse reipublicæ. Ergo merito conuertunturi n vsus pauperum: vbi aduerte, quòd si debitor fuerit pauper, poterunt illa bona ipsi adiudicari, ad arbitrium sui confessarij vel parochi.

A

B

Tertia conclusio. Non est necessaria episcopi licētia ad distribuenda huiusmodi bona in pios vsus. Hæc conclusio est contra multos Iurisperitos, sed est communis omnibus Theologis & quibusdam Iurisperitis. Vide Sylvest. in verb. restitutio. §. 8. & Io. Medinæ vbi supra. Probatur conclusio. Si compareret verus dominus nulla esset necessaria facultas vt fieret eidem restitutio: sed leges ecclesiasticæ quæ postulant ea bona conuertenda esse in eleemosynas, non requirunt episcopi facultatem: ergo non est necessaria. Neque obstat, quòd in cap. cum sit. de Iudæis. & in cap. quanquam. de vsuris in 6. requiritur Episcopi licentia. quoniam ista capita loquuntur in casibus particularibus. Primum quando à Iudæo facienda est illa distributio debiti in pauperes. Secundum est, quando ab vsurario, & in istis casibus requiritur Episcopi licētia. Neq; rursus obstat, quòd in multis synodalibus episcoporū reseruat huiusmodi distributio ipsis episcopis. Respondet, ergo quòd si eiusmodi leges iustæ sunt, debent intelligi quantum ad reseruationem peccati, quod committunt qui non distribuunt huiusmodi debita pauperibus.

C

Dvbitatvr octauo. An pro huiusmodi debito possit fieri compositio? De quare Ioan. de Medina vbi supra. cap. 11. & Soto in quarto, dist. 21. quæst. 1. arti. 4. Nos autem breuiter respondentes ponimus primam conclusionem.

Prima conclusio. Quilibet princeps siue secularis siue ecclesiasticus, potest si attendamus tantum ius naturæ huiusmodi compositionem facere si adsint causæ honestantes talem compositionem. Probatur conclusio. Quoniam vt diximus huiusmodi bona, stando in solo iure, naturæ, redeunt ad communitatem, ergo princeps qui est dispensator bonorum communium potest aliquam partem illorum bonorum applicare in aliquem vsum vtilem communitati & remittere aliquam partem debitori, si talis remissio fuerit etiam vtilis communitati. v. g. Si instat bellum necessarium pro defensione reipublicæ, vtile est communitati vt vndecunque fuerit possibile fiat collectio in subsidium belli, hæc autem collectio copiosius & breuius fiet ex huiusmodi debitis incertis, si princeps pro aliqua parte data remiserit alteram partem, ergo in principe est huiusmodi potestas vt debitores libentius & citius contribuant ad bellum necessaria. Secundo probatur. Omnis princeps potest dispensare in suis legibus proprijs: sed huiusmodi bona incerta solis principum legibus decernuntur distribuenda pauperibus: ergo ipse princeps poterit illa bona aliter dispensare in communem vtilitatem. Tertio probatur. Quoniam pauperes nondum habent ius adquisitum, ergo absque illorum iniuria poterit princeps illa bona conuertere in alium vsum communitati vtilem.

B

C

Secunda conclusio. De facto fieri non potest huiusmodi cōpositio in republica Christiana nisi à summo pontifice. Ratio est, quoniā pontifex habet potestatem super omnes Principes Christianos ad reseruandum sibi aliquam materiam, de qua leges ferendæ sunt quando hoc expedierit, ad spirituale bonum vel tranquillitatem Ecclesiæ. Hinc est quòd reseruauit sibi omnes causas matrimoniales: quæ alias ratione humani contractus subiectæ erant legibus secularium principum, & consequenter reseruat sibi causas de legitimatione quatenus includunt notitiam de vero matrimonij contractu. Cū igitur legibus iam sancitum est, quod huiusmodi bona incerta distribuantur in eleemosynas pauperum, merito & iustè ipse Pontifex quoniam est pater pauperum in Ecclesia, sibi reseruat mutationem & dispensationem in huiusmodi legibus de distribuendis huiusmodi bonis pauperibus: vnde iam princeps secularis non potest facere compositionem.

D

E

Tertia conclusio. Multum suspecta est de iniustitia huiusmodi compositio prout à multis exercetur de facto. Probatur, quoniam de facto pro debito quinque millium dipondiorum componitur aliquis pro. 68. Tunc est argumentum, nulla videtur esse proportio & æqualitas inter debitum & talem solutionem, ergo Pontifex qui est dispensator non dissipator huiusmodi bonorum, non debet intendere talem compositionem absolutè facere. Secundo probatur. Quoniam hac via datur occasio maxima cauponibus & alijs huiusmodi hominibus, vt paulatim defraudent populum furantes aliena bona

minu-

minutat m: quoniam postea facilè manerent tuti in conscientia si se componerent pro tam minimo pretio postea cum Bulla cruciatę. Propter istas rationes semper visa est maioribus nostris præceptoribus huiusmodi compositio valde suspecta de iustitia. Vt autem excusemus Summum Pontificę à culpa, sit quarta conclusio.

Quarta conclusio. Quando pontifex concedit bullam huiusmodi compositionis, præsupponit causam legitimam esse, & legem naturalem seruandā esse, quod relinquitur iudicandum arbitrio discreti confessarij. v.g. Si ipse debitor sit ita pauper vt ægrè aut vix possit restituere, aut debitum non sit adeo certum, poterit tunc confessarius discretus admittere compositionem & absoluere pœnitentem, aliàs non est licitum debitori talem compositionem facere. Probatur prima pars, quia tunc fit aliqua proportio inter solutionem & debitum ipsum, & tunc est causa decens vt Summum Pontifex dispenset aliquam partem debiti mediocriter pauperibus vt libentius & citius adiuuent ad expeditionem belli vel alterius boni operis vtilis communitati: quãdo vero debitum ipsum est incertum constat quod sit maior proportio: quoniam in dubio melior est cõditio possidẽtis: & quanuis attendenda sit quantitas dubij pro vtraque parte, tamen semper minuitur valor debiti, quando est aliquod dubium an teneatur. Et denique pro tranquillitate conscientiæ merito & iustè Pontifex potest facere huiusmodi compositionem. Secunda vero pars conclusionis probatur mihi, argumentis factis pro tertia conclusione.

Sit quinta conclusio. Postquam semel facta est compositio conuenienter & iustè, si verus dominus rei comparat, compelletur debitor in foro exteriori restituere id quod sibi reliquum erat: at vero in foro conscientiæ non tenetur ante iudicis sentẽtiam restituere. Prior pars conclusionis communis sententia est & ipsa experientia & de facto comperta: & ratio esse potest, quoniam huiusmodi compositiones magis respiciunt tranquillitatem conscientiæ debitoris, quam intendant in foro exteriore tollere ius quod habet verus dominus vel impedire actionem in iudicio. Secunda pars conclusionis sententia est expressa Magistri Soto vbi supra, & ratio esse potest: quoniam si compositio semel iustè facta est & legitimè, transfert reuera dominium in eum qui erat debitor, alias nulla prorsus vtilitas esset in compositione, si adhuc debitor manet obligatus ad restituendum quotiescunque verus dominus cõparuerit, ergo in foro conscientiæ transfertur in illum dominium eius quod reliquum sibi est. Et confirmatur, quoniam alias ipse Pontifex non procederet vt dispensator & distributor bonorum quæ debita sunt communitati vel pauperibus: si illa non posset cum effectu applicare alicui pro iusta & cõuenienti causa. Et confirmatur secundo. Si Pontifex omnia illa bona applicasset pauperibus debita domino ignoto, non teneretur ille qui antea erat debitor restituere quidquã; ergo neque si Pontifex ipsimet applicauerit tanquam mediocriter pauperi vel alia iusta de causa alias ipse Pontifex omnino falleret ipsos debitores.

Hæc secunda pars conclusionis est contra aliquos Theologos nostri temporis, qui aiunt quod statim comparente vero domino tenetur ille debitor in foro conscientiæ restituere ante iudicis sententiam. Et ratio illorum est, quoniam per sententiam iudicis non obligatur aliquis restituere id quod antea non debebat, ergo si per sententiam in foro exteriori iudicis quæ non fundatur falsa præsumptione obligatur homo ille restituere, saltem quod sibi reliquum est, colligitur quod antea tenebatur restituere. Ad hanc tamen rationem respondetur, quod Pontifex quanuis transferat dominiũ eius quod reliquum est in ipsum debitorem propter iustam & piam causam: tamen transfert dominiũ infirmum & caducum, non enim intendit iniuriã facere vero domino si opportuno tempore comparuerit & egerit in iudicio contra debitorem. Quapropter illa sententia quanuis non fundetur in falsa præsumptione: potest obligare debitorem vt restituat quod sibi reliquum est, nisi forte fuerit ita pauper quando facta est compositio quod sibi potuit applicari sicut alijs pauperibus. Quod si hoc in iudicio non constiterit iam sententia fundatur in falsa præsumptione. Neque mirum est, quod in iudicio obligetur aliquis per sententiam restituere aut reddere quod autem sententiam non tenebatur, quando aliquis acquisiuit dominium cum illa conditione, vt teneatur reddere quando in iudicio alter petierit & iudex sententiam tulerit in fauorem petentis. Exemplum est in dominio quod acquiritur in multis casibus per ludum, datur enim sæpe actio perdẽti vt iudicio possit repetere amissum, nihilominus ille qui lucratus est dominus lucri est quandiu non obligatur per sententiam iudicis illud reddere.

Hactenus diximus de genere compositionis rerum quæ iniustè ablata sunt & detinentur. Sed est aliud genus compositionis quæ fit cum ecclesiasticis de bonis beneficiorum malè præceptis, quia nõ recitauerunt, vel quia non resederunt officium suũ exercentes. De quibus sit conclusio.

Vltima cõclusio. Si pontifex cuius autoritate fit cõpositio vel eius vicarius sit omnino voluntarius in illa compositione facienda: transfertur omnino dominium illorum bonorũ in ipsum virum ecclesiasticum qui se componit. Probatur cõclusio. Quia pontifex procedit tunc sicut verus dns cui debetur fructus beneficiorũ malè percepti, ergo potest transferre illorum dominium in ipsos debitores si voluntariè id faciat. Probatur antecedens, nam si ex iure cõi tales fructus debebãtur fabricę vel pauperibus tamen iam vsu & consuetudine approbata applicatæ sunt cameræ Pontificis, & idcirco procedit vt dominus illius remissionis. Diximus autem in conclusiones. Si voluntarius sit Pontifex in illa remissione: quoniam potest contingere quod propter ignorantiam quam habet ex falsa relatione admittat aliquam compositionem, quæ quidem non erit voluntaria, ac proinde neque valida sed subreptitia omnino.

Circa secundam conclusionem in hac solutione D. Tho. Notandum est primo, quod nomine hæredis, venit intelligendus omnis qui succedit in ius defuncti. v.g. bona heretici condemnati qui alias mortuus est restituenda sunt fisco.

Notandum secundo, quod illa conclusio procedit in diuitijs & pecunijs: at vero de restitutione famæ & honoris defuncti iam diximus in art. 2. ad 1. & 2.

Denique notandum, quod qui debet aliquid defuncto non potest illud expẽdere in pios vsus vel in eleemosynas & sacrificia pro anima defuncti donec sit certus quod defunctus non habet heredem, nec est aliquis qui succedat in ius defuncti.

DVBITATVR nono, circa tertiam conclusionem. Cuius nam expensis transmittendum est debitum quando dominus longè distat

Ad

Ad quod respondetur, & sit prima conclusio. Si debitor ipse tenetur restituere ratione iniustæ acceptionis vel ipse dominus longè distat, culpa ipsius debitoris vel causa eius: tenetur tũc ipse debitor proprijs expensis transmittere debitum. Si autem debitor non tenetur ratione iniustæ acceptionis nec dominus longè distat culpa vel causa ipsius debitoris: non tenebitur debitor proprijs expensis debitũ transmittere.

Probatur prima pars conclusionis. Quia ipse dominus rei seruandus est indemnis ab omni iniuria, ergo in tali casu certa est prima pars conclusionis.

Obseruandum tamen est quod si ipse dominus in asportanda illa re iniquè accepta, facturus erat expensis alias, tunc debitor non tenebitur proprijs expensis transmittere. Ratio est manifesta, quia sicuti dominus non debet reportare damnum ex iniuria: ita neque lucrum: alias non sufficeret restituere simplum quod est falsum. Altera pars probatur, quoniam debitor in tali casu tantum tenetur restituere quantum accepit, at vero si proprijs expensis transmitteret amplius restitueret quam acceperat. Secundum doctrinam huius conclusionis conciliabuntur varia dicta doctorum quæ videntur contraria & non sunt.

Secunda conclusio. Si res semel commissa est fideli portatori vt eam traderet vero domino, & forte in via perijt res illa: tunc si debitor tenebatur tãtum ratione rei acceptæ non tenetur amplius restituere, si vero tenebatur ratione acceptionis siue iustæ siue iniustæ: tenebitur nihilominus in casu posito vero domino restituere. Sit exemplum prioris partis in eo qui rem aliquam inuenit vel in deposito accepit. Quæ pars probatur. Debitor non accepit rem illam in proprium commodum, sed potius in commodum domini, sed quando transmittit illam per fidelem portatorem fidelitet agit negotium domini veri, ergo non tenebitur amplius restituere. Et exemplum secundæ partis in eo qui accepit rem mutuo vel accommodatam vel emerat rem aliquã transmissurus pretium illius. Tunc probatur conclusio. Quia debitor accepit rem in proprium commodũ, ergo si res illa perijt ipsi debitori perijt: quoniam qui sentit commodum æquum est vt damnũ sentiant.

Confirmatur. Si talis debitor haberet rem iam paratam vt restitueret vero domino. v.g. pecuniam numeratam in mensa sua, & accederet fur qui illam clanculum surriperet proculdubio teneretur nihilominus ipse debitor restituere, ergo eadem est ratio si pecunia perijt in via.

Sed obseruandum est, quod si cum consensu domini res illa tradita est portatori aut ex imperio iudicis tunc non tenetur ipse debitor amplius restituere: quanuis res illam pereat. Ratio est manifesta, quia voluntas domini liberat illum debitorem, & imperium iudicis iustè iudicantis super id aliquid est de conclusione ista copiosius dicemus artic. sequenti, & de præcedenti artic. 8.

In solutione ad quartum ponit D. Tho. duas cõclusiones. Prima est. Non debet aliquis benefacere parentibus nec alijs benefactoribus de his quæ debet alteri, alias de aliena benefaceret.

Secunda conclusio. In casu extremæ necessitatis debet aliquis succurrere potius patri & benefactori quam creditori restituere. Ratio est, quia tunc posset & deberet homo accipere aliena vt patri subueniret.

DVBITATVR decimo & vltimo, circa vtrãque conclusionem D. Tho. an saltim debitor ipse existens in extrema necessitate teneatur restituere creditori æqualiter periclitanti: & simul quærimus de parentibus, vel consanguineis ac specialibus amicis existentibus in extrema necessitate: an debitor teneatur potius creditori succurrere extremè periclitanti quam illis.

Arguitur primo pro parte affirmatiua, quod ipse debitor teneatur potius creditori succurrere. Præceptum de restituendo est affirmatiuum obligans pro tpe necessitatis: sed tunc est extrema in creditore, ergo pro tunc debet illi succurrere & restituere.

Arguitur secundo. Creditor in tali euentu duplici iare graudet ad illam rem, altero dominij altero extremæ necessitatis in qua omnia communia sũt, ergo illi potius tradenda est.

Arguitur tertio & probatur. Quod saltim qui per iniuriam acceperat rem alienam teneatur tunc domino restituere. Est argumentum. Ille debitor per iniuriam accepit & possidet rem alienam: sed iniusta acceptio & possessio non facit possessorem melioris conditionis nec tribuit illi ius aliquod, ergo in extrema necessitate non debet oriri damnũ ipsi vero domino.

Arguitur quarto. Quoniam alios sequeretur qd si ex duobus existentibus in extrema necessitate alter ab altero arriperet per vim panem vel tabulam vt euaderet mortem: non teneretur iste statim restituere, quod videtur maximum absurdum, quia videtur bellum iustum ex vtraque parte: & ex iniuria facta efficeretur melioris conditionis faciens iniuriam quam patiens. Sequela vero probatur. Quia sicut nihil noceret iniusta acceptio in priori casu quominus ipse debitor sibi succurreret: ita nec in isto posteriori deberet nocere recens iniusta acceptio accipienti iniustè.

Circa quæstionem hanc est triplex Theologorum opinio. Prima est Scot. in 4. d. 15. q. 2. quem sequitur Gabriel ibidem ad. 3. casum post secundam conclusionem, quod in tali casu tenetur debitor restituere. Secunda opinio est quorundam distinguẽtium. Si enim debitor accepit rem alienam per iniuriam, tenetur tunc restituere. Huic sententiæ fauet tertium argumentum quod facimus. Tertia est opinio est Caietani in isto loco & Soti libr. 4. de Iustitia. quæst. 7. artic. 1. ad 4. quod in neutro casu tenetur debitor restituere.

PRO decisione sit prima conclusio. Sententia Caiet. & Soti nobis vera est cuius ratio est euidẽs & à primis principijs deducta: quoniam ius gentiũ per quod rerũ diuisio & appropriatio facta est non debet derogare iuri naturali: est autem iure naturę insitum cordibus hominum, quod in extrema necessitate omnia sunt communia, ita ut efficiantur propria præoccupantis quantum ad vsum necessarium ad supplendam extremam necessitatem: ergo si debitor est in extrema necessitate & habet rem in manibus non tenetur alteri restituere.

Secunda conclusio. In eodem casu potest debitor præferre patrem & matrem & filium & vxorẽ existentes in extrema necessitate & non restituere creditori æqualiter periclitanti. Mag. Soto vbi supra, inquit hoc assertum esse problema. Sed nobis videtur certa conclusio, cui videtur fauere D. Tho. supra. q. 31. artic. 3. ad 3. vbi ait quod existentibus in extrema necessitate creditori & consanguineis debitoris non potest dari vniuersalis regula cui potius subueniendum sit: sed prudentis iudicio relinquitur, vt consideratis conditionibus iudicet cui potius subueniendum sit. Ex quo sic argumentor, si quando consideratis conditionibus licitum est cõsanguineos

sanguineos præferre in extrema necessitate maximè, quando sunt coniuncti in illo gradu posita in conclusione, ergo merito tunc præferendi sunt. Deinde debitum quòd ex virtute pietatis debetur maius est & antiquius quam illud quod ex particulari iustitia commutatiua debetur: sed parentibus & filij & cæteris debetur ex pietate vt in illo casu illis subueniatur, ergo in extrema necessitate illis potius subueniendum est.

Et confirmatur, quoniã pietas præstantior virtus est quam iustitia commutatiua: ergo in casu extremæ necessitatis illa potius exercenda est quam ista. Antecedens colligitur ex Diuo Tho. infra quæst. 101. art. 3. vbi ex specialissima ratione debita quæ fundatur ex parte principij connaturalis, colligit pietatem esse specialem virtutem. Cum igitur ratio obligationis, debiti quod inuenitur in pietate fundetur in ratione principij connaturalis: illud erit maius vinculum & in extrema necessitate magis obligabit ad exercitium pietatis quam iustitiæ commutatiuæ. Et quidem D. Tho. in 3. Sent. d. 34. q. 1. artic. 2. ad 8. dicit expressè quod donum pietatis est supra iustitiam & omnes partes eius.

Tertia conclusio. Problema esse potest, Vtrum in prædicto casu sit præferẽdus frater vel magnus amicus qui vitam suam pro mea periculo obiecerat. Pro parte negatiua faciunt argumẽta posita in principio huius dubij, & illam tenet Soto vbi supra. Sed pro parte affirmatiua est argumentum. Nam frater coniunctus est mihi in primo cõsanguinitatis gradu, ergo ex debito pietatis in extrema necessitate licitũ erit præferre fratrem creditori. De amico etiam in signi & speciali probatur. Quoniam ille pluris estimatur quam frater, apud viros prudentes iuxta illud Sap. 27. Melior est vicinus prope quam frater longe, ergo illi potius subueniendum est quam creditori. Huius sententiæ fuit sapientis. M. Victoria.

AD argumenta in oppositum respondetur ad primum negando consequentia. Quia tunc necessitas extrema creditoris non est necessitas exercendi præceptum de restitutione: eo quod simul concurritalia vrgentior cã adimplendi præceptum pietatis, vel etiam concurrit ius conseruandi vitam propriam.

Ad secundum respondetur negando maiorem. Imo extrema necessitas debitoris facit illum dominum rei debitæ quam apud se habet si fuerit vsu consumptibilis. Si autem vsu extremæ necessitatis non consumitur facit illum dominum ipsius vsus.

Ad tertium respondetur, quòd etiam si debitor iniquè acceperit rem debitam, tamen extrema necessitas tribuit illi ius ad omnem vsum necessarium ad supplendam extremam necessitatem propter rationem primæ conclusionis.

Ad quartum negatur sequela. Quoniam in articulo extremæ necessitatis efficitur res primo occupantis, vnde qui per vim rapit vel furatur ab eo qui est in extrema necessitate, tenetur illi restituere etiam cum periculo propriæ vitæ; quia violauit ius primarium naturale quo res illa erat præoccupantis in extrema necessitate etiam secluso iure gentium.

Sed quæret aliquis. Quid si persona valdè vtilis reipublicæ periclitetur, an possit quis rapere panẽ ab alio inferiori existenti in æquali periculo. Respondetur negatiuè. Quemadmodum non est licitum occidere vnum innocentem minimum pro salute reipublicæ, vt habet communis opinio Theologorum, non enim est medium ordinatum occisio vnius hominis ad salutem alterius.

Sed contra. Ille tenetur dare panem personæ publicæ cuius vita est valde necessaria: ergo aliis potest ab illo rapere si noluerit dare. Respondetur negando consequentiam. Ratio est, quia ille non tenetur ex iustitia sed ex charitate & pietate, & idcirco non potest compelli. Verum est tamen quod si Rex vel ipsa respublica vel iudex præciperet in tali casu personæ priuatæ vt succurreret personę publicæ, & persona priuata non obediret, iam tunc posset puniri tanquam inobediens, & auferri ab illo panẽ vel ipsum trãdere hostibus pro salute communi. Cæterum de solutione ad quintum argumentum disputabitur infra quæst. 185. art. 7.

ARTICVLVS VI.

Vtrum teneatur semper restituere ille qui accepit.

AD Sextum sic proceditur. Videtur, quòd non teneatur semper restituere ille, qui accepit. Per restitutionem enim reparatur æqualitas iustitiæ, quæ consistit in hoc, quòd subtrahatur ei qui plus habet, & detur ei qui minus habet. Sed contingit quandoque, quòd ille qui rem aliquã subtraxit alicui, non habet eam, sed deuenit ad manus alterius: ergo non tenetur illi restituere qui accepit, sed alius qui rem habet.

2. Præterea. Nullus tenetur crimen suũ detegere. Sed aliquando aliquis restitutionem faciendo, crimen suum detegit: vt patet in furto: ergo non semper tenetur ille qui abstulit, restituere.

3. Præterea. Eiusdem rei non est multoties restitutio facienda. Sed quandoque multi simul rem aliquam surripiunt, & vnus eorum eam integrè restituit. Ergo non semper ille qui accepit, tenetur ad restituendum.

Sed contra. Ille qui peccauit, tenetur satisfacere. Sed restitutio ad satisfactionem pertinet: ergo ille quę abstulit, tenetur restituere.

Respondeo dicendum, quò circa illum qui rem alienam accepit, duo sunt consideranda: scilicet ipsa res accepta & ipsa acceptio. Ratione autem rei tenetur eam restituere, quandiu eam apud se habet: quia quod habet vltra id quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei cui deest secundùm formam commutatiuæ iustitiæ. Sed ipsa acceptio rei alienæ potest tripliciter se habere. Quandoque enim est iniuriosa, scilicet contra voluntatem existens eius, qui

est rei dominus, vt patet in furto, & rapina. Et tunc tenetur ad restitutionem, non solum ratione, rei, sed etiam ratione iniuriosæ actionis, etiam si res apud ipsum non remaneat. Sicut enim qui percutit aliquem, tenetur recompensare iniuriam passo, quanuis apud ipsum nihil maneat: ita etiam qui furatur, vel rapit, tenetur ad recompensationem damni illati, etiam si nihil inde habeat. Et vlterius pro iniuria illata debet puniri. Alio modo aliquis accipit rem alterius in vtilitatem suã absque iniuria cum voluntate, scilicet eius cuius est res, sicut patet in mutuis. Et tunc ille qui accepti, tenetur ad restitutionem eius quod accepit, non solum ratione rei, sed etiam ratione acceptionis, etiã si rem amiserit: tenetur enim recompensare, ei qui gratiã fecit: quod nõ fiet, si per hoc damnum incurrat. Tertio modo aliquis accipit rem alterius absque iniuria, non pro sua vtilitate, sicut patet in depositis. Et ideo ille qui sic accepit, in nullo tenetur ratione acceptionis: quinimo accipiendo, impendit obsequium. Tenetur autem ratione rei: & propter hoc si ei subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem, secus autem esset si cum magna sua culpa rem depositam amitteret.

AD primum ergo dicendum, quòd restitutio non ordinatur principaliter ad hoc, quòd ille qui plus habet, quàm debet, habere desinat: sed ad hoc, quòd ille qui plus habet suppleatur. Vnde in his rebus quæ vnus potest ab alio accipere sine eius detrimento, non habet locum restitutio: puta cùm aliquis accipit lumen à candela alterius. Et ideo quanuis ille qui abstulit, non habeat id quod accepit, sed in alium sit translatum: quia tamen alter priuatur re sua, tenetur ei ad restitutionem, & ille qui rem abstulit ratione iniuriosæ actionis, & ille qui rem habet ratione ipsius rei.

AD secundum dicendum, quòd homo, etsi non teneatur crimen suum detegere hominibus, tenetur tamen crimen suum detegere Deo in confessione: & ita per sacerdotem, cui confitetur, potest restitutionem facere rei alienæ.

AD tertium dicendum, quòd quia restitutio principaliter ordinatur ad remouendum damnum eius, à quo est aliquid iniustè ablatum: ideo postquam ei restitutio sufficiens facta est per vnum, alij non tenetur ei vlterius restituere, sed magis refusionem facere ei qui restituit qui tamen potest condonare.

SVMMA ARTICVLI.

CONCLVSIO prima. Qui accepit rem alienam tenetur illam restituere quandiu illa apud se habet.

Secunda conclusio. Qui per iniuriam accepit rem alienam, tenetur ad restitutionem non solum ratione rei acceptæ: sed etiam ratione iniuriosæ acceptionis etiam si ipsa apud illum non remaneat.

Tertia conclusio. Qui accepit rem alienã in vtilitatem suam absque iniuria domini, tenetur nihilominus ad restitutionem: non solum ratione rei acceptæ: sed etiam ratione acceptionis etiam si rem amiserit, v.g. in mutuo.

Quarta conclusio. Qui accepit rem alienam absque iniuria domini nec in propriam vtilitatem sed potius in vtilitatem dantis: non tenetur ad restitutionem ratione acceptionis, sed solum ratione rei acceptæ. v.g. in depositis quæ gratuitò accipiuntur ad seruandum.

Hinc sequitur corollarium. Depositarius non tenetur restituere depositum quòd sibi subtractum est nisi magna sua culpa depositum amiserit.

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo ante omnia duo tituli ante oculos sunt habẽdi quoties agitur de restitutione, videlicet res aliena accepta, & ipsa acceptio vel iniusta vel licita quidem, sed tamen in commodũ ipsius accipientis. Et quanuis vterque titulus seorsum sufficiat vt teneatur quis restituere: tamen aliquando ambo tituli simul conueniunt. Ratio autẽ quare quilibet sufficiat ea est: quia dominiũ rei alienæ in alterum transferri non potest nisi voluntate domini, vel virtute legis transferentis dominium: sed quando adest aliquis titulus de supra dictis, neque lex neque voluntas domini transfert dominiũ in alium, ergo ille vtroque titulo seorsum tenebitur ad restitutionem faciendam vero domino.

Notandum secundò, quòd nomine rei alienę, intelligimus non solum rem ipsam secundùm se, sed etiam fructus eius. Nomine autem iniustæ acceptionis, intelligimus etiam iniquam detentionem: etiam si à principio fuerit licita acceptio. Dicitur autem iniqua acceptio solum illa quæ est contra ius alterius & particularem iustitiam, scilicet, commutatiua, si autem sit acceptio contra iustitiam legalem tantum, aut contra quanlibet aliam virtutẽ: non obligat ad restitutionem vt supra dictum est.

Notandum est tertiò, quòd qui rem alienam accipit vel possidet: potest tripliciter eam possidere, vel bona fide, vel mala vel dubia. De his omnibus per singula nobis disputandum est.

DVBITATVR primò, Vtrum ille qui bona fide emit re alienam à fure vel latrone & postea cognoscit rem aliena esse: teneatur restituere vero domino, an potius licitum sit illi conuenire venditorẽ & rescindere contractum recuperandum suum pretium & reddendo rem aliena?

Arguitur primo & probatur, quòd talis emptor teneatur restituere vero domino: titulus sufficiens

ad obligationem ad restituendum vero domino est ipsa res aliena: sed ipse retinet illam apud se sciens esse alienam: ergo tenebitur. Confirmatur ex dictis artic. præced. vbi D. Tho. ait, quòd vero domino est facienda restitutio.

Arguitur secundò. Emptor ille non potest vendere rem illam alteri, quoniam res aliena est, ergo neque reddere latroni postulato pretio. Probatur consequentia. Quia verus dominus tantum detrimenti patitur si tradatur res illa latroni ac si vendetur, imo videtur quod magis detrimenti patiatur si traditur latroni, ergo nõ potest illam tradere. Cõfirmatur. Quia cum ille emptor reddit rem illam latroni, videtur esse manifestus cooperator cum iniqua acceptione latronis & cum detentione iniqua: ergo tenebitur restituere vero domino.

Arguitur tertio. Si latro qui vendidit abesse longe vel moreretur, teneretur emptor vero domino reddere illam rem etiam cum iactura dati pretij ergo etiam viuẽte latrone & præsente tenebitur rem illam restituere vero domino. Probatur consequẽtia. Quia vita & præsentia latronis non tollit ius à vero domino.

Arguitur quartò. Iudex in foro exteriori per sententiam iustam neque fundatus in falsa præsumptione sed omnino cognita veritate cogeret emptor vt statim restitueret vero domino, imo etiam si iam emptor rescidisset contractum cum latrone & latro nondum restituisset neque compararet, cogeretur emptor restituere: ergo in foro conscientiæ tenebitur ante sententiam iudicis. Probatur consequentia. Quia lex ciuilis quæ non est pœnalis, & iusta sententia, obligant reum ad id ipsum ad quod tenebatur antequam sententia pronuntiaretur: ergo emptor ille iam tenebatur in conscientia.

De ista quæstione est duplex sententiam. Prior est Magistri Soto lib. 4. de iustit. q. 7. art. 2. & Ioan. de Medina in tractatu de rebus restituendis quæst. 10. quod restitutio facienda est vero domino neq; est licitum rescindere contractum cum latrone.

Altera sententia est Alexan. Alen. in 4. par. q. 86. memb. 3. art. 5. & Gabr. in 4. Sent. d. 15. q. 3. dub. 5. & Sylu. in verb. restitutio. 3. §. 3. quam etiam sequutus fuit M. Victoria, videlicet, quod si talis emptor non potest aliter recuperare pretium datum, tunc licitum est rescidere contractum cum latrone. Si autem potest aliter recuperare pretium, non est licitum rescindere contractum cum ipso latrone.

PRO decisione veritatis notandum est, quod emptor qui bona fide emit rem alienam potest dupliciter se habere. Vno modo ignorãs esse alienam sed emit illã in suam vtilitatem: altero modo sciẽs quidem esse furtiuam, sed emit illam modico pretio, vt vero domino restituat: quia intelligit quod aliter peribit res illa vero domino.

Sit igitur prima conclusio. Emptor secundi generis, tenebitur quidem rem illam restituere vero domino: sed licitum erit sibi deducere pretium qd dederat pro re illa. Probatur vtraque pars. Prima, quia sciens rem esse alienam emit ea intentione vt redderet vero domino, & propterea emptio fuit licita. Altera pars probatur, Quia nemo tenetur procurare vtilitatem alterius cum proprio detrimento, nisi forte sit obligatus ex officio vt tutor vel custos: sed emptor ille procurauit rem alterius dum illam emit à latrone, ergo potest sibi deducere modicum illud pretium quod debeat.

Confirmatur ex ca. rapinam. 14. quæst. 5. vbi eiusmodi emptio laudatur: sed ex actione bona non debet aliquis reportare damnum, ergo poterit deducere illud pretium. Item in foro exteriori daretur actio emptori contra verum dominum, si dominus nollet soluere illud pretium, ergo etiam in foro conscientiæ licitum erat emptori deducere pretium. Antecedens probatur ex cap. citat. & est sententia Hostiensis titul. de pœnitentia. quem sequitur plurima Iurisperitorum turba: & quanuis Baldus & Paul. de Castro in. l. 1. ff. de negotijs gestis. negent competere huic emptori actionem nisi dominus ratam habuerit emptionem: sunt tamen intelligendi in foro exterior quando emptor non potest probare bonũ animum quem habuit emendo rem illam. Hæc cõclusio sic intellecta & explicata est communis sententia Theologorum & Sumistarum.

Secunda conclusio. Si emptor bona fide etiam ex ignorantia rescindant contractum cum latrone putans se licitè id facere, non tenebitur postea ad vllã restitutionem faciendam vero domino. Probatur, quia ille non tenetur ratione acceptionis iniquæ; quia bona fide emerat: neque ratione rei acceptæ quia iam non habet illam quam bona fide transtulit in venditorem, recuperato suo pretio, neque. n. tenebatur scire subtilitates iuris: ergo nulla ratione tenetur.

Tertia conclusio. Probabilis est sententia quæ negat esse licitum rescindere contractum cum latrone, sed potius asserit restituendam rem vero domino, etiam cum iactura dati pretij, loquimus de emptore primi generis. Hæc conclusio probatur argumentis factis initio quæstionis. Quam sententiam etiam tenet Couar. initio tertiæ partis relect. regul. peccat. & Caiet. hic videtur eandem tenere. Ait enim absq; vlla limitatione, quod qui rem alienam ignorans emit non potest eam retinere quam primum nouerit esse alienam, sed tenetur vero domino restituere.

Quarta cõclusio. Verosimilã et sẽtẽtia iudico, quẽ asserit licitũ esse in prędicto casu, aut saltẽ nõ esse cõtra iustitiã: quòd emptor rescindat contractũ cum latrone: etiam si sciat latronem rem illã nunquam esse restituturum. Hæc sententia videtur Nauar. in Manua. cap. 17. num. 29. vbi ait, quod quando aliquid accipitur à latrone: potest eidem restitui, etiam si cessantibus inconuenientibus, melius est reddere vero domino. Idem dicit Sylvest. restitutio. 4. §. 1. Hæc sententia videtur esse D. Thom. infra. q. 66. artic. 3. ad tertium, vbi ait. Id quòd est per rapinam ablatum est rapientis non simpliciter sed quãtum ad detentionem. Ex quo sic arguitur. Latro habet ius ad rem furtiuam conseruandam vero domino: ergo emptor pôt illi reddere. Confirmatur ex lege in literis. de restitutione spoliatorum. vbi prædo spoliatus, secundùm iuris rigorem est restituendus. Præterea probatur conclusio. Contractus ille fuit iniquus, ergo potest rescindi, Confirmatur. Nam rescindere talem contractum nihil aliud est quàm reducere rem furtiuam in eum statum in quo antea erat sine culpa emptoris, ergo non facit iniuriam vero domino. Probatur consequentia. Quia nemo tenetur ex iustitia res alienas in meliorem statum reducere, quam inuenerat: maxime cum proprio detrimento.

Sit quinta conclusio ex nostra sententia. Peccatum est saltim contra charitatem, si emptor absque proprio detrimento potest restituere vero domino & restituat latroni, de quo non est certus quod restituet Probatur. Quia vnusquisque tenetur prospicere proximo & rebus eius ne pereant, maxime si id potest facili negotio præstare.

Sexta conclusio. Mihi profecto verosimillimum est

est, quod peccet contra iustitiam, qui sine suo detrimento potest vero domino restituere: & rescindit contractum cum latrone, de quo non est certus quòd restituet. Probatur. Quia dum res illa venit ad manus emptoris, iam est in meliori statu, ergo dum iterum tradit illam latroni, tenebitur restituere vero domino. Probatur consequentia. Quia illa noua traditio, est quasi ablatio rei alienæ inuito domino, & est consensus cum ipso latrone, qui iterum accipit rem alienam inuito domino. Cæterum vbi est detrimentum & periculum emptoris: iam habet excusationem dum reddit rem illam latroni. Nemo enim tenetur ex iustitia cum proprio detrimento conseruare rem alienam: nisi forte aliàs sit obligatus ex officio. Confirmatur. l. bona fide. ff. depositi. vbi dicitur, quòd depositarius bona fide accipiens à latrone: tenetur ex iustitia vero domino reddere, ergo simile est in nostro casu. Et confirmatur denique, quia sequeretur quod si quis pallium proximi detorrente eriperet periturum: quod postea non peccaret contra iustitiam, si iterum proijceret in torrentem. Probatur sequela, quia eadem est ratio.

Denique notandum. Quod omnia quæ diximus de emptore bonæ fidei circa restitutionem faciendam vero domino: sunt intelligenda porportionabiliter de depositario, qui bona fide accipit aliquid in deposito à latrone.

AD argumenta proposita initio respondetur, quatenus militant contra aliquas conclusiones. Ad primum respondetur, quod ita verum est, quòd ratione rei acceptæ tenetur emptor restituere vero domino nisi rescindat contractum: & tunc etiam rescindendo dat illam habenti ius ad eam, vt conseruet vero domino. Quemadmodum qui accipit rem à depositario, restituet depositario & non tenetur vero domino reddere. Ad confirmationem respondetur, quòd iam diximus in quibus casibus licitum sit non reddere vero domino.

Ad secundum respondetur negando consequentiam, quoniam latro habet ius ad rem illam vt restituat vero domino. Item quia rescindendo contractum reducitur res ad statum quem antea habebat, quòd quidem non contingit si alteri vendatur. Ad confirmationem negantur antecedens. Imo non tenetur emptor cum suo detrimento euitare iniquã detentionem rei alienæ. Concedimus autem quod cooperabitur cum latrone, quando sine proprio detrimento poterat rem vero domino reddere: & iterum reddit latroni de quo non est certus quòd restituet.

Ad tertium negatur consequentia. Et ratio discriminis est. Quoniam quando ipse latro non compareret, deficiunt rationes factæ pro nostra sententia: & cum ipse emptor non possit iam recuperare pretium suum, qui erat finis honestas rescisionem contractus: tenebitur ratione rei alienæ reddere vero domino. Ad Probationem consequentiæ respondetur, quòd vita vel præsentia latronis non tollit secundum se ius veri domini: sed facit possibilem rescisionem contractus, vt emptor seruet seipsum indemnem.

Ad quartum respondetur, quod illa iudicis sententia fundatur, in duplici præsumptione iuris, quæ in casu particulari falsa est. Altera est quòd in conuentione cum latrone præsumitur dolus, & maxime in rescisione cõtractus: altera quia qui possident res alienas præsumuntur audiores ad illas & timidiores in vitandis proprijs damnis, quàm ratio postulat: & ideo sententia pronuntiaretur ex tali iuris præsumptione in fauorem veri domini. Respondetur secundò, non esse omnino vniuersalem regulam, vt id ipsum teneatur homo facere in conscientia ante iudicis sententiam & post illam: vbi nulla est etiam ignorantia iuris vel facti, Est enim instantia, primò quidem sint duæ opiniones probabiles contrariæ: tunc possum ego qui rem alienam possideo, sequi opinionem quæ est in meum fauorem: at vero iudex qui fert sententiam potest sequi contrariam opinionem, & obligabit me ad restitutionem. Bene verum est, quod lata sentẽtia non potero ego executioni resistere: quia non potest esse bellum iustum ex vtraque parte: at vero si absque aliquo scandalo & repugnantia extetiore, possem ego adhuc retinere rem illam: licitum est retinere. Deinde est altera instantia. Dictum est in artic. 5. & certissimum est, quod non tenetur homo cum periculo vitæ restituere vero domino rem quam à latrone acceperat: & tamen si iudex ferret sententiam, vt reddat tunc rem vero domino: etiam si retinens illam, obijciat quod sibi imminet periculum à latrone, respondebit nanque iudex (*que lo oyey que le hara iustitia* suo tempore) sed quod interim reddat alienum proprio domino. Ecce casus vbi per iustam sententiam iudicis vbi nulla est ignorantia, compellitur aliquis reddere quod non tenebatur in conscientia. Ratio huius est, quia iudex ex officio tenetur reddere vnicuique quod suum est: non autem pertinet ad eũ considerare detrimenta quæ per accidens consquuntur debitoribus: ipsi autem debitores poterunt in conscientia proprium detrimentum attendere.

DVBITATVR secundò. An ille qui emit rem furtiuam bona fide. v.g. Petrus & in eadem bona fide perseuerans vendit illam Francisco: teneatur postea comperta veritate, restituere pretium vero domino, quando non potest res ipsa restitui?

Arguitur primo pro parte negatiua, quoniam in casu præcedentis dubij, potest Petrus post rescissum contractum cum latrone, retinere sibi pretium, ergo multo magis in præsenti casu. Probatur consequentia. Quia in casu priori, sciens rem alienam esse, rescindit contractum cum latrone: at in casu nostri dubij, nesciens adhuc esse furtiuam: vendit alteri ergo &c.

Secundò arguitur. In præsenti casu, Petrus non tenetur restituere ratione iniustæ acceptionis, quia bona fide emerat: neque ratione rei acceptæ, quia iam bona fide vendidit, ergo nullo modo tenetur.

Tertiò arguitur. Si Petrus rem illam donasset vel in suũ vsum cõsumpsisset vel amisisset, non tenetur ad restitutionem, quia non est factus ditior ex illa re, ergo neque in casu posito, vbi etiam non est factus locupletior: quia tanti vendidit quanti emit.

Sed pro altera parte, facit primò. Quod vnus titulus faciendi restitutionem, est res aliena detenta vel fructus illius, ergo cum Petrus receperit pretium ex venditione rei alienæ: tenebitur illud restituere, quoniam est quasi fructus ipsius rei. Confirmatur. Quoniam illa venditione quam Petrus fecit, non transfert dominium rei alienæ in Paulum, ergo neque ipse acquirit dominium pretij, & per consequens tenetur illud restituere.

Secundò arguitur. Qui rem quam acceperat à latrone dono, posteà si vendat, tenetur cognita veritate restituere pretium vero domino in quo factus est ditior: sed similiter Petrus efficitur locupletior, ergo tenetur pretium illud restituere. Probatur minor. Quia iam re vera amiserat ipse pretium quod dederat latroni, ergo ex re aliena fit locupletior quàm

quã debebat esse reparãdo damnũ suũ de re aliena.

Tertio arguitur. Paulus in casu posito tenetur rẽ illam cognita virtute reddere vero domino, ergo etiam Petrus qui fuit venditor tenetur seruare Paulum indemnem, ergo tenebitur ad restitutionem pretij ipsi Paulo, quod si non fuerit possibile: vero domino tenebitur restituere tale pretium.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Petrus in casu posito tenetur facere quantum in se est, vt Paulus qui bona fide emit rem, alienam nullum patiatur detrimentum: ita sanè quòd si verus dominus rei inuenerit illam apud Paulum, vel sit probabile quòd inueniet: tenebitur Petrus reddere pretium Paulo, vel esse paratus vt reddat si opus fuerit. Hanc conclusionem probant argumenta pro parte affirmatiua.

Sed tota difficultas est, quando Paulo nullum imminet periculum & Petrus retinet pretium rei alienæ quam vendidit olim: an teneatur illud pretium vero domino reddere, vel an teneatur rescindere cõtractum cum ipso Paulo, vt rem ipsam restituat vero domino? De qua re est cõmunis sententia, quod Petrus tenetur ad restituendum vero domino in tantum, in quantum factus est locupletior quam antea erat: quando bona fide accepit rem à latrone, ita sanè quod si tanti vendidit quanti emit, ad nullam tenetur restitutionem, si autem pluris vendidit tenebitur ad restitutionem totius pretij in quo factus est locupletior. Hanc sententiam tenet Caietan. hic & Sylues. verbo restitutio. 3. & Maior in 4. distin. 15. quæst. 16. & Medina quæst. 10. de rebus restituendis. Soto vbi supra art. 2. & Couarruuias vbi supra. Id etiam tenuit Victoria: Et ratio est, quia in prædicto caso neque tenetur ratione acceptionis, quia bona fide accepit, neque ratione rei, quia iã bona fide trãstulit à se talem rem: neq; manet cum aliquo fructu ipsius, quod si manet cum fructu obligabitur ad restituendum illum, ergo ex omni parte manet hæc sententia iustificata.

Secunda conclusio. Hæc sententia propter autoritatem asserentium probabilis est plurimus, quę & apparenter probatur argumentis factis pro parte negatiua, eo vel maxime quod fauet possessori bonę fidei.

Tertia conclusio. Mihi multo probabilior sententia est, imo opposita non videtur mihi probabili, si ratio bene examinetur, videlicet, quòd in prędicto casu Petrus tenetur restituere totum pretiũ iustum vero domino rei, si non potest rem ipsam restituere. Hanc sententiam docuit in hac schola Salmantina Magister Peña: & probatur. Si Petrus retineret apud se rem illam, neque compareret latro cum quo posset rescindere contractum, tenetur cognita veritate quod res illa est aliena, reddere illam vero domino, ergo & tenebitur restituere pretium si rem illam iam vendiderat. Probatur consequentia. Quia res illa & eius pretium quasi idem censentur quantum ad humanas commutationes. Secundò probatur. Nam si Petrus tenetur ad excessum pretij si pluris vendidit quàm emerat, eo quòd in illo factus est locupletior etiam tenebitur ad restituendum pretium iustum. Probatur consequentia. Quia in toto illo factus est locupletior quando vendidit rem bona fide. Probatur. Quia quando vendidit rem illam, vendidit alienum, ergo pretium quod accipit pro re aliena non debet illud habere, atque adeo si retinet efficitur locupletior quam debet esse quando vendidit rem alienam. Confirmatur. Quia Paulus qui bona fide emit rem alienam, habet intentionem dandi pretium vero domino rei, ergo reuera non transfert dominium pretij in Petrum venditorem, ergo Petrus nulla ratione potest retinere pretium illud, siquidem non acquirit dominium: quemadmodum non acquisiuit dominium rei quam vendidit. Denique probatur. Si res illa aliena vendita Petro, fructificasset in domo Petri, teneretur Petrus restituere fructus vero domino: sed pretium rei non est minus, imo magis videtur esse res ipsa quam fructus eiusdem, ergo non minus tenebitur restituere pretium rei. Et hanc conclusionem probant argumenta facta pro parte affirmatiua.

A D argumenta facta pro parte negatiua respondetur. Ad primum negatur consequentia. Est enim differentia, quoniam in priori casu rescindens contractum cum ipso latrone non facit aliquam iniuriam vero domino, sed rescindit iniustitiam sibi factam, & quasi defendit se à latrone deducendo rem furtiuam ad eundem prorsus statum in quo antea erat constituta. At vero in secundo casu de nouo transfert rem alienam in alterum statum, neque enim debet Petrus resarcire illam iniuriam quam sibi fecit latro de fructu rei alienæ.

Ad secundum autem respondetur, quòd Petrus in casu ibi posito tenetur ad restitutionem ratione rei alienæ, quoniam etiam si non habeat illam rem apud se materialiter loquendo, habet tamen fructũ vel pretium illius, cuius dominium non potuit acquirere ex tali venditione rei alienæ. Sequitur ergo euidenter, quòd tenebitur pretium illud alicui restituere, vel rescindendo contractum cum Paulo & reddendo ipsam rem vero domino, vel saltem dando vero domino pretium ipsius rei, illud scilicet quã habuit ex eo quod talem rem vendiderit alteri scilicet Paulo, cui talem rem vendiderat.

Ad tertium argumentum transeat antecedens, & nego consequentiam, quia si donasset vel amisisset rem illam, non est factus Petrus locupletior, at tunc factus est locupletior recipiendo pretium pro re vendita, quod iam ipse Petrus amiserat datum latroni.

DVBITATVR tertio. An bonæ fidei possessor teneatur restituere fructus rei furtiuæ? v.g. emit Petrus bona fide & possidet oues vel vineam: an teneatur restituere lac lanam, &c. Pro parte negatiua, sunt quædam leges ciuiles quæ tribuunt ius & dominiũ horum fructuum possessori bonæ fidei. v.g. lex bonæ fidei. ff. de acquirendo rerum dominio. & l. sequitur. §. lana. ff. de vsucapionibus. & l. in pecudum fructu. ff. de vsuris. & Instituta de rerum diuisione. §. in pecudum. vbi dicitur fructus pecudum, continuò efficitur possessoris bonæ fidei.

Secundò arguitur. Qui bona fide emit rem alienam, nihilominus exponit se periculo amittendi pretium & reddendi rem vero domino, ergo æquũ est vt interim recipiat commodum ex re quam emit.

Tertiò arguitur. Si quis inuitetur ad cœnam furtiuam, & bona fide cœnet, non tenetur postea cognita veritate restituere pecunias, quas erat consumpturus in sua cœna in domo propria: & tamen in illis factus est ditior propter cœnam furtiuam, ergo simile est in nostro casu.

SED in oppositum est. l. certum. C. de rerum vendicatione. & l. eos. §. item veniunt. & l. sed etsi. ff. de petitione hæreditatis. & l. fructus. ff. de vsuris. & l. si me & Titium. ff. si certum petatur. quibus legibus cautum est: vt possessor bonæ fidei teneatur fructus rei furtiuæ restituere in quantum factus est locupletior.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus rei furtiuæ si non est factus ditior ex illis. Hæc est communis sententia & Theologis & Iurisperitis: & probatur ex legibus citatis in primo argumento, & etiam ex quibusdam citatis in oppositum, & ratio ipsam confirmat. Quia ille bonæ fidei possessor nõ tenetur ratione iniquæ acceptionis: neque ratione rei acceptæ, siquidem fructus iam sunt consumpti neque possessor inde factus est ditior: ergo nulla ratione tenetur restituere.

Secunda conclusio. Bonæ fidei possessor tenetur restituere omnem fructum & quidquid apud se retinet rei furtiuæ, ex quo factus est locupletior. Hęc probatur ex legibus citatis in oppositum, & insuper ratione. Quoniam fructus rei & res ipsa quantum ad mores attinet & humanas commutationes, pro eodem reputantur. Sed res aliena est restituenda, ergo & fructus rei alienæ. Item ratio D. Thom. ad primam conclusionem confirmat istam nostram. Quia secundum formam commutatiuæ iustitię debet subtrahi ab eo, qui habet vltra id quod suum est. Sed talis possessor habet aliquid ultra id quod suum est: ergo debet illud restituere. De haç conclusione videatur Couar. lib. 1. Variar. cap. 3. numero sexto. Denique communis sententia est Theologis & Iurisperitis. Verum est tamen, quod est controuersia in conciliandis legibus citatis, videlicet, in diffiniendo, an dominus rei possit petere à bonæ fidei possessore actione rei vindicationis, an ex officio iudicis. Hoc est an possit petere à iudice in omni rigore, vt adiudicet sibi fructus etiam si nolit: an potius possit petere à iudice ut liberaliter arbitretur, & secundum æquitatem quandam adiudicet sibi fructus aut partem illorum.

Tertia conclusio. Fructus & effectus vtiles rei furtiuæ, possunt vsucapi à bonæ fidei possessore spatio triennij transacto cum bona fide: etiam illi fructus quos durante triennio bonæ fidei ceperat, efficiuntur possessoris bonæ fidei. Hęc est communis sententia Theologis & Iurisperitis & patet ex his quæ diximus in superioribus in materia de præscriptione.

Quarta conclusio. Qui bona fide accipit à latrone res quæ sunt materia mutui, non tenetur ad restitutionem fructuum, etiam si ex illis factus sit locupletior: dummodo fur non reddatur ex illa datione impotens ad restituendum vero domino. Est tamen aduertendum, quod illæ rei dicuntur materia mutui, quæ unico vsu consumuntur, ut est pecunias panis & vinum. Probatur modo conclusio, qui bona fide accipit aliquid huiusmodi à latrone non tenetur ratione acceptionis vt patet, neque ratione rei acceptę, quia iam consumpsit illam bona fide, ergo nulla ratione tenetur. Secundo probatur, ipse verus dominus rei non habet ius petendi à latrone eandem numero rem, sed similem uel eiusdem pretij: sed res similis vel eiusdem pretij manet apud latronem unde possit restituere: ergo accipiẽs ab illo non tenebitur restituere, sed poterit remittere verum dominum ad latronem. Tertio, latro poterat donare aliam pecuniam uel aliud frumentum cuius erat dominus ipsi Petro: ergo etiam ipsam furtiuam pecuniam vel frumentum. Probatur consequentia, quia non magis est obnoxia restitutioni pecunia furtiua apud latronem: quam quæ erat propria, ergo cum apud latronem maneat unde possit soluere, poterit Petrus ab eo accipere dono pecunias uel panem emere uel vinum.

Sed est obiectio. Ex hac ratione sequitur, quod etiam si Petrus sciat hanc numero pecuniã esse furtiuam, poterit eam dono accipere à latrone uel per contractum uendendo illi uestem uel aliquid aliud: dummodo ipse latro habeat alia bona vnde possit facile restituere. Respondetur, quod in foro exteriore condemnaretur Petrus in tali casu: quia præsumitur dolus: sed in foro conscientiæ non tenebitur, maximè si accepit illam pecuniam ex contractu venditionis rei. Respondetur secundo, quod si constat Petro pecuniam illam singularem esse furtiuã & accipit eam: tenebitur ratione iniquę acceptionis: at vero si non constat quando accepit, & usus est illa non vltra tenebitur restituere, ut in quarta conclusione dictum est.

Ad argumenta in oppositum pro parte negatiua. Respondetur ad primum, quod illæ leges probant primam conclusionem. Ad secundum nego consequentiam, quia ipse emptor propria voluntate emit illam: & idcirco verus dominus non debet pati detrimentum.

Ad tertium, aliqui dicunt, quòd inuitatus ad cœnam furtiuam, tenetur restituere tantum inquantum factus est locupletior cœnando in conuiuio. v.g. Si domi suæ consumpturus erat argentum: tenebitur ad restitutionem argenti illius. Sed profecto mihi magis placet, quod non teneatur ad aliquam restitutionem: si ille qui inuitauit non est factus impotens ad soluendum, propterea quod Petrus cœnauit cum illo.

DVBITATVR quarto, circa secundam conclusionem. An Petrus mala fide emens vel accipiens aliquid à latrone teneatur semper restituere uero domino, an possit rescindere contractum?

Ad hoc dubium breuiter respondetur. Petrus in tali casu non potest rescindere contractum cum latrone, si non est certus quòd latro restituet uero domino: sed tenebitur Petrus cum detrimento pretij dati restituere uero domino. Hæc conclusio est cõtra Sylues. in verb. restitutio. 3 quæst. 7. & contra Nauar. in suo manual. cap. 17. num. 84. qui citat pro sua sententia Alex. Alens. in 4. parte. Aiunt itaq; isti auctores quòd saltim in foro conscientiæ potest Petrus rescindere contractum cum latrone.

Sed probatur nostra conclusio, Petrus in tali casu efficitur socius furis & furti particeps, ergo tenetur ad restitutionem sicut ipse fur. Item videtur expressa sententia D. Thomæ, ait enim in secunda cõclusione, quòd ratione iniquę acceptionis: tenetur homo ad restitutionem, etiam si res accepta apud ipsum non maneat. Sed Petrus in prædicto casu sciens & prudens rem esse furtiuam, iniquè accepit illam: ergo tenebitur ad restitutionem, etiam si rescindat contractum cum latrone ratione iniquæ acceptionis.

Secunda conclusio. Petrus tenebitur in isto casu ad restitutionem, non solum ipsius rei: sed etiam lucri cessantis & damni emergentis, ipsi domino: deductis tamen expensis quas dominus ipse erat facturus incolenda re sua, vel sustentanda. Sed quæret aliquis, an si res illa erat vsu consumptibilis: teneatur Petrus ad restitutionem? Respondetur affirmatiuè, & est eadẽ ratio atque ipsius conclusionis, quoniam acceptio fuit iniqua, & propterea omnia damna & detrimenta quę sequuntur ipsi domino sunt restituenda. Neq; videtur nobis distinguendũ cum Ioanne de Medina tractatu de rebus restitut. quęst. 10. vbi ait, quòd nisi fur ex illa emptione & venditione factus sit impotens ad restituendũ: non tenebitur Petrus ad restitutionem. Et ratio eius est, quia Petrus poterat pecunias furtiuas dono accipere, si

re, si fur alias habebat vnde soluere: ergo siue rem vsu consumptibilem potuit accipere. Sed respondetur negando antecedens. Imo in tali casu est iniqua acceptio, si Petrus i particulari cognoscit quòd istæ singulares pecuniæ sunt furtiuæ, & etiam si sint res vsu consumptibiles. Non enim debemus fauere consentienti cũ latrone: cũ detrimento veri domini.

DVBITATVR quinto. Quid teneatur dubię fidei possessor facere circa rem alienam restituendã?

Respondetur & sit prima conclusio. Qui initio emptionis dubius, an res esset furtiua emit eam intendens commodum veri domini: non peccat, sed tenetur postea facere inquisitionem diligentem pro qualitate rei & quantitate dubij. Quod si verus dominus comparuerit tenebitur rem illi reddere, & potest deducere pretium quod pro re illa dedit, vt diximus dubio. 1. conclusione. 1.

Secunda conclusio. Qui dubius an res sit furtiua emit eam in proprium commodum: peccat contra iustitiam, & tenetur illam restituere ratione iniquæ acceptionis, & ratione rei acceptæ: sicut dictum est de emptore malæ fidei. Est exemplum frequens in argentarijs, & bibliopolis qui facile possunt cõiectari ex conditione vendentium & ex alijs circunstantijs rem esse furtiuam: & nihilominus emunt in proprium commodum. Ratio huius est: quia ille euidenter se exponit periculo cõtrectandi rem alienam inuito domino: ergo peccat contra iustitiam. Confirmatur ex. l. bonæ fidei. ff. de acquirendo rerum dominio: vbi dicitur, quod bonæ fidei possessor facit fructus suos, at malæ fidei possessor vel dubię nõ facit fructus suos, ergo eadem est ratio de mala fide & dubia fide ad accipiendam rem.

Sed contra. Regula communis est quod in dubijs melior est cõditio possidentis, ergo empto dubitans poterit postea sibi retinere quod emit. Respondetur primo, quod hoc argumentum cõuincit saltem, quod non potest emere: quia dum vult emere nondum possidet: ergo in dubio nõ debet intrare in possessionem alieni. Respondetur secundo, quòd in dubijs dicitur melior esse conditio possidentis: quando bona fide accepit sibi possessionem, quando vero mala fide vel dubia fuit iniqua acceptio: ac proinde non erit melior conditio in dubio istius possidẽtis.

Tertia conclusio. Qui à principio, bona fide rem furtiuam occupauit: & postea dubitat rationabiliter an illa res sit aliena: tenetur diligentem inquisitionem facere, vt sciat veritatem: quòd si nouerit esse alienam debet restituere: si autem non facit inquisitionem diligentem, exponit se euidenter periculo retinendi rem alienam inuito domino.

Sit quarta conclusio. Si facta diligenti examinatione, adhuc manet dubius rationabiliter: nihilominus poterit retinere sibi rem illam & vtilla. Ratio est, quia in isto casu verificatur, quòd in dubio melior est conditio possidentis. Intelligitur enim de dubio iam diligenter examinato: tunc enim dubium illud, magis est speculatiuum, quàm practicũ. Quemadmodum si quis duxit vxorem bona fide, existimans priorem maritum esse mortuum: & postea rationabiliter dubitat an sit viuus vel mortuus: nõ potest licitè cum illo dubio accedere ad vxorẽ, donec faciat diligentem inquisitionem ad cognitionem veritatis. Facta vero diligenti inquisitione iam poterit accedere ad vxorem non obstante quod maneat dubius: quia iam dubium illud est speculatiuum. Ita etiam contingit in illo, qui bona fide accepit rem alienã: & postea dubitat, debet enim examinare dubium sicut iam diximus. Vtrùm vero cũ tali dubia fide possit esse præscriptio, quando bona fide cœpit homo possidere? De hac re variæ sententiæ sunt. De quo vide Sylvest. in verbo, præscriptio. §. tertio. par. 3. vbi tenet sententiam Bar. in. l. naturaliter. ff. de vsucap. quod continuatur præscriptio cum illa fide dubia: examinato tamẽ dubio diligenter & ego ita teneo, quamuis sententiæ oppositum. Magister Soto libr. 4. de Iustitia. quæst. 5. art. 4. quoniam re uera post illam diligentem inquisitionem, iam illa potest dici bona fides, moraliter & practice: quanuis habeat dubitationem quandam speculatiuam.

Quinta conclusio. In casu posito, licet possit homo rescindere contractum cum illo à quo emit, quia vult se ipsum indemnem seruare: tamen non poterit alteri vendere illam rem, nisi manifestando dubium illud. Probatur, quia vendens tenetur manifestare vitium rei, ex quo emptori potest incommodum euenire. Ista conclusio est contra Sylvestrum in verbo, restitutio. 3. quæstio. 7. vbi ait, quod absolutè potest vendere. Verum est tamen quod si facta diligenti inquisitione, nulla reliquia est spes decidendi dubium illud: poterit homo absolutè vendere, sicut ipsemet iam bona fide possidet. Hactenus de prima & secunda conclusione.

DVBITATVR sexto. Et principaliter circa tertiam conclusionem Diui Thomę, vbi ait quòd qui accipit rem alienam in suam vtilitatem & absque aliqua iniuria domini, tenetur ad restitutionem ratione acceptionis. Est enim gratis difficultas, vtrùm qui accepit rem accommodatam. v. g. Equum, teneatur restituere domino: etiam si equus perierit absque culpa commodatarij? Ratio dubitandi non est modica, quoniam in capit. vnico. de commodatis habetur quod is qui gratia sui tantum accepit rem commodatam: tenetur ad restitutionem, etiam de leuissima culpa. Fortuitus autem casus nisi interuenerit culpa vel pactum vel nisi in mora fuisset commodatarius, non est illi imputandus. Ecce quomodo non videtur vniuersalis conclusio Diui Thomæ.

Arguitur nihilominus in fauorem sententię D. Thomę. Primo. Mutuatarius tenetur restituere debitum, etiam si nulla sua culpa pereat mutuum: ergo etiam commodatarius tenetur restituere commodatum uniuersaliter. Probatur consequentia. Nam magis videtur teneri ad restitutionem, is qui non accipit dominium rei, quàm is qui accepit: sed commodatarius non acquirit dominium commodati, mutuatarius uero acquirit: ergo si iste tenetur restituere, multo magis ille.

Secundo arguitur. Si culpa requiritur in commodatario ut teneatur restituere, uel requirit mortalis uel sufficit uenialis, si uenialis sufficit, videtur durissimum quod pro leuissima culpa soluat magnum pretium, si uero mortalis fuit, sequitur quod ferè nunquam tenebitur commodatarius restituere: raro enim accidit ut rem alienam tanta negligentia commodatarius perdat, ut sit mortalis culpa.

Tertio arguitur. Si culpa requiritur, sequitur quod pro quantitate culpę teneatur commodatarius restituere plus minusve pretij, propter rem peditam. Consequens videtur inconueniens magnum quia esset magna confusio metiri quantitatem culpę, ergo.

De hac difficultate Magister Soto lib. 4. de Iustitia. quæst. 7. artic. 2. dicit quatuor. Primum est, quod commodatarius tenetur restituere de leui culpa. Secundum est, quod non tenetur totum, sed pro ratione & quantitate culpę. Tertium est, quod non tenetur in foro conscientię nisi ex culpa mortali.

tali. Quantum est, quod omnia estimanda sunt secundum forum exterius, & eius sententię standum etiam in foro conscientiæ. At vero sententia communis est, quod commodatarius tenetur ad restitutionem: etiam si leuissima sua culpa res commodata perijt. Hanc sententiam docet Caietanus in hoc loco. Et Adrianus in 4. in materia de restitutione. fol. 48. Et Sylvester in uerbo, commodato. §. 6. q. 8. & verbo, culpa. §. quarto. & est communis sententia Iurisperitis.

PRO decisione veritatis, notanda est distinctio celebris in hac materia apud Iurisperitos, videlicet, quod res commodata tripliciter potest perire apud commodatarium. Primo quidem fraude vel dolo, quando ex certa scientia & malitia res perijt. Secundo aliqua culpa commodatarij, Vbi aduertat Theologus quòd nomine culpæ aliud intelligunt Iurisperiti, quam Theologi. Nam Theologi intelligunt peccatum aliquod coram Deo: sed Iuristæ intelligunt aliquam priuationem diligentiæ, quæ secundum mores hominum poterat adhiberi ad conseruandam rem illam, iuxta materiam & cõditionem vniuscuiusque rei: siue illa priuatio sit peccatum coram Deo siue non, & huiusmodi culpam rursus distinguunt in leuem & leuissimam & latam & amplam. Tertio potest perire res accommodata ex casu fortuito, qui non cadit sub humana prouidentia, seu diligentia circa talem rem seruandam.

HIS positis, sit prima conclusio. Commodatarius tenetur ad restitutionem rei commodatæ: etiã si leuissima sua culpa peperierit, neque peccauerit coram Deo. Hæc conclusio probatur ex citato cap. de commodato. Item ex l. in rebus. & ex l. si certo, §. commodato. ff. commodati. Vbi hęc conclusio expresè habetur: & est communis sententia Theologorum & Iurisperitorum, & ratione probatur, nam ius naturę postulat, ut qui rem ab alio accipit in proprium commodum: teneatur ad hoc quod dominus rei qui gratiam fecit non patiatur detrimentum: ergo si culpa vel inconsideratione commodatarij res perijt: non debet dominus pati aliquod detrimentum. Confirmatur. Quoniam aliàs tolleretur de republica commodandi contractus, qui valde necessarius est: nemo enim vellet commodare rem suam cum tanto periculo.

Preterea arguitur specialiter contra sententiam Magistri Soto, quoniam secundum ipsum standum est sententiæ quæ pronuntiatur in foro exteriori: sed in foro exteriori condemnatur semper commodatarius de leuissima culpa: ergo nõ requiritur mortalis culpa ut in conscientia teneatur restituere. Neque valebit dicere quod est lex penalis, & propterea obligat postquam prolata est sententia, quoniam profectò tam leuis culpa non est digna tanta pœna, ac proinde lex esset iniqua si pœnalis esset. Rursus neque valebit respondere, quod sententia fundatur in falsa presumptione: quoniam si hoc esset uerum non obligaret in conscientia. Neque rursus lex presumit peccatum mortale: nam expresè cõdemnat de leuissima culpa. Dicendum ergo est, quod iura nihil aliud statuunt in hac parte: quàm quod naturæ iure constitutum est.

Secunda conclusio. Commodatarius non tenetur restituere, quãdo res commodata perit casu fortuito. Hęc conclusio intelligitur, nisi forte qui cõmodauit non expressit conditionem casus fortuiti: tunc enim commodatarius tenebitur restituere: quoniam alter potuit in contractu libero qui nullo modo erat in utilitatem propriam, talem conditionem apponere. Conclusio itaque sic intellecta asseritur ab omnibus Iurisperitis, & ipsa iura citata illam confirmant.

Sed oportet obseruare, quis nam sit casus fortuitus. Est enim qui non cadit sub humana prouidentia. v. g. Si fulmine percussus equus accommodatus pereat: & latrones multi repente aggrediantur, ubi grassari non solent. Ratione uero probatur, nam dominus rei accommodatæ non debet exigere maiorem solicitudinem à commodatarijs seruanda re, quam ipsemet posset habere: nisi forte vellit exprimere talem conditionem casus fortuiti: ergo si casu fortuito res ipsa perijt domino perit.

Sed rursus obseruandum est, quòd cum fuerit dubium an casus fuerit fortuitus, an uero prouideri potuerit ab ipso commodatario, & non fuerit prouisus: tunc declinandum est potius in fauorem domini. Ratio est, nam æquum est vt commodatarius qui beneficium recipit, patiatur potius damnũ in casu dubio, quam ipse dominus qui nullam reportat vtilitatem.

Tertia conclusio. Quando commodatarius ex culpa etiam leuissima tenetur restituere, tenebitur in totum & non in partem. Hanc expresè tenent iura citata, & communis sententia. Et ratio est manifesta: quoniam obligatio ad restituendum nõ oritur ex culpa veniali aut mortali coram Deo: sed potius ex natura contractus accommodationis, qui postulat ut commodatarius teneatur rem commodatam domino reddere nisi perierit casu fortuito & quomodocunque alias pereat imputandum erit damnum ipsi commodatario. Siquidem non fuit solicitus seruare rem alienam, & hoc est quod nomine culpę intelligunt Iuristæ, ergo illi tenebitur in totum restituere.

Quarta conclusio. Mutuatarius tenetur restituere, etiam si fortuito casu mutuatum amiserit. Ratio est, quia mutuatarius statim efficitur dominus mutuati, vnde si mutuatum perit apud dominum ipsi domino perit: & ipse tenetur restituere magis ratione acceptionis, quam commodatarius qui non acquirit dominium commodati.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum concedo antecedens & nego consequentiam. Ad probationem negatur maior. Nam licet pluribus titulis teneatur commodatarius restituere, scilicet, ratione acceptionis, & ratione acceptæ rei, tamen mutuatarius strictius tenetur ratione acceptionis: eo quod suscipit rem ut verus dominus, ad consumendum illam: & idcirco tenetur ad restituendum illam in omni euentu.

Ad secundum argumentum iam diximus, quod non requiritur culpa mortalis neque venialis coram Deo: sed sufficit non apposuisse necessariam diligentiam secundum humanam prouidentiam possibilem: & idcirco tenebitur ad restituendum in totum.

Ad tertium respondetur, quod culpa iuridico modo accepta, requiritur in quantum est signum non perijsse rem humano casu fortuito, in quo solum excusatur commodatarius à restitutione quando non præcessit pactum. Vnde etiam leuissima culpa sufficit ut teneatur restituere.

DVBITATVR septimo. Circa quartam conclusionem ubi agitur de acceptione iusta quæ est in vtilitatem dantis. An depositarius teneatur restituere solum quando sua culpa magna, depositum amiserit?

Arguitur primo pro parte negatiua. Ex cap. bona

na fides, de deposito. vbi dicitur bona fides abesse præsumitur, si rebuis tuis saluis existentibus depositas amisisti. Ex quo sic arguitur. Sit casus quod Petrus non poterat simul res proprias & depositas ab incendio eripere, & reliquit depositas vt proprias liberaret: tunc condemnabitur ex citato capit. ergo non requiritur aliqua culpa in depositario vt teneatur restituere.

Arguitur secundo. Ex eodẽ capit. vbi habet quod pacto vel culpa vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur depositario: ergo sufficit quæuis culpa neque requiritur magna. Confirmatur ex capit. si tua culpa de iniurijs & damno dato, vbi dicitur quod sufficit negligentia, nec ignorantia excusat: quo minus teneatur depositarius restituere. Et capit. consuluisti 2. quæst. 4. Et capit. si clerico. 50. distinct. In quibus omnibus leuissima culpa imputatur depositario.

Propter hæc testimonia Adrianus in 4. vbi supra ait, depositarium teneri ad restituendum: etiam de leuissima culpa, accepto nomine culpæ iuridico modo. Altera sententia est Magistri Soto vbi supra, quod depositarius qui recipit depositum in gratiam eius qui deponit: non tenetur ad restitutionem, nisi ex culpa mortali, & multo maiori quam illa, quæ commodatarium obligat: quia licet sit mortalis culpa quę obligat commodatarium: tamen putat ipse quod vocatur leuis culpa respectu culpæ, quæ obligat depositarium.

Pro decisione veritatis sit prima conclusio. Depositarius tenetur ad restitutionem ex culpa lata & ampla, etiam si coram Deo non sit nec veniale quidem peccatum. Verbi gratia. Si depositarius etiã obliuione naturali, reliquit depositũ in limine domus: non peccauit coram Deo, & tamen dicetur iuridice loquendo culpa lata & ampla. Hæc conclusio communis est Theologis, & Iurisperitis, & est Dini Thomę in corollario quartę conclusionis, & colligitur ex capit. bona fides citato. Et ex l. prima. §. vltimo. ff. depositi. & in l. contractus. ff. de regulis iuris. & Instit. quibus modis cõtrahitur obligatio. §. prętera. Hanc etiam conclusionem probant duo argumenta facta in principio huius dubij.

Secunda conclusio. Depositarius non tenetur de leui culpa. Hæc probatur ex l. citata. ff. depositi. & est communis sententia & ratione probatur, quoniam depositum recipitur in gratiam tantum deponentis: ergo depositarius non debet grauari nisi de culpa lata & ampla. Secundo probatur. Si depositarius obligaretur de leui culpa, nemo vellet suscipere depositum: si autem non obligaretur saltem de lata & ampla culpa, nemo vellet depositum tradere: ac proinde periret iste contractus necessarius reipublicæ. Tertio probatur vtraque conclusio, commodatarius tenetur de leuissima culpa: ergo depositarius tenebitur tantum de lata & ampla culpa. Probatur consequentia, nam depositum differt à commodato per extremum quatenus commodatum est tantũ in gratiam commodatarij: depositum vero non est in gratiam depositarij, sed tantum deponentis: ergo commodatarius & depositarius debent obligari differenter ex culpis extremis.

Tertia conclusio. Quotiescunque depositarius habuit culpam latam tenebitur restituere in toto. Hæc est communis sententia, & ratio est: quia tunc sua culpa totum damnum emergit alteri. Sed obseruandum est, quod in casu dubio an culpa fuerit lata nec ne, declinandum est in fauorem depositarij: quia depositum fit in fauorem tantum eius qui deposuit. & idcirco æquum est, vt ipse potius patiatur in commodum quam depositarius, vbi res dubia fuerit.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum, quod sententia illius capituli bona fides, fundatur in presumptione: & idcirco in foro exteriore condemnabitur depositarius: nihilominus si re vera ille non fuit negligens non tenebitur in conscientia restituere: quia non obligabatur seruare rem alienam cum detrimento rei familiaris.

Ad secundum argumentum & confirmationem respondetur, quod iuxta varietatem contractuum, requiritur diuersitas culpę, vt teneatur quis restituere rem alienam. Et hoc est quod probant iura ibi citata, non autem q̃ quęuis culpa semper sufficiat, vt depositarius teneatur restituere depositum.

Dvbitatvr octauo. Circa tertiam & quartam conclusionem, quid sentiendum sit, quando rei acceptio iusta est incommodum vtriusque partis, dantis, scilicet, & accipientis. v.g. locatis & recipientis seu conducentis: & quãdo depositarius pretium recipit pro seruanda re indeposito. Quęrimus ergo, an etiam tunc ipse recipiens teneat restituere rem, quæ, sine culpa sua apud ipsum perijt. Ad hoc dubiũ Mag. Soto vbi supra dicit duo. Primum est, quod depositarius qui pretio se obligat ad custodiendum depositum: tenetur ad restituendum illud, etiam si sine culpa sua perierit, ratio eius est, quoniam qui assecurat merces tenebitur restituere, etiam si casu fortuito pereant, ergo etiã depositarius cui datur pretium vt custodiat depositum, est enim quasi contractus quidam assecurationis. Alterum est quod de conductore perinde dicendum est, sicut de commodatario dixerat, scilicet, quod tenetur conductor de leui culpa in partem, de graui in totum restituere. Et sicut ipse dixerat, commodatarius nõ tenetur in cõscientia nisi de culpa mortali: multo magis id debet dicere de conductore, quoniam iste non tantum in proprium commodum recipit, sed etiam in commodum locantis.

Pro decisione huius difficultatis sit prima conclusio. Conductor tenetur ad restitutionem rei perditę ex leui culpa. Hęc est communis sententia Theologis & Iurisperitis, qui agunt de hac re in lege contractus. ff. de regulis iuris. & in titul. de locato & cõducto. Et ratio huius est, quoniam conductor habet se medio modo inter depositarium & commodatarium. Commodatarius enim accipit rem tantum in proprium commodum, depositarius vero recipit rem solum in commodum deponentis: conductor autem partim in proprium commodum, partim in commodum domini accipit rem conductam, ergo æquum est vt in obligatione ad restituendum, medio modo se habeat conductor. Ergo non tenebitur de leuissima culpa sicut commodatarius, neque tantum de lata & ampla culpa, sicut depositarius: sed de leui quę est media inter leuissimam & latam.

Secunda conclusio. Si contingat quod commodatarius accipiat pretium pro custodia rei commodatę: tenet ad restitutionem commodati quod perijt sine culpa sua etiam casu fortuito. Probatur quoniã recepto pretio obligatur magis quam antea: sed sine pretio tenebatur etiam de leuissima culpa, ergo recepto pretio tenebitur de nulla culpa.

Tertia conclusio. Conductor qui accipit pretium pro custodia rei conductę: tenetur ad restitutionem de leuissima culpa. Probatur, quia non accepto pretio tenetur de leui culpa: sed accepto pretio magis tenetur, ergo tenebitur de leuissima culpa.

Quarta

Quarta conclusio. Depositarius qui pro custodia depositi pretium accipit, tenetur ad restitutionem de leui culpa. Probatur, quia sine pretio tenebatur solum de lata & ampla culpa: sed accepto pretio magis tenebitur: ergo tenetur de leui culpa.

Vltima conclusio. In huiusmodi contractibus dijudicandis, in omni circunstantia, habenda est ratio ad quantitatem pretij & ad laborem & periculum in custodia rei, & sic ad arbitrium boni viri determinanda est maior vel minor obligatio in foro conscientiæ: imo etiam in foro exteriori. Et ad argumentum Magistri Soto respondetur, quod depositarius non semper recipit pretium vt assecuret: sed vt custodiat rem depositi, & tunc iudicandus erit depositarius secundum leges custodiæ. Si autem fiat cum illo contractus assecurationis expressus vel interpretatiuus: tenebitur tunc in omni euentu, et in casu fortuito ad restitutionem depositi: sicut crebro contingit in depositario generali, qui designatur in omni republica.

Dvbitatvr nono & vltimo in hoc articulo. Circa solutionem ad secundum argumentum. Vtrùm teneatur quis cum detrimento proprio in rebus superioris ordinis restituere res inferioris ordinis. Est exemplum celebre de adultera quæ habet filium ex adulterino: vtrum teneatur illa cum periculo vitæ vel famæ reuelare filium adulterinũ, vt ille excludatur ab hæreditate mariti. Est etiam exemplum in tabellione, qui fecit falsam scripturã, & in teste qui dedit falsum testimonium, vnde aliquis fuit damnatus ad pœnam pecuniariam: an isti teneantur ad restitutionem cum detrimento famæ vel vitæ?

Pro parte affirmatiua arguitur primo. Obligatio ad restituendum est de iure naturæ, ergo restitutio non est omittenda propter damnum temporale.

Arguitur secundo. Ille cui facienda est restitutio, potest illam petere non obstante detrimento famæ vel vitę eius qui debet pecunias, ergo ipse tenebatur cum eodẽ detrimento restituere. Probatur consequentia, quia non potest dari bellum vel litigium iustum ex vtraque parte, nulla existente ignorantia.

Arguitur tertio. Quamuis enim fama vel vita hominis sint ex genere suo excellentiora bona quã pecunia: tamen tanta potest esse quantitas pecunię, quod excedat famam hominis vulgaris, ergo saltim in illo casu homo ille infimæ conditionis, tenebitur restituere: non obstante detrimento suæ famæ imo etiam vitæ.

Arguitur quarto. Nemo potest aliena rapere vt seruet suam famam, ergo neque retinere.

Sed in oppositum est, determinatio Innocentij Tertij, in capit. officij. de pœnitentijs & remissionibus. vbi ait, non esse denegandam pœnitentiam mulieri quæ ex adulterio suscepit prolem, neque vult hoc marito reuelare propter metum.

De quæstione hac Caiet in hoc loco, & in opusc. 17. respon. respon. 14. dub. 2. & in Summa verb. adulterium. statuit vniuersalem regulam, scilicet. Nemo tenetur restituere res inferioris ordinis cum detrimento rerum superioris ordinis. Et hanc sententiã in casu adulteræ iam posito, tenet Scot. in 4. distin. 15. quęst. 2. & Gabr. ibidem. & Ioan. de Medina in tractatu de rebus restit. quæst. 3. causa 4.

Altera sententia est, quod licet adultera non teneatur restituere secundum allegatum capitulum: tamẽ tabellio & testis falsus tenetur restituere cum illo detrimento. Sic tenet Panormit. in cap. officij citato. & alij Iurisperiti ibidem, & Sylvester in verbo, adulterium. §. secundo.

Tertia sententia est, quod adultera tenetur cum periculo famæ restituere. Hanc tenet Maior in 4. dist. 24. quęst. 17. & Adria. in 4. in materia de restitutione. Imo adijcit, quod etiam cum periculo uitę tenetur reuelare crimen marito, dummodo non timeat quòd ipse maritus peccaturus sit occidendo illam: licet aliundè timeat sibi periculum vitæ imminere, v.g. à cognatis mariti vel etiam à iudice per sententiam.

Vltima sententia est Magistri, Soto articulo secundo citato, vbi regulam Caietani positam, asserit esse perniciosam si vniuersaliter accipiatur: sed inquit ille habendam esse rationem ad quantitatem damni in temporalibus & ad qualitatem famæ vel vitæ adulteræ. Vnde asserit quod aliquando tenebitur adultera cum certo periculo famæ. Verbi gratia, quando ipsa non est adeo illustris & filius spurius succedet in patrimonium insigne: imo etiam cum periculo vitæ tenebitur quando successio futura est in regnum vel principatum illustrissimum. Doctissimus Couarruuias in relectione regulę peccatum, parte 1. refert hanc opinionem & quantum ad periculum famæ approbat illam: quantum uero ad periculum uitæ, non audet approbare nec reprobare.

Pro decisione huius difficultatis sit vnica conclusio. Per se loquendo nemo tenetur restituere res inferioris ordinis, cum detrimento rerum superioris ordinis: nisi in casu in quo bonum publicũ periclitaretur. Probatur conclusio. Primo, nam res inferioris ordinis debent ancillari rebus superioris ordinis, neque possunt cum illis adæquari: at uero si restitutio rerum inferioris ordinis deberet fieri cum detrimento rerum superioris ordinis, permutaretur ordo naturæ: ergo non est talis obligatio. Probatur secundo. Ex illo Matth. 7. quæcunq; vultis ut faciant uobis homines, eadem uos facite illis. Sed omnis homo rationabiliter vult, ut in tali casu non obligetur ad restitutionem cum tãto detrimento: ergo nemo debet illam restitutionem exigere vt sibi fiat. Probatur tertio, in casu extremæ necessitatis, nõ tenetur debitor restituere creditori, etiam patienti similem necessitatem: sed qui periclitatur circa famam uel circa vitam est in extrema necessitate: ergo non tenetur restituere cum tanto periculo. Confirmatur. Si quis etiam iustè damnatus ad mortem, accipiat equum alienum pretiosum ut effugiat: non tenebitur ad restitutionem equi pereuntis in ipsa uia: cuius ratio non est alia, nisi quia res inferioris ordinis ancillantur rebus superioris ordinis, & in extrema necessitate non solum est licitum non restituere temporalia, sed etiam capere aliena.

Denique probatur conclusio. Specialiter quantum ad hoc, quod cum detrimento famæ: scilicet, cum infamia non teneatur homo restituere temporalia. Quoniam Diuus Thomas in solutione ad secundum, ait, quod nemo tenetur reuelare crimen suum ut restituat nisi Deo & confessori. Et confirmatur, quia nemo tenetur libertatem suam uendere ut restituat alienum, eo quòd libertas pretiosior est omni auro: sed etiam fama est pretiosior diuitijs: ergo nemo tenetur cum eius detrimento temporalia restituere.

Et confirmatur secundo, quia nemo est qui non rationabiliter eligeret potius seruitutem cum bono nomine, quam libertatem cum infamia, ergo fama non minus æstimanda est, quam libertas, ac proinde si non tenetur quis cum amissione libertatis restituere: nec tenebitur cum amissione famæ.

Sed

Sed obseruandum est, quod in conclusione diximus per se loquendo. Etenim aliquando, tam leuis potest esse infamia vt teneatur illam pati vt restituat rem magni pretij, cuius iudicium relinquitur arbitrio boni & prudentis viri. Diximus etiam in conclusione, nisi in casu in quo bonum publicum periclitaretur: quoniam in tali casu tenetur etiam homo pati mortem, ut subueniat reipublicæ, ergo multo magis restituere si hoc expedit bono communi.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum quidem, quod præceptum restituendi cum sit affirmatiuum, quamuis obliget iure naturæ: tamen non obligat vbique & semper, sed pro loco & tempore & circunstantijs alijs sicut cætera præcepta affirmatiua: ac proinde dicimus quod in casu proposito, non obligat cum tanto detrimento ipsius debitoris. Non enim ius naturæ postulat, vt debitum in rebus inferioris ordinis restituatur rebus superioris ordinis.

Ad secundum respondetur. Transeat antecedens, sed nego consequentiam, sicut non valet ista consequentia, accusator iustè reum accusat: ergo ipse tenetur se prodere. Neque inde sequitur, quod sit bellum iustum ex utraque parte: quoniam qui tacet delictum suum, non contra pugnat.

Ad tertium respondetur, quod per se loquendo pecunia nunquam poterit adæquare valorem rerum superioris ordinis: semper enim est maius malum quod aliquis incurrat infamiam, quam meram paupertatem, at uero quoniam diuitiæ sunt instrumenta ad acquirendum honorem & conseruandũ illum: hinc est quod sæpe possit contingere, vt aliquis teneatur cum aliqua infamia & proprio dedecore, restituere res inferioris ordinis: quatenus defectus illarum rerum, causa est uero domino dedecoris & infamiæ uel etiam impedit eum ab honore notabili, quem diuitijs poterat acquirere & conseruare. Hinc igitur est quod sententia illa Magistri Soto in quibusdam casibus uerificanda sit & sequenda.

Obseruandum tamen est, quod quando defectus restitutionis inferiorum bonorum redundat in damnum boni communis: tunc tenetur homo etiam cum periculo famæ & vitæ restituere. Et ratio est, quia bonum commune & tranquillitas reipublicæ non referuntur inter bona superioris ordinis: sed inter bona superioris ordinis, videlicet, quatenus ipsa respublica bonis temporalibus vel instrumentis acquirit honorem, uel pacem & salutem suorum ciuium.

Ad vltimum argumentum respondetur, quòd licitum quidem est accipere bona aliena ut quis effugiat mortem, & similiter non restituere quod cõsumptum est in extrema necessitate. Ratio est, quia huiusmodi bona sunt media per se primo ordinata ad conseruationem vitæ. Cæterum non ita semper verum erit, quod possit aliquis accipere res alienas, vt euitet infamiam: quoniam ista bona non sunt media per se ordinata ad acquirendam famam, vnde non est licitum quod aliquis accipiat alienum ad acquirendam famam. Nihilominus licitum erit non restituere cum periculo amittẽdi famam: quia iam tunc ipse homo cooperaretur sua actione ad seipsum infamandum, vt proximo restitueret rem aliquam temporalem merè inferioris ordinis.

Notandum tamen est, quòd dupliciter pôt quis in infamiam deuenire ut restituat alienum. Vno modo crimen suum manifestando, & sic non obligatur seipsum prodere nisi Deo & confessori, vt dicit Diuus Thomas. Altero modo, quia restituendo alienum venit in paupertatem, & amittit honorem quem ex alienis diuitijs acquisierat & conseruabat: & de huiusmodi hominibus dicimus, quod tenentur restituere. Et ratio est, quia bona aliena non sunt ordinata ad honorem alterius: bene tamẽ ad vitę sustentationem in extrema necessitate.

Denique in huiusmodi casibus notandum est, quomodo debeant homines se habere in faciendo eiusmodi restitutione. Dicimus ergo primò, quòd tabellio & testis falsus, qui infamauerunt alium, tenentur cum periculo propriæ famæ seipsos retractare. Si autem timent imminere sibi periculum vitæ ex huiusmodi restitutione, debent seipsos ut poterint in tutum collocari, & si opus fuerit fugere in aliam prouinciam: & inde mittere literas testimoniales sufficientes ad restitutionem famæ. Quod si tabellio uel testis falsus constituerunt aliquem suo testimonio in discrimine amittendæ vitæ: tenentur ipsi cum eodem periculo negare q̃ affirmauerant. Adultera verò de qua diximus, si habet magnum patrimonium & alia bona parafrenalia, ex quibus posit restituere legitimo hæredi, tenetur id facere; tenetur etiam quantum potest adulterini filij hæreditatem minuere. Potest etiam & deces, vt suadeat adulterino filio ut ingrediatur religionem, ubi non sit successio hereditaria in bona paterna religiosorum. Quod si adultera putauerit utilem fore reuelationem sui criminis ipsi filio adulterino: tenebitur pati illam leuissimam infamiam ut legitimi filij non defraudentur in sua hæreditate. Nihilominus filius adulterinus raro tenebitur matri credere reuelanti suum crimen. Quod si mater, tot & tam vrgentes coniecturas dederit vt filius credat se adulterinum esse: tenebitur relinquere hæreditatem, nihilominus non tenebitur se omnino priuari bonis paternalibus: sed licitum erit ei seruare portionem aliquam, ad vitæ sustentationem. Et ratio huius est, tum quia hoc ipsum expedit ad honorem patris putatiui & aliorum fratrum, q̃ ipsi non viuat cum magna abiectione & mendicitate: tum etiam, quia ipsa mater tenetur iure naturæ sustentare filiũ, etiam adulterinum, unde ipse poterit ex bonis maternis aliquid sibi accipere moderatum ad uitæ sustentationem. Et quamuis leges tam ecclesiasticæ quam ciuiles videantur reddere inhabiles huiusmodi filios spurios ad aliquam hæreditatem acquirendam: tamen semper sunt intelligendæ, ita vt nõ derogent iuri naturali quo parentes tenentur filios nutrire & sustentare. Sed quæret aliquis, an ipse adulter si credat rationabiliter filium esse adulterinum, teneatur restituere alijs filijs legitimis vel hæredibus mariti adulterę, uel ipsi marito omne damnum quod patiuntur propter filium adulterinum? Ad hoc respondet M. Soto lib. 4. de iustitia & iure. q. 7. art. 1. quod non tenetur aliquid restituere, nisi forte adulter fuerit multum diues & potens. Sed nos tenemus sententiam communem, quod adulter tenebitur non minus quam adultera ipsa, restituere omnia damna quæ sequuntur ex adulterio. Nam etiam si adultera voluerit & inuitauerit adulterum: tamen ipse adulter nihilominus iniuriam facit marito, ergo tenebitur ad omnia damna quæ re uera sequuntur ex tali iniusta actione, neque retulerit quicquam, quod ipse adulter sit ualde diues aut mediocriter: semper enim tenebitur restituere in quantum poterit. Cæterum de doctrina D. Tho. ad tertium argumẽtum dicemus articulo sequenti.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrùm illi, qui non acceperunt, teneantur restituere.

4. dist. 15. q. 2. art. 5. quæst. 3.

AD Septimum sic proceditur. Videtur, quòd illi qui non acceperunt, non teneantur restituere. Restitutio enim quædam pœna est accipientis. Sed nullus debet puniri, nisi qui peccauit. Ergo nullus debet restituere, nisi qui accepit.

2. Præterea. Iustitia non obligat aliquem ad hoc, quòd rem alterius augeat. Sed si ad restitutionem teneretur, non solum ille, qui accepit, sed etiam illi, qui qualitercunque cooperantur, augeretur ex hoc res illius, cui est aliquid subtractum: tum quia sibi multoties restitutio fieret: tum etiam quia quandoque aliqui operã dant ad hoc, quòd aliqua res alicui auferatur, quæ tamen non ei aufertur. Ergo non tenentur alij ad restitutionem.

3. Præterea. Nullus tenetur se periculo exponere ad hoc, quòd rem alterius saluet. Sed aliquando manifestando latronem, vel ei resistendo, aliquis periculo mortis se exponeret. Non ergo tenetur aliquis ad restitutionẽ propter hoc quòd non manifestat latronem, vel ei non resistit.

Sed contra est, quod dicitur Roman. 1. Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Ergo pari ratione etiam consentientes debent restituere.

Art. præc. Respondeo dicendum, quòd sicut dictum † est, ad restitutionẽ tenetur aliquis, non solum ratione rei alienæ quam accepit, sed etiam ratione iniuriosæ acceptionis. Et ideo quicunque est causa iniustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem. Quod quidem contingit dupliciter, directè, scilicet & indirectè. Directè quidem, quando inducit aliquis alium ad accipiendum. Et hoc quidem tripliciter. Primo quidem modo, mouendo ad ipsam acceptionem: quod quidem fit præcipiendo, consulendo, cõsentiendo expressè, & laudando aliquem quasi strenuum de hoc, q̃ aliena accepit. Alio modo ex parte ipsius accipientis, quia, scilicet eum receptat, vel qualitercunque ei auxilium fert. Tertio modo, ex parte rei acceptæ: quia scilicet, particeps est furti vel rapinæ, quasi socius maleficij. Indirectè verò, quando aliquis non impedit, cùm possit, & debeat impedire. Vel quia subtrahit præceptum, siue consilium impediẽs furtum, vel rapinam: vel quia subtrahit suum auxiliũ, quo posset obsistere, uel quia occultat post factũ: quæ his uersibus comprehenduntur.

Iussio, consilium, consensus, palpo recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Sciendum tamen, quòd quinque præmissorum semper obligant ad restitutionem. Primò, iussio, quia scilicet ille qui iubet, est principaliter mouens, unde ipse principaliter tenetur ad restituendum, secundò, consensus, in eo scilicet sine quo rapina fieri non potest: tertiò, recursus, quando scilicet aliquis est receptator latronum, & eis patrocinium præstat: quartò, participatio, quando, scilicet aliquis participat in crimine latrocinij, & in præda: quintò, tenetur ille qui non obstat, cùm obstare teneatur. Sicut principes qui tenentur custodire iustitiam in terra, si per eorum defectum latrones increscãt, ad restitutionem tenentur: quia redditus quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut iustitiam conseruent in terra. In alijs autem casibus enumeratis nõ semper obligatur aliquis ad restituendum. Non enim semper consilium, vel adulatio, vel aliquid huiusmodi, est efficax causa rapinæ. Vnde tunc solum tenetur consiliator, aut palpo, id est adulator, ad restitutionem, quando probabiliter ęstimari potest, quòd ex huiusmodi causis fuerit iniusta acceptio subsecuta.

Ad primum ergo dicendum, quòd nõ solum peccat ille qui peccatũ exequitur, sed etiam qui quocunque modo peccati est causa, siue consiliando, siue præcipiendo, siue quouis alio modo.

Ad secundum dicendum, quòd principaliter tenetur restituere ille, q̃ est principalis in facto. Principaliter quidem præcipiens, secundario verò exequens: & consequẽter alij per ordinẽ. Vno tẽ restituente illi qui, passus est damnum, alius eidẽ restituere nõ tenet: sed illi qui sunt principales in facto, & ad quos res peruenit, tenentur alijs restituere, qui restituerunt.

Quando autem aliquis præcipit iniustam acceptionem, quæ non subsequitur, non est restitutio facienda, cùm restitutio principaliter ordinetur ad reintegrãdam rem eius, qui iniustè est damnificatus.

Ad tertium dicendum, quòd non semper ille qui non manifestat latronem, tenetur ad restitutionem, aut qui non obstat, vel qui non reprehendit: sed solum quando incumbit alicui ex officio, sicut principibus terræ, quibus ex hoc non multum imminet periculum. Propter hoc enim potestate publica potiuntur, vt sint iustitiæ custodes.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio principalis & vniuersalis. Quicunque est causa iniustæ acceptionis, siue directè siue indirectè, tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia ad restitutionem tenetur aliquis nõ solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustę acceptionis (vt art. 6. dictum est.) Sed omnis qui est causa directè vel indirectè iniustę actionis, est causa iniuriosæ actionis, ergo tenebitur.

Secunda conclusio. Omnes isti videlicet, præcipiens, consulens, cõsentiens, laudans, receptator vel auxiliator, participans, sunt causa directè iniustæ acceptionis.

Tertia conclusio. Isti vero, scilicet, nõ obstans qui tenetur obstare, non loquens qui tenetur manifestare: sunt causa indirectè iniustæ acceptionis.

Quarta conclusio. Ex omnibus numeratis, quinque semper tenentur restituere, videlicet pręcipiens, consentiens in aliquo sine quo iniusta acceptio fieri nõ poterat, receptator latronis, participans in crimine & præda, qui non obstat cum teneatur obstare: qualis est princeps & prætor ciuitatis.

Quinta conclusio. In alijs casibus numeratis, non semper tenetur homo restituere, v.g. consiliator & laudans, non semper tenebuntur restituere: nisi quãdo probabiliter iudicari poterit, quod ex huiusmodi consilio & laude iniusta accepto fuerit subsequuta.

COMMENTARIVS.

CIRCA istas conclusiones aduertendum est, quòd Sylvest. in verb restitutio. 3. §. 6. & Adria. in 4. Palud. in 4. dist. 15. q. 2. aiũt, quòd si quis concurrat ad iniquam acceptionem quę aliàs etiam sine illius concursu sequeretur: non est dicendus causa acceptionis neque tenebitur ad restitutionem, nisi tantum partis quam ipse accepit. Nihilominus hanc sententiam falsam existimamus: nam ex illa sequeretur, quòd si duo homines percuterent Petrum, vterque lethaliter: quòd neuter esset causa occisionis, nec teneretur restituere. Probatur sequela. Nam sine concursu vtriusliber, Petrus moreretur accepto vulnere ab altero. Itẽ sequeretur, quòd in vastatione ciuitatis per bellũ manifestè iniquum, nemo militum teneretur restituere: nisi tantum damnum singulare quod ipse fecerit. Probatur sequela. Quia sine quolibet milite singulari vastaretur ciuitas. Similiter sequeretur ex ista sententia, ꝙ quando multi simul deuastant vineam nullus teneretur restituere, nisi damnũ quod ipse fecerat. Nos igit regulam vniuersalem statuimus, quod ille dicit causa iniustę acceptionis, vel iniuriosę actionis: ad cuius actionem sequit ipsa iniusta acceptio, siue aliàs sequeretur siue non.

Vbi notandum est, quòd quoniam hic de moralibus actionibus est sermo: etiam sequela effectus moraliter & non physicè accipienda est. Ex quo sequitur, quòd sicut potest cõtingere quod aliquis sit causa simpliciter moralis & nullo modo physica. v.g. cõsulens furtum: ita potest contingere quod aliquis sit causa moralis simpliciter & causa physica secũdùm quid: videlicet concausa tantum. v.g. Petrus consentiens cum Paulo in furto talenti aurei, concurrit cũ illo ad frangendas fores, quas solus Paulus non poterat confringere. Item concurrit cum illo ad portandum pondus auri, quod solus Paulus non poterat portare: tunc Petrus est causa simpliciter moralis: & tamen physicè loquendo non est simpliciter causa, sed concausa. Ratio huius est, quia causa moralis est simpliciter voluntaria & libera: cum igitur totus ille effectus sit voluntarius Petro directè vel indirectè: ita etiam vt ille effectus quem Paulus facit, imputetur Petro tanquam obiectum suę voluntatis: & similiter Paulo imputet effectus quem facit Petrus: tenebitur vterque ad restitutionem in integrum, si alter non restituerit, ratione iniquę acceptionis. Cęterum physicè loquendo, neuter est causa simpliciter, sed partialiter. Quoniam igitur obligatio ad restitutionem oritur ex actione iniqua, inquantum est moralis non inquantum est physica: hinc est, quòd etiam si plurimi concurrant ad damnum quod nullus solus potuisset facere: tamen singulis tenent totum restituere, quia singulis totum est voluntarium directè indirectè. Est igitur mens D. Tho. docere, quòd omnes numerati in quarta conclusione semper tenentur restituere totum: quia semper sunt causa totius damni.

DVBITATVR circa cõclusionem, an recipiens latronem ad hospitium teneatur restituere? Arguitur primo pro parte negatiua. Recipiens latronem ad hospitium, non est causa moralis furti, ergo non tenetur restituere. Probo antecedens. Nam si aliquo modo esset causa moralis furti, esset indirectè: sed hoc est falsum quia recipiẽs latronem ad hospitium nõ tenetur non recipere, maxime si paratus est omnes transeuntes recipere quasi ex officio stabularij: ergo iste talis non tenetur restituere.

Arguitur secundò. Si postquã latro accepit prędã absque meo auxilio & consilio, sed prorsus me ignorante, & postea det mihi partem prędæ: ego nõ sum causa moralis totius damni, ergo non tenebor restituere totum.

Arguitur tertiò. Si Petrus videns furem accipientem alienum taceat, non tenetur restituere: & tamẽ poterat obstare, imo tenebatur: ergo non semper ille talis tenebatur restituere.

Sed in oppositum est ipsa doctrina Diui Thomę.

Ad primũ argumentum respondetur, quòd receptator latronis non solum est, qui sciens esse latronem semel recipit illum ad necessarium hospitium: sed ille qui hospitio suo fauet iniquitati latronis, v.g. si latro commodius sua latrocinia exercet habens refugium in diuersorio, tunc stabularius ipse cognoscens esse latronem: tenetur totum restituere, etiam si ex præda nihil accipiat.

Ad secundum respondetur concedo consequentiam. Neque enim D. Thom. ait, quòd participans in pręda capta teneatur in totum semper restituere: sed participans in crimine & ipsa pręda.

Ad

Ad tertium argumentum respondetur, ꝙ qui tenetur obstare ex sola charitate, non tenetur restituere si non obstat: at vero qui tenetur obstare ex iustitia & ex officio sicut est princeps, aut prætor ciuitatis: tenetur totum damnum restituere si non obstat.

Hinc sequitur amplissimum corolarium, quòd omnes qui ex officio & pacto sunt custodes boni communis aut particularis, tenentur restituere totum damnum illatum: si potuerunt obstare clamando, vel reuelando, aut quomodolibet alias & non obstiterunt, verbi gratia. Rex qui videns reipublicæ damnum, tacet & dissimulat, neque impedit cũ possit: similiter prætor & ministri eius dissimulantes latrocinia & furta, custodes vinearum & montium & segetum, & famuli domus qui debent res communes ipsius domus custodire, tutores & curatores minorum & alij similes. Sed quæret aliquis, an isti teneantur de leuissima culpa vel leui aut lata? Respondetur, quòd nimis durum esset obligare istos custodes de leuissima culpa, sicut obligat Adria. in 4. in materia de restitutione. Sed nos dicimus satis esse, quod teneantur de leui culpa. Ratio est, quoniam isti suscipiunt rem sub custodia in vtilitatem vtriusque patris, ergo tenebuntur ad restitutionem, sicut supra diximus de conductore.

Sed est obiectio, & probatur quod custodes montium nullo modo teneantur restituere, etiam si videntes ligna cędi dissimulent. Est argumentum, ipsi cædentes ligna non peccant contra iustitiam vt supra diximus, ergo neque custodes tacentes.

Pro solutione huius argumenti nota, ꝙ si mons est communitatis & necessitas vrget, cædentes signa sibi necessaria non peccant cædentes, neque custode dissimulantes: at vero si custodibus non constat ista necessitas peccant contra iustitiam discimulantes: quoniam tenentur ex officio & pacto iustissimo custodire montem: & tenebunt saltem ad restitutionem pœnæ taxatæ per legem contra cædẽtes ligna. Dixi saltem, quia tanta potest esse alias dissimulatio custodis, quod mons destruatur: & tunc tenebitur ad restitutionem damni totius. Si autem mõs fuerit particularis domini propria manu plantatus, vel antecessorum: tunc & ipsi cædentes ligna peccant contra iustitiam, nisi magna necessitate excusentur, & ipsi custodes dissimulantes tenebuntur ad restitutionem damni dati domino suo.

Ad argumentũ positum respondetur, transeat antecedens & nego consequentiam. Quia custodes tenetur ex officio & pacto seruare montem: cæteri vero tenentur ad solutionem pœnæ si capiantur in monte communitatis. Et sæpe alias potest contingere, quòd aliquis teneatur ad aliquid siue faciendũ siue non faciendum solum ex charitate, vel misericordia: & tamen ille cui incumbit ex officio prouidere, vt illud fiat vel non fiat: peccabit contra iustitiam si dissimulent. v.g. si princeps tempore maximę famis in republica, non prouideat si opus fuerit, quod diuites eleemosynas faciant pauperibus, ipse peccabit contra iustitiam, quanuis aliàs diuites non peccarent nisi contra charitatẽ & misecordiã.

Circa vltimam conclusionem notandũ est, quòd quando consiliarius, aut laudator mali operis non influit suo cõsilio aut laude in animum iniquè agentis, ita vt ex eo moueatur ad opus iniustũ, aut animosior efficiatur ad illud perpetrandum: non tenebitur ad restitutionem, etiam si laudatus ille inique agat. Ratio est, quia tũc consiliator & laudans, nullo modo est causa mortalis iniquæ actionis. Cum autem reuera mouet animum alterius, vel audaciorem efficit: tenebitur ad restitutionem si sequatur iniqua actio.

Sed quæris, quid si antequam sequatur iniqua actio consiliator, vel laudator retractet sententiam, vel vituperet factum: an tunc teneatur ad restitutionem? Respondetur, quòd nihilominus tenebitur ad restitutionem. Et ratio est, quia damnum illud sequitur ex iniqua actione iustius hominis: & pœnitentia ipsa non debet deobligare à restitutione.

Sed est obiectio. Si quis antequam occidatur proximus ab altero cui consilium dedit vel quem laudauit ad illam actionem, retractauerit sententiam, & vituperauerit actionem illam, non incurreret irregularitatem, ergo nõ tenebitur ad restitutionem. Probatur antecedens. Quoniam si occidendus fuerit clericus, non incurret excommunicationem, ergo nec irregularitatem. Respondetur, nego antecedens. Ad probationem, concedo antecedens & nego consequentiam. Et ratio discriminis est, quia irregularitas quę sequitur ex homicidio voluntario, non est per se pœna peccati: sed est indecentia quæ potest incurri ab existenti in gratia Dei, sicut prætor incurrit irregularitatem occidendo latrones. At vero excommunicatio, est proprijssime maxima pœna peccati, quæ non incurritur (secundùm probabiliorem sententiam) coram Deo ab existenti in gratia: neque infligitur pro peccato præterito, nisi de præsenti perseueret contumacia dum exercetur actus pro quo lata est excommunicatio. Verum est tamen, quod ille talis haberetur excommunicatus in foro exteriori sed non coram Deo.

DVBITATVR secundò circa solutionem ad secundum, an cum multi simul concurrunt ad iniuriosam actionem, si vnus illorum restituat domino totum damnum, teneatur cæteri illi refundere pro rata parte. De qua re, aliqua dicit Caiet. art. præcedenti ad tertium argumentum.

Pro solutione istius dubij sit prima cõclusio. Quãdo res ablata adhuc extat apud socios furti, aut certè ab illis mala fide consumpta est, tenentur socij restituere. Hæc est communis sententia & certa. Et ratio est, quia ipsi socij tenebantur totum damnum restituere domino ratione rei acceptæ, aut ratione rei mala fide consumptæ: sed qui restituit domino totum damnum, succedit in omne ius & dominiũ quod habebat verus dominus erga res illas, ergo illi facienda est restitutio.

Secunda conclusio. Si ex iniqua acceptione nullum commodum accessit ijs qui iniuriam fecerunt, tunc si is qui restituit vero domino totum damnum fuit inductus ad faciendum damnum aliorum precibus aut monitis, tenebuntur alij ei rependere pro rata parte. Ratio est, quia inductus ab alijs ad faciendum malum, incurrit obligationẽ restituendi in solidum, ergo si restituit tenebuntur alijs ipsi refundere partes suas. Probatur consequentia. Quia quilibet illorum tenebatur ex iustitia restituere totum damnum cuius fuit causa. Confirmatur. Quia si omnes pariter conuenirent ad faciendum malum, & quidam illorum restituere, tenerentur alij ei rependere, ergo multo magis quando ille qui restituit fuerat inductus ab alijs qui fuerunt causa principalis.

Tertia conclusio. In eodem casu, si ille qui restituit fuit autor & persuasor iniuriæ faciendæ, non tenetur alteri aliquid eidem refundere. Ratio est, quia tunc socij non tenẽtur ratione rei acceptæ, nihil enim manſit apud illos, nec mala fide quidquam consumptum est, neque ratione iniustæ acceptionis, siquidem ipse qui restituit dum alios induxerat,

visus

visus est iuri suo cedere. Hæc conclusio est Caiet. vbi supra: quanuis M. Soto lib.4.de iust.q.7.ar.3 moderatur illam. Ait enim, quod si autor criminis non intentaret malum nisi comitatus alijs socijs: tunc tenebuntur socij eidem restituere. Nihilominus nobis magis placet sententia Caietani: quia ipse autor criminis etiam persuasit socijs, vt se comitarentur: & idcirco in hac parte omnino cessit iuri suo.

Quarta conclusio. Quando plures vno animo conuenerunt ad faciendam iniuriam: siue quilibet illorum esset illam facturus siue socio siue non: nihilominus quilibet illorum tenebitur restituere pro rata ei qui restituit totum. Ratio est, quia in tali casu videntur omnes inter se implicitum pactum societatis fecisse, vt omnes teneatur ad commoda vel incommoda.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm quis teneatur statim restituere, an vero possit restitutionem differre.

AD Octauum sic proceditur. Videtur, quòd non teneatur aliquis restituere statim, sed potius licitè possit restitutionem differre. Præcepta enim affirmatiua non obligant ad semper. Sed necessitas restituendi imminet ex præcepto affirmatiuo. Ergo non obligatur homo ad statim restituendum.

2. Præterea. Nullus tenetur ad impossibile. Sed quandoque aliquis non potest statim restituere. Ergo nullus tenetur ad statim restituendum.

3. Præterea. Restitutio est quidã actus virtutis, scilicet iustitiæ. Tempus autem est vna de circunstatijs quæ requiruntur ad actus virtutum. Cùm ergo aliæ circunstantiæ non sint determinatæ in actibus virtutum, sed determinabiles secundùm rationem prudentiæ: videtur quòd nec in restitutione sit tempus determinatum, vt, scilicet aliquis teneatur ad statim restituendum.

Sed contra est, quòd eadem ratio esse videtur in omnibus, quæ sunt restituenda. Sed ille qui conducit opera mercenarij, non potest differre restitutionem, vt patet per illud quod habetur Leuitici 19. Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane. Ergo neque in alijs restitutionibus faciendis potest fieri dilatio: sed statim restituere oportet.

Respondeo dicendum, quòd sicut accipere rem alienam est peccatum contra iustitiam, ita etiam detinere eam, quia per hoc, quòd aliquis detinet rem alienam inuito domino, impedit eum ab vsu rei suæ, & sic ei facit iniuriam. Manifestum est autem, quòd nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundùm illud Ecclesiast. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum: & ideo quilibet tenetur statim restituere, si potest, vel petere dilationem ab eo, qui potest vsum rei concedere.

Ad primum ergo dicendum, quòd præceptum de restitutione facienda, quanuis secundùm formam sit affirmatiuum: implicat tamen in se negatiuum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere.

Ad secundum dicendum, quòd quando aliquis non potest statim restituere, ipsa impotentia absoluit eum ab instanti restitutione facienda: sicut etiam totaliter à restitutione absoluitur, si omnino sit impotens. Debet tamen remissionem, vel dilationem petere ab eo, cui debet, aut per se, aut per alium.

Ad tertium dicendum, quòd quia cuiuscunque circunstantiæ omissio contrariatur virtuti, pro determinato est habendum, quòd oportet illam circunstantiam obseruare. Et quia per dilationem restitutionis, committitur peccatum iniustæ detentionis, quod iustitiæ opponitur. Ideo necesse est tempus esse determinatum, vt statim restitutio fiat.

SVMMA ARTICVLI.

CONCLVSIO prima. Quilibet tenetur statim restituere si potest, vel petere dilationem ab eo qui habet concedere vsum rei.

Secunda conclusio ad primũ argumentum. Præceptum de restitutione facienda, quanuis secundũ formam sit affirmatiuum: implicat tamen in se negatiuum præceptum, quo prohibetur rem alterius detinere, scilicet, inuito domino.

COMMENTARIVS.

DE hac materia disputant Scholastici in 4. dist. 15. Caietan. in hoc loco, & in summa verb. restitutio. cap. 5. Sylvest. in verb. restitutio. 5. Soto vbi supra artic. vlt. & lib. 5. de iustitia, quæst. 3. art. 1. ad 2. & in 4. Sent. dist. 17. q. 2. art. 6. Adrian. in 4. in materia de restitutione, fol. 34.

Dubitatur in hoc arti. An sit vera doctrina harũ conclusionum. Arguitur primò contra primam cõclusionem. Nemo cum peccat tenetur statim pœnitere, ergo qui habet rem alienam non statim tenetur

tur restituere. Probo consequentiam. Quia ratio cõclusionis D. Thomæ fundatur in hoc quod aliquis tenetur statim exire à peccato, dicit enim. Manifestum est autem quod neque ad modicum tempus licet in peccato morari.

Arguitur secundò. Pœnitentia est quædam species iustitiæ per quam Deo satisfacere nitimur pro offensis commissis: ergo si Deo nõ tenemur statim satisfacere: sequitur quod multo minus ipsis hominibus.

Tertio arguitur. Quoniam sequitur ex ipsa conclusione, quod non restituens statim passim peccaret nouum peccatum. Probatur sequela. Nam si ille tenetur restituere modo, & non restituit modo, modo peccat. Rursus post paulum temporis fiet idem argumentum, ergo iterum peccabit, & sic per singula tempora fiet idem argumentum, ergo.

Quarto arguitur contra secundam conclusionẽ. Præcepta affirmatiua franguntur per omissionem: negatiua vero per commissionem: sed præceptum de restitutione frangitur per omissionem: ergo est omnino affirmatiuum.

PRO solutione difficultatis notãdum est, quod omne præceptum affirmatiuum habet annexum negatiuum, v.g. honorare parentes, habet annexum non dehonorare. Diligere Deum habet annexum nunquam odio habere. Nihilominus D. Tho. aliquis speciale voluit docere de præceptis restitutionis, quod quidem non conuenit cæteris omnibus præceptis affirmatiuis. Et quidem differẽtia in hoc consistit, quod alia præcepta affirmatiua non solum habent formam siue apparentiam affirmatiuam: sed ratio ipsa obligandi est affirmatiua, & ad illam reducitur obligatio præcepti negatiui annexi, v.g. diligere Deum est in præcepto affirmatiuo, & ratio obligãdi affirmatiuè explicatur, videlicet, quia Deus est summe bonus & autor & finis totius boni creati, & ad hanc rationem reducitur obligãtio præcepti negatiui: nunquam odio habebis Deum. At vero præceptum restituendi habet quidem formam & faciem affirmatiuam, scilicet, reddite omnibus debita: sed ratio obligandi negatiuè explicatur, & ad negatiuum præceptum reducitur ad principale, scilicet, ad hoc præceptum: non furtum facias: ac proinde non retineas rem alienam inuito domino.

Hinc sequitur alia differentia, quod in præcepto restituendi, illa circunstantia temporis quod statim fiat restitutio: oritur ex ipsemet ratione obligatoria præcepti: quæ ratio negatiuè explicatur, videlicet non licet vsurpare alienum, sed qui retinet inuito domino vsurpat alienum: ergo statim debet restituere, Et idcirco proprius loquendo non deberet dici circunstantia restitutionis quod statim fiat, sed potius est intrinseca proprietas ipsius actus restitutionis sibi conueniens secundum propriam speciem, aliæ vero circunstantiæ quæ propriè dicuntur circunstantiæ, conueniunt actibus virtutum secundũ communem rationem virtutis, omnis enim actus virtutis debet exerceri vbi & quando & propter quid oportet. Hoc igitur est quod D. Tho. docet in solut. ad 3. qd est speciale in præcepto restitutionis.

Ad argumenta in oppositum respondetur: ad primum negando consequentiam. Ad probationẽ respondetur, quod sensus Diui Thom. est, nunquam esse licitum ad modicum tempus in peccato morari continuando peccatum quod semel ceptum est: sed semper tenetur homo cessare à peccato, non autem dicit Diui Thom. non esse licitum manere habitualiter in peccato sine proposito de cætero peccãdi: sed potius cessando à transgressione præcepti. Vnde qui non statim pœnitet, dummodo cesset ab actu vel omissione: non dicitur morari in peccato.

Ad secundum argumentum respondetur negando consequentiam. Et ratio differentiæ est: quia pœnitentia ordinatur ab ipso Deo qui est summe bonus, ad remedium peccatoris pœnitentis: & idcirco noluit obligare peccatorem vt statim recompensaret offensam contra se commissam, sed certis temporibus magis oportunis ad commodum ipsius peccatoris. Cæterum restitutio facienda hominibus, ordinatur in bonum eius cui facienda est restitutio: & propterea tenemur statim restituere, quia quandiu non statim restituimus, ipse proximus re vera patitur damnum. Huic doctrinæ consonat quod dicitur Iob 22. Si iustus fueris quid ei cõferes, porro si peccaueris quid ei nocebis?

Ad tertium, vt respondeamus, multa necessariò nobis dicenda sunt. Primo, dicimus, parum referre ad mores, vtrum qui non statim restituit peccet plura peccata numero, vel vnum tantum quandiu non restituit. Quoniam tanta grauitas est in vno sicut in multis: debet enim explicari in confessione quantum temporis detinuit quis rem alienam inuito domino, & quo animo. Et quantum damni accepit proximus ex illa iniqua detentione: at vero distinguere ibi plures omissiones numero potius ad speculationem quàm ad mores attinet. Nihilominus dico secundo, quod qui retinet rem alienam inuito domino cum possit statim reddere, peccat mortaliter ex ipso genere peccati. Probatur, quia peccat contra iustitiam. Diximus autem ex genere peccati: quia potest esse veniale tam ex paruitate materiæ, quàm ex minimo incommodo quòd ex parvo tempore incurrit dominus. Dico tertio, qui habet animum deliberatum retinendi rem alienam multo tempore, mortaliter peccat & tenetur confiteri tale propositum: etiam si non impleuerit: sed potius statim restituerit. Ratio est quia obiectum sui propositi erat materia peccati mortalis, videlicet notabile damnum proximi.

Dicimus quarto, quod qui vno proposito expresso, vel interpretatiuo multo tempore retinet rem alienam, vnum tantum peccatum committit. Ratio est, quia vnus actus numero est mortaliter loquendo, quando vnica volitione sequitur effectus etiam multiplex: præsertim si illa multiplicitas non est specifica. V.g. Si vnico ictu occidat aliquis multos homines, vnicus actus est moralis æquiualens in grauitate multis.

Hinc sequitur, quod si quis multiplicat propositum retinendi alienum: multa peccata numero distincta committit. Dicimus quinto, quoties, aliquis vtitur re aliena aliquo vsu pretio æstimabili: peccat nouum peccatum. Ratio est, quia tunc habet nouam voluntatem expressam vel interpretatiuam vsurpandi alienum inuito domino.

Denique dicimus, quod quotiescunque dominus rei petit rem suam, & qui retinet negat illam, vel quotiescunque dominus patitur nouum detrimentum, quod non ignorat retinens peccat nouũ peccatum retinendo alienum. Ratio est, quia in istis casibus, retinens alienum habet nouam voluntatem vsurpandi illud vel saltem non habet voluntatem pro tunc restituendi alienum quando erat specialis ratio restituendi.

Ex hac doctrina sequuntur aliquot corollaria. Primum est, quod qui nõ restituit debitum statim, cum tamen in confessionibus præcedentibus professerit se restituere: non est absoluendus à confessario

sario, etiam si dicat se habere propositum firmum restituendi. Ratio est, quia ille est expositus periculo peccandi mortaliter non restituendo, sicut iam experientia est compertum: ergo ad iudicem & medicum conscientiæ spectat eruere illum à tali periculo. Et hæc est doctrina Caieta. in sum. verb. restitutio. c. 8. & D. Antoni. in 2. par. Theologali titu. 2. c. 8. Sed oportet quòd si est vere pœnitens, debet vel statim restituere si potest vel cautionem præstare quod certo tempore restituet. Rursus sequitur, q̃ cum aliquis est in articulo mortis debet statim restituere si potest: alioquin non est absoluendus, quoniam experientia cõpertum est, quòd hæredes vix aut nunquam restituent. Vnde confessarius debet exigere depositum in pecunia, vel in alijs bonis vnde suo tempore fiat restitutio creditoribus. Bene tamen ℣rum est quòd cum confessarius fuerit prudenter certus, quod ab ipso hærede statim fiet restitutio post mortem: poterit moriturum absoluere.

Ad quartum argumentum respondetur, quòd præceptum restitutionis, sicut est secundum faciem affirmatiuum, & secundum rationem obligandi negatiuum ita strangitur secundum formam per omissionem, sed ratio peccati in commissione consistit, scilicet in vsurpatione vel detentione rei alienæ inuito domino.

DVBITATVR secundo principaliter. Vtrum teneatur homo restituere statim cum graui detrimento rerum eiusdẽ ordinis: cum tamen spectato aliquanto tempore possit restituere absque suo incommodo.

Pro parte affirmatiua arguitur primo. Nemo potest accipere rem alienam, vt proprium detrimentũ in rebus suis eiusdem ordinis deuiret: ergo neque retinere. Probatur consequentia: quia non est minus peccatum retinere alienum: quam accipere inuito domino; imo eadem est ratio peccati.

Secundo arguitur. Ipse dominus rei ius habet ad petendam rem suam à debitor, non obstante quod debitor patiatur illud detrimentum, v.g. quod sit vẽditurus triticũ vili pretio vt solat debitũ ergo ipse debitor tenetur restituere. Probat cõsequentia. Qm̃ alias creditor, non haberet ius petendi nunc, quod ipse debitor non tenentur nunc soluere. Confirmatur, quoniam in foro exteriori condemnaretur debitor, vt statim soluat debitum, non obstante quod alleget quod patitur illud detrimentum.

Tertio arguitur. Quoniam ex opposita sententia sequeretur magnum in comodum reipublicæ: quoniam homines facile raperent & detinerent aliena, si scirent se non teneri ad restitutionum cum graui detrimento rei familiaris.

Sed in oppositum est, quod dicitur in. l. in condẽnatione. ff. de reg. iur. In condemnatione personarũ quæ in id quod facere possunt damnantur: non omne id quod habent extorquendum est: sed illarum ratio habenda est ne egeant. Et in. l. miles. & in. l. itẽ miles. ff. de re iudic. id ipsum decernitur: specialiter de militibus. Et preterea de illo qui cessit bonis suis id ipsum diffinitur in. l. 4. & in. l. 6. ff. de cessi. bon. vbi etiam dicitur, quod si is qui cessit bonis suis postea aliquid comparauerit, aut aliquid ei reliquum fuerit alimentorum nomine: non est condemnandus in solidum. Et ratio redditur ab ipsa lege: quia non est fraudãdus alimentis quotidianis. Et Instit. de actionibus. §. vlti. redditur ratio eiusdem: quoniam inhumanum est, spoliatum omnibus fortunis suis in solidum damnare.

Arguitur secundo, quia ℣t supra dictum est, nemo tenetur cum detrimento honoris restituere pecunias: sed si statim compellitur omnis debitor restituere pecunias, contingit vt aliquis statim amittat honorem descendens in statum inferiorem propter paupertatem, ergo non tenetur cum detrimento suo restituere.

PRO decisione istius difficultatis, sit prima conclusio. Quando creditor patitur simile detrimentũ, nisi fiat sibi statim restitutio: tenebitur ipse debitor statim restituere, nisi in casu extremæ necessitatis. Ratio est euidens, quia nimis durum esset, ℣t verus dominus rei patiatur detrimentum, quia non habet rem suã: & ipse debitor ex alieno deuiret de trimentum. Cæterum in casu extremæ necessitatis, iam diximus in superioribus: quod quia omnia sunt communia melior est conditio habentis seu possidentis. Tota igit difficultas est, quando ipse debitor incurrit graue damnum, si statim restituat: creditor vero nullum aut leue patietur ex prorogatione solutionis?

De hac re est prima sententia Adriani in 4. in materia de restit. fol. 54. quem sequitur Io. de Medina in suo Codice de restit. tract. de reb. restituend. lib. 1. 2. & 3. quod nunquam est licitum nisi in casu extremæ necessitatis, prorogare restitutionem, quinimo aiunt non esse licitum quod debitor aliquid sibi retineat, ℣t effugiat mendicitatem, nisi tantum quantũ creditor tenebat debitori noie eleemosynæ elargire. Et dnt qd quãtis in foro exteriori cõcedat debitori aliqua retentio debiti: tamen hoc non est licitum in foro conscientiæ retinere. Excipiunt tũ vnum casum, videlicet si debitor plurimis debeat, quib. omnib. non posit statim soluere: sed sperat se posse soluere si non statim vni soluat, vendendo bona sua vili pretio, tunc poterit debitor illa bona retinere & negotiari cum illis, vt postea soluat omnibus. Et ratio illorum est: quia tunc debitor agit negotium vtile creditoribus.

Altera sententia est huic opposita, scilicet quod in tali casu non tenetur debitor statim restituere, hæc est communis fere omnium Theologorum in 4. d. 15. & Sylues. in verb. restitutio. §. §. 3. & 4. & D. Antonini in 2. par. titul. 1. c. 8. & quantum videtur est Caiet. in hoc loco, & in sum. verb. restitutio. c. 6.

Tertia sententia est media, quòd quando debitor contraxit debitum per iniquam acceptionem: tenetur cum detrimento quantumliber graui statim restituere. Et etiam quando acceptio fuit iusta, sed postea per prodigalitatem debitoris incurrit in tale detrimentum, vt non possit soluere debitum sine magna iactura bonorum temporalium. Si autem acceptio ipsa fuit iusta, & ipse debitor citra culpam suã constitutus est in tali periculo: non tenetur statim restituere. Hanc sententiam tenet Mag. Soto lib. 4. de Iustitia. q. 7. art. vlti. & aliqui putant esse Caiet. sed omnino falluntur.

Sit igitur secunda conclusio. Quando debitor ex iniustè acquisitis, mutauit statum in melius: tenetur etiam cum detrimẽto status statim restituere. Hæc est sententiam communis Theologorum, imo pauci ex Iurisperitis negant illam. Et probatur ratione, quia non est minor iniquitas statum tueri ex malè acquisitis: quàm illum comparare accipiendo res alienas: sed peccaret contra iustitiam accipiendo res alienas, vt ascenderet ad meliorem statum: ergo etiam peccat contra iustitiam sustentando illum ex alienis.

Tertia conclusio. In eodem casu, potest debitor reseruare sibi alimenta necessaria, & hoc quidem multum præcise secundum conditionem sui status pristini: antequam ex illo ascenderet ad meliorem. Hæc conclusio probatur, ex Alexandro I I I. c. cum tu. de vsuris. vbi præcipit Pontifex vsurarios compellendos esse ad restitutionem facienda, dummodo in facultatibus habeant vnde possint viuere. Illi autem qui non habent, non habent ℣lla pœna mulctari: cum eos notꝫ paupertas euidenter excuset. Ecce ℣bi non inquit Pontifex, extrema necessitas, sed manifesta paupertas eos excusat à restitutione. Sed tamen Adrianus & Ioannes de Medina aiunt, has leges & alias quas retulimus in argumento in oppositum: esse permissiuas, neque habere locum in foro conscientiæ. Nihilominus profecto ex legibus citatis oppositum colligitur, in quibus dicitur inhumanum esse, vt aliquis in solidum damnetur, aut quod fraudetur alimentis quotidianis. Ex quibus verbis colligitur quod non solum est permissio legis: sed etiam consensus & approbatio facti.

Præterea arguitur contra ipsosmet autores contradicentes. Quoniam illorum ratio est quia præceptum de restituendo est negatiuum, hoc est de non retinendo rem alienam, & inde colligunt quod semper tenetur homo statim restituere. Sed contra probatur ratione. Sequeretur, quod etiam in casibus quos ipsi excipiunt: non posset homo prorogare restitutionem: etenim contra præceptum negatiuum nunquam est licitum agere: igitur quemadmodum illi bona ratione ducti, excipiunt illos casus ita ℣t tunc non dicatur debitor retinere alienum inuito rationabiliter domino: ita etiam nos excipimus alios casus eadem ratione.

Sit quarta conclusio. Quando status est iustè comparatus, sed conseruatur bonis omnibus alienis: nõ tenebitur debitor statim restituere cum detrimento proprij status: sed licitum erit retinere necessaria, ad conseruandum mediocritet illum statum: ita sanè vt possit paulatim restitutionem facere.

Ex hac doctrina sequitur corollarium, qd̃ filius adulterinus poterit retinere secũdũ quandã mediocritatẽ sibi necessaria ad cõseruationẽ sui status. Ista probat argumẽtis factis, p̃ parte negatiua, & factis pro cõclusione præcedenti, & nos cõtendimus qd̃ in huiusmodi cãsibus, non est creditor rationabiliter inuitus. Et confirmatur. Esto ita quod filius adulterinus sit ingenue educatus vt vir illustris, tunc ille non tenetur exercere artem sutoriam, vel iarto riam, vt comparet sibi victum necessarium: ergo multo minus tenebitur mendicare. Antecedens probatur: quoniam artifex debitor alieni non tenetur tradere aut ℣endere instrumenta artis, vt restituat: quia illi comparat necessaria ad victum, neque tenetur mendicare: ergo etiã in casu posito non tenebitur ille filius adulterinus suis proprijs manibus victum sibi comparare. Probatur consequentia: quia non minus ille descenderet exercendo artem mechanicam: quam ipse artifex mendicando. Ergo si artifex non tenetur mendicare, neque adulterinus tenebitur in casu posito fieri artifex.

Sit quinta conclusio. Qui statum suum iustè comparatum retinet partim alienis bonis, partim proprij, siue aliena bona sint acquisita bona fide siue mala: non tenetur statim restituere si incurrat graue detrimentum in statu suo, aut in bonis proprijs. Ratio huius conclusionis efficax desumitur ex D. Tho. hic in solutione ad 2. Nam quemadmodum impotẽtia simpliciter excusat ab obligatioae restituendi simpliciter: ita impotẽtia pro tali tempore excusat ab obligatione restituẽdi pro tali tempore: sed qui non potest statim restituere nisi cum magna iactura sui status, ℣el proprij cẽsus, censebitur impotens moraliter loquendo pro tali tempore: ergo pro tunc excusabitur.

Sexta conclusio. Qui in eodem casu non restituit, & ex illa prorogatione creditor incurrit aliquod leue etiam detrimentum: tenebitur ipse debitor cõpensare postea ipsum detrimentum. Probatur, quia melior debet esse creditoris conditio, quam debitoris: ergo non est æquum vt debitor prouideat proprijs incommodis prorogando restitutionem, & non compenset creditoris detrimentum. Et confirmatur. Nam creditor ex prorogatione restitutionis, nullum sentit commodo, sed potius totum damnum redundat in bonum debitoris: ergo æquum est secundum regulam iuris, vt qui sentit commodum sentiat etiam damnum.

Cõfirmatur secundo, quia debitor in tali casu non excusatur simpliciter ab obligatione restituendi in perpetuum, sed solum pro tunc, ergo quando restituet tenebitur omne damnum restituere quod passus est ipse debitor ex prorogatione. Verum est tamen quod quando debitor excusatur ab obligatione restituendi pro tunc propter paupertatem omnimodam in tali casu quanuis creditor incurrat detrimentum ex prorogatione restitutionis: non tenebitur debitor restituere creditori illud detrimentum, etiam si postea deueniat ad pinguiorem fortunam. Ratio est, quia prorogatio pro tunc fuit omnino necessaria, quia erat impossibilis restitutio. Et idem erit iudicium, quando debitor licitè prorogat restitutionem, ex eo quod alias pateretur detrimentum in rebus superioris ordinis. Dicimus enim quòd tunc non manet obligatus ad restituendum damna emergentia ipsi cerditori in rebus inferioris ordinis. Denique circa hæc omnia prædicta, necesse est ℣t confessarij sint diligentes ad discernẽdas causas prorogationis, quas debitores solent sibi fingere, & in casu dubio semper debemus inclinare in fauorem creditoris.

Ad argumenta in oppositum respondetur ad primum negatur consequentia. Et in primis deficit, quando vterque est in extrema necessitate & creditor & debitor: tunc enim licitum est retinere alienum, & non est licitum rapere de nouo. Deinde respondetur, quòd præceptum restituendi habet aliquid affirmatiuum, etiamsi fundetur in negatiuo, & ex illa parte potest expectare aliquando tempus & locus ad faciendam restitutionem. Præceptum vero non accipiendi siue non retinendi aliena inuito domino obligat omni tempore & loco.

Sed obseruandum est, quòd quando retinetur alienum in casibus propositis, non est dominus rationabiliter inuitus si ℣elit statim fieri restitutionem. Denique respondetur, quòd tam grauis potest esse necessitas etiam citra extremam necessitatem: vt licitè possit aliquis alienum accipere absque ℣violentia tamen ad supplendum graue detrimentum in rebus eiusdem ordinis cum proposito restituendi cum primum poterit: neque tunc dominus erit rationabiliter inuitus, dummodo non incurrat simile detrimentum. Quod autem dicit D. Thomæ quod sicut accipere rem alienam est peccatum contra iustitiam, ita etiam retinere: intelligendum est pro tempore & loco, quo potest & tenetur illam restituere: & ita quanuis statim teneatur habere animum restituendi: tamen ipsa restitutio facienda est pro tempore.

Ad secundum respondetur negando etiam consequentiam. Quoniam dominus rei habet ius petendi illam in foro exteriori: sed tamen in prædictis casibus non licitè petit in foro conscientiæ cum tanto

tanto detrimento debitoris: cum ipse nullum aut leuissimum patiatur. Quare non sequitur quòd debitor teneat ex iustitia cõmutatiua, ꝑ tũc restituere in foro cõscientiæ: licet cõpellat à iudice, & ipse teneat obedire, ꝓpter obligationẽ iustitiæ legali. Cæterũ iã diximus supra, nõ esse cõsequẽtiã necessariã: quod si iudex compellat aliquem statim restituere per sententiam iustam: quòd ipse debitor teneretur etiam antea restituere statim in foro conscientiæ. Rõ est, quia iudex ex officio tenetur facere æqualitatẽ inter ipsos ciues: at respectu ciuium per accidens est detrimentum particulare ipsius debitoris: & idcirco dummodo ipse debitor seruet normam legis, non tenetur prouidere particulari damno ipsius debitoris. Verũ est tamen, quòd supremus princeps, in huiusmodi casibus poterit rationabiliter arbitrari.

Ad tertium respondetur, quòd nullum damnum sequitur reipublicæ ex doctrina assignata, non obstante quòd viri iniqui occasionem accipiant ad peccandum, & iniquè prorogent restitutionem sub velaminem fictæ necessitatis.

DVBITATVR tertio & vlt. in hoc art. Vtrũ quando sunt plures creditores, teneatur debitor seruare ordinem aliquem in restituendo singulis? De qua re optimè loquitur Caiet. in sum. verb. restitutio. c. 8. ex cuius doctrina ponimus sex documenta necessaria valde.

Primum documentum est. Nullus est ordo necessarius in restitutione si præsto sunt opes, vnde omnibus creditoribus possit statim restitui absque notabili mora. Ratio est, quia præceptum restituendi tantum obligat, vt statim fiat restitutio vel absq; mora notabili vel nociua.

Secũdum nocumentum est vbi opes non sufficiunt ad restituendum omnibus creditoribus: priùs debent certa debita restitui quam incerta. Ratio est, quia restitutio ordinatur ad certa damna reparanda: ergo damnum certum priùs reparãdum est, quam incertum: quoniam hoc possibile est vt sit nullum. Intelligitur autem in certum debitum, non quia ignoratus persona: sed quia non est liquidum an debeatur: quia non constat de iure vel facto.

Tertium documentum. Inter certa debita prius restituendum est quod adhuc extat in propria specie. v.g. depositum, accommodatum, vel rapina vel furto acceptum. Ratio huius est, quia debitor harũ rerum dominium nunquam acquisiuit.

Ad huiusmodi documentum, potest reduci, quando aliquis habet rem emptam cuius tamen pretiũ non soluit. Hæc enim prius restituenda est venditori: quam alteri cuiquam: & ratio, est quia quãuis emptor acquisiuit dominium illius rei: tamen dum pretium non soluit, manet res illa obligata domino antiquo: ita vt si emptor non fuerit potens soluere quasi rescinditur contractus, & res illa reuertitur ad antiquum dominum. Similiter ad hoc documentũ reducitur, si quis ex pecunia quam mutuò acceperat emerit vineam vel quãlibet aliam rem: tunc res illa restituenda est illi, cuius erat pecunia: quia est quasi fructus illius pecuniæ.

Quartum documentum ponit Caie. vbi sup. vide licet quod debita licitè contracta prius soluenda sunt quam illicitè contracta, si tamen adsint duæ conditiones. Altera est si debita illicitè contracta non extẽt in propria specie: tunc enim tertium documentum locum habet. Altera conditio est si ex contracto licito non sit factus debitor impotens ad soluenda priora debita illicitè contracta, vt v.g. Si quis vsurarius, qui debet vsuras soluere & restitue-

A re, emat triticum: ex qua emptione fiat impotens ad restituendas vsuras: tunc priùs restituendæ sunt vsuræ quam triticum quod aliàs comedit vel vendidit. Similiter si iste vsurarius promittit dotem filiæ, vnde fit impotens ad restituendas vsuras: priùs restituendæ sunt vsuræ. Verum tamen nobis videtur, qd ista conditio destruat istud documentum: ita vt superfluum sit. Et probatur, quia si ille qui contraxit vtraque debita sit potens vtraque soluere: recurrendum est ad primum documentum. Si autem non sit potens vtraque soluere, neque aliquod debitum extet in propria specie: non videtur quare priùs sit soluendum debitum licitè contractum, quã illicitè contractum: quia non est minùs debitum, & ob-

B noxium restitutioni, illicitè contractum, quam licitè contractum: imò videtur magis debitum propter iniquam acceptionem: eo vel maximè si est antiquis debitum: ergo istud documentum Caietani superfluum & falsum est.

Quintum documentum certissimum. Seruandæ sunt leges ciuiles & statuta prouintialia dummodo non repugnent iuri naturali: vt v.g. Si contradicerent secundo & tertio documento quæ iure naturæ constant. Cæterum in omnibus alijs in quibus poterat esse aliqua differentia humani arbitramenti, debemus sequi in foro conscientiæ leges ciuiles & ecclesiasticas: quæ propter bonum commune & tranquillitatem ciuium, & conscientiarum iustissimè determinant quid faciendum sit in huiusmodi

C casib. Quæ autem sint istã determinata legibus humanis: sequentibus conclusionibus explicabitur.

Prima conclusio. Si creditores hypothecam habentes, concurrant inter se petentes restitutionem: præferendi sunt qui anteriorem hypothecam habent. Probatur ex l. potior. & ex. l. qui balneum. ff. qui potior. in pign. hab. & ex regula qui prior, de reg. iur. in 6. Præferuntur autem in eam re in qua hypothecam habent: præterquam in quibusdam casibus in quibus singulari iure & ex priuilegio cõceditur quibusdam creditoribus posteriorem hypotecam habentibus: vt anterioribus præferantur: vt v.g. in fisco vt habetur in. l. si is qui, ff. de iure fisci.

D Est etiam exemplum, in muliere dotem repetenti, vt constat ex. l. assiduis. & ex l. qui potiores in pignore habeantur. ff. qui potiores, vt supra.

Secunda conclusio. Si creditores nullam habentes hypotecam vel pignus, sed solam actionem personalem, qui appellatur à Iurisperitis creditores chirographarij, inter seipsos concurant petentes restitutionẽ: nulla habetur ratio temporis vel anteriori tatis, sed omnes æqualiter admittuntur. Pater in. l. priuilegia. ff. de priuil. credit. & ex l. si hominem. ff. depositi. Hinc fit, quòd inter huiusmodi creditores, is qui indebiti exactione præuenit cæteros melioris est conditionis, & sibi quisque suam negligentiam imputare debet, vt patet in. l. inter eos. ff. de re iudic. & l. 11. in for. regni, tit. 14. par. 5. Præterquam in quibusdam actionibus personalibus, quæ propter summum earum fauorem priuilegium habent, vt

E cæteris creditoribus chirographarijs præferantur: qualis est actio funeraria, vt habetur in. l. ponit. ff. de reg. & sumptibus funer. Et similiter actio depositi præfertur, vt habetur in citata. l. si hominem. §. quoties. ff. depositi.

Tertia conclusio. Si concurrant creditores habentes hypotecam, cum creditoribus chirographarijs qui nullam hypotecam habent, sed solam actionem personalem: semper præferendi sunt creditores hypotecarij. Probatur ex. l. eos. & ex. C. qui potior. in pign. habeam. ff. vt supra. & in l. 11. tit. 19. Part. 5.

Quarta

Quarta conclusio. Si concurrant plures creditores, quorum quilibet habet actionem personalem priuilegiatam: tunc nulla habetur ratio temporis, sed præferendus est ille, cuius debitum est magis priuilegiatum & fauorabile. v.g. Si concurrant debitum ex impensa fueris contractum, & debitum ex causa depositi, quorum quodlibet est priuilegiatum, cum alijs debitis personalibus: hæc duo debita præferenda sunt. Cæterum si inter se concurrant hæc duo debita: præferri debet debitum funerariũ: quia est magis fauorabile & priuilegiatum. Hoc habetur in citata. l. priuilegia. ff. de priuileg. credit. & l. impensa. ff. de relig. & sumptibus funer. & in. l. 2. tit. 13. Part. 5. Et rationem huius possumus assignare Theologi: quia necessitas sepulturæ merito iudicatur quasi extrema necessitas: eo quod corpus humanum instrumentum fuit animæ rationalis & pars substantialis ipsius hominis: & idcirco Iurisconsulti religiosissime considerauerunt sepulturæ necessitatem, & prætulerunt debitum ex impensa funerali contractum debito ex causa depositi: quoniam in hoc vili sunt & animæ immortalitatem protestari & autorem animæ colere. Quod si paria sint priuilegia, ita vt alterum alteri non præponderet: tunc omnes creditores priuilegiati simul in tributum vocandi sunt, hoc est vt inter eos diuidatur

A non priuilegiatis: quando simul concurrunt ad petendum debita, quibus omnibus soluendis non sufficiunt opes debitoris: tunc enim proportionabiliter census debitori diuidendus erit inter creditores. Ita tenent multi Iurisper. cum Accursio in d. l. priuilegia.

SED est quædam breuis dubitatio, an sit peccatum contra iustitiam, si creditor ipse non seruato ordine prædicto procuret sibi fieri restitutionem, & de facto fiat: an teneatur ipse restituere alijs creditoribus. Respondetur, quod per se loquendo, si creditor non seruet ordinem quem in prædictis documentis & conclusionibus statuimus, & propria autoritate præoccupat bona debitoris: facit iniuria

B alijs creditoribus quibus iure competebat actio priore loco, & consequenter tenebitur ad restitutionem. Ratio est, nam si ipse debitor tenetur ex iustitia restituere Petro priusquam Paulo: sequitur ꝓ Paulus iniuriam facit Petro præueniendo se. Ergo tenebitur ad restitutionem faciendam Petro.

Sic statutum est in l. fina. §. & si præfatam. C. de iure deliberando. & in foro regni Hispaniensis in titul. 6. Parti. 6.

His non obstãtibus, facilè poterit esse ignorantia inuincibilis in ipsis popularibus: ita vt non peccent quando præoccupant sibi debita, non seruato prædicto ordine. Sed tamen confessarij cum ad suam notitiam peruenerit factum: tenetur eos erudire & præcipere, vt restituant alijs creditoribus quos cõtra ordinem iuris iniquè præuenerunt.

C

QVAE-

QVAESTIO LXIII.

De acceptione personarum.

DE hac materia disputant aliqui Doctores in 4. distinct. 15. Summistæ, verbo accepti o personarum. & verbo, dignitas Soto in lib. 3. de Iustitia & iure. quæst. 6.

Circa nomen est notandum, quod illo solum vtuntur Sancti & Theologi, qui nomine complexo volunt explicare malitiam huius peccati, quod consistit in hoc quod in distributione attendantur qualitates personales: quæ impertinenter se habent ad finem intentum, & hoc non potest commodius explicari: quàm si respectum, vel acceptionem personarum appelletur. Ideo Isaiæ cap. 11. volens explicare, qualiter acceptio ista personarum longè esset à Christo iudice, circunloquendo dixit. Non secundum visionem oculorum iudicabit, nec secundum auditum aurium arguet. Vbi 70. transferunt, non secundum gloriam eorum iudicabit, idest non attendendo solum qualitates personales iudicabit: sed secundum merita. Hac ratione (vt refert Cicero in Epistola ad Atticum) antiqui præcipiebant, vt noctu aut clausis oculis iudices dijudicarent: quod bene notat Soto artic. primo. vbi supra, adducens illud Leuiti. 19. Non respicias personam pauperis, nec honores vultum potentis. Hoc ipsum vitium notare voluerunt Thebani, vt refert Plutarch. lib. de Iside & Osiride pingentes iustitiam sine capite & sine oculis. Id ipsum Aegyptij, vt refert Læsius, statuentes iustitiam iuxta cœlum & sine capite. Vide Stobæum sermone 44.

DEINDE considerandum est de vitijs oppositis prædictis iustitiæ partibus. Et primò de acceptione personarũ, quæ opponitur iustitiæ distributiuæ: secũdo, de peccatis quæ opponuntur iustitiæ commutatiuæ.

Circa primum quæruntur quatuor.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm personarum acceptio sit peccatum.

Inf. art. 2. cor. Et Roma 2. lect. 3. cor. 5. li.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd personarum acceptio non sit peccatum. In nomine enim personæ intelligitur personæ dignitas. Sed considerare dignitates personarum pertinet ad distributiuam iustitiam. Ergo personarum acceptio non est peccatum.

2. Præterea. In rebus humanis personæ sunt principaliores, quàm res: quia res sunt propter personas, & non econuerso. Sed rerum acceptio non est peccatum ergo multo minus acceptio personarum.

3. Præterea. Apud Deum nulla potest esse iniquitas, vel peccatum. Sed Deus videtur personas accipere, quia interdum duorum hominum vnius conditionis, vnum assumit per gratiam, & alterum relinquit in peccato, secundum illud Matthæi 24. Duo erunt in lecto, vnus assumetur & alius relinquetur. Ergo acceptio personarum non est peccatorum.

Sed contra. Nihil prohibetur in lege diuina, nisi peccatum. Sed personarum acceptio prohibetur Deuter. 1. vbi dicitur. Non accipietis cuiusquam personam. Ergo personarum acceptio est peccatum.

Respondeo dicendum, quòd personarum acceptio opponitur iustitiæ distributiuæ. Consistit enim æqualitas distributiuæ iustitiæ in hoc, quòd diuersis personis diuersa tribuuntur secundum proportionem ad dignitates personarum. Si ergo aliquis consideret illam proprietatem personæ, propter quam id quod ei confertur, est ei debitum, non est acceptio personæ, sed causæ. Vnde † Glos. super illud ad Ephes. 6. Personarum acceptio nõ est apud Deum, dicit quòd Deus iudex iustus causas discernit, non personas. Puta si aliquis promoueat aliquem ad magisterium, propter sufficientiam scientiæ, hic attenditur causa debita, non persona. Si autem aliquis consideret in eo, cui aliquid confert, non id propter quod id qd ei datur, esset ei proportionatum, vel debitum, sed solùm hoc, quòd est iste homo (puta Petrus vel Martinus) hic est acceptio personæ: quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam causam, quæ faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personæ. Ad personam autem refertur quæcunque conditio non faciens ad causam, propter quam sit dignus hoc dono. Puta si aliquis promoueat aliquem ad prelationem vel magisterium, quia est diues, vel quia est consanguineus suus, est acceptio personæ. Contingit tamen aliquam cõditionem personæ facere eam dignam respectu vnius rei, & non respectu alterius. Sicut consanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, quòd instituatur hæres patrimonij, non autem ad hoc quòd conferatur ei prælatio ecclesiastica. Et ideo eadem conditio personæ in vno negotio considerata facit acceptionem personæ, in alio autem non facit. Sic ergo patet, quòd personarum acceptio opponitur iustitiæ distributiuæ, in hoc quòd præter proportionem agitur: nihil autem opponitur virtuti nisi peccatum. Vnde consequens est, quòd personarum acceptio sit peccatum.

Glo. super ibi.

Ad primum ergo dicendum, quòd in distributiua iustitia considerantur conditiones personarum quæ faciunt ad dignitatis, vel debiti causam. Sed in acceptione personarum considerantur conditiones, quæ non faciunt ad causam, vt † dictum est.

In corpo. articuli.

Ad secundum dicendum, quòd personæ proportionantur, & dignæ redduntur aliquibus, quæ eis distribuuntur, propter aliquas res quæ pertinent ad cõditionem personæ: & ideo huiusmodi conditiones sunt attendendæ tanquam propriæ causæ. Cùm autem considerantur ipsæ personæ, attenditur non causa, vt causa. Et ideo patet quod quamuis personæ sint digniores simpliciter, non tamen sunt digniores quo ad hoc.

Ad tertium dicendum, quòd duplex est datio. Vna quidem pertinens ad iustitiam, qua scilicet aliquis dat alicui quod ei debetur. Et circa tales dationes attenditur personarum acceptio. Alia est datio ad liberalitatem pertinens, qua scilicet gratis datur alicui quod ei non debetur. Et talis est collatio munerum gratiæ, per quæ peccatores assumuntur à Deo. Et in hac donatione nõ habet locum personarum acceptio: quia quilibet absque iniustitia potest de suo dare quantum vult, & cui vult: secundum illud Matth. 20. An non licet mihi quod volo facere? Tolle quod tuum est, & vade.

SVMMA ARTICVLI.

CONCLVSIO est affirmatiua.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR primo circa conclusionem Diui Thomæ, Vtrùm acceptio personarum sit peccatum & illud quidem mortale ex genere suo. Ratio dubitandi est. Nam acceptio personarũ tendit in bonum obiectum scilicet, in personam & in qualitates personales quæ bonę sũt. ergo non est peccatum. Quod si dicas tendere in tale obiectum indebitè & ex hac parte peccatum est. Contra. Nam ex indebito modo tendendi nõ sequitur quod sit peccatum ex genere suo, siquidem omnia peccata tendunt indebitè, & tamen non omnia sunt mortalia ex genere suo, ergo.

PRO decisione sit prima conclusio. Acceptio personarum peccatum est & hoc secundùm fidem. Probatur Iacobi. 2. vbi explicat malitiam huius peccati exemplo diuitis & pauperis qui honorantur. Et de acceptantibus personas subdit. Nonne iudicatis apud vosmetipsos & facti estis iudices cogitationum iniquarum. Et rursum. Si autem personã accipitis, peccatum operamini redarguti à lege tanquam transgressores. Ex quo loco etiam colligitur, quod in veteri lege peccatum hoc expresse erat prohibitum. Ità Leuit. 19. Deut. 1. Prouer. 18. Accipere inquit personam impij in iudicio non est bonum. Et Prou. 28. Qui cognoscit faciem in iudicio iste nõ benefacit, & paratus est p buccella negare veritatẽ.

Secunda conclusio. Acceptio personarum peccatum mortale est ex genere suo. Pro cuius intellectu nota, quòd illud dicitur peccatum mortale ex genere suo quod ex obiecto intra limites suæ speciei absq; aduentu extrinsecæ circunstantiæ potest esse mortale, v. g. furtũ, homicidium, &c. Ita D. Tho. 1. 2. q. 18. ar. 2. & cõiter acceptatur hęc diffinitio à Theologis. Probatur ergo cõclusio. Quia acceptio personarũ ex obiecto & absq; aliquo extrinseco pòt esse mortale, ergo ex genere suo illud habet. Antecedẽs verò probatur. Quia respicit iniustum in distributione, ergo si iniustũ huiusmodi fuerit grauis materia peccatum mortale erit. Secundò. Quia istud vitiũ opponitur per se & directè iustitiæ distributiuę, ergo est peccatũ per se destruens charitatem. Probatur consequentia. Quia impossibile est quod aliquis faciat iniustitiam in distribuẽdis bonis cõmunibus

nibus & non peccet contra charitatem. Tertiò pro
batur. Quia homicidiũ & furtum sunt peccata mor
talia ex genere suo, ergo multò magis acceptio per
sonarum. Probatur consequentia; quia sicut homi
cidium opponitur iustitiæ commutatiuæ, ita acce
ptio personarum opponitur iustitiæ distributiuæ
quæ præstantior est. Quartò. A posteriori colligitur
propter dãna quę sequuntur ex isto peccato & per
sonis & reipublicæ. Personis quidem, quia priuan
tur bonis sibi applicandis. Reipublicæ autem, quia
illius ordo peruertitur ex ista acceptione: siquidem
indigni eliguntur & dignissimi succumbunt: vnde
& virtus & studia pereunt. Hęc omnia explicantur
Ecclesiastes. c. 10. Est malum quod vidi sub sole qua
si per errorem egrediens à facie principis, positum
stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deor
sum, & vidi seruos in equis, & principes ambulan
tes super terram. Explicatur hoc communiter exem
plo. Si enim terra sursum & cælum deorsum existe
rent, maximum malum esset naturæ. Ita ergo ma
ximum malum est in genere moris ex quo inuerti
tur ordo reipublicæ, acceptio personarum quæ est
iniusta distributio.

Tertia conclusio. Acceptio ista est iniustitia, qua
in distributione vnus alteri præfertur. Diffinitio est
communis & colligitur ex D. Aug. lib. 2. cõtra duas
epist. Pelag. ca. 2. vnde & D. Tho. collegit quę in pre
senti docet. Ponitur iniustitia tanquam genus: quia
sicut iustitia genus est ad distributiuam & commu
tatiuam: sic iniustitia genus est ad omnia vitia op
posita iustitiæ commutatiuę & distributiuæ. Re
liquæ autem particulæ ponuntur loco differentiæ:
quia in hoc acceptio personarum differt ab alijs vi
tijs oppositis iustitiæ, quod respicit inæqualitatem
inter plures personas, quæ oritur ex iniusta distribu
tione. Verum tamen ut hæc diffinitio manifesta
sit, & vt radix huius vitij aperiatur, notanda sunt
singula quæ conueniunt acceptioni personarum.
Habet enim primo quod dicatur respectu distribu
toris qui dicitur ille cui incumbit ex officio vel cõ
missione aut aliqua alia obligatione competit distri
buere bona communia, colligitur ex illo verbo dif-
finitionis, quia in distributione, &c. & etiam quia
peccatum hoc directè opponitur actui iustitiæ di-
stributiuæ, quæ solùm dicitur respectu distributoris
modo explicato, ergo similiter acceptio persona-
rum solum dicetur formaliter ex ordine ad distri-
butorem.

Ex quo sequitur primò, quòd qui impedit ne di-
stributor conferat beneficium digno, nõ peccat hoc
vitio, quia non est distributor: sed peccat contra in-
stitiam commutatiuam impediendo ius. Vnde om-
nium sententia tenetur restituere. De quo quæstio-
ne præcedenti. Secundò sequitur, quod qui vsur-
pat officium distributionis non peccat acceptione
personarum in hoc quod distribuat bona commu-
nia indignis, quia iste non tenetur aliquo iure, imo
nec potest distribuere ista bona: quocirca non pec-
cat contra leges iustitiæ distributiuæ in actu ipso,
peccabit tamen ex intentione & secundum affectu
acceptando personas quia hoc intendit facere. Se-
cundò, habet acceptio personarum quod solum con
tingat in bonis communibus & quæ respiciunt plu
res personas: quod explicatur in illo verbo diffini-
tionis, qua unus alteri præfertur. Itaq; debent esse
bona ad minus inter vnum & alterum & nulli ap-
propriata. Ex quo sequitur quòd dominus rei in
distribuendo proprijs bonis, non potest committe-
re vitium istud. v. g. si aliquis inuitet vicinos suos ex-
cipiendo sibi inimicos peccabit iste contra charita-

A tem per odiũ & vindictam: non tamen contra iusti
tiam. Secus aut est, si bona iam essent applicata qui-
tati ex facultate veri domini ut distribuerentur: tũc
tũc si exciperet aliquos à possibili consequutione
illorum bonorum acciperet personas. Tertiò. Habet
hoc uitium quod solùm contingat in bonis debitis.
Hoc colligitur ex prima particula diffinitionis, iniu
stitia nempe. Etenim iustitia & iniustitia uersantur
circa eadem bona, ac subinde sicut iustitia solum dr
respectu debiti: ita & iniustitia quæcunq; illa tuerit.

Ex quo sequitur, ꝙ in bonis merè liberis non cõ
tingat acceptio personarum. Quod si arguas: nam
prælatus v. g. committit uitium acceptionis, si bona
B libera quæ gratię communiter dicuntur conferat so
lum sibi auxiliaribus qui uidelicet illum elegerunt
exceptis omnibus alijs. Respondetur, ꝙ ipsi ita di-
cunt: Facio quod volo: quia libera & gratiosa sunt
ista: Verumtamen peccatum est, & meo iudicio ac-
ceptio personarum. Notãda enim sunt tria. Primo,
quod ista bona non sunt prælati sicut pallium & pe
cuniæ. Secundò, ꝙ sunt quodammodo communi-
tatis. Eo enim ipso quod prælatus instituitur: com-
munitas habet ius illi dentur aliquando ista bona
quæ dicuntur gratię, ut licentia & dispensatio. Ter-
tio habent subditi ius ne excipiantur à communi-
bus fauoribus. Ex ijs ergo tribus peccatum istud
prelati acceptio est personarũ, ac subinde mortale.

Aduertendum enim est, ꝙ quędam bona sunt
C absolutè libera, quæ tamen ex suppositione debita
sunt quodammodo & ex hac parte possunt esse ma-
teriæ iniustę distributionis. v. g. quod aliquos iniuria
uerim & speciali honore illos coluerim liberum est:
uerumtamen supposito quod tale conuiuium fiat
non licet ab huiusmodi honore quosdam excipere,
quia supposito quod sumus in conuiuio & honor
impenditur iniustitia fit illi qui excipitur. Ita dico
de prælatis quod bona ista libera sunt absolutè, sup-
posito tamen quod omnes sunt eiusdem corporis
membra: ius habent æquale proportionabiliter ne
excipiantur ab his honoribus. Quartò habet accep-
tio personarum, quod motiuum illius sit imper-
tinens ad finem intentum per distributionem: &
E hoc explicatur in diffinitione cum dicitur causa in-
debita, quæ illa dicitur secundum D. Tho. quæ non
est ratio sufficiens ut bonum illud distribuendum
sit debitum personę. Sicut ècontra, causa debita re-
putatur quæ est sufficiẽs ut tale bonum sit debitum
personæ. Ideo bene Caiet. dicit ꝙ iustitia respicit
rationem, idest causam: & loquitur de iustitia distri
butiua, nam commutatiua potius respicit rem quã
causam. Sed contra arguitur. Nam sequitur quod
iustitia distributiua consistat in medio rationis. Con
sequens est contra illa quę supradicta sunt. q. 58. art
9. & 10. Probatur sequela. Quia apertè iustitia distri
butiua & rectitudo illius consistit in respiciendo &
commensurando rationem. Respondetur negando
E sequelam. Non enim dicitur virtus habere medium:
rationis, quia medium illius perscribatur à ratione
alioquin iustitia commutatiua sepè haberet mediũ
rationis, quia in pluribus actibus æqualitas pretij
taxatur à ratione, ut patet in pretio tritici & in sti-
pendijs assignãdis. Imò verò ois uirtus ut sic pendet
à prudentia quę potissimum rationem considerat.
Consistit ergo medium rationis quod competit uir
tuti in hoc, quòd rectitudo rationis sumatur per or
dinem ad operantem, quod explicat D. Tho. 1. 2. q.
64. ar. 1. Ex quibus sequit intelligentia prędictę dif-
finitionis & solutio ad argumẽtum factum in prin-
cipio dubij. Nõ cõsistit malitia huius peccati in hoc
ꝙ distributor amet plùs aut minùs personã, aut sper
nat

nat merita: sed in hoc ꝙ ex attentione qualitatum
personaliũ iniustũ cõmittat in distributione debiti.

Dvbitatvr secundò circa solutionem ad
tertium argumentum. Vtrùm ideo non sit acceptio
personarum apud Deum, quia bona quæ distribuit
sunt gratuitò donata & non debita? Pro parte nega
tiua arguitur primò. Multa bona sunt quę gratis do
nantur à Deo, multa verò quæ debentur vt augmẽ-
tum gratiæ & gloriæ collatio, ergo saltim in istis bo
nis quæ debentur poterit esse acceptio personarum
apud Deum, vel ratio D. Thomæ non est sufficiens
pro omnibus bonis quæ distribuuntur à Deo. Et
confirmatur. Quia multa bona sunt debita rebus na
turalibus ab autore naturæ, & tamen in his bonis
distribuendis non potest esse acceptio personarum B
apud Deum, ergo ratio D. Thom. insufficiẽs. Maior
probatur. Quia v. g homini debetur risibilitas & cor
pori debetur color, &c. ita vt iniustum esset in re, ho
minem naturali & perfecta productione produci
sine risibilitate.

Secundò. Quia licèt in his bonis quæ à Deo do-
nantur siue gratis siue ex debito, ratio D. Thomæ
conuincat: nihilominus tamen, in alijs actionibus
Dei nihil concludit. Et sit exemplum in filijs Israel
& in Ægyptijs vbi mandante Deo, Hebræi spolia-
uerunt Ægyptios proprijs bonis, vt dicitur Exo. 12.
Et similiter Deus interfecit plures nationes, vt prou
uintias illarum quas iustè possidebant traderet He-
bræis, ergo saltim in huiusmodi bonis Deus acce-
C pauit personam: quia bona illa erat aliena, & so-
lùm intuitu sui populi dominium alienum abstu-
lit & contulit suis.

Nihilominus conclusio D. Tho. certa est & eius
ratio de fide. Ad Rom. 2. Non est acceptio persona-
rum apud Deum. Ad Ephes 6. & Acto. 10. & ratio
D. Tho. hoc conuincit. Potest tamen dupliciter in-
telligi. Primò, vt solùm procedat de bonis gratuitò
donatis à Deo, & tunc vt conclusio D. Tho. sit vni-
uersalis vniuersaliori indiget ratione, quam videli-
cet ipse D. Tho. ponit ad Rom. 2. lectio. 2. Quia
Deus numquam operatur nisi ex rationabili causa,
ac subinde in nulla operatione, siue distributa gra-
tuita, siue donet debita, siue naturalia, siue supernа-
turalia: non accipit personam: quia acceptio distri-
butionem importat propter indebitam causam, &
id ipsum intẽdit glossa ad Ephes. 6. cum dicit. Deus
iudex iustus dijudicans causam non personam, id-
est, attendens semper rationabilem causam. Ex quo
facilè patet ad argumenta proposita. Secundò expli
catur ratio Diui Thomæ formaliùs: ita vt vniuersa
liter procedat de omnibus bonis.

Pro quo nota, quòd Deus semper manet domi-
nus etiam eorum bonorum quę distribuit creaturę:
quanuis & ipsa creatura dominium absolutum ha-
beat eorundem bonorum. Nam Deus non abdicat
imò nec abdicare potest hoc ius à se. Quare cum di-
stribuit semper liberè ex parte sua distribuit tan-
quam dominus absolutus siue bona debita sint in re
siue gratiosa. Ratio ergo D. Tho. sic procedit, quod
Deus in distribuendis quibusuis bonis non potest
accipere personam: quia illa bona non sunt debita
à Deo, vnde ex hac parte liberè donata sunt. Et ra-
tio ponit Iob. 34. vbi postquam dixerat quod Deus
non acceptat personam principis, quasi respondens
nostræ obiectioni subdit, Opus enim manuum il-
lius sunt vniuersa, idest liberè vniuersa operatur &
dominium illorum habet.

Ad primum respondetur, quòd illa bona sunt de
bita in effectu, & distribuuntur secundùm mensu-
ram & regulam iustitiæ, non tamen ita vt consti-

A tuant Deum debitorem & astrictum legi iustitiæ,
propter rationem iam dictã. Vide D. Tho. 1. 2. quæst.
111. artic. 1. ad 2. & quæst. 114. art. 3. Ad cõfirmatio-
nem similiter respondetur, quòd illa bona naturalia
dicuntur debita hac duntaxat ratione: quia vinculo
naturali & inuiolabili annexa sunt essentijs rerum,
ita, vt à nulla causa operante naturaliter & debito
modo separari possint. Non autem debentur ab au-
tore naturę: quia ita superexcedit omnem legem iu
stitiæ vt nulli rei sibi inferiori obligari valeat & su-
bordinari sicut nec autor gratiæ.

Ad secundum respondetur, quòd Deus iustis de
causis abstulit bona illa Ægyptijs quæ contulit He-
bręis. De quibus vide Aloysium Lipomanum cathe
na in Exod. c. 12. & Abulen. ibidẽ. & etiam quia do-
minus absolutus pro sua voluntate quãdoque trans-
fert regnum de gente in gentem. Vnde Deuter. 10.
referens bona quæ prælijs populis contulit, vt non
existimaremus illũ acceptare personas subdit: quia
dominus dominantium est qui personam non ac-
cipit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in dispensatione spiritua lium, locum habeat personarum C *acceptio.*

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd in dispensatio
ne spiritualium locum non habeat personarum acceptio.
Conferre enim dignitatem ecclesiasticam
seu beneficium alicui propter consanguinitatem, videtur ad acceptionem persona-
rũ pertinere: quia consanguinitas non
est causa faciens hominem dignum eccle-
D siastico beneficio. Sed hoc non videtur
esse peccatum: cùm hoc ex consuetudine
prælati ecclesiæ faciant. Ergo peccatum
personarum acceptionis non videtur lo-
cum habere in dispensatione spiritualiũ.

2. Præterea. Præferre diuitem pau-
peri videtur ad acceptionem personarum
pertinere, vt patet Iacob. 2. Sed faciliùs
dispensatur cum diuitibus & potentibus,
quòd in gradu prohibito contrahant ma
trimonium, quàm cum alijs. Ergo pecca-
E tum personarum acceptionis non videtur
locum habere circa dispensationem spi-
ritualium.

3. Præterea. Secundùm iura sufficit
eligere bonum, non autem requiritur,
quòd aliquis eligat meliorem. Sed elige-
re minus bonum ad aliquid altius, vide-
tur ad acceptionem personarum pertine-
re. Ergo personarum acceptio non est
peccatum in spiritualibus.

4. Præterea. Secundum statuta ecclesiæ eligendus est aliquis de gremio ecclesiæ. Sed hoc videtur ad acceptionem personarum pertinere: quia quandoque sufficientiores alibi inuenirentur. Ergo personarum acceptio non est peccatum in spiritualibus.

Sed contra est, quod dicitur Iacobi 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi. Vbi dicit † Gloss. August. Quis ferat, si quis diuitem eligat ad sedem honoris ecclesiæ, contempto paupere instructiore & sanctiore?

Epist. 29. ad Hiero. declinado ad fi. to. 2.

Respondeo dicendum, quòd sicut † dictum est, acceptio personarum est peccatum, inquantum contrariatur iustitiæ. Quanto autem in maioribus aliquis iusticiam transgreditur, tanto grauius peccat. Vnde cùm spiritualia sint temporalibus potiora, grauius peccatum est personas accipere in dispensatione spititualiũ, quàm in dispensatione temporalium. Et quia personarum acceptio est cùm aliquid personæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipsius, cõsiderare oportet, quòd dignitas alicuius personæ potest attendi dupliciter. Vno modo simpliciter, & secundùm se: & sic maioris dignitatis est ille qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque, quòd ille qui est minus sanctus, & minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam secularem, vel propter aliquid huiusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad vtilitatem communem, secundùm illud 1. ad Corinth. 12. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem: ideo quandoque absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium illi qui sunt simpliciter minus boni, melioribus præferuntur. Sicut etiã & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis.

Art. præc.

Ad primum ergo dicendum, q̃ circa cõsanguineos prælati distinguendum est. Quia quandoq; sunt minus digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum commune. Et sic si dignioribus præferantur, est peccatum personarum acceptionis in dispensatione spiritualium. Quorum prelatus ecclesiasticus non est dominus, vt possit ea dare pro libito, sed dispensator: secundùm illud 1. ad Corinth. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Quandoque verò consanguinei prælati ecclesiastici sunt æquè digni, vt alij. Et sic licitè potest absque personarum acceptione consanguineos suos proferre: quia saltem in hoc præeminent, quòd de ipsis magis confidere potest, vt vnanimiter secum negotia ecclesiæ tractent. Esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem, bona ecclesiæ consanguineis dandi.

Ad secundum dicendum, quòd dispensatio matrimonij contrahendi principaliter fieri consueuit propter fœdus pacis firmandum. Quod quidem magis est necessarium communi vtilitati circa personas excellentes. Et ideo cum eis facilius dispensatur absque peccato acceptionis personarum.

Ad tertium dicendum, quòd quantũ ad hoc, quòd electio impugnari non possit in foro iudiciali, sufficit eligere bonũ, nec oportet eligere meliorem: quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quòd hoc sit propter aliquam causam. Quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus: si verò nõ pertineat ad negotium id quod consideratur ut causa, erit manifestè acceptio personæ.

Ad quartum dicendum, quòd ille qui de gremio ecclesiæ assumitur, vt in pluribus consueuit esse vtilior, quantum ad bonum commune: quia magis diligit ecclesiam in qua est nutritus. Et propter hoc etiam mandatur Deutero. 17. Non poteris alterius gẽtis hominem facere regem, qui non sit frater tuus.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio est affirmatiua.

Secunda conclusio. Maius peccatum est accipere personas in distributione bonorum spiritualium quàm temporalium.

Tertia conclusio. Aliquando licet eligere minus dignum simpliciter, quamuis comparatiuè dignior reputabitur.

COMMENTARIVS.

IN explicatione huius artic. primò notandum, quòd hic & in sequentibus D. Tho. explicat materiam acceptionis personarum, de qua agit Aristo. 5. Ethic. vbi videndi sunt interpretes: & explicat ibi quod materia acceptionis non solum est bonum sed minus malum: non tantum honor, sed onus: quia sicut accipit personam quis distribuens maius bonum minus digno, ita etiam in hoc quod imponat maius tributũ & onus magis digno aut saltim æquè digno. Et huius ratio demonstratiua est, quia minus malum bonum quoddam est, ac subinde qui minus malum imponit, bonum confert & sufficiens vt collatio iniusta sit si fiat propter indebitam causam.

Secundò nota. Distinctionem fundamentalem D. Tho. in art. quòd dignus aut dignior sumuntur dupliciter. Primò absolutè & sic dignior dicitur simpliciter in ordine ad spiritualia qui magis de spiritu participat, & est ille qui plura habet dona spiritualia. Secundò. Dignus & dignior dicuntur comparatiuè per ordinem ad finem qui intenditur in tali distributione hic & nunc. Et ille erit qui meliora potest exercere officia in consecutione talis finis.

Tertiò nota, quòd quamuis D. Thom. in præsenti solum determinet de dispensatione bonorum spiritualium: eius tamen doctrina adaptari potest ad distributionem temporalium. Imo non potest vnũ sine altero exactè intelligi. Quare ab interpretibus in hoc art. de vtraque distributione fit sermo: & nos tria agemus. Primò de conditionibus quæ dignificant personam circa spiritualia. Secundò de ordine quem seruare debet distributor in distributione istorum bonorum. Et tertio de distributione bonorum temporalium.

DVBIVM primum sit. Quenam conditiones requirantur per se, vt persona censeatur digna bonorum spiritualium, & non loquimur in foro iudiciali sed in foro conscientiæ. In hoc dubio tres communiter solent adhiberi conditiones iure naturali & diuino requisitæ. Prima vitæ probitas. Secunda, scientia aut doctrina. Tertia, industria in peragendis negotijs ad quæ eligitur. Et quia ista fundamenta sunt præsentis doctrinę, sigillatim explicãda erũt.

Prima cõditio vitę probitas, colligitur ex D. Th. in præsenti, vbi explicans qualis debeat eligi semper supponit bonitatem aliquã: & expressius quodlib. 8. artic. 6. undè hominem existentem in peccato censet indignum, ut habetur in decreto. 8. q. 1. cap. Moyses. & c. licet. & etiam in Concil. Triden. à Sess. 22. usque ad 24. ubi sæpe replicat bonitatem eligendorum in diuersa officia. Vide Summistas verb. electio. specialiter Sylvest. 1. §. 17. & 18. Adria. in 4. in materia de restitutione. Soto vbi supra art. 2. concl. 5. & 6. specialiter Caiet. in præsenti, & in summa, verbo electio. & super Ioanne cap. vlt. ubi colligit hanc veritatem quia Christus volens designare Petrum in pastorem, interrogauit eum multoties dicens, Diligis me plus ijs: quasi innuens quod dilectio & maior dilectio requiratur in eligendo. Ratio huius solet assignari, quia in huiusmodi bonis quis designatur ut minister in domo Dei, ergo iniquum est si aliquis Dei inimicus eligatur. Qua ratione videtur vti Concil. Trid. Sess. 24. cap. 12. ubi concludit, quod ea debet esse probitas ministrantium vt merito ecclesię senatus dici possit. Confirmatur. Quia si v. g. œconomus introduceret operarios in vineam domini sui illi inimicos malum faceret, ergo à simili qui in vinea domini eligit operarios existentes in peccato mortali, peccatum committit. Ex quo sequitur quod si distributor aut elector, eligat aliquẽ de cuius virtute omnino ignorat, peccatum committit acceptionis: quia se exponit morali periculo eligendi indignum: non tamẽ tenetur ita curiosius occulta disquirere: quia interna virtus solum est more humano dijudicanda. Vnde satis fuerit, uel quod cõmuniter estimetur vir bonus, aut vero quod nullus requisitus illum peccatorem proclamet. In quo hęc conditio differt ab alijs, quia scientia & discretio in agendis negotijs & huiusmodi alia sunt talis naturæ quæ certo cognosci possint à iudice & electore: gratia vero nec certo cognoscitur, ac subinde nec exactius inquirenda.

Sed quæres; Vtrùm si distributor aut elector cognoscat aliquem esse in peccato mortali qui tamen vir bonus habetur communiter & solus distributor cognoscit tale peccatum: an eo casu possit iustè beneficium illi conferre? Respõdetur, quòd in hoc nihil certum habetur, nam iura videntur solum exigere quod vir bonus estimetur à populo, ita in c. licet, iam citato: & cap. cum in cunctis. de electione. quod adducitur à Concil. Trid. Sess. 24. c. 12. ubi loquens de prelatis solum dicit quod virtus eorum debeat commendari nihil curans de occultis. & 1. ad Timoth. 3. solum exigit episcopum irreprehensibilem, & certè loquitur de peccatis quæ à populo dijudicari possunt. Vnde subdit, Oportet autem illum habere bonum testimonium etiam ab ijs qui foris sunt, & idem ferè asserit de diaconibus. Cæterum doctores communiter videntur asserere, quod eligendus debeat esse in gratia. Et ita distribuens qui cognoscit peccatum eius qui eligendus est, consequenter eum debet iudicare indignum. Ita videtur Caiet. sentire in summa, verb. electio. & super Ioannem cap. vlt. & etiam Sylvest. ubi supra. & videtur sententia D. Tho. quodlib. 8. citato. Verum tamen videtur dicendum, quod si distributor & elector secreto agnoscat peccatum maximè quod ex fragilitate commissum est, à quo & facile resurgere debet moraliter loquendo: poterit talem eligere si alioquin dignus habetur. Verumtamen si talis eligendus permanenter & per modũ status sit in peccato, & hoc constet eligenti, non poterit illum eligere absque peccato, quantumuis scientia polleat: quia probabiliter imo certo moraliter estimandum est quod peccatum huius fiet manifestum ac deterius. Hæc intelligo dummodo eligens non cognouerit tale delictum per confessionem. Quia scientia hęc non debet cõducere ad dirigendam electionem publicam, ut latè disseruimus super 2. 2. q. 33. artic. 8. dubio vltimo. Igitur sententia D. Tho. interpretanda est, quod non liceat eligere existentes peccato mortali quando illud peccatum est ex certa malitia & per modum status, aut vero quando de tali peccato constat.

Secunda conditio principalis est scientia aut prudentia sine qua virtus non potest alijs prodesse. Con-

ditio ista multoties ponitur à Sanctis. Et diffinitur in Concil. Trid. Sessio. 2. cap. 2. de episcopis, vbi dicitur, quòd scientia polleant, & de alijs qui promouentur ad parochiale beneficium, habet simile Sessio. 24. capit. 18. De his similiter qui in ecclesijs cathedralibus deputantur ad quasdam dignitates vt archidiaconi, habetur ibidem: & de ordinandis qualis scientia requiratur, habetur Sessi. 23. à cap. 3. vsque ad 14. hæc conditio iure naturali & diuino requisita est, quia ministri ecclesiæ instituuntur & deputantur vt instruant fideles, & specialiter episcopi & prælati, de quibus dicitur Actuum 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, idest, & vobis & alijs sapere debetis. Et subdit, in quo vos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. De sacerdotibus vero Micheæ. 2. Legem requiram de ore eius, quia angelus domini exercituum est. Vide D. Clementem in epistola ad Diuum Iacobum, vbi refert sententiam B. Petri qui dicebat quantum necessaria esset scientia prelatis. Habetur episto. tomo 1. Conciliorum. c. 33.

Aduerte tamen, quod hæc conditio non requiritur æqualiter in omnibus. Sed quemadmodum officia & beneficia sunt disparia, ita & scientia dispar requiritur & sufficit, semper tamẽ aliqualis. Ex quo sequitur quod peccat mortaliter qui bona ista spiritualia distribuit ignaris, vnde debet præmitti examen vel per eligentem, vel per æquiualentem approbationem.

Quod si obijcias illud quod habetur in cap. vnico de ordinatione per scrutinium facienda: vbi Innocen. 3. declarat quod episcopus illum debet æstimare dignum, de cuius indignitate non constat, ergo non requiritur quod elector aut distributor cognoscat positiuè scientiam eligendi. Respondetur quòd loquitur de approbatione publica quæ fit quando ordinantur ministri in Ecclesia & episcopus quærit ab archidiacono, Vtrùm sciat illos dignos esse: non vero de alia approbatione de qua loquimur.

Tertia conditio est prudentia & industria in rebus agendis. Conditio ista maxime requirit in episcopis & prælatis, & habetur in Cõcilio Carthagin. 4. refertur cap. qui episcoporum. dist. 23. & cap. Petrus. 39 dist. requiritur etiam proportionabiliter in his qui assumuntur ad exercendum aliquod officiũ ecclesiasticum. Cæterum in alijs beneficijs quę non exigunt peculiarẽ curam, aut circa proximum, aut in negotijs: conditio ista non ita exactè requirenda est. Huiusmodi sunt beneficia simplicia aut capellaniæ. Quæ vero ex his conditionibus præferenda sit, Respondetur, quòd absolutè loquendo in electionibus virtus præfertur, & postmodum scientia consideratur licet comparatiuè aliquando è cõtra industria & prudentia præferendæ sint. Verum tamen quia scientia & doctrina quæ requiritur multiplex esse potest in eligendis: & his temporibus controuertitur quęnam preferenda sit Theologia an Iurisperitia: ideo sit secundum dubium.

DVBITATVR secundò; Vtrùm digniores reputandi sint cęteris paribus qui eligantur ad episcopale munus, Theologi an Iurisperiti.

Arguitur primò & probatur, quòd impertinens sit considerare quam facultatem profiteatur eligendus. Nam in electione Summi Pontificis qui omnibus ijs conditionibus maxime pollere debet, non cosideratur si Theologiam aut Iurisprudentiam habeat: ergo nec in electionibus reliquorum episcoporum. Quod confirmatur, quia in eligendo Pontifice, ille dignior habetur qui prudentior est ad pacem seruandam, ad quod impertinenter se habet Theologia, vel alia facultas.

A Secundò. Officium pastoris potissimum consistit in gubernando Ecclesiam Dei, sed ad hoc munus magis præstat notitia Iuris Canonici quam Theologię, ergo illi preferẽdi sunt cęteris paribus. Maior probatur ex illo Actuum 20. In hoc posuit vos Spiritus sãctus regere ecclesiam Dei. Quasi dicat, in hoc substantia pastoris sita est vt regat Ecclesiam. Minor probatur. Quia essentia Iuris canonici consistit in dirigendis rebus agendis.

Tertiò. Episcopalis dignitas potissimum consistit in potestate spirituali erga sibi subditos: sed exercitium huius potestatis magis pendet à Iure canonico quam à doctrina sacra, ergo ista preferitur. Maior probatur ex illo Matthæ. 17. Tibi dabo claues regni cęlorum, vbi Christus Dominus tradidit B Petro officium pastoris, & illud explicuit per claues quę important iurisdictionem & potestatem spiritualem. Minor probatur. Quia Theologia speculatiua est, vt patet 1. par. quęst. 1. ergo per se non ordinatur ad dirigendum actiones.

Quartò. Illa scientia dicitur commodior prelatis quę frequentius necessaria venit, sed huiusmodi est peritia iuris per comparationem ad Theologiã, ergo illa præfertur. Maior nota est, quia ideo scientia requiritur, quia sine illa episcopus non potest prestare necessaria. Minor probatur, quia frequentior sunt causæ forenses & lites componendæ & cõdendę leges, quàm impugnatio hęresum, ergo ius C canonicum quod in iudicijs & litibus versatur frequentius est.

Quintò. Theologia, solum requiritur in Episcopo vt doceat & predicet legem Dei, sed hoc de facto non est necessarium in illo imo videt impertinens, ergo. Minor probatur, quia frequentissimi sunt predicatores & doctores vbique: ita vt non indigeat ecclesia doctrina pastoris.

Pro explicatione nota, quod opinio Iurisperitorum docet quod simpliciter & solutè digniores reputandi sunt Canonistę quam Theologi. In casu autem particulari: vt v. g. quando pullulant hęreses, aut vero est inopia predicatorum dignior censet Theo logus. Ita Hostiens. quem sequitur Panormit. in cap. D 1. de consanguinitate & affinitate. Iuniores ita premunt in hac parte, vt induxerint electores & distributores quod solum distribuant officia ista Iurisperitis, & hoc fuit in vsu paucis retro annis. Cęterum sententia Theologorum est opposita & solet disputari. 2. 2. quęst. 85. artic. 3. vbi Caietanus breuiter tetigit hoc: & Magister Soto vbi supra conclusione 10.

PRO decisione verę sententię, nota quod diuersitas opinionum consistit in non intelligendo officium pręcipuum episcopi. Canonistę siquidem falluntur existimantes quod primum & per se munus pastoris est iudicare causas spirituales: quod patet alienum à ueritate. Quia iudicare & componere lites E quæ contingunt inter fideles pertinet ad externam gubernationem Ecclesię, prelati uero nõ positi sunt in hoc per se primo, ut consulanti paci externę: sed internę uirtuti. Igitur exclusa sententia & fundamento Iuristarum.

Sit conclusio certa, quod cęteris paribus preferendi sunt Theologi a episcopalem dignitatem. Probatur & est fundamentum huius sententię. Quia pręcipuum munus episcoporum est docere & predicare, ad quod magis cõfert Theologia, ergo. Maior probatur ex illo Ioãnis ultimo. ubi Christus ter dixit Petro: pasce agnos meos & oues meas: ubi (ut docent interprete) traditur Petro dignitas episcopalis & pręcipuũ munus pastoris declaratur, igitur cum

pascere

pascere non fiat per ius canonicum sed per Theo- A mus laudare consuetudinem eligendi Iurisperitos logiam, consequenter &c. Ideo episcopus & pastor ad fidei tribunalia, eo vel maximè quòd semper sibi peritiores Theologos associant.

Ex his sequitur, quod in examine beneficiorum non peccat, qui cæteris paribus Theologum acceptatimo hoc facere tenetur. Addiderim etiam ꝙ Theologus eligatur: quamuis Iurisperitus sit aliquantulum doctior in suo iure: quia plus iuuat ad confessiones audiendas & cõscientias sedandas aliquanta Theologia, quam maior Iurisperitia, eo vel maxime quod Theologus scit se scire aut scit se ignorare, & ideo accuratius & melius disquirit veritatem.

Ad primum argumentum respondetur, quòd in eligendo pontifice, non ita attẽditur scientia quam B virtus & discretio: quia in ordine ad finem scientiæ, habet ministros in omni facultate peritissimos, & ex alia parte non decet eius auctoritatem vt immediatè & per seipsum doceat populum. Cęterum quia primus est & caput morale tenetur habere virtutem & prudentiam ad alios gubernandos.

Ad secundum respondetur negando antecedens. Si per gubernare intelligas lites componere. Si autem intelligas prestare omnia illa quę necessaria sũt ad vitam spiritualem, concedo illud. Veruntamen in his primum locum tenet doctrina post virtutẽ, postmodum vero gubernatio in causis spiritualibus. Quo ordine id explicuit Christus Matth. 5. di- C cens prelatis, primo quòd futuri essent sal, quod respondet uirtuti. Deinde lux: quæ respondet doctrinę. Et tertio ciuitas: quæ respondet auctoritati & iurisdictioni, & Diuus Paulus, dicens Actuum 20. Posuit uos regere Ecclesiam &c. statim subdit. Scio quod intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos. Quasi diceret. In hoc primo posuit vos regere Ecclesiam Dei vt fidem defendatis.

Ad tertium respondetur negando maiorem. Imo iudicialis potestas secundaria est. Quare episcopi pastores & patres dicuntur, non iudices. Illud autem; tibi dabo claues &c. potius est pro nobis, nam iuxta communem sententiam interpretum intelligitur locus ille primo de claue scientiæ, deinde de claue potentiæ. Quare notant quod in plurali dixit: tibi dabo claues. Imo etiam si ibi tantum loquatur de auctoritate iurisdictionis nihil contra nos: quia primo dixit, super hanc petram ædificabo Ecclesiam: quòd communiter interpretantur de auctoritate Pontificis & de cognitione fidei & legis euangelicæ.

Ad quartum respondetur, quòd eodem argumento probares episcopum magis debere esse liberalem aut misericordem, quia frequentiores casus occurrunt in quibus vtendum est liberalitate aut pietate quam scientia. Respondetur ergo, quod necessitas scientię non sumitur ex frequentia occasionum: sed ex natura officij, quod primo doctrinã exigit. Imo vero tenetur episcopus multoties se abstinere à negotijs huiusmodi ut contemplationi & doctrinę se tradat: committendo administrationem causarum sibi inferioribus. Et istis conuenit illud quod dictũ est Moysi Exod. 18. Esto tu populo in his quæ ad Deum sunt ut referas quę dicuntur ad eum, ostendasq; illis ceremonias & ritum & viam per quam ingredi debeant: prouide autẽ viros timentes Deũ & constitue eos iudices.

Ad vltimum respondetur, quòd prædicantium multitudo non tollit aut minuit obligationem prę lati qui ex officio hoc ipsum munus tenetur præstare saltem quoad sufficientiam, qualiter intelligitur illud. 1. ad Timoth. tertio. oportet Episcopum docto-

doctorem esse, idest habere sufficientiam doctrinæ. Vide de his interpretes.22.quæst.2.super art.8.Concil.Triden.Sess.7.cap.1.de reformatione.& Sess.22. cap.2.Gratia dist.23.24.& 38. Vbi hæc eadem requirit in episcopo.

DVBIVM tertium. Vtrum distribuentes peccent mortaliter non eligendo digniorem. Pro parte negatiua arguitur primo.Nam D.Paul.1.ad Timoth.3.& ad Titum.1.Ponens conditiones eligendi, non loquitur comparatiuè sed absolutè dicit illum debere esse virum probum & doctorem &c.Ergo distributores hoc solum tenent considerare & non requiritur quòd digniorem eligant. Confirmatur, quia eligentes dignum tribuunt Ecclesiæ ministrum congruentem, ergo faciunt opus bonum, ac subinde non peccant moraliter non eligentes digniorem.

Secundo, eligendo dignum fit satis intentioni Ecclesiæ, ergo non tenetur eligere digniorem. Antecedens probatur, quia Ecclesia solum requirit per se idoneos ministros.1.Corinth.4. hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis qui inueniatur. Non dicit fidelior, & illud etiam, qui idoneos ministros non fecit noui Testamenti. Item illud: sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei; ergo solum requiritur quod eligantur idonei ministri.

Confirmatur primo. Si dominus præcipiat œconomo, vt aliqua bona distribuat pauperibus, non tenetur sub mortali quærere magis egenos, ergo nec distributor bonorum spiritualium cui præcipitur, vt eligat ministros dignos, non tenetur quærere nec eligere digniores.

Confirmatur secundo. Nam si eligatur dignior ipse dignior satisfacit suæ obligationi præstando illud munus quod valeret exercere minister dignus, ergo ipse distributor solum tenetur eligere dignum. Consequentia inde patet, quia qui eliguntur solum tenetur præstare dignum officium, ergo & distributor solum tenetur de hoc ipso prouidere: quod facit sufficienter eligendo dignum. Antecedens vero probatur: quia ille dignior nõ tenetur sub mortali exercere meliora opera quæ potest, ergo satis est si digne operetur.

Tertio. Ista officia tantum habent oneris quantum honoris. Ergo non pecco mortaliter si ab illis excipiam digniores. Imo æquum videtur quod isti digniores non ijs officijs grauentur.

Quartò. Sequitur, quod illæ leges quę præcipiunt ministrum fore eligendum de gremio solum vnius Ecclesiæ aut oppidi essent iniquæ, consequens est contra communem vsum approbatum à summis Pontificibus, ergo. Sequela patet quia sæpe in tali Ecclesia aut oppido non est minister dignus, aut veto extra ipsam digniores reperiuntur. Quintò. Sequeretur quod electores & distributores tenerentur magna cura digniores requirere. Cõsequens est falsum & contra consuetudinem episcoporum, ergo & antecedens. Confirmatur, quia eo ipso quod præceptum est de non eligendo indigno prætermisso digno: tenentur electores maxima cura inquirere an iste sit indignus, ergo à simili si præceptum est de eligendo digniore magna diligentia erit adhibenda sub eodem præcepto.

Sextò. Sequeretur quod etiam officia quæ distribuũtur apud religiosos & in alijs communitatibus, necessario sint distribuenda dignioribus? Cõsequẽs est falsum, ergo. Sequela patet, quia illa officia & spiritualia sunt & honorifica. Minor probatur, quia communiter ista officia distribuunt a Prælato pro suo marte & ad nutum, & etiam quia subditi eligunt quem maluerint.

Septimò, confirmator non peccat mortaliter in confirmando minus digno; vt patet ex vsu approbato à viris sapientibus & timoratis, ergo nec elector tenetur eligere digniorem. Confirmatur, quia resignatores beneficiorum spiritualium non resignant digniori sed sibi amico aut consanguineo, & tamen nullus propter hanc causam damnat illos ad mortale, ergo id ipsum dicendum erit de præcipuis electoribus. Non enim est maior ratio quare reperiatur acceptio personarum in distributionem, quam in resignatione aut confirmatione.

Octauò. Sequeretur quod teneant reges sub mortali promouere episcopum ab vna Ecclesia ad aliam pinguiorem, quando constat, quod dignior est alijs qui nouiter eligendi sunt, consequens est falsum, ergo. Sequela patet, quia ex eo quod iste deputet huic Ecclesiæ, nõ fit impotens, nec amittit ius vlterioris promotionis ad maius præmium, ergo distributor tenetur &c. Minor probatur, quia in Hispania est consuetudo maximè nunc temporis nõ promouendi huiusmodi episcopos, & hæc consuetudo approbata est à viris sapientibus huius regni.

Tandem arguitur. Ex ca. monasteriũ. 16. q. 7. vbi habetur, quod si quis monasterium aut oratorium instituerit, licitè potest quem maluerit presbyterum deputare in tale officium, dummodo hoc fiat de licentia episcopi. Et qui eligitur non sit malus, ergo satis fuerit ad electionem iusta, nõ eligere indignum.

In hoc dubio est opinio quorumdam Iuristarum, qui dicunt non esse peccatum mortale, si eligatur dignus prętermisso digniore. Ita tenet glossa super cap. licet. 8. quæst. 1. & super cap. tertium, de iure patronatus. Et super capit. 2. de officio custodis. & autores huius sententiæ referuntur à Couar. in relectione super regula peccatum, parte. 2. nu. 3. Et etiam refertur Caietanus in hanc sententia Tentaculo ultimo. quæst. 4.

PRO decisione nota primo, q̃ in pręsenti loquimur solum in foro conscientię; nam in foro iudiciali certum est, quod si eligatur solùm dignus electio tenebit: potest irritari, quod docet Diuus Thomas hic ad tertium: quamuis multi Iuristarum oppositũ doceant: impugnantur tamen efficaciter ratione D. Thomæ: quia aliàs nulla esset electio firma in foro iudiciali de qua non insurgerent innumerę lites. Et ratio ista magnificatur Couarru. & à Iuristis qui cõsentiunt cum Diuo Thoma, & est fere communis in schola illorum.

Secundò nota, quod in officijs ecclesiasticis sunt duo consideranda. Primum est onus labor ipsorum officiorum. Et secundum, honor & dignitas eorundem. Et ista duo sic connexa sunt, vt primum sit pręcipuum & quod maximè attenditur tam ab eligentibus quàm ab electis. Quod iuxta communem interpretationem intelligitur. 1. ad Timoth. 3. cum dicit Apostolus, Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, idest officiũ operosum & maximi oneris. Secundum autem, scilicet honor, consequẽter se habet: sic tamen, quòd postquam coniuncta cõsideranturtrvtrunque attenditur necessariò à distributore.

Sit prima cõclusio. Nõ eligere digniorem potest esse solùm veniale propter imperfectionem actus aut ex paruitate materię: quod in omnibus alijs peccatis mortalibus ex genere contingit. Et etiam aliquãdo propter paruitatem excessus ipsius dignioris ad dignum. Ratio huius conclusionis est, quia quãdo modicus excessus interuenit minima iniuria fit digniori non electo.

Ex

Ex quo sequitur, quòd vterque absolutè censeatur habere ius ad tale beneficium: quia quasi æquè dignus reputatur vterque, siquidem in minimo excedit alter & parum pro nihilo reputatur: & hoc necessarium est dicere, tenendo nostram conclusionem, quia impossibile est, quòd in tali casu solus dignior habeat ius ad beneficium, & quod non peccet mortaliter distributor in conferendo beneficium alteri. Et hoc est verum loquendo de distributore absolutè: nam si electores astringantur iuramento electuro se digniorem; absque dubio peccant mortaliter: si talem digniorem nõ eligant, quãtumcunque in minimo excedat. Ratio huius est: quia iuramentum illud obligat sub mortali secundùm rigorem promissionis.

Ex quo sequitur, quod scholares peccent mortaliter, si cognoscentes aliquem digniorem, quantumcunque excessus sit minimus: si nihilominus non præstent suffragium illi ad catedram obtinendam: quia iurant se electuros digniorem.

Secunda conclusio. Eligere dignum prætermisso digniore est peccatum mortale ex genere suo. Probatur hoc primo in Concilio Basiliensi in Sessione 12. decreto de electionibus episcoporum & prælatorum: vbi refertur iuramentum quo ipsi electores astringuntur ad eligendum illum quem cognouerit vtiliorem esse Ecclesiæ. Et concilio Trident. Sessione 24. capit. 1. vbi deffinitur mortaliter peccare electores: nisi eligant illos quos reputant dignores. & capit. 18. præcipitur quod Episcopus ex nominatis ab examinatoribus tanquam dignis, exquirat ipse digniorem & illum eligat. & in capit vnico, vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur digniori. Innocentius Tertius grauiter reprehendit quẽdam episcopum, eo quod non elegerit digniorem. Idem ex Diuo Leone in capit. Metropolitano, distinct. 63. & in capit. Moyses. 8. quæstione. 1. & Diuus Augustinus multa dicit in epist. 29. & refertur à glossa super capit. 2. Iacobi. Diuus Thomas 2. 2. quæstione 185. artic. 3. & quodlibeto. 4. art. 15. & quodlibeto. 6. artic. 9. & quolibeto. 8. artic. 6. & est communis sententia Theologorum quos refert Soto vbi supra conclusione. 9. & etiam Iuristarũ quos refert Couarruuias vbi supra.

Ratione probatur secundo, quia prætermittere digniorẽ sine causa debita, acceptio est personarũ, ergo est peccatum mortale ex genere suo. Antecedens patet, quia beneficia dignitates sunt & honores in bonum Ecclesiæ & etiam in bonum ipsius electi ordinata, ergo distribuere ista sine debita causa & ordine erit peccatum mortale. Præterea, quia destributores & electores non habent dominium beneficiorum: sed tantum sunt dispensatores, ergo tenentur distribuere iuxta voluntatem Dei, qui semper intendit meliora. Et confirmatur. Quia si Ecclesia haberet actu ministrũ digniorem: peccaret mortaliter qui illum ministrum impediret ab executione sui muneris, ergo etiam peccat mortaliter distributor & elector qui illum ministrum non eligit. Tãdem colligitur hæc veritas ex electionibus à Deo factis in veteri Testamento: vbi semper elegit meliores. Patet in Moyse, qui electus est à domino dux & pastor vniuersi populi, & ille laudatur præomnibus alijs Numer. 12. vbi dicitur quod erat vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. Similiter Saul elegitur à Deo in Regem & de illo habetur 1. Regum. 8. quod erat electus & bonus & non erat vir de filijs Israel melior illo. & 1. Regum 18. de electione Dauid, hoc ipsum patet, de quo dicitur Deum inuenisse virum iuxta cor suum. Et in nouo Testamento Christus elegit meliorem in Pontificem, & ad hoc innuendum dixit Petro ter Ioannis vltimo, Diligis me pluris ijs, quasi id necessarium supponens, ergo & alijs distributores & electores tenentur meliores eligere. Ad hoc propositum Concilium Tridentinum supra capit. 18. Præcepti vt solus episcopus digniorẽ examinaret: vt videlicet digniorem eligeret.

Tertia conclusio. Contingere potest, vt sit iustum imo aliquando necessarium eligere minus dignum; relicto digniore, qui etiam intendit tale beneficium Verbi gratia, vacant simul duo beneficia: alterum simpl ex & pingue: alterum verò parochiale & tenue: & non sunt nisi duo oppositores: in isto casu nõ debet eligi dignior in beneficium magis pingue. Ratio huius est, quia tunc expedit bono communi ipsius Ecclesiæ vt qui dignior est, præficiatur beneficio parochiali cui annexa est cura animarum.

Ex quo sequitur primo, quàm dissonum est quod in diœcesibus sint beneficia simplicia pinguiora curaris: nam tunc vel minus dignus debet habere curam animarum vel magis digni debent esse minus stipendiati.

Secundò. Sequitur, quòd eligere minus dignum relicto digniore non est intrinsecè malum: quia potest honestari ex circunstantijs superueniẽtibus.

Tertio sequitur, quod maior dignitas etiam si sit notabilis non semper præstat ius ad obtinendum beneficium hic & nunc, sed quandoque potest de facto illud tollere. Itaque bene dicimus in casu posito: q̃ iste dignior non cõparat sibi beneficiũ nec hẽt ius ad illud hic & nunc quia dignior est. Fundamẽtũ omniũ istorũ est: quia dignitas & maior dignitas non semper considerantur absolutè sed aliquandò comparatiuè, & hæc comparatio debet fieri non solum inter personas aut officia vel beneficia: sed potissimum in ordine ad finem, qui intenditur hic & nunc. Et ne videantur ista singularia: ponuntur alia exempla in quibus hoc necesse est dicere. Verbi gratia. Si maior pars eligentium firmiter decreuit eligere minus dignum ita vt moraliter fit euidens q̃d talis euadet electus: minor pars illius communitatis poterit se conformare cum maiori eligendo minus dignum. Probatur, quia in isto casu impossibile est eligere digniorem: ergo isti non tenentur illum eligere.

Secundò. Quia bonum est communitatis vt electiones pacifice fiant ex quo sequitur, quod elector consequatur bonum commune quod maximè intendere debet: & electus animo æquiori gubernabit communitatem, quam si à paucioribus eligeretur; ergo iste talis poterit eligere minus dignũ: imo vero est casus in quo non solum potest iustè eligere minus dignum, sed quod etiam teneatur. Verbi gratia, Si sunt tres oppositores alter dignus, secundus dignior, tertius dignissimus & si ergo prętio suffragium dignissimo & non adiuuo volentes eligere digniorẽ euadet electus minus dignus, tunc teneor prętermittere dignissimum, & eligere saltim digniorem. Probatur, quia ego teneor eligere digniorem possibilem hic & nunc: sed ille medius hic & nunc est dignior qui potest eligi: ergo illum teneor eligere. Et confirmatur. Nam alias eligeretur minus dignus mea culpa, ergo teneor eligere digniorem illum medium. Antecedens patet, quia ego possem impedire electionem minus digni & teneor, quia elector sum, & id facere possum, ergo &c.

Sed contra doctrinam prædictam sunt tria argumenta. Primo, nam sequeretur, quod in aliquo casu liceret eligere indignum simpliciter. Vt si v.g. maior

ior pars eligentium infallibiliter eliget talem indignum, potero me conformare cum maiori parte propter bonum communitatis & pacis.

Secundo. Qui in prædicto casu eligunt dignum prætermisso digniore peccant mortaliter, vt manifestum est, ergo ego non possum me conformare cum illa maiore parte quæ deserit digniorem. Probatur consequentia, quia alias cooperor peccato illorum ac subinde pecco in id ipsum.

Tertiò. Ego teneor in his electionibus deferre honorem digniori quoquomodo possum, ergo teneor isti digniori suffragiũ præstare: quanuis à maiori parte deseratur. Nihilominus respondetur ad primum negando sequelam: quia eligere indignũ, est intrinsecè malum: & ideo electores & cooperatores peccant mortaliter in tali electione. Idem dicendum est de iudicibus & consulibus atque rectoribus populi: quod quanuis maior pars velit profere sententiam, iniustam quidem in re, aut verò aliquid decernere in damnum communitatis, non potest iste se conformare cum maiore parte iudicum.

Ad secundum respondetur: quòd formaliter iste non cõsentit actui & peccato aliorum: sed coactus à maiori parte & quasi ex necessitate materiæ conformat se cum maiore parte propter bonum finem scilicet, propter pacem comunitatis, quam potissimum intendit: vnde iste non est cooperator illius iniustæ distributionis.

Si autem arguas: quòd iste talis voluntariè eligit minus dignum: quia exercet voluntariè actum eundem, quem præstant iniqui electores, ergo peccat.

Propter hoc argumentum Ioannes de Medina tractatu de rebus restituendis, quæstione. 7. tenet contra nostram sententiam. Nihilominus tamen nos respondemus, quòd iste elector non directè intendit inæqualitatem neque eam assumit vt mediũ ad pacem communitatis seruandam: sed iudicans prudenter esse impossibile, quòd talis indignus non euadat electus, intendit euitare iniustam electionẽ, quæ secundum se est mala.

Secundò respondetur, quòd ille minus dignus in casu posito simpliciter est dignus. Eligere autem dignum non est malum secundum se: nisi adfuerit dignior qui possit eligi, & quia in illo casu nullus est de facto dignior qui possit eligi supposita determinatione maioris partis eligentis minus dignum, consequenter iste talis, qui se conformat cum hac maiori parte eligenti, non peccat: sed prudenter facit.

Ad tertium communiter dicitur, quod honor annexus ecclesiastico beneficio non ordinatur proximè & per se in bonum peculiaris personæ eligendæ, sed in bonum ecclesiæ & communitatis. Quare si bonum Ecclesiæ aut communitatis sequatur ex tali electione, tenebitur elector suum præstare suffragium illi personæ; non autem si bonum illud solum cedat in bonum particulare. Ego tamen aliter existimo, quòd quanuis bonum & honor quę interueniunt in beneficio ecclesiastico, primò & per se respiciant bonum commune: tamen consequenter respiciunt eligendum, quare multoties tenebitur elector præstare suum suffragium digniori, quanuis non euadat electus. Verbi gratia, in electione cathedrarum, vbi multum interest honori & vtilitati dignioris, quod plura habeat suffragia: quanuis non obtineat cathedram. Similiter aliquando erit eadem obligatio in electionibus præbendarum, quæ ad vota capituli distribuuntur. Igitur ad

A argumentum respondetur, quòd quotiescunque nõ imminet maius bonum cui elector consulere debet: tenetur suffragium præstare dignioribus: vt qui immeritò ab alijs reijciuntur: aliqua saltim pro se agnoscant suffragia.

Resolutoriè ergo dicimus quod eligere dignum prætermisso digniore, est malum intrinsecè, quando fit propter indebitam causam. Si verò non eligatur qui est aliàs dignior, propter cãm rationabilem, tunc non est vitiosa electio, imo nec formaliter prætermittitur dignior: quia in illo casu non est eligibili, nec tenetur elector talem digniorem eligere: imò interdum peccaret suffragando.

Argumenta in principio facta respondetur. Ad

B primum respondent quidam, quòd Diuus Paulus ibi solum considerat onus & laborem beneficiorum, ac subinde non facit comparationem: quia in ordine ad laborem impertinens est maior vel minor dignitas. Explicatio est Caietani in Tentaculo vltimo citato, quam colligit ex primis verbis Pauli cum dicit, bonum opus desiderat. Sed mihi non placet hæc intelligentia, quia Diuus Paulus ibi constituit absolutè conditiones quæ dignificant episcopum: & huiusmodi indifferenter necessariæ sunt ad beneficia siue secundum quod onus, siue secundum quod honores sunt. Itaque illæ conditiones necessariæ sunt qualitercunque episcopus consideretur. Alij dicunt, quod Diuus Paulus eas apposuit condi

C tiones episcoporum, quæ solùm possunt reperiri moraliter loquendo in viris dignissimis, ac subinde de dignioribus, imo de dignissimis loquutus est. Sed neque ista explicatio placet, nam ibi ponuntur conditiones, quæ in omnibus Episcopis & electionibus eorum considerandæ sunt. Vnde & Theologi, ex isto loco Diui Pauli non tantum colligunt conditiones pro dignissimis, sed etiam pro dignis & dignioribus. Respondetur ergo ad argumentum negando consequentiam. Nam illud est argumentum negatiuum, qua propter inefficax est. Nihil enim valet consequentia, Diuus Paulus ibi non loquitur comparatiue, ergo & electio non facienda est comparatiuè. Sit ergo satis, si ex concilijs, & ex

D doctrina Sanctorum & ratione naturali fit comparatio facienda in talibus distributionibus.

Ad confirmationem respondetur negãdo, quòd ille qui in præsentia dignioris eligit dignum, faciat bonum opus imo peccat: quia impedit ne Ecclesia consequatur digniorem ministrum. Quare licet absolutè loquendo eligere dignum bonum sonat: nihilominus tamen, eligere illum relicto digniore, sonat malum. Exemplum huius est. Succurrere extremè indigenti extraneo, bonum sonat: verunamen, si ex hoc quòd illi subuenias, omittis prouidere necessitati parentis vel consanguinei extremè indigentium, peccatum est. De quo supra quæstione 26. artic. 8. & quæst. 31. arti. 3. dictum est à nobis.

E Ad secundum nego, quod Ecclesia non semper requirat meliores ministros ab electoribus, quia illa semper intendit crescere: & hoc maximè fit, crescente dignitate ministrantium. Iuxta illud, ad Ephesio. 2. In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum Sanctum in domino: in quo & vos ædificamini inhabitaculum Dei.

Ad primam confirmationem respondetur, quod si dominus præciperet œconomo, vt distribueret bona sua pauperioribus: peccaret mortaliter, si solum distribuat pauperibus qualitercunque indigentibus. Ita etiam quia dominus, vt patet ex dictis, habet eam volũtatem vt electores requirant & examinent magis dignos, non satisfaciunt electores, dignio-

dignioribus omissis, eligendo dignos.

Ad secundam confirmationem. Respondetur, negando quod satisfaciat dignior per opera & officia mediocria: sed tenet pro virili laborare in officio sibi iniuncto: ita vt quemadmodum alios excedit dignitate, & propterea electus est: ita etiam opera excellentiora tenetur exhibere. Et hoc colligitur Matthæi 25. & Lucæ 12. vbi pater familias plus exquisiuit ab illis qui plura talenta acceperunt. & Lucæ 19. vbi habetur, seruus qui cognouit voluntatem domini & non se præparauit, vapulabit multis &c. & subdit. Omni autem cui multum datum est & multum exigetur ab eo.

Ex quo sequitur, quod dignior teneatur multa opera præstare, quæ non tenetur de facto minus

B dignus. V.g. Si dignior valeat reuincere publicum hæreticum, tenebitur sub mortali prædicare aut disputare: & tamen minus dignus excusabitur ab huiusmodi opere, quia propter diminutam eius sciẽtiam, prudenter dubitat de fœlici exitu illius disputationis.

Nota tamen, quòd non tenetur sub mortali, qui dignior est, semper & omnia opera exercere meliora, quàm dignus: sed in casibus, vbi ratio id postulauerit, quod non potest certa regula comprehendi: sed prudentia opus est.

Ad tertium respondetur, quod ista officia plus habent laboris quàm honoris: imo per se primò instituta sunt & donantur vt onera, non verò vt munera vel præmia. Quare si attendamus id quod per se primò beneficium habet, nulla fieret iniuria digniori prætermisso: quia propriè non dicitur quis habere ius ad laborem, vnde nec propriè iniustum patitur hac ex parte si præcisè consideretur. Et in hoc sensu Caieta. vbi supra. dixit, non peccare mortaliter qui prætermittit digniorem. Et eius sententia in isto sensu communiter acceptatur à magistris nostris. Cæterum si consideretur id quod secundariò habent beneficia, peccatum mortale erit, non distribuere dignioribus.

Ad quartum respondetur, quod Ioannes Maior in 4. distin. 24. quæst. 8. & 9. tenet, huiusmodi leges quæ determinant electiones ad certum locum aut

D Ecclesiam, non esse iustas nec ferenda. Et præter argumentum factum, confirmat suam sententiam ex cap. ad decorem de institutionibus. vbi Innocentius Tertius, reprehendit Patriarcham Hierosolymitanum, eo quod omnia beneficia Ecclesiæ Constantinopolitanæ distribueret Venetis: & ideo præcipit vt in ecclesijs illis eligantur & præficiantur literati & magis idonei vndecunque originem duxerint: & adducit illud quod habentur Actuum 10. nam in omni gente, qui facit iustitiam acceptus est illi.

Nihilominus sententia opposita communis est: quam docet Diuus Thomas hic ad quartum. & videndus est Soto vbi supra ante decimam conclusionem. & Couarru. & ratio Diui Thom. hoc conuincit, quia regulariter loquendo electi de gremio Ecclesiæ magis diligunt illam magisque resident: & hoc adeò verum est, vt oppositum non sine temeritate dicatur: & ita istæ leges consuetudine à tempore nascentis Ecclesiæ, & Decretis Pontificũ approbatæ sunt. Colligitur hæc veritas Deureron. 17. Nõ poteris eligere alterius gentis hominem in Regem & qui non sit frater tuus. Vide Diuum Hieronymum super illud Oseæ 2. Dabo eis vinitores ex eodem loco. Vbi per vinitores intelliguntur Apostoli. Et eadem ratione communiter Sancti dicunt, quòd Christus elegerit ex sibi consanguineis, & notis in

A Apostolos. Quare ad argumentum factum respondetur, quod nũquam licebit eligere indignum, etiã si huiusmodi leges existant, quæ determinant eligendos ad certum locum. Quòd si non fuerint digni in tali loco vel ecclesia, suspendatur electio, vel saltim de licentia Episcopi aut Pontificis, si opus fuerit, eligatur pro ea vice extra gremium qui dignus habeatur. Nec inconuenit ad æquitatem istarum legum, quòd alij extra ecclesiam illam digniores existant: nam propter rationes supra dictas digniores reputantur, qui sunt intra gremium ecclesiæ eiusdem, licet nõ abundent scientia & industria: quia hoc compensant dilectione & residentia, quibus maximè ecclesia solet augeri.

Ad caput illud Innocen. respondetur, quòd ideo reprehenditur Patriarca ille, quia cum illuc non essent huiusmodi leges, dispensabat beneficia solùm Venetis, omittendo digniores Constantinopolitanos, & etiam quia politicus fuerat se hoc facturum quando electus est, vt patet ex verbis extremi illius capitis. Veruntamen circa huiusmodi leges nota primò, quòd nõ debent cõdi frequenter. Aliàs communia beneficia, quasi ad ius hæreditarium reducerentur & desidiosi efficerentur eligendi: eo qd. iam esset lege firmatum, qui deberent eligi in hac vel in illa ecclesia.

Secundò nota, quòd rationes D. Tho. sufficienter honestant huiusmodi leges absolutè loquendo:

C nihilominus tamen aliæ causæ particulares exquirendæ sunt à confirmatoribus istarum legum, vt iustè & prudenter ferantur: alioquin esset iustum pro omnibus ecclesijs & populis eas dare leges: siquidẽ omnes posset dicere, eligo meos quia magis diligunt suam ecclesiam, magisque resident. Causæ ergo quæ particulariter requirendæ sunt, tales debẽt esse, videlicet, quod in ecclesia abundent sapientes, aut quòd experientia compertum sit, quod extranei in tali ecclesia vel oppido solùm curant explicare subditos; vel quod ex talibus legibus excitentur de facto ad studia colenda naturales: qui aliàs desides existerent, & ignari.

Possemus disputare in præsenti, An sicut leges

D de eligendo solum de gremio huius ecclesiæ iustæ sint: ita etiam licitè & sine vitio acceptionis personarum possint esse leges de non eligendo de ista ecclesia, aut de conuentu illo, vel intra tale tempus, vt post quadriennium transactum: qualiter solent esse apud religiosos: & idem dubium est de alternatiuis.

Respondetur nihilominus breuiter, quòd istæ leges possunt honestari ex fine superuenienti, maximè propter bonum pacis. Verumtamen raro concedẽdæ sunt: quia bonum pacis & virtutis commodius seruatur, & consequitur eligendo digniores quoscũque, & à quocunqte loco existant. Et quidem multi ambitiosi lites fingunt aut excitant, vt in eas leges

E superiores inducant & sibi arripiant ex lege alternante, quod alioquin indigni aut minus digni non consequerentur. Quod maxime aduertant legislatores præsertim in officijs supremis, ad quæ digne suscipienda vix potest vnus aut alter inueniri.

Ad quintum argumentum respondetur concedendo, quòd electores tenentur exquirere digniores: veruntamen hoc mortaliter fieri debet, vt pro beneficij maioribus, qualia sunt Episcopatus, Abbatiæ, & præbendæ cathedralium ecclesiarum, requirantur vniuersitates, collegia & conuentus. Verũtamen in alijs beneficijs minoribus sat fuerit, si ex oppositoribus qui occurrunt eligat distributor digniorẽ, quanuis si fuerit inopia concurrentium aut

specialis

specialis necessitatis ecclesiæ vel monasterij tenebitur elector inquirere ministrum dignum & digniorem.

Ad sextum respondetur, concedendo sequelam: & oppositum est plusquam temerarium: quia religio est spiritualis quędam respublica in qua necessaria sunt ista officia & beneficia ad sui conseruationem, ergo distribuenda sunt dignioribus secundũ leges iustitiæ. Probatur consequentia è paritate rationis, sicut in distributionibus officiorum quæ fiunt in ecclesia. Verumtamen distinguenda sunt duo genera officiorum in religionibus. Nam quædã simul officia & beneficia sunt, vt Prelatæ, Prioratus, & officium lectoris. Et huiusmodi absque dubio secundùm leges iustitiæ distribuenda sunt. Alia vero officia sunt, quæ dicuntur amobilia ad nutum, vt Supprioratus, Vicariæ, &c. Et huiusmodi non exigunt rigorem iustitiæ distributiuæ: quia potius assumuntur tales personæ in coadiutores prælati, quàm in officium aut beneficium spirituale. Vnde prælatus potest quem maluerit sibi associare, dummodo non sit infestus & damnosus communitati.

Ad septimum respondetur, quòd confirmatores possunt & debent confirmare electionem factam de digno, etiam vbi dignior prætermissus est. Ratio huius est primo, quia iste dignus magis gratus est electoribus, & ideo mortaliter loquendo magis vtilis erit vnitati & paci ipsius communitatis: quare talis electus vestitus ijs circunstantijs hic & nunc dignior censetur vt in plurimum. Præterea, quia cõfirmator est quasi iudex superior, qui secũdùm sciẽtiam publicam cognouit illum fuisse approbatum à capitulo, ergo quauis scientia priuata cognouerit prætermissum fuisse digniorem: tenetur confirmare dignum electum. Probatur consequentia exemplo Iudicis secularis, qui tenetur iudicare secũdùm allegata & probata: non autem secundùm scientiã particularem. Hæc maxime verum habent qn cõfirmator subditur alteri superiori ad quẽ possunt appellare electores, si electio non confirmetur: quia tunc occurrere debet, & tenetur litibus insurgentibus. Præterea. Verum habet quando solum est vnicus confirmandus, nam si offerantur plures confirmandi, confirmator tenetur digniorem designare: quia tunc non solum est confirmator, sed etiam habet vices eligentis. Ad argumentum ergo respondetur, negando paritatem rationis: quia confirmator non cooperatur actui eligentium, nec verè eligit aut distribuit: quare non tenetur ad regulas eligentium aut iustitiæ distributiuæ: sed solum est qua si superintendens supponens distributionem iam factam ab electoribus: quanuis incompletè. Et hæc doctrina approbata est à communi viu sapientium, qui non audent cassare electiones quæ fiunt de digno prætermisso digniore.

Ad octauum respondetur, quòd si attendamus naturam episcopatus, isti assensus damnandi sunt: sicut damnatur ascensus ad secundas nuptias, viuẽte priori vxore. Quare D. Paulus 1. ad Timotheum 3. volens explicare indissolubilitatem episcopi à sua ecclesia, dixit: episcopum debere esse vnius vxoris virum. Verum tamen iam supposita conditione status hominum, liciti sunt & quandoque approbãtur isti ascensus, vt honor excitet, quos charitas deberet impellere. Occasione vltimi argumenti.

DVBITATVR quartò, Verùm qui habent distribuere beneficia iure patronatus, teneantur semper præsentare digniorem.

Prima opinio quorundam Iuristarum, qui tenẽt satis esse in omnibus his beneficijs eligere dignum: & fundamentum illarum est dictum cap. monasterium.

Alia opinio per oppositum docet, quod omnia ista beneficia distribuenda sunt dignioribus à patrono, & fundamentum eorum est, quod postquam beneficia ista instituta sunt, iam facta sunt bona cõmunia ecclesiæ, ac subinde secundùm regulas iustitiæ distributiuæ dispensanda sunt sicut bona alia communia.

Tertia opinio cõmunis est, quòd pro beneficijs simplicibus non tenetur patronus laicus præsentare digniorem: bene tamen pro beneficijs quibus annexa est cura animarum.

PRO decisione huius rei sit prima conclusio.

Peccat mortaliter patronus qui non designat digniores ad episcopatus obtinendos: vt v.g. si Rex Hispaniæ qui hoc iure gaudet, solum eligeret dignos pro toto regno aut pro Insulanis: peccaret grauiter. Probatur ex Concilio Tridentino Sessione 6. capit. 1. decreto de reformatione. vbi vniuersaliter dicitur, quod eligendi sunt digniores. & in cap. 18. Sessione 24. Insuper cap. episcoporum. distin. 91. Probatur ratione. Quia iniquum esset in toto regno solũ eligere dignos in præsentia dignioruṁ proeximijs beneficijs, qualia sunt episcopatus, ergo nec Rex potest hoc facere nec Pontifex concedere.

Secunda conclusio. Qui asserunt patronum laicum posse instituere dignum in beneficijs simplicibus: tenentur dicere, quod possit hoc ipsum in beneficijs habentibus curam animarum. Probatur ex cap. monasterium. à quo ipsi colligunt suam sentẽtiam. Nam ibi loquitur Pontifex etiam de instituente monasterium, & concedit illi quod nominet prelatum. Manifestum autem est, quod superiori monasterij annexa est cura animarum, ergo qua ratione tu colligis ex illo cap. quod pro beneficijs simplicibus liceat patrono eligere dignum: eadẽ ratione colligitur & pro beneficijs, quibus incumbit cura animarum.

Secundò. Quia si Summus Pontifex qui potuit conferre istud ius patrono laiço pro beneficijs simplicibus, etiam potuit pro alijs beneficijs, ergo qua ratione vnum dicitur & aliud concedendum est. Antecedens patet. Quia vtrunque beneficium & vtrunque ius spiritualia sunt & bona communia ecclesiæ: & insuper in eosdem fines possunt ordinari, ergo qui potest concedere vnum, potest & aliud. Nec sufficit dicere, quod beneficia curata quia instituuntur in vtilitatem ecclesiæ & animarum, debent habere ministros digniores: aliàs priuarentur & ecclesia & fideles tanto bono. Nam certè hoc pertinet ad iustitiam commutatiuam (vt infra patebit) in præsenti autem consideramus puram distributiuam. Et confirmatur. Nam voluntariè concedunt isti autores, quòd patronus laicus tenetur eligere digniorem ex his, qui nominati sunt à fundatore beneficij: vt si diceret, volo quod ex meis consanguineis solùm eligatur minister: & hoc ipsum negant in electione eiusdem patroni, quando non speciatim nominauit hos vel illos: etenim qua ratione prior patronus tenetur eligere digniorem ex nominatis: eadem concluditur, quod teneatur absolutè digniorem eligere, quando nulla facta est specialis nominatio.

Tertia conclusio. Consuetudo præsentantium dignos, etiam prætermissis dignioribus, non est dãnanda in praxi sub peccato mortali. Ratio est, quia isti sequuntur opinionem probabilem, imo communiorem. Et colligitur eius probabilitas ex Concilio Tridentino Sessione 24. supra, vbi Concilium postquam

quam dixit, patronos ecclesiasticos debere instituere digniores præmisso examine: statim dicit, quòd patroni laici si præsentent dignum, institutio approbetur & valeat. Signum ergo est quòd Concilium supponit probabilitatem vtriusque sententiæ pro institutione patroni laici: & illam supponens, vtrãque opinionem tanquam verosimilem reliquit, nihil determinans. Sicut fecerat in patronis ecclesiasticis. Potest ergo patronus sequi istam sententiam.

Quarta conclusio. Probabilius est, quòd omnes patroni etiam seculares teneantur eligere digniores pro quibusuis beneficijs, siue simplicibus siue curatis. Probatur. Nam Pontifex non concedit patronis laicis, nisi, quod ipse poterat iustè facere per se ipsum: sed Pontifex non poterat in præsentia dignioris eligere minus dignum, siue ad simplex siue ad curatum beneficium, ergo neque hoc potest concedere patrono laico. Confirmatur primò. Quia leges iustitiæ distributiuæ non magis obligant vnum quam alterum dispensatorem: sed ex natura ipsius iustitiæ & bonorum quæ distribuit nascitur obligatio, ergo si ex lege iustitiæ distributiuæ Pontifex in nullo beneficio potest prætermittere digniorem: nec patronus laicus potest. Confirmatur secundò. Quia patronus est minister ipsius Pontificis, ergo si Summus Pontifex tenetur eligere digniorem, etiam patronus. Probo cõsequentiam. Tum quia vterque tenetur sequi voluntatem veri domini, scilicet Dei: tum etiam quia cum vterque sit minister: & ipse patronus subordinetur Pontifici maior debet esse authoritas Pontificis. Cùm ergo ille non possit prætermittere digniorem multo minus patronus.

Sunt tamen duo argumenta contra dicta. Primum est quod desumitur ex prædicto cap. monasterium. vbi expressè conceditur huiusmodi patronis quod eligant ministrum qui non sit malus. Nec sufficit dicere vt Couar. & Federicus consil. 95. quòd cap. istud. non excusat à culpa, sed solum concedit, quod electio non sit repellenda à iudice superiori: nam profecto ibi dicitur quod liceat patronis eligere istum dignum, ergo actus electionis licitus est, ac subinde non est contra iustitiam distributiuam.

Secundò arguitur. Quia si patroni tenetur eligere digniorem, ergo tenetur per se vel per alios examinare multos in scientia & virtute: quod esset indecorum, vt videlicet patronis laicus & sæpe illiteratus motes & scientiam ecclesiasticorum examinaret: vnde nunquam id factum est: imo nec permissum. Confirmatur. Quia Concilium Tridentinum vbi supra, constituit discimen inter patronos ecclesiasticos & laicos, quod illi debeant examinare & per se eligere meliore: isti autem quod præsentent nominatum ipsi episcopo, qui idoneum approbet, ergo patroni laici nec tenentur nec debent examinare digniorem, ac subinde nec illum eligere. Impossibile enim est, quod quis moraliter eligat digniorem, nisi præ-misso examine.

Fateor argumenta ista esse difficilia, & quæ reddunt hanc opinionem satis probabilem, quam qui tenuerint debent dicere primò. Quod Pontifex potest applicare ista bona, quæ aliàs erant communia, personæ particulari cum hac conditione, vt possint eligere quem maluerint dignum. Itaque partim manent communia, partim verò appropriata. Nec hoc videatur impossibile, nam Summus Pontifex de facto tertias decimarum applicuit Regibus Hispaniæ, quanuis illæ essent bona communia ecclesiasticorum, & fructus radicati iure spirituali.

Secundò debet dicere, quòd patronus laicus non est distributor sed dispensator: nec enim idem sunt dispensator & distributor, in quo multi falluntur. Nam dispensator dicitur qui expendit bona, siue per donationem, siue per distributionem, sine alia via: distributor autem, ille dicitur, qui propter debitam causam sequens regulas iustitiæ distributiuæ expendit bona. Vnde dicendum est de Pontifice in concedendo isto iure patronatus, quòd dispensatoris officio fungitur. Ex quo manifestè sequitur, quod nec patronus in dispensatione beneficiorum, nec Pontifex in concessione istius iuris, teneantur sequi regulas iustitiæ distributiuæ.

Tertio debet dicere qui ita censet, quòd patronus licet excommunicetur, si tũ laicus est, non priuatur iure isto præsentandi dignũ: & ideo acceptanda erit institutio facta ab ipso excommunicato perinde ac si liber esset: quia istud ius, quanuis sit spirituale, nihilominus tamen titulus illius propter quem concedituṙ, temporale est, & ideo dicitur ius patronatus laicalis. Verumtũ si habens ius patronatus ecclesiasticum, sit excommunicatus: electio illius est irrita, & est decisio Rotæ. Verumtamen quia fundamenta ista quibus hæc opinio indiget, voluntaria videntur: nam voluntarium est dicere, quod ista bona maneant appropriata & mutent naturam. Item voluntarium est dicere, quod illa quæ subdebantur antea iustitiæ distributiuæ, mõdo illi non subiaceant: ideo in nostra sententia persistendum est: quia bono communi magis vtilis est.

Quare ad primum argumentum respondetur, quod explicatio Couarruuiæ & Federici accõmoda videtur. Et ad replicam respondetur, quod non solum dicuntur licita, quæ studiosa & bona sunt: sed etiam quæ permittuntur, vel quæ non prohibentur lege. Ita in Scriptura Numero. 20. transire nobis liceat per terram tuam, idest, nobis permittas, est modus loquendi Matthæi. 12. 1. Corinthiorum. 6. & capit. 10. vbi est illud, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. idest, quanuis nullus cibus mihi prohibeatur: non tamen expedit omnes & semper comedere. Ita ergo in illo capite, verbum, licet, idem sonat quod permissum aut quod non prohibendum.

Secundò explicatur prædictum capitulum, quòd solum conceditur institutori monasterij eligere prælatum pro prima vice, non vero pro alijs sequẽtibus. Et hoc quidem honestum est, vt excitentur plures ad erigẽda monasteria & beneficia ecclesiæ instituenda: quod maxime bonum est totius ecclesiæ.

Ad secundum respondetur, quòd Concilium non explicat qualiter se gerat patronus laicus in institutione ministri: vt locum daret opinionibus probabilibus: quod sæpe faciunt Concilia in his quorum diffinitio non est necessaria bono vniuersali, & vtilitati ecclesiæ. Et huiusmodi reputatur diffinitio de patronis laicis & de electionibus illorum: quia non erat necessaria vtilitati communi, imo ex illa forsitã grauarentur isti patroni quos ecclesia merito priuilegijs amplificat propter eorum pia obsequia. Item etiam, si diffiniret Cõcilium hoc ipsũ de laicis quod dixerat de ecclesiasticis innumeræ lites insurgerent in his præsentationibus. Exemplum est in electionibus episcoporum quæ fiunt à Rege: in quibus vt diximus tenetur instituere digniores, & tamen non tenetur examinare ipsos: sicuti episcopus examinat eos qui ad beneficium concurrunt.

DVBITATVR quinto; Vtrùm epicoscopi qui sunt distributores beneficiorũ simplicium, teneantur

tur eligere digniores? Communis sententia episcoporum, & etiam vsus tenet, quod liceat eligere dignum. Et ratio huius potest esse: qui huiusmodi beneficia non habent officium annexum ad quod requiratur specialis scientia & industria, ergo non requirunt digniorem secundùm scientiam & industriam.

Alia sententia quorũdam sapientium, inter quos refertur Magister Mantius quondam Salmanticæ Primarius, qui dicunt, quòd si adsit digniori qui petat tale beneficium, tenetur Episcopus illum eligere. Si vero non adsit dignior: satis fuerit eligere dignum. Ratio huius est, quia si dignior petit tale beneficium, tam est concursus & oppositio pluriũ: quando vero est opposito, tenetur elector sequi regulas iustitiæ distributiuæ. Cæterùm opposita sententia, quòd episcopi in his beneficijs teneantur eligerè digniorem, siue petat, siue non petat, non solũ est securior, verum probabilior. Probatur. Quia in his beneficijs episcopi habent tantum ius distributoris, ergo tenentur distribuere secundùm rigorem iustitiæ distributiuæ. Secundò. Quia ista bona communia sunt, ergo dignior habet ius ad illa in præsentia minus digni, non autem econtra, ac subinde episcopus tenetur seruare digniori tale ius & non inuertere illud. Cõfirmatur. Quia aliàs sequitur, quod de natura iustitiæ distributiuæ non sit eligere digniorem nisi duntaxat pro beneficijs curatis & quibus est annexa cura animarum. Consequens est falsum, vt patet ex supradictis, ergo. Sequela patet: quia tunc in solis beneficijs simplicibus Episcopus tenetur eligere dignum & prætermittere digniorẽ, ergo pro his non est præceptum de iustitia distributiua. Tandem probatur ex Concilio Tridentino Sessione 24. capit. 18. vbi loquens de patronis ecclesiasticis respectu quorumcunque beneficiorum dicit illos teneri eligere digniorem.

Ex quo sequitur, quòd idem erit iudicium siue dignior petat siue non: quia petere non variat nec auget ius, nec similiter non petere minuit idem ius, dummodo dignior sit paratus acceptare beneficium.

Ad rationẽ primæ opinionis rndetur, q̃ vsus probat & approbat in praxi opinionẽ, qñ non repugnat rõni. Nã si repugnat, abusus est. Et quidẽ Episcopi & superiores prelati sibi consulant, & efficaciã rationum oppositæ sententiæ considerent. Et argumentum quod ibi fecimus nihil probat: quia ista omnia beneficia pertinent ad iustitiam distributiuam. Etenim beneficia non solum subduntur iustitiæ distributiuæ quia officia sunt, aut quia curata sunt: sed quia bona communia & dignitates ecclesiasticæ, ac subinde distribuendæ dignioribus ministris: quia præmia sunt, & honores virtutis & scientiæ atque industriæ.

Et est alia ratio ad hoc probandum. Quia maxime decet authoritatem ecclesiæ, vt ministri suis beneficijs præfecti aut deputati, dignissimi sint: quia hoc redundat in decorem ipsius corporis ecclesiæ, cuius præstantissima membra sunt ministri ecclesiastici. Et quemadmodum in patria cælesti, quidã ministrant, quidam assistunt, iuxta illud; Millia millium ministrabant ei, & deces cẽtena millia assistebant ei, & omnes quidem isti dignissimi, propter decorem patriæ, ita militanti ecclesia non tantum digniores eligendi sunt qui ministrant in officijs curatis, verum etiam qui assistunt in simplicibus. Et ex his etiam patet ad argumentum pro secunda opinione.

DVBITATVR sextò de officijs secularibus; Vtrùm etiam subiaceant iustitiæ distributiuæ. Sed prius disputandum videtur breuiter, Vtrum Rex habeat dominium istorum officiorum, & vtrum possit ista officia vendere. Quæ dubia nec magna sunt, nec meo iudicio prolixiùs differenda.

De priore dubio est sententia Adriani in 4. in materia de restitutione, paulò post principium, qui negat Reges habere dominium istorum officiorum. Et ratio eius est, quia nunquam respublica transtulit tale dominium in Regem, nec alicubi legimus hanc translationem facta. Et secundò probat à simili, quia Summus Pontifex non habet dominium officiorum ecclesiæ, ergo nec princeps habet dominium officiorum temporalium. Quod confirmatur, quia aliàs reguli haberent etiam dominium eorundem officiorum: quod est contra omnium sententiam.

Nihilominus tamen opposita sententia tenenda est, quam docet D. Tho. opusc. 21. an Ducissam Brabantiæ, dub. 5. & idem tenuit Magister Victoria & & accutissimum Mantius & Soto vbi sup. quæst. 6. art. 4. & Caiet. in summa, verbo, officium secularium venalitas. & Baldus in l. Barbarius. ff. de offic. prætoris. quem sequuntur plures Iurisconsulti. Latè disserit de hoc Guillelmus Benedictus in repetitione super cap. Raynuntius. de testamentis. num. 53. & colligitur ex l. 1. ff. de cõstitutionibus principum: vbi habetur quòd respulica transtulit omnem suam potestatem & imperium in principem, quapropter consequenter transtulit dominium istorum officiorum quibus dominabatur respublica. Cæterum aduertendum est, quòd aliter Rex habet dominium istorum officiorum, quàm respublica, nam Rex habet illud à republica, ac subinde cum dependentia & sub certis legibus: ita videlicet, ut dispenset illa non pro sua voluntate, sed secundùm vtilitatem ipsius reipublicæ. At verò republica à principio habuit dominium à se ipsa independens & absolutum.

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur negando antecedens, vt patet ex prima lege iam citata, & quidem vt dicebamus Rex habet dominiũ dependens & diminutum: respublica vero habebat absolutum, quia libere poterat vt ijs officijs donando, distribuendo, vel sibi retinendo, quod non potest Rex facere.

Ad secundum respondetur, quòd Summus Pontifex non est dominus officiorum Ecclesiæ: & quãuis Christus contulerit illi dominium Pontificatus & iurisdictionis: non tamen decebat vt conferret dominium istorum beneficiorum: quia tunc tanquam dominus illorum distribueret indignis aut minus dignis. Secus est in Rege respectu temporalium officiorum, quia decet maximè, vt idem ipse qui gubernat rempublicam, habeat dominium officiorum temporalium quæ præstant & requiruntur ad istam gubernationem: & si Rex haberet dominium Regni, & ex alia parte respublica haberet dominium istorum officiorum, esset ista confusa & permixta.

Ad aliud de regulis & dominis priuatis respondetur, quòd non habent dominium istorum officiorum sed respublica illud transtulit in solum principem. Quod si quæras, an princeps quando donat oppida & iurisdictiones, concedat etiam ius ad ista officia? Respondetur negatiuè, quia non habet eam facultatem, vt possit transferre omne dominium quod possidet: quemadmodum licet habeat dominium Regni concessum à republica, non tamen potest illud conferre alteri priuato domino

De

De altero dubio circa venditionem officiorum notandum est, quòd est triplex opinio. Prima Diui Thomæ opusculo citato; qui dicit, quod ea venditio licita est de se, non tamen expedit: vt inquit Apostolus 1. Corin. 6. & 10. Omnia mihi licent sed non omnia expediunt. Hanc sententiam tenet Baldus & communiter Iuristæ. Et fundamentum huius est, quia non est contra ius naturæ ista officia vendere: quod si lege positiua prohibeatur, non comprehendit principum vt isti dicunt.

Secunda sententia est Caietani & Soto, qui dicunt quod vendere hæc officia; speculatiuè licitum est: illicitè tamen fit in praxi.

Tertia sententia est Adriani in 4. vbi supra, qui dicit, quòd illicita est venditio, & explicata Diuum Thomam quod asserat illam esse licitam ex parte pretij: quia offertur pretium iuxta valorem officiorum: verum tamen aliunde venditio illicita redditur quia videlicet contra voluntatem reipublicæ quæ habet verum dominium istarum venduntur.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Qui non habent dominium istorum officiorum non possunt illa vendere nec locare. Probatur. Quia vendere alienum aut locare contra voluntatem veri domini est intrinsecè malum, ergo qui non habet dominium officiorum non potest vendere nec locare. Nec sufficit dicere quòd multi Duces & Marchiones & priuati domini ex immemoriali consuetudine ista officia vendiderunt. Nam hæc consuetudo semper damnata est à doctoribus tanquàm contraria voluntati reipublicæ, nec sufficit lex quæ solet adduci: & habetur in comitijs apud Matritum, anno 1528. vbi habetur tanquam titulus immemorialis consuetudo. Nam certè lex ista loquitur nec vnquam interpretata est de venditionibus istorum officiorum. Vtrùm vero isti priuati domini possint exigere aliquam portionem pretij ab ijs officialibus? communiter respondetur negatiuè. Et fateor quod quanuis oppositum possit dici probabiliter: nihilominus sententia negatiua tenenda est, vt coerceantur isti domini priuati ab iniustitijs quas quotidie exercent: eo vel maxime si illis proponas hanc vel illam opinionem esse probabilem. Secus est de prætore, nam iste poterit licitè exigere aliquam portionem à sibi subditis executoribus. Et ratio huius est, quia prætor est principalis executor: alijs vero ministri iustitiæ sunt ex commissione ipsius.

Secunda conclusio certa mihi. Ista officia ex natura sua venalia sunt. Probatur. Quia sunt bona tẽporalia quæ possunt æstimari pretio, non autem est intrinsecè malum aut contra naturam rei, vendere quod appretiabile est. Et confirmatur. Quia vt patet ex dictis reispublica habet dominium absolutum istorum officiorum, ergo potest ea alienare donando aut vendendo. Item etiam quia sæpe populi & iurisdictiones quæ aliquid maius sunt quàm officia, venduntur licitè, ergo & ipsa officia poterunt diuendi quantum est ex natura sua, & appositis conditionibus honestantibus, venditio de facto erit licita. Conditiones autem duæ assignantur vbi supra. Prima, quod talia officia vendantur dignis & idoneis ministris. Secunda vero quod pretio moderato vendantur, attentis uidelicet præsertim fructibus qui ex tali officio possunt comparari, ijs super additur. Tertia conditio, quod pretium istorum officiorum expendatur in communes vsus. Qualiter autem si istæ conditiones non seruentur, inferuntur damna reipublicæ: & quæ mala sequantur: explicant optime Caiet. & Soto, & adducunt exemplum de antiqua Roma quæ dominabatur vniuerso orbi, quando officia publica distribuebat secundùm merita, postmodum autem subiecta est, & interijt quando officia ista venalia facta sunt. Vnde Salustius. *O vrbem venalem & cito perituram si emptorem inuenerit.*

Tertia conclusio. Vt implurimum & moraliter loquendo ista officia iniquè venduntur. Et ratio est. Quia raro seruantur huiusmodi conditiones, sed frequentius ista emunt ambitiosi & cupidi immeriti & ignobiles. Et in hoc sensu dixit Caietanus & Soto quod in praxi est illicita venditio: idest, moraliter & sæpius in ijs venditionibus multæ iniustitiæ miscentur, verum tamen non negant quod etiam in opere & in exercitio possint aliquando vendi licitè.

Quarta conclusio. Etiam illi quibus ista officia donata sunt à Rege possunt vendere iustè stando iniure naturæ, dum tamen seruentur duæ primæ conditiones. Probatur. Quia isti habẽt verum dominium istorum officiorum, ergo quantũ est ex natura possessoris & rei possessæ licitè potest fieri venditio.

Quinta conclusio. Stando in iure communi & iure Regni Hispaniæ non possunt vendi officia quæ habent annexam administrationem iustitiæ à suis possessoribus. Vt v.g. prætoratus & vicem eius tenentis, tabellionis & multo minus qui consilijs deputantur. Probatur ex lege vnica. C. ad lege Iuliã. de ambitu, quæ prohibet quempiam promouẽti pretio ad huiusmodi officia: ita habetur in capitulo. 1. quæstione. 7. & in authentico. vt iudices sine quoquo suffragio fiant. idem habetur in legibus Regni lib. 1. ordinationum regalium, tit. 5. l. 2. & lib. 2. titul. 13. & lib. 6. titulo. 14. l. 16. & lib. 7. titulo. 1. l. 1. Si autem ista officia non habeant administrationem iustitiæ annexam, possunt qui possidẽte ea vendere & alienare de licentia Regis. Probatur. Quia princeps potest dispensare in venditione quæ prohibetur lege positiua, quando non habent officio istam administrationem annexam.

Sed dubitas, Vtrùm si possessor istorum officiorum qui habet facultatem transferendi illa, vendiderit ea sine licentia Regis ad vendendum expressa vel subintellecta, peccet mortaliter & vẽditio sit irrita? quidam sapientissimi iuniores dicunt huiusmodi vendentes non peccare mortaliter, & quod contractus valeat. Probant, quia isti habent facultatem transferendi in alios, ergo possunt transferre licitè siue pretio, siue sine pretio fiat. Pretium enim nõ variat iustitiam in rebus appretiabilibus. Et confirmatur. Quia in legibus regni citatis dicitur, quòd talis venditio quando dalata fuerit ad iudicem irritetur, ergo antea habebatur firma & rata. Nihilominus est sententia Magistri Soto vbi supra artic. 4. & communiter acceptatur, quod venditor istorum officiorum habens solum licentiam transferendi, peccat mortaliter & venditio irrita est. Probatur hæc sententia. Quia isti vsurpant officium & ius rei publicæ in re graui, ergo peccant mortaliter, & insuper sine titulo alienant officia publica, nõ. n. facultas transferendi est facultas vendendi: vt patet ex communi sensu & vsu omnium, & leges quæ præcipiunt irritari huiusmodi venditiones nõ supponunt ratum fuisse contractum imo præcipiunt quòd declarentur irriti à iudice: quia uere & in renulli sunt. Requiritur ergo ad iustam uenditionem uel licentia expressa, uel subimplicita: qualis iudicatur esse quando Rex alicui domestico & sibi familiari concedit aliquod officium habens administrationem

nem non ita præstantem. Nam certum est quod nec princeps nec qui accptat tale officium intendant quod exerceatur à tali familiari. In pretio uero horum officiorum est aduertendum, quòd huiusmodi pretium taxatur attenta qualitate officij & utilitate proueniente. Vnde iustè potest exigi maius pretium, quàm ualeant fructus illius officij: quia ultra hoc dignitas & honor quæ conferuntur in illo officio æstimanda sunt. Secundò. Etiam ex parte stipendiorum quæ ipsis officialibus taxantur.

Aduertendum tamen est, quòd non sint maiora aut exigua: vnde oportet pensare laborem aut industriam, & etiam deputationem ipsius ministri, & similiter honorem eiusdem. Deccet enim ad commune bonum reipublicæ, vt non tantum ministri mercenarij habeantur, & tanquam operarijs signetur pretium: sed etiam pro qualitate & dignitate ministrantium augeatur & pretium. His suppositis reuertamur vnde digressi sumus.

DVBIVM itaque principale erat. Vtrum in distributione istorum officiorum contingat acceptio personarum contra iustitiam distributiuam.

Pro parte negatiua arguitur primò. Nam Rex & respublica habent dominium istorum officiorum (vt dixi ergo non tenentur ex proprijs facere distributionem secundùm leges iustitiæ.

Secundò. Nam ista officia communia sunt & nõ debita ciuibus, & etiam non instituta in commodum illorum sed reipublicæ, ergo non debent distribui secundùm iustitiam attentis meritis personarum Confirmatur. Quia implicatio videtur quòd ista officia vendantur ministris, & ex alia parte debita sint de iustitia distributiua.

Tertiò. Quia cõmuniter huiusmodi officia donãtur ijs quæ maiorem gratiam habent apud Regem & quibus plus est negotij: & tamen non ideo damnatum principem in ijs electionibus, ergo.

Quartò arguitur ex D. Paul. 1. ad Corin. 6. vbi dr, ꝓ contemptibiliores qui sunt in ecclesia, isti deputãdi sunt ad iudicandum, ergo nõ tenemur eligere digniorẽ in iudicem, & multo minus ad alia officia.

In hoc dubio Caietan summa, verb. electio, tenet quod est peccatum mortale non eligere idoneum ministrum pro his officijs, non tamen inquit erit peccatum mortalem non eligere digniorem. Magister Soto vbi supra arti. 4. tenet, quòd in dispensatione istorum officiorum debet seruari iustitia commutatiua & distributiua: vnde vtraque violatur, si non distribuantur dignis aut dignioribus. Addit tamen, quod non ita pensanda est dignitas personæ & bonum illius, quã vtilitas reipublicę, propter quam hæc officia potissimum instituuntur.

PRO decisione nota, quod quanuis ista officia sint purè secularia: non tamen possunt distribui peccatoribus & sceleratis, qui simpliciter indigni reputandi sunt, quantumuis polleant sapientia & industria. Hoc optimè probat Magister Soto vbi supra, conclusiõne, 5. & est peculiaris ratio, quia in præsenti potissimum loquimur de reipublica Christiana. In qua non sine scandalo præficiuntur peccatores, etiam pro officijs secularibus.

Secundò nota ꝓ officia ista quædã dispensanda sunt necessario inter ciues reipublicæ aut prouintiæ: quædam autem quæ liberè possunt distribui quibusuis: alia etiam quæ distribuuntur per suffragia & vota plurium eligentium, vt communiter à consulibus distribuuntur officia minora ciuitatis: alia vero quæ ex voluntate vnius dispensantur, vt quæ distribuuntur à principe. Insuper quædam sunt quæ potissimum consistunt in administratione iustitiæ: secundariò vero & quasi per accidens in honorem ipsius personæ, vt Prætoratus &c. Alia vero econtra potissimum ordinata in dignitatem personæ, cui officium est quasi, per accidens annexum & determinatum: alia insuper sunt quæ potius dicuntur beneficia quam officia.

His positis sit prima conclusio. Istæ officia publica distribuenda sunt dignioribus ex natura sua. Probatur primò, quia sunt bona communia quæ ordinantur & in bonum reipublicæ & in dignitatem & honorem personæ, ergo dispensanda sunt dignioribus. Antecedẽs quo ad primam partem probatur. Quia ista officia instituta sunt ad conseruationem & gubernationem reipublicæ. Quò ad secundam partem probatur. Quia illa fructuosa sunt & honorifica. Ergo respondent meritis tanquam præmia. Et confirmatur, quia ideo beneficia ecclesiastica distribuenda sunt dignioribus, quia ordinantur & in bonum ecclesiæ & in premium & honorem personarum consequenter, ergo si officia ista secularia ordinantur & in bonum reipublicæ & in præmium meritorum, distribuenda sunt dignioribus.

Secundò, respublica debet alere virtutem & industriam ciuium media distributione istorum officiorum, ergo tenetur distribuere dignioribus. Antecedens probatur, quia homines suaptè natura inducãtur ad virtutem præmio & honore: non autem respublica habet alia bona communia quibus inducat ciues nisi ista officia secularia, ergo. Consequentia probatur, quia quemadmodum deficiẽte premio & honore languescit virtus: ita etiam si in honoribus digniores prætermittantur tabescit respublica.

Hęc quæ dicta sunt verum habent siue respectu reipublicæ quę absolutum habet dominium respectu horum officiorum: siue respectu principum aut quorumcunque dominorum, siue inferiorum distribuentium: quia ista officia respectu omnium retinent eandem naturam in ordine ad bonum publicum & etiam ad ciues.

Ex quo sequitur primo, quod respublica tenetur in his officijs intendere bonum totius & etiam bonum partium: nam iure naturæ tenetur dirigere suas actiones & in vtilitatem communem & in vtilitatem ciuium, & quemmadmodum ciuis ex iustitia legali tenetur dirigere actiones suas in bonum commune & totius, quia ipse est pars, ipsius totius: ita econtra respublica ex iustitia distributiua, tenetur dirigere actiones suas in bonum suarum partiũ.

Secundò. Sequitur, quod princeps & domini priuati qui non distribuunt hæc officia dignioribus: peccant contra iustitiam distributiuam accipientes personam. Est tamen aduertendum, quod digniores in his officijs nõ debent exquiri medio examine: sed sufficit moralis diligentia distribuentium & communis approbatio eligendorum.

Secunda conclusio. Non solum sunt eligendi digniores in his officijs quando necessario distribuenda sunt inter ciues eiusdem reipublicæ: sed etiam quando possunt dispensari ad quoslibet extraneos, V. g. in electione cathedrarum, & etiam in officijs militaribus. Probatur, quia ita exigunt leges quæ fundantur in lege naturæ, vt meliores præficiantur in ijs officijs: & merito, quia aliter non posset conseruari diu bonum commune.

Aduerte tamen, quod inter officia quæ distribuũtur necessario ciuibus & illa quæ possunt distribui extraneis: hoc differt, quod illa videntur prospicere maxime bonum ciuium, quare clauditur via ne extraneis donentur vt intra ciues perseuerant. Ista vero non ita prospiciunt bonum eligendorum, unde libere

libere potest fieri electio pro quibuscunque: ex quo sequitur aliud discrimen, quod in hoc quòd officia prioris generis non dispensentur dignioribus: manifestè apparet violatio iustitiæ commutatiuæ: quia cernimus damnum illatum ciuibus contra voluntatem reipublicæ in hoc quod non eligantur melio res. At vero in distributione officiorum secundi generis potissimum cernitur violatio iustitię distributiuę. Vtrũ aut commutatiua violetur obscurũ est.

Tertia conclusio. Quando electio istorum officiorum fit per vota multorum, magis certum est quod debeat fieri pro dignioribus quam in alijs casibus. Probatur, quia ista electio & secũdum formam, seruat modum iustitiæ distributiuæ, ergo tenetur seruare leges eiusdem iustitiæ, vt videlicet meliora dignioribus conferantur.

Cõfirmat, quia ideo in electionibus magni ponderis communiter pręcipitur, vt electio fiat ad vota multorum, quia ita magis seruatur & frequentius moraliter loquendo rigor iustitię distributiuę, ergo in electionibus officiorum secularium quę fiunt per suffragia intenditur seruare rigorem iustitiæ distributiuę. Ex ijs sequitur, quod senatores in fideles sunt & iniusti contra rempublicam & cõtra bonum eligẽdorum, si officia quæ distribuũt per suffragia omnium, dispensent minus dignis: quia inter ipsos & rempublicam est pactum formale vel virtuale de eligendo digniore, & ex alia parte damnificatur bonũ commune & bonum partium.

Quarta conclusio. Multi probabiliter reputant quod quando electio fit ab vno tantum. v. g. à Rege & potest eligere indifferenter de ciuibus & extraneis quod non peccabit mortaliter in eligendo minus digno peccabit mortaliter in eligẽdo minus digno: probabilius tamen est oppositum. Prima pars probatur, quia œconomus nõ peccat mortaliter eo ipso quod non inducat meliores operarios in vineã domini sui, ergo nec princeps peccabit mortaliter in non eligendo semper meliores. Probo cõsequentiam, quia princeps se habet quasi œconomus cui commissa est distributio operantium in republica.

Nihilominus secunda pars probatur, quia huiusmodi electio pergit in damnũ reipublicę & ciuium nõ minus quàm si fieret ad vota plurium, ergo peccatum erit mortale pretermittere digniorem: sicut si plures pretermitterẽt. Nec cõcedimus quod princeps habeat commissionem ita absolutã sicut œconomus sed dependẽtem à voluntate reipublicę quę semper intendit meliores.

Ad argumenta respondetur. Ad primum quantum attinet ad principes & priuatos dominos, iam patet ex precedentibus qualiter habeant dependentem dispensationem & administrationem pro ijs officijs publicis. Difficultas tamẽ est de republica quę habet dominium absolutum. De qua videbitur alicui quod possit expẽdere & retinere sibi ista officia: quia domina est absoluta. Nihilominus tamen falsum est hoc, quia habet intrinsecam malitiam vel retinere officium necessarium ad bonum publicum, vel distribuere minus digno.

Aduertendum enim est, quod quanuis respublica habeat dominium absolutũ & sui & suarũ actionum & officiorum: nihilominus tamen istud dominium & facultas ordinantur per se in bonum commune, & cõsequenter in bonum partium & ita omnis actio, siue distributio siue retentio fuerit qua lęditur bonum commune & partium iniusta est.

Ex quo sequitur, quod nec respublica potest cedere iuri suo si ex tali cessione intereat bonum publicum, nec similiter cessio partium est admittenda quando ex illa ista officia nõ rectè dispensantur. Et ex ijs facilè ad primum argumentum.

Ad secũdum respõdetur, quòd ista officia mixta sunt, nam sunt temporalia, sunt etiam communia, sunt approprianda, sunt in vtilitatem reipublicę & etiam sunt in vtilitatem ciuium: quare iudicium de illis mixtum debet esse. Qua enim ratione temporalia sunt venalia etiã sunt, qua ratione vero approprianda & cõmunia distributioni iustitię subiacent: secundum autem quod vtilia sunt reipublicę & personis etiam subiacent iustitię commutatiuę.

Ad tertium respondetur, quod aliqui volũt excusare Regem à peccato quia excessus iste maioris dignitatis, vt in plurimum paruus est. Verũtamen est excusatio friuola: quia sępe numero excessus magnus est, & ego loquor in hoc casu. Alijs excusant illum vt innuebamus, quia est quasi œconomus. Veruntamen & hoc nihil est, quia hoc dato voluntas reipublicę (vt dixi) expressa vel subintellecta est, qd dispenset hęc officia in ędificationem & non in destructionẽ, vnde peccat grauiter si oppositũ fecerit.

Ad quartum respondetur, quòd illud Diui Pauli explicatur primo, quod contemptibiliores eligendi sunt potius quàm infideles forte enim volebat reprehendere illos quod vellent introducere infideles in iudices. Secundo explicatur, quod loquatur per ironiam. Vnde subdita ad verecundiam vestram dico, quasi asserat non vobis hoc dico, vt faciatis: sed vt vos redarguam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in exhibitione honoris, et reuerentiæ locum habeat peccatum acceptionis personarum.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quòd in exhibitione honoris, & reuerentiæ nõ habeat locum peccatum acceptionis personarum. Honor enim nihil aliud esse videtur, quàm reuerentia quædam alicui exhibita in testimonium virtutis, vt patet per Philosophum in 1. † Ethic. Sed prælati & principes sunt honorandi etiam si sint mali, sicut etiam parentes, de quibus mandatur Exod. 20. Honora patrem tuũ & matrem tuam: & etiam domini sunt à seruis honorandi, etiam si sint mali: secundum illud 1. Timoth. 6. Quicunque sunt sub iugo serui, dominos suos honore dignos arbitrentur. Ergo videtur, quod acceptio personæ non sit peccatum in exhibitione honoris.

Quodlibet. 10. art. 12.

Lib 1. cap. 5. tom. 5.

2. Præterea. Leuit. 19. præcipitur, Coram cano capite consurge, & honora personam senis. Sed hoc videtur ad acceptionem personarum pertinere: quia quandoque senes non sunt virtuosi: secundum illud Danielis 13. Egressa est iniquitas à se-

nioribus populi. Ergo acceptio personarum non est peccatum in exhibitione honoris.

In epi. 29. ad Hieronym. tom. 2.

3. Præterea. Super illud Iacobi. 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem, &c. dicit † Gloss. Augustini. Si hoc quod Iacobus dicit: Si introierit in conuentu uestro vir habens annulum aureum, &c. intelligatur de quotidianis concessibus, quis hic non peccat, si tamen peccat? Sed hæc est acceptio personarum, diuites propter diuitias honorare. Dicit enim † Gregorius in quadam homil. Superbia nostra retunditur: quia in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed diuitias honoramus. Et sic cùm diuitiæ non sint debita causa honoris, pertinebit hoc ad personarum acceptionem. Ergo personarum acceptio nõ est peccatum circa exhibitionẽ honoris.

Hom. 28. in euang. ante med.

Glo. interlinearis super illud Iac. 2. Nolite in personarũ acceptionib.

Sed contra est, quod dicitur in † Gloss. Iacob. 2. Quicunque diuitem propter diuitias honorat, peccat. Et pari ratione, si aliquis honoretur propter alias causas, quæ non faciunt dignum honore: quod pertinet ad acceptionem personarum. Ergo acceptio personarum in exhibitione honoris est peccatum.

Respondeo dicendum, quòd honor est quoddam testimoniũ de virtute eius, qui honoratur. Et ideo sola virtus est debita causa honoris: sciẽdum tamen, quòd aliquis potest honorari non solum propter virtutem propriam, sed etiam propter virtutem alterius. Sicut principes & prælati honorantur, etiam si sint mali, inquantum gerunt personam Dei & communitatis, cui præficiuntur: secundum illud Prouerbiorum 26. Sicut qui immittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem. Quia enim Gentiles ratiocinationem attribuebant Mercurio, aceruus Mercurij dicitur cumulus ratiocinij, in quo mercator quandoque mittit vnum lapillum loco centum marcarum: ita etiam honoratur insipiens qui ponitur loco Dei, & loco totius communitatis. Et eadem ratione parentes, & domini sunt honorandi, propter participationem diuinæ dignitatis, qui est omnium pater & dominus. Senes autẽ sunt honorãdi, propter signum virtutis, quod est senectus, licet hoc signum quandoque deficiat. Vnde, vt dicitur Sapien. 5. Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Diuites autem honorandi sunt propter hoc, quòd maiorem locum in communitatibus obtinent. Si autem solum intuitu diuitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis personarum.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

SVMMA ARTICVLI.

Conclvsio est affirmatiua.

COMMENTARIVS.

Conclvsio Diui Thomæ certa est secundum fidem, patet Iacobi 2. Et colligitur ex illo ad Roman. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui honorem honorem. Et probatur, quia in alijs bonis inferioris ordinis quæ debentur, contingit acceptio personarum quãdo distribuuntur propter indebitam causam: ergo multo magis in distributione honoris. Cæterum vt intelligas doctrinam in articulo.

Supponendum est primo, quod honor est signũ & testimonium virtutis existentis in homine cui defertur honor. Secundò, quod est præmium virtutis. Ita Aristot. 4. Ethic. c. 3. & lib. 8. cap 14. ex quibus colligit ꝙ solum vir bonus honorandus est.

Secundò. Nota, quod honor est multiplex. Alter simpliciter debitus, vt honor parentum & maiorum: alter vero debitus ex suppositione, vt si inuitaueris aliquem teneris illum honorare secundum morem. Vnde Luc. 7. Christus reprehendit Pharisæum eo quod cum inuitasset illum nec vnxit unguento, nec lauit aqua, qui erat modus consuetus apud Palæstinos. Alter est honor libere exhibitus, vt quando aliquem publicè honoras præter modũ consuetum. Item in his honoribus solet distingui honor externus, qui non procedit ex peculiari affectu: & ille qui procedit ab interna æstimatione personæ qui est verus & proprius honor.

Tertiò. Nota, quòd honor est quoddam bonum eminẽs, cuius distributio per se pertinebat ad rempublicam quæ secundum diuersitatem & merita personarum debebat ciues honorare: verumtamen prudenter hoc committit ipsis ciuibus qui de facto sunt distributores istorum bonorum communium, & tenentur sequi consuetudinem & vsum communem tam in titulis quam in salutationibus, quare manifestum est quòd in honoris exhibitione potest interuenire iniustitia & contra iustitiam commutatiuam, quia iniuria afficio alterum: & contra distributiuam, quia quod mihi commissum est à republica distribuendum, distribuo propter indebitam causam. Et hac ratione D. Iacobus loquens de peccato isto, posuit exemplum in exhibitione honoris quasi ibi magis reluceret iniquitas acceptionis. Et Diuus Tho. in articulo nullam adhibet rationem, sed tanquam manifestum supponens quòd quærebat: pergit ad explicandum quibus modis honor debeatur.

Difficultas tamen est de honore qui libere exhibetur. Vtrũ ibi possit reperiri acceptio personarũ? & Caiet. in præsenti respondet negatiuè. Et probatur, quia

quia talis honor est donum mere liberum & gratuitum, ergo non est materia iniustitiæ. Nam quod non est ex iustitia debitum, non est materia iniustitiæ.

Confirmatur, quia in alijs bonis mere liberis, nõ reperitur acceptio personarum, vt diximus artic. 1. quòd ibi probat Diuus Tho. ad tertium. Et si queras à Caietano, quod ergo uitium est non exhibere istum honorem quando & quomodo oportet & quibus impenditur. Respondet, quod est inurbanitas aut vero uitium innominatum quod opponitur obseruationi. Concedit tamen Caietanus, quod reductiuè est in specie acceptionis & quod in iustitiam quandam participat, quatenus uerbi gratia honorando magis diuitem propter solas diuitias distribuit honorem propter indebitam causam.

Quod si arguas. Nam eadem ratione prodigus reduceretur ad iniustitiam, quia etiam distribuit pecunias propter indebitam causam? Respondet negando consequentiam: quia prodigus non expendit pecunias propter aliquam causam debitas: at vero honor de se debitus est propter virtutem: & ita qui distribuit honorem propter causam indebitam, peccat in exhibitione honoris sine causa, & etiam quia honorem debitum propter virtutem tribuit diuitijs.

Alij iuniores parum discedunt à Caietano: adduntamen quod vitium istud in honoribus liberis exhibendis, non inurbanitas sed prodigalitas dicetur. Alij autem magistri tenent contra Caietanum, quod uidelicet in his honoribus propriè contingat acceptio personarum. Et probant, quia ille qui non resalutat salutantem non solum inurbanus est sed tanquam iniurius æstimatur. Vnde communiter ad inferendam alteri iniuriam est mediũ, uel non resalutare uel minoribus titulis salutare: & sic iudicamus talem virum passum esse iniuriam. Confirmatur. Quia si iste solum esset inurbanus sibi imputaretur dedecus, non autem patienti iniuriam.

In hac parte mihi videtur, quòd si honor est mere gratuitus, est impossibile quod in exhibitione eius interueniat acceptio: & hoc conuincit ratio Caietani.

Dico secundo, quod in casibus quibus auctores isti loquuntur vera est iniustitia & acceptio personarum: quia illi honores sunt aliqualiter debiti. Resalutare enim salutantem debitum est, similiter & salutare iuxta modum & consuetudinem patriæ, secundum differentias personarum & dignitatum etiam teneris non excipere illum à communi honore conuiuarum. Et ita sententia Caietani mihi videtur vera: quia loquitur de honoribus purè gratuitis.

Quæ Diuus Thomas dicit articulo de principibus & dominis certa sunt secundum fidem. Patet primę Petri. 2. Regem honorificate, serui subditi estote dominis non tantum bonis & modestis: sed etiam discolis. Similiter de honore seniorum id manifestum est, de quo præcipitur quarto præcepto decalogi. De diuitibus autem difficultas est, an honorandi sint propter diuitias? & Magister Soto vbi supra. conclusione. 3. distinguit de honore, & dicit quòd honor exterior qui non procedit ex peculiari æstimatione externa: bene potest absque acceptione personarum impendi diuitibus: verum tamen honor qui procedit ex interno affectu & peculiari æstimatione: non debet tribui diuitibus. Ita explicat sententiam Beati Iacobi, & vt ipse dicit temperat acerbitatem conclusionis tertiæ, quæ est Diui Thomæ. Et satis probabilis, est iste modus dicendi: probabilius tamẽ dices, si distinguas de honore cũ Diuo Tho. quodlibet. 10. arti. 12. vbi dicit, quod duplex est honor: alter debitus homini propter virtutem: alius vero qui tribuitur propter statum & conditionem publicam siue forensem. Igitur dico quod tribuere honorem respondentem virtuti propter diuitias, peccatum est acceptionis: veruntamen qui diuites honorat iuxta modum & consuetudinem reipublicę: in honorando huiusmodi homines non peccat sed vrbanus est. Quod si quæras, qualiter differat honor debitus virtuti, ab honore tribuendo propter statum seculare? Respondetur, quod multoties conueniunt, quia sæpe vtimur eisdem signis pro vtrisque: nempe detegere caput & assurgere coram eis. Veruntamen per se alia signa exhibentur & debentur viris iustis v. g. submittere capita osculare manus aut vestimenta.

Dico ergo ad argumenta, quod diues ratione diuitiarum præcisè non honoratur: veruntamen ratione status quem habet ex diuitijs & qui merito illi conceditur à republica, honorandus est non solum externe signo, verumetiam interna æstimatione.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum in iudicij locum habeat peccatum acceptionis personarum.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd in iudicijs locum non habeat peccatum acceptionis personarum. Acceptio enim personarum opponitur distributiuæ iustitiæ, vt † dictum est. Sed iudicia maximè videntur ad iustitiam commutatiuam pertinere. Ergo personarum acceptio non habet locum in iudicijs.

Art. 1. huius quæst.

2. Præterea. Pœnæ secundum aliquod iudicium infliguntur. Sed in pœnis accipiuntur personæ absque peccato: quia grauius puniuntur qui inferunt iniuriam in personas principum, quàm qui in personas aliorum. Ergo personarũ acceptio non habet locum in iudicijs.

3. Præterea. Ecclesiast. 4. dicitur. In iudicando esto pupillis misericors. Sed hoc videtur esse accipere personam pauperis. Ergo acceptio personarum in iudicijs non est peccatum.

Sed contra est, quod dicitur Prouerbiorum 18. Accipere personam in iudicio non est bonum.

Respondeo dicendum, quòd † sicut dictum est, iudicium est actus iustitiæ, prout iudex ad ęqualitatem iustitię reducit

Quæst. 60. artic. 1.

cit ea, quæ inæqualitatem oppositam facere possunt: personarum autem acceptio inæqualitatem quandam habet, inquantum attribuitur alicui aliquid præter proportionem suam, in qua consistit inæqualitas iustitiæ. Et ideo manifestum est, quòd per personarum acceptionem iudicium corrumpitur.

Ad primum ergo dicendum, quòd iudicium dupliciter potest considerari. Vno modo quantum ad ipsam rem iudicatam: & sic iudicium se habet communiter ad commutatiuam, & ad distributiuam iustitiam. Potest enim iudicio diffiniri qualiter aliquid commune sit distribuendum in multos, & qualiter alteri vnus restituat, quod ab eo accepit. Alio modo potest considerari quantum ad ipsam formam iudicij, prout scilicet iudex etiam in ipsa cõmutatiua iustitia ab vno accipit, & alteri dat: & hoc pertinet ad distributiuam iustitiam. Et secundum hoc in quolibet iudicio locum habere potest personarum acceptio.

Ad secundum dicendum, quòd cum punitur aliquis grauius propter iniuriam in maiorem personam commissam, non est personarum acceptio, quia ipsa diuersitas personæ facit, quantum ad hoc, diuersitatem rei, vt supra † dictum est.

Quæst. 58. art. 10. ad 3 & q. 61. art. 2. ad 3.

Ad tertium dicendum, quòd homo in iudicio debet pauperi subuenire quantum fieri potest: tamen sine læsione iustitiæ. Alioquin habet locum illud quod dicitur Exodi. 23. Pauperis quoque non misereberis in iudicio.

SVMMA ARTICVLI.

CONCLVSIO est affirmatiua.

COMMENTARIVS.

DVBIVM primum. Vtrum in ijs quę relinquuntur arbitrio iudicis contingat acceptio personam? Verbi gratia, relinquitur arbitrio iudicis, quod possit prorogare terminos iuris, aut illos restringere: & similiter relinquitur eius iudicio, vt in die festo sententiam ferat vel non: quærimus ergo, Vtrum iudex qui in ijs casibus intuitu personę aut qualitatis personalis prorogat terminos, sit acceptor personarum.

Pro parte negatiua arguitur. Nã ista relinquuntur arbitrio iudicis vt supponis: ergo libera sunt, ac subinde non debita nec materia iniustitię saltim contra distributiuam.

Secundò. Contingit aliquando quod sunt opiniones æquè probabiles pro vtraque parte iuris: ergo tunc iudex poterit quam maluerit partem eligere in fauorem amici absque viti acceptionis. De hoc dubio, disputant Iuristæ super regulam 12. de regulis iuris in 6. & super legem secundam. ff. de re iudicata. Soto libr. 5. de Iustitia & iure quæstione. 6. artic. 5. ad tertium. & ad quartum argumentum.

Pro resolutione huius notà, quod ea quę relinquuntur arbitrio iudicis quædam conceduntur in fauorem illius duntaxat, vt quod die festo non teneatur ferre sententiam: quędam autem in fauorem causę & ipsorum litigantium, vt iuris & terminorum prorogatio aut restrictio.

Dico ergo primo, quod in rebus prioris generis, non contingit acceptio personarum: quia istæ voluntariæ sunt omnino & iudex potest cedere suo fauori in gratiam amici.

Secundò dico, quod in rebus secundi generis cõtingit sæpe iudices acceptare personas. Probatur. Quia lex non ita relinquit arbitrio iudicis quod pro libito id faciat, sed ex rationabili causa, quæ cum multiplex possit contingere non potuit taxari à lege: sed merito relinquitur prudentiæ ipsius iudicis: ergo cum hoc facit intuitu personæ peccat acceptione personarum.

Confirmatur, quia si nulla esset lex, ipse iudex teneretur adhuc prorogare terminos vel illos restringere propter debitam causam: ergo modo supposita lege ad hoc ipsum tenetur, vt videlicet ex causa debita exerceat huiusmodi actus. Et per hoc patet ad primum argumentum.

Et aduerte, quod non tantum erit peccatum propter scandalum aut damnum illatum, sed secũdum formam contra iustitiam distributiuam.

Secundum argumentũ petit difficultatem. Vtrũ iudex teneatur sequi probabiliorem sententiam semper, aut vero possit iudicare secundum opinionem æquè vel minus probabilem: quia tamen non est huius loci breuiter respondemus, quod iudex tenetur sequi opinionem probabiliorem: nam in rebus practicis & maximè in ijs in quibus agitur de iure alieno multum interest ad veritatem iudicij illud sequi, quod pluribus placet & meliori ratione fulcitur Magister Soto vbi supra, ad quartum. asserit, quod non est ita certum quod iudex sequens opinionem æquè probabilem intuitu personæ vel amici, peccet mortaliter contra iustitiam distributiuam: & quod potest sine graui peccato nunc alteram opinionem sequi, dummodo non sit scandalum. Probabilius tamen est oppositum: quia cũ opiniones sunt æquè probabiles æquale est ius, ac subinde declinare in alteram partium propter indebitam causam peccatũ est. Debet ergo iudex in hoc casu litigantes componere meliori modo quo possit, vel diuidendo rem inter ipsos, vel si res fuerit indiuisibilis ut primogenitura, diuidere partem fructuum. De vectigalibus autem & tributis qualiter sint iusta & qualiter in illis exigendis contingat violatio iustitiæ; dictum est quæstione præcedenti.

DVBITATVR secundo. Vtrum violatio iustitiæ distributiuæ obliget ad restitutionem? Verbi gratia, si distributor prætermisit digniorem: an teneatur restituere beneficium aut tale bonum reipublicæ aut digniori.

Pro parte negatiua arguitur primo. Nam restituere est actus iustitię commutatiuę: ut patet quęst. 62. artic. 1. ergo læsio iustitiæ distributiuæ non est reparanda per restitutionem. Probatur consequentia, quia actus destruens virtutem per oppositum actum resarciri debet, vt actus intemperantiæ per temperantiam.

Confirmatur. Quia restituere est iterato aliquem statuere in re sua, sed iste dignior prætermissus nunquam possedit beneficium nec fuit illius, ergo restitutio non est respectu dignioris.

Secundò arguitur. Qui violat iustitiam legalem non tenetur restituere aliquid communitati: quia tale bonum non erat appropriatum reipublicæ, ergo nec qui violat iustitiam distributiuam tenetur restituere: quia bonum illud nunquam fuit appropriatum digniori.

Confirmatur, quia non est minor obligatio partis ad totum quam totius ad partem: sed ex obligatione partis ad totum nõ nascitur obligatio quãuis prætermittatur & destruatur ordo iste: ergo neque etiam quãdo prætermittitur ordo totius ad partes.

Tertiò arguitur. Dignior iste prætermissus non potest agere in iudicio contra possessorem dignum cui collatum est beneficium: ergo non est facta illi iniuria. Probatur consequentia, quia si iniustum pateretur posset agere in iudicio. Et confirmatur, quia si dignior habet ius ad beneficium, quod collatum est minus digno: posset redimere vexationem quam patitur per pecunias: consequens est contra communem opinionem, quę damnat illum tanquã simoniacum, ergo. Sequela patet, quoniam licet pecunijs redimere vexationem etiam in spiritualibus.

Quartò arguitur. Sequeretur quod dignus qui habet tale beneficium, iniustè possideat & teneatur illud reddere digniori. Probatur, quia ideo tenetur restituere distributor si aliqua est ratio, quia iniquè dispensauit tale beneficium: sed etiam dignus iniquè comparauit illud: ergo tenetur restituere. Minor probatur: quia non maior æquitas est ex parte dantis quam ex parte recipientis, maximè quando vterque cognoscit inæqualitatem quę fit digniori.

Quinto arguitur. Si distributor postea conferat simile beneficium digniori, satisfacit obligationi: ergo antea non tenebatur restituere beneficium collatum digno. Probatur consequentia, quia restitutio est eiusdem rei ablatæ collatio.

Sextò arguitur. Officia publica instituta sunt in bonum reipublicę per se: ergo si aliqua fit iniuria restituendum est reipublicæ, & non digniori prætermisso.

Confirmatur, quia quando ecclesiæ datur minister dignus, omnium sententia non est aliqua restitutio facienda ecclesiæ. Ergo multo minus digniori prætermisso. Probatur consequentia, quia maius & præstantius ius est quod habet ecclesia quam persona priuata.

Septimò arguitur. Oeconomus qui non adducit meliores operarios in vineam domini, non tenetur restituere ipsis operarijs nec domino: ergo à simili dispensator bonorum communium non tenetur restituere nec communitati nec digniori.

Tandem arguitur, quia sequeretur quod si plures digniores prætermitterentur, teneretur distributor singulis conferre singula beneficia: nam omnes æqualiter damnificati sunt, nec aliter videtur quomodo sit facienda restitutio.

In hoc dubio est prima sententia communiter iuniorum, quam innuit Soto in lib. 4. Iustitia. q. 6. artic. 3. ad 6. vbi dicit, quod si bona quæ distribuuntur minus digno sint per se ordinata in bonum ciuium, vt ærarium publicum: tenetur restituere dignioribus. Si autem sint bona ordinata in commodum reipublicæ, nihil tenetur restituere. Idem sequitur Couar. super regula peccatum parte. 2. §. septimo. num. 6. Nauarro in suo Manuali cap. 17. à nu. 69. vsque ad 74. Cano super articulum secundum quęstionis præcedentis. & Magister Peña in præsenti.

Secunda sententia est Adria. in 4. in materia de restitutione, quęstione de collatione beneficiorum, quod nulla est obligatio restituendi ipsis distributoribus iniquis.

Tertia sententia antiquorum est, quod violatio iustitię distributiuę obligat ad restitutionem. Ita Ricard. & Palud. in 4. distin. 15. Sylues. verb. restitutio. 3. §. 12. Caieta. supra quæst. 62. art. 1. & 2. & in sũma verb. acceptio personarum. & est expressa Diui Thomę quæstione præcedenti. artic. 1. ad tertium. & artic. 2. ad quartum.

PRO cuius decisione sit prima cõclusio. Distributor qui confert bona cuiuscumque generis sint in dignis, tenetur restituere reipublicę omnia damna quę patitur ex tali distributione. Conclusio est communis sententia Theologorum & Iuristarum. Probatur, quia iste est causa damni: ergo tenetur illud restituere. Secundò, ex iustitia commutatiua tenetur dare ministros dignos reipublicę, postquã designatus est tanquam dispẽsator bonorum reipublicę: ergo tenetur restituere damnum quod intulit.

Confirmatur, quia œconomus qui conducit operarios insufficientes in vineam domini, & similiter iudex conferens pupillo ineptum tutorem, tenetur restituere damna vero domino illata: ergo à simili in distributore. Ex hoc ipsum dicimus de indigo possessore, qui tenetur renuntiare beneficium & resarcire damna, de quo quęst. præcedenti.

Secunda cõclusio. Violare iustitiam in distribuendis bonis institutis propter bonum ciuium, obligat etiam ad restitutionem. Verbi gratia, si quis ærarium quod distribuendum erat pauperibus aut solum ciuibus huius oppidi distribuat diuitibus & alienis. Probatur, quia iste talis qui nullum habet dominium horum officiorum distribuit contra voluntatem veri domini: ergo tenetur ista bona restituere.

Et confirmatur exemplo œconomi: qui omnino contra voluntatem veri domini distribuit bona nõ sua. Præterea nam iste sua culpa damnum intulit, ergo iure tenetur satisfacere super his. Hoc quod dixi de totali distributione iniusta, dicendum est de illo qui non seruat proportionem secundum legem: vt si v.g. lex præcipiat quod diuitibus distribuantur decem, pauperibus vero viginti: distributor qui secus fecerit, tenetur restituere omnem partem quam minus contulit: secus est quando prudentię & dispensationi distributoris committitur.

Tertia conclusio. Qui impositione onerum & tributorum violat iustitiam distributiuam, tenetur restituere non solum ciuibus qui magis grauantur: sed reipublicę aut principi, qui minus accepit. Probatur, quia huiusmodi obligatio est ex iustitia non distribuere propter indebitam causam. Ita vt iniustè accipiat bona quę appropriata sunt ciuibus illis, exigens plusquam ęquum est. Insuper etiam iniquè retinet quę iustè debebantur Regi & reipublicę: ergo tenetur restituere.

Quarta conclusio. Quando distributor est stipendiatus, vt distribuat dignioribus bona publica: tenetur restituere reipublicę damna quę sequuntur ex hoc quod non habet digniorem ministrum. Probatur, quia iste obligatus est ex iustitia commutatiua & ex pacto ad rectè expendenda officia publica: ergo si non conferat dignioribus vt exigit respublica & lex præcipit: tenetur restituere omnia damna illata.

Ex quo sequitur, quod si respublica per te ipsam immediatè distribueret ista officia dignis, prætermisso digniore non teneretur ad aliquam restitutionem respectu communitatis: quia ipsa dominiũ habet absolutum istorum officiorum. Et idem probabiliter dicitur de Rege, quòd videlicet distribuẽs dignis non teneatur restituere damna reipublicę: quia respublica transtulit omnem suam autoritatem & imperium in Regem, quanuis dependenter, vt supra diximus: & ideo satis probabiliter existimãdum est, quod contulit hanc eandem autoritatem quam ipsa habebat, vt distribuens dignis non teneatur restituere damna communitati. Secus est in alijs distributoribus, qui non habent dominium officiorum.

Quinta conclusio. Distributor qui non de dominus beneficiorum aut officiorum & bonorum communium, tenetur restituere bona digniorib̃us. Conclusio præter quam quòd est D. Tho. vbi supra. Probatur, quia bona ista quanuis consequenter, ordinantur tamẽ in bonum & honorem partium: quod specialiter de beneficijs ecclesiasticis colligitur ex illos 1. ad Timo. 5. qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt: vbi per duplicem honorem iuxta communem sententiam, intelligitur honor dignitatis & commodum temporale, quod maxime patet ex sequentibus ibidem, ergo distributor qui abstulit à dignioribus quę illis debentur tenetur eadem illis restituere. Confirmatur. Quia qui impedit ius alterius quodcunque fuerit, tenetur restituere vt patet quęstione præcedẽti, ergo multo magis qui distribuit tollendo ius à digniori. Confirmatur etiã exemplo œconomi, quod in hoc dubio mirè cõfert ad probandam nostram sententiam.

Item. Nã etiam si daremus Magistro Soto quod beneficia sunt stipendia pro labore ministrorum, nihilominus adhuc qui impedit ne dignior consequatur tale stipendium, tenetur restituere illi: quemadmodum si quis impediret operarium ne conducere tur patrefamilias & ne sibi reportaret mercedem, teneretur restituere, ita in proposito.

Ad argumenta & ad primum respondetur, quòd restitutio solum respondet lęsioni iustitiæ commutatiuę quæ annexa est iniquæ distributioni. Ita colligitur ex D. Tho. vbi supra, quo fit vt si detur casus in quo purè lædatur iustitia distributiua: nulla est obligatio ad restitutionem. In distributionibus vero, vbi distributores nullum habent dominium officiorum aut beneficiorum, semper læditur iustitia commutatiua consequenter: quia vel stipendiati sunt vel ministri designati ad designanda officia vel beneficia secundùm legem vel voluntatem superioris, quæ præcipit vt dignior eligatur, aut vero quia impedit ius digniori. Ex quo sequit, quòd materia iustitiæ distributiuę, põt esse materia: commutatiuę sicut etiam materia eleemosynę, vt patet in œconomo faciente eleemosynam ex uoluntate domini.

Ad confirmationem respondetur, quòd illa diffinitio est quid nominis, & explicanda est iuxta ea quæ dicta sunt quæstione pręcedẽti, art. 1. & 2. quod videlicet restituere non solum sit statuere aliquem in possessione rei quam antea detinebat: sed etiam in possessione rei quam iustè debebat habere, & à qua iniustè impeditur.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd violator iustitiæ legalis, non lædit iustitiam commutatiuam sicut distributor iniquus: insuper etiam habet verum dominium earum rerum quæ non sunt appropriata reipublicæ: non vero distributor qui solum est dispensator alienæ voluntatis. Et per hoc patet ad confirmationem.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd digniore prætermisso non datur actioni foro contentioso ad repetendum beneficium sibi ablatum iniustè, ne sint innumerę lites & iniquę in republica. Verum tamen in foro conscientię non solum datur actio verum præcipitur, & est obligatio in iniquo distributore ad restitutionem.

Ad confirmationem respondetur, quòd cum dignior non habet nec habuit ius in re, sed tantum ius ad rem: consequenter censeretur simoniacus si offerret pecunias possidenti beneficium: quia per pretium temporale parat sibi viam ad obtinendum spirituale.

Ad quartum patet iam ex dictis quęstione precedenti, qualiter dignus non teneatur renuntiare beneficium sibi de facto collatum: quia ipse non est agens morale sed patiens, & potuit iustè pręsentare suam dignitatem absque pręiudicio tertij. Distributor autem est agens morale qui tenetur iudicare inter dignum & digniorem, & proferre sententiam in fauorem dignioris: quare peccat iste contra vtranque iustitiam: secus esset si dignus per vim & fraudem impediret digniorem, aut vero cognoscens excessum & sciens quod certis medijs deberet impedire digniorem à consequutione illius beneficij: quia tunc tenetur restituere.

Ad quintum respondetur, quòd sufficiet vt distributor conferat beneficium simile digniori, quanuis illud sit ex bonis publicis: quia compensatio ista fit sine iniuria reipublicę, imò in bonum ipsius, quia illi confertur dignior minister.

Ad sextum respondetur negando antecedens, imo omnia officia & beneficia tendunt consequenter in bonum ciuium, quanuis de quibusdam non ita constet: quemadmodum bonum totius compositi natularis non potest non cedere in bonum partium.

Ad confirmationem respondetur, quod si sequantur damna ecclesię vt moraliter contingunt ex hoc quod non eligatur dignior, est facienda restitutio damnorum ecclesię: secus vero si nulla sequantur damna de facto.

Ad septimum respondetur, quòd in tali casu nihil tenetur restituere operarijs: quia illi nullum habebant ius ad istam mercedem indiuiduam, nisi forte dominus pręciperet vt specialiter isti operarij & non alij inducerentur in vineam suam: quia tũc illis faciẽda est restitutio saltim, damni sequuti.

Ad octauum respondetur, quòd sicut in distributione vbi concurrebant illi plures digniores, satis esset eligere aliquem illorum quem maluisset distributor: ita etiam in restitutione facienda satis fuerit quòd idem vel simile beneficium conferatur alicui digniorum qui prętermissi sunt: & hoc iuxta voluntatem ipsius distributoris. Ex hęc breuiter ex parte dicta sufficiat pro hac materia.

QVAESTIO LXIIII.
De Homicidio.

DE hac materia disputant Scholastici in 4. distin. 15. Alexan. Alen. in 3. par. quęst. 34. Durandus in 1. Sent. distinct. 47. quęst. 4. & in 3. Senten. dist. 37. quęst. 1. Magister Soto lib. 5. de iustitia & iure. Summistę in verb. homicidium & Iuristę in titulis de homicidio.

POSTEA

POSTEA considerandum est de vitijs oppositis commutatiuæ iustitiæ. Et primò considerandum est de peccatis, quæ committuntur circa inuoluntarias commutationes: secundo de peccatis quę committuntur circa commutationes voluntarias. Committuntur autem peccata circa inuolũtarias commutationes per hoc, quòd aliquod nocumentum proximo infertur contra eius voluntatẽ. Quod quidem potest fieri dupliciter, scilicet facto & verbo. Facto quidem cùm proximus læditur vel in persona propria, vel in persona coniuncta, vel in proprijs rebus. De his ergo per ordinem considerandum est. Et primò de homicidio per quod maximè nocetur proximo.

Et circa hoc quæruntur octo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm occidere quæcunque viuentia sit illicitum.

1. dist. 39. q. 2. art. 1. corp & 3. cont. cap. 112. fin.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd occidere quęcunque viuentia sit illicitum. Dicit enim Apostolus ad Roman. 13. Qui ordinationi Dei resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Sed per ordinationem diuinæ prouidentiæ omnia viuentia conseruantur, secundùm illud Psalm. 146. Qui producit in montibus fœnum, & dat iumentis escam ipsorum, ergo mortificare quæcunque viuentia videtur esse illicitum.

2. Præterea. Homicidium est peccatum ex eo, quòd homo priuatur vita. Sed vita communis est omnibus animalibus & plantis: ergo eadem ratione videtur esse peccatum occidere bruta animalia & plantas.

3. Præterea. In lege diuina non determinatur specialis pœna nisi pro peccato. Sed occidenti bouem vel ouem alterius, statuitur pœna determinata in lege diuina: vt patet Exod. 22. ergo occisio brutorum animalium est peccatum.

† lib. 1. c. 20. declinando ad fin. tom. 5.

Sed contra est, quod † August. dicit in 1. de Ciuit. Dei. Cùm audimus, Non occides, non accipimus hoc dictum esse de fræneticis: quia nullus eis est sensus, nec de irrationalibus animalibus: quia nulla nobis ratione sociantur. Restat ergo vt intelligamus de homine quod dictũ est, Non occides.

Respondeo dicendum, quòd nullus peccat ex hoc, quòd vtitur re aliqua ad hoc, ad quod est. In rerum autem ordine imperfectiora sunt propter perfectiora: sicut etiam in generationis via, natura ab imperfectis ad perfecta procedit. Et inde est, quòd sicut in generatione hominis prius est viuum, deinde animal, vltimò autem homo: ita etiam ea quæ tantum viuunt, vt plantæ, sunt communiter propter animalia, omnia autem animalia sunt propter hominem. Et ideo si homo vtatur plantis ad vtilitatem animalium, & animalibus ad vtilitatem hominum, non est illicitum, vt etiam patet per † Philosophum in 1. Politicor. Inter alios autem vsus maximè necessarius esse videtur, vt animalia plantis vtantur in cibum, & homines animalibus, quod sine mortificatione eorum fieri non potest. Et ideo licitum est & plantas mortificare in vsum animalium, & animalia in vsus hominum ex ipsa ordinatione diuina. Dicitur enim Genes. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ. Et Gen. 9. dicitur: Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.

Lib. 1. c. 5. à med. & ca. 7. to. 5.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex ordinatione diuina conseruatur vita animalium & plantarum, non propter seipsa, sed propter hominem. Vnde, vt † August. dicit in 1. de Ciuit. Dei. Iustissima ordinatione creatoris & vita & mors eorum, nostris vsibus subditur.

Lib. 1. ca. 22. in fin. tom. 5.

Ad secundum dicendum, quòd animalia bruta & plantę non habent vitam rationalem, per quam à seipsis agantur, sed semper aguntur quasi ab alio, naturali quodam impulsu. Et hoc est signum, q̃ sunt naturaliter serua, & aliorum vsibus accommodata.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui occidit bouem alterius, peccat quidem: non quia occidit bouem, sed quia damnificat hominem in re sua. Vnde non continetur sub peccato homicidij, sed sub peccato furti vel rapinæ.

SVMMA ARTICVLI.

Conclusio est vnica. Licitum est plantas mortificare in vsum animalium & ipsa animalia in vsum hominum.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR primò breuiter de veritate conclusionis. Et arguitur primò contra illam. Præceptum Decalogi vniuersaliter positum est: non occides, ergo nulla occisio est licita.

Arguitur secundò ex D. August. super Psal. 102. & refertur 36.dist.c.qui venatoribus. ubi negat venationem licitam esse, ergo saltem non erit licitum occidere feras sylvestres.

Propter primum argumentum, Manichæi negabant esse licitum interficere bruta, plantas euelere & mortificare. Et aiebant, statum agricolarum peiorem esse quam vacantium vsuris. In quo errore fuit August. per nouem annos, vt ipse deplorat lib. 3.confess.cap.3. refert etiam D.Tho. in 1.Sent. dist. 39.q.2.art.2. suo tempore fuisse hæreticos, qui dicerent peccatum esse, bruta occidere propter primũ argumentum, scilicet, quia diuina prouidentia conseruat illa. Nihilominus conclusio D.Tho. certissima est non solum lumine naturali: sed etiam lumine fidei, ut patet ex testimonijs citatis in fine articuli. Et confirmatur, quia Gen.1. dictum est homini vt dominaretur bestijs terræ & piscibus maris & volatilibus cœli: si autem non esset licitum horum occidere aliquod non magis dominaretur illis quam stellis cœli: ergo item in Psal.8. dicitur, omnia subiecisti sub pedibus eius, qui locus secundum literę cortiçem intelligitur de ipso Adamo. Sed hoc dominiũ nihil est aliud quã facultas vtendi rebus istis in proprium vsum, qui non potest esse sine mortificatione viuentium. Ergo &c. Contra istum errorem scripsit postea D.Aug. li.6. contra Faustum Manichęũ, & lib.2. de moribus Manichęorum, cap 15. & 14. in lib. de hęresibus ad Quoduultdeum, hęres.46. & lib. 1. de ciuit. Dei. c.20.

Denique probatur conclusio ratione naturali præter illam quę est in articulo. quoniam venatio licita est iure naturæ, ut docet Arist. 1. Polit. ca. 5. & D.Thom in 1.par.q.96.artic.1. & lib.2. de regimine principum. c.6. ergo licitum est saltem occidere feras & animalia sylvestria. Et confirmatur. Quia iure naturæ agricultura concessa est hominibus, ut patet ex consensu omnium nationum ubi necesse est vt sæpe auferatur uita plantæ, alioquin homo non poterat vitam propriam substentare.

Ad primum argumentum respondetur ex D.August. in vltimo loco citato, quod illud pręceptum intelligendum est de hominis occisione, vt explicabitur art.2.

Ad secundum respondetur, quòd D. Aug. quando damnat venationem, nõ damnat illam eo quod feræ occidantur: sed quia est otiosa uel pernitiosa vel periculosa ipsis hominibus. Quod si venatores propriæ vitę caueãt, licita est uenatio ferarum quę vulgo dicitur, *monteria*. Imo etiam huiusmodi pugna cum bestijs feris si fiat cum sufficienti cautela, licita est & vtilis reipublicæ. v. g. quando in plateis publicis equites pugnant cum tauro, hoc enim vtile est reipublicę: ut nobiles animosiores euadant ad defensionem reipublicæ. Cæterum aduertendum est, quòd ipsis clericis interdicitur huiusmodi venatio vel similis pugna cum bestijs propter decentiam sui status. De qua re videatur ca. episcoporum. de clerico venatore. & ca. primum. ne cler. uel monach. & c. quorundam. 24. distin. Verum est tamen vt docet Caiet. in uerb. clericorum peccatum, & Sylvest. in verb. venatio. quod si absit temeritas & contemptus statos ecclesiastici non erit peccatum mortale si clericus vadat aliquando ad venandum, quinimo si hoc raro fiat & animi recreandi gratia, nullum videtur esse peccatum huiusmodi venatio. Intelligimus autem semper in huiusmodi exercitio quod nullum sit periculũ vitæ, & propterea in Concil. Trid. Sess. 24. de reformatione. ca. 12. præcipitur clericis ut abstineant ab illicitis venationibus: ubi plane insinuatur quod sint aliquę venationes clericis licitę.

DVBITATVR secundo circa eandem conclusionem; An esus carnium fuerit licitus, & in vsu ante diluuium.

Arguitur primo pro parte negatiua. Quoniam Genes. c.1. concessit Dominus hominibus in cibum plantas, nulla facta mentione animalium, ut deseruirent in cibum hominibus: at vero postea post diluuium Genes. c.9. dixit Dominus Noe, omne quod mouetur & viuit erit vobis in cibum quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Hinc sumitur argumentum. Igitur signum certum videtur quod homines ante diluuium non vescebantur carnibus, sed oleribus & fructibus arborum: & propterea dixit Deus, quasi olera virentia dedi vobis omnia: ac si diceret, sicut hactenus pasti estis huiusmodi; poteritis deinceps comedere carnes animalium.

Arguitur secundò. Non est verosimile quod si homines ante diluuium vescerentur carnibus, comederent eas crudas more ferarum: sed cum Dominus Gen.9. tradidit eis potestatem vescendi carnibus, pręcipit modum comedendi, scilicet, excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis: ergo ante diluuium non comedebant carnes, alias scirẽt profecto quomodo essent comedendæ.

Arguitur tertio ex testimonio D. Thom. 1. 2. q. 102. artic.6. ad secundum, vbi ait, quod post diluuiũ introductus videtur esus carnium. Et ad Roma. 14. lect. 1. dicit, quòd esus carnium primo cõcessus fuit Noe post diluuium.

Denique arguitur. Nam Dominus ante diluuiũ constituit hominem in quadam vitę simplicitate: sed carnes comedere, videtur pertinere potius ad curiositatem & vitę delitias, vesci autem plantis & fructibus terrę pertinet ad vitæ simplicitatem, ergo ante diluuium non fuit esus carnium.

De hoc dubio sunt variæ opiniones. Quidam negant licitum fuisse carnes comedere ante diluuium. Ita tenet Abulen. Gen. 1. q. 36. & Gen. 9. q. 1. vbi citat in suam sententiam Boetium in lib. 2. de consolatione, metro. 5. Hanc sequitur Lyran. super vtrũque locum Genes. Alij vero aiunt fuisse quidem licitum ante diluuium carnes comedere: quia nulla lege prohibebatur, sed non erat in vsu. Alij dicunt, fuisse licitum & in vsu. Hanc sequitur Magist. Victoria in relectione de temperantia. hanc tenet Magist. Soto lib. 5. de Iustit. q. 1. art. 1.

PRO decisione ueritatis sit prima conclusio. Proculdubio licitus fuit esus carnium ante diluuium. Hæc videtur esse D.Tho. 1.2.q.103.artic.1.ad 4. vbi ait, quòd distinctio animalium mundorum & immundorum fuit ante legem scriptam, quantum ad sacrificiorum oblationem, non tamen quantum ad esum, siquidem animalium esus nulla lege erat prohibitus.

Deinde probatur ratione. Quoniam ratio artic. D.Tho.probat, quod licitum est homini iure naturæ carnes comedere: sed ante diluuium nulla fuit lex quę prohiberet esum carnium, ergo licitum erit. Probatur minor. Quia nullibi reperitur tale præceptum positiuum: eo vel maxime quod status legis naturæ contentu erat naturalibus præceptis, excepto quod semper fuerunt præcepta fidei, spei, charitatis: hæc enim præcepta non excludũtur à Theologis cum dicũt, quòd in statu legis naturæ tantum erant præcepta naturalia. Et ratio est. Quoniam præcepta virtutum Theologicarum sunt intrinseca homini in ordine ad finem supernaturalem: vnde quodammodo dici possunt connaturalia respectu finis supernaturalis.

Secunda conclusio. De facto ante diluuium fuit esus carnium. Probatur. Quoniam ante diluuium erant sacerdotes offerentes sacrificia, immolantes agnos & alia animalia, vt patet ex hostia quam obtulit Abel ex primogenitis ouium: sed sacrificium Deo gratum debet offerri ex illis rebus quæ apud homines in pretio aliquo habentur: at vero si carnes animalium nullus pretij erant apud homines, non esset Deo sacrificium gratum, ergo licitus erat huius esus carnium. Et cõfirmatur. Quoniam apud omnes nationes fuit receptum, vt alia pars sacrificij cederet in vsum sacerdotum: at vero si sacerdotes non comedebant carnes, nullius vsus erat apud illos sacrificium mactati animalis, ergo. Confirmatur secundò. Quoniam pluris æstimabatur & magis gratum erat Deo sacrificium depinguioribus animalibus, quam de macilentis, vt patet in hostia quã obtulit Abel: at vero si non erant maioris vtilitatis apud homines agnus pinguis quam macilentus, nulla esset ratio quare esset magis gratum pingue quàm macilentum sacrificium Deo: ergo.

Denique. Post peccatum concupiscientia erat inordinata: igitur non est credendum quod homines compescerent appetitum comedendi carnes, esset enim maximam abstinentia in ipso vulgo: quinimo est maxime credibile quod propter nimiam comestionem carnium fuerunt ante diluuium homines valde luxuriosi. Propter quod dicitur in Scriptura, quod omnis caro corruperat viam suam super terram, & propterea venit diluuium super terram.

Tertia conclusio. In statu innocentiæ ante peccatum, valde probabile est quod homines non vescerentur carnibus. Ita tenet M. Soto vbi sup. Et ratio est. Quia tunc nulla esset necessitas comedendi carnes, & homines fuissent tunc vsque adeo recti, vt non comederent quidquam absque necessitate: eo vel maxime quod fructus terræ essent optimi & maxime delectabiles ad vescendum. Sed in oppositum potest esse obiectio, quod ante peccatum dictũ est homini: dominamini piscib. maris volatilib. cęli, &c. At vero si homines in illo statu non erant comesturi animalia, non possent detur nihilominus dominium, ergo. Respondetur nihilominus ad hãc obiectionẽ, quod dominiũ illud decebat hominem, nõ quidẽ quia oportet illud exercere circa omnia animalia quantũ ad comestionẽ nõ enim comesturus erat serpentes: sed dominiũ illud exerceri poterat quãtũ ad aliquẽ vsũ aliquorũ animaliũ. Et enim si homines perseuerassent in illo statu naturæ integræ oporteret equitare ad iter longum faciendum: quanuis enim homines non erãt morituri tamẽ nõ haberent corpora gloriosa donec fierent beati, quin potius ipsa corpora erant passibilia quanuis non paterentur incommoditates aliquas propter certũ regimen prudentiæ & conditionem illius status. Si enim homo se ad ignem applicaret comboureretur, sed tamẽ prouidentia illius status tanta futura erat, vt nunquam homo offenderet ad lapidem pedem suum. Respondetur secundò. Quod fortassis illud plenum dominium quod datum est homini dum esset in natura integra: respiciebat etiam futurum statum naturæ lapsæ.

His non obstantibus sit vltima conclusio. Non earet probabilitate, qd si homines perseuerarent in statu naturæ integræ aliquotiens carnes comederent, & quanuis non erant necessariæ ad vitæ sustentationem: poterant tamen esse vtilis illa comestio & prudenter fieri, tum ad perfectionem potentiæ gustus humani & phantasiæ per quam acquireretur scientia experimentalis rerum gustabilium: tum etiam vt laudaretur creator in operibus suis, noua quadam rationem experientiæ delectationis sensibilium, quæ acciperetur secundum legem prudentiæ.

AD argumenta in oppositum facile est respondere. Ad primum respondetur, quòd ante diluuium, fuit quidem potestas homini concessa vt carnibus vesceretur: sed tamen post diluuium iam erat necessitas, & idcirco declarata est Gen.9. Est autem duplex hæc necessitas: tum quia terra nõ erat iã tã frugifera ad gignenda ea quæ de terra nascuntur: tum etiam quia homines post diluuium iam erat debilioris naturæ quam antea, & idcirco cœpit tunc frequentior vsus carnium: ac propterea etiam creditur quod ex tunc vsus vini cœpit.

Ad secundum respondetur fuisse decens vt quando declarabatur hominibus necessitas vescendi carnibus: simul explicaretur modus naturalis & conueniens homini comedendi carnes, scilicet vt comederentur assæ, vel coctæ, vel frixæ & non crudæ more ferarum: sicut fortassis comedebant multi homines ante diluuium.

Ad testimonia D. Tho. rndetur ad primũ. Quod loquutus est sub dubio. Deinde rndetur, quòd cum inquit introductum esse morem illum loquitur de introductione ex declaratione positiua ipsius Dei manifestantis necesitatẽ comedendi carnes deinceps: non quia antea non comedissent illas, aut non esset licitum iure naturæ comedere. Similiter dicimus, quod in secundo testimonio D. Tho. concessũ idem valet quod declaratum: non quia antea fuisset illicitum. Ad Boetium vero dicimus, quòd fortassis fuit illius sententiæ.

Ad vltimam vero rationem respondetur, quòd est topicum argumentum & quasi rhetoricum, & solum probat quod ante dilluuium non declarauerat dominus institutione positiua licitum esse comedere carnes.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sit licitum occidere peccatores.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd non sit licitum occidere homines peccatores. Dominus enim Matth. 13. in parabola prohibit extirpare zizaniã, qui sunt filijs nequam, vt ibidem dicitur: Sed omne quod est prohibitum à Deo, est peccatum. Ergo occidere peccatorem, est pecca-

Inf. quæst. 108. ar. 1. & 3. Et 1. 2. q 100. ar. 9. ad 3. Et 3. cont. c. 140. Et Rom. 12. lect. 3 cor. 4. fin.

peccatum.

2.Præterea. Iustitia humana conformatur iustitiæ diuinæ. Sed secundùm diuinam iustitiam peccatores ad pœnitentiam reseruantur: secundum illud Ezech. 18.Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ergo videtur omnino esse iniustum, quòd peccatores occidantur.

3.Præterea. Illud quod est secundùm se malum,nullo bono fine fieri licet: vt patet per † August. in lib. contra mendacium, & per † Philosophum in 2. Ethic. Sed occidere hominem,secundum se malum est:quia ad omnes homines tenemur charitatem habere. Amicos autem volumus viuere & esse: vt dicitur in 9. † Ethic. Ergo nullo modo licet hominem peccatorem occidere

Cap.7. patum ante medium, to.4.
Li. 2. Eth. c. 6. parũ ante finẽ, tom 4.

Sed contra est quod dicitur Exodi.22. Maleficos non patieris viuere. Et in Psal. 100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.

Lib. 9.c.4. to.5.

Respondeo dicendum,quòd sicut † dictum est, licitum est occidere animalia bruta,inquantum ordinantur naturaliter ad hominum vsum,sicut imperfectum ordinatur ad perfectum.Omnis autem pars ordiuatur ad totum, vt imperfectum ad perfectum. Et ideo omnis pars naturaliter est propter totum. Et propter hoc videmus, quòd si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicuius membri, puta cùm est putridum vel corruptiuum aliorum membrorum,laudabiliter & salubriter abscinditur. Quælibet autem persona singularis comparatur ad totam cõmunitatem sicut pars ad totum: & ideo si aliquis homo sit periculosus communitati & corruptiuus ipsius propter aliquod peccatum,laudabiliter & salubriter occidit ur,vt bonum commune conseruetur. Modicum enim fermentum totam massam corrumpit,vt dicitur 1.ad Corinthios.5.

Art præc.

Ad primum ergo dicendum,quòd Dominus abstinendum mandauit ab eradicatione zizaniorum,vt tritico parceretur,id est,bonis.Quod quidem fit, quando non possunt occidi mali,quin simul occidãtur & boni, vel quia latent inter bonos, vel quia habent multos sequaces: ita quòd si ne bonorum periculo interfici non possunt, vt August. † dicit contra Parmenianum. Vnde Dominus docet magis esse sinendum malos viuere, & vltionem reseruandam vsque ad extermum iudicium, quàm quòd boni simul occidantur.Quando verò ex occisione malorum non imminet periculum bonis, sed magis tutela & salus, tunc licitè possunt mali occidi.

Lib.5.c.2. à med. to. mo.7.

Ad secundùm dicendum, quòd Deus secundùm ordinem suæ sapientiæ quandoque statim peccatores occidit ad liberationem bonorum, quandoque autem eis pœnitendi tempus concedit, secundum quod ipse nouit suis electis expedire. Et hoc etiam humana iustitia imitatur pro posse. Illos enim qui sũt perniciosi in alios,occidit:eos verò, qui peccant, alijs grauiter non nocentes, ad pœnitentiam reseruat.

Ad tertiam dicendum, quòd homo peccando, ab ordine rationis recedit. Et ideo decidit à dignitate humana, prout scilicet homo est naturaliter liber & propter seipsum existens: & incidit quodammodo in seruitutem bestiarum: vt scilicet de ipso ordinetur,secundum quod est vtile alijs, secundùm illud Psalm. 48. Homo cùm in honore esse,non intellexit:comparatus est iumentis insipientibus,& similis factus est illis. Et Prou. 11. dr: Qui stultus est,seruiet sapiẽti.Et ideo quanuis hominem in sua dignitate manentem occidere sit secundùm se malum, tamen hominem peccatorem occidere, potest esse bonum, sicut occidere bestiam.Peior enim malus homo quàm bestiam,& plus nocet,vt Philosophus dicit in 1. Polit. † & in 7. Ethic.

Conclusio est affirmatiua.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR primò in hoc articulo ueritate huius conclusionis & de bonitate rationis illius?

Arguitur primò contra rationem conclusionis, Sequitur ex illa, quod sit licitum occidere innocentem quando expedierit ad bonum communitatis.Probatur sequela. Quia sicut ipsa manus est pars corporis, ita innocens est pars ipsius reipublicæ, ergo sicut licitum est abscindere manum, quia ordinatur ad bonum totius:ita etiam licitum erit occidere innocentem,quia ordinatur ad bonum ipsius reipublicæ.

Confirmatur. Quia propter salutem totius corporis licitum est abscindere manum, non solum infirmam sed etiam si sit sana: ergo similiter etiam si homo sit innocens,licitum erit illum occidere si talis occisio cedit in salutem reipublicæ.

Arguitur secundò & confirmatur. Sequitur ex eadem

eadem ratione, quod licitum erit occcidere hominem infectum peste ne alios inficiat, quia est pars communitatis.

Arguitur tertiò contra ipsam conclusionem.Præceptum Decalogi, Non occides,intelligitur,de occisione hominis, nisi excipiamus inde tantum illos quos Deus, vel data lege vel expresse reuelatione iusserit interficit:sed plurimi sunt quos non attingit ista exceptio: ergo non erit licitum illos occidere. Magior est expressa doctrina Augustini lib.1.de Ciuit.c.20.& 21.Minor etiam patet.

Arguitur quartò. Si aliquam moderationem debemus ponere illi præcepto, Non occides erit altera de duabus. Prima quidem quod intelligatur de hominem innocentes. Sed contra hoc est, quod isto modo non liceret occidere innocentem probatum tñ nocentem. Tum ẽt quia occidens priuata autoritate nocentẽ, peccat contra præceptum istud: imo & ipse iudex peccat contra hoc præceptum, si prætermisso ordine iuris occidit peccatorem. Altera moderatio solet esse,scilicet,Non occides autoritate priuata,sed hæc etiam moderatio reselitur, quia neque ipsi reipublicæ licitum est autoritate publica interficere innocentem.

In hoc dubio sunt variæ sententiæ in modo explicandi quintum illud præceptum, Non occides, Scotus enim in 4.dist.15.q.3.asserit, vsque adeo vniuersaliter intelligendum esse præceptum,vt non liceat magistratibus publicis interficere reos, quantumlibet sint nociui reipublicæ: nisi tantum illos quos Deus speciali reuelatione, vel lege iusserit interfici Vnde colligit licitum esse interficere nocturnos fueres: quia hoc Deus præcepit in lege veteri: diurnos autem non licet interficere. Colligit etiam adulteras non esse licitum interficere: quia quanuis olim iusserit dominus in lege, adulteras lapidare: tamen Ioan. 8. cap. abrogauit Christus Dominus legem illam,cum liberauit adulteram cui dixit, nemo te condemnauit,neq; ego te condemnabo. Alij modi dicendi insinuati sunt in 4.argum.quos etiam refert Durandus in 4.dist.47.q.4. & ille sequitur secundum illam moderationem. D.Tho.etiam annumerat alios modus dicendi in opusc.4. in explicatione quinti præcepti.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio.Sẽtentia Scoti est temeraria & erronea in fide.Probatur.Quia secundùm fidem catholicam,potestas publica habet facultatẽ occidendi & mutilandi,etiam si sit respublica gentilium, quibus nulla data est lex diuina neque vlla facta reuelatio de occisione peccatorum,ergo. Hæc sententia Scoti erronea est. Probo antecedens, quoniam ad Rom.13.loquens Apostolus de magistratib. publicis sui temporis inquit,Vis non timere potestatẽ,bonum fac.Si autem non feceris,time:non enim sine causa gladium portat.Ac si dicere, potestatem habet mutilandi & occidendi gladio.

Secundo probatur. Secundùm fidem licitum est hæreticos occidere & igne cremare, vt satis ostenditur supra.q.11.art.3. & 4.de pœnis hæreticorum: at vero Deus non tulit aliquam legem de comburẽdis hæreticis neque specialem reuelationem fecit: ergo male dicit Scotus requiri aliquam reuelationẽ vel vt lege sit præcepta huiusmodi occisio. Tertiò sequeretur ex opposita sententia, quod modo in lege noua nullum prorsus malefactorem licitum esset occidere. Probatur sequela: quia iam cessauerunt omnino legalia quantum ad iudicialia & cæremonialia præcepta, & in lege noua nulla data est lex positiua de occidendis huiusmodi malefactoribus: ergo nullum licitum est occidere. Præterea ratio quam Diuus Thomas facit in articulo procedit ex lumine naturali: ergo lex ista naturalis nulla lege positiua abroganda est cum ipse Deus sit autor naturæ.

Ex quo sequitur, quod si secundum Scotum iure naturæ non esset licitum occidere malefactores quantumlibet Reipublicæ nocius: quod Deus lege sua positiua non perfecerit, sed potius debilitaret legem naturalem.

Quartò probatur,ex vsu communi omnium nationum:semper enim lumine naturali ducti legislatores,speciales leges tulerunt de plectendis capitali pœna aliquibus malefactoribus, quod etiam patet ex sentẽtia Philosophorum,qualis etiam fuit Lycurgus & Solon & alij senatores. Et denique summi Pontifices sepe puniunt malefactores pœna capitis, & in Concilio Constantiensi iussu concilii,est cõbustus Hieronymus de Parga hæreticus. Sunt etiã plurima testimonia Sanctorum,testimonia & pontificum,quæ habẽtur apud Gratianum.23.quæstione.4.& in titulis, de homicidio in toto iure Canonico & ciuili,specialiter in l.capitalium.ff.de pœnis.

Secunda conclusio.Optima explicatio quinti precepti est, quod intelligetur non occides hominem iniustè.Declaratur ista conclusio.Pro quo notandũ est, quod hominis occisio & homicidium differunt inter se ex vsu loquendi Philosophorum & Theologorum: quod hominis occisio quanuis sit de genere male sonantium & habeat speciem mali: tamen non ita intrinsecè malum est, vt non possit honestari aliqua circunstantia. Verbi gratia,si sit malefactor nociuus reipublicæ & occidatur autoritate reipublicæ. At vero homicidium,est actio intrinsecè mala quæ nullo modo potest honestari,& ita dixit Diuus Thomas 1.2.quæstione 100.articulo.8. ad tertium. quod id quod prohibetur illo præcepto non occides,habet rationem indebiti quod nos dicimus iniusti.Et ita docet Diuus Augustinus libro. 1.de libero arbitrio. capit.4. vnde scolastici acceperunt prædictam distinctionem. Probatur modo cõclusio. Primo,quia quintum præceptum est præceptum naturale: sed ius naturale solum prohibetur ea quæ sunt cõtra rationem:ergo materia siue obiectum illius præcepti includit intrinsecè rationem indebiti contra rationem naturalem, & propterea non fuit necessarium, quod in ipso præcepto exprimeretur non occidas indebite,cõstabat enim quod talis intelligẽtia includebatur in illis verbis non occides. Quemadmodum Philosophi in diffinitionibus rerum non multiplicant verba,sed contenti sũt genere & differentia: postea vero explicantes diffinitionem,ostendunt quomodo multa alia includebantur in illa:ita etiam debent esse leges breues & compendiosæ, postea vero explicantur à viris Iurisperitis.

Sed obijcit Durandus vbi supra. Quia pari ratione diceremus esse prohibitum ire in campum scilicet indebite. Respondetur tamen,non esse eandem rationem:& differentia est, quod ire in campum si referatur ad mores hominum, est aliquid indifferens secundum se & absolutè consideratum,at vero occisio hominis voluntaria secundum se & absolutè considerata,est de genere malorum,vnde oportet quod excusetur aliqua circũstantia, scilicet quia homo est perniciosus & nociuus communitati & occiditur ab habente autoritatem: vnde sufficit qd, in ipso præcepto absolutè dicatur non occides.

Ad argumenta in oppositum respondetur.Ad primum nego sequelam. Neque enim est eadem ratio de

de manu & de homine innocente, sed differentia maxima est, quia manus naturaliter non est propter se ipsam sed propter totum: at vero homo ex natura sua est aliquod totum immediatè ordinabile ad finem beatitudinis: si autem habet rationem partis, hoc est secundum conuersationem & communem conuictum politicũ, quapropter quandiu homo nõ defuit in communi hac conuersatione & politica: non potest respublica illum directè vita priuare, etiam si ex morte illius sequatur salus totius reipublicæ. Et hinc est quod quanuis manum sanam & integram possimus præscindere pro salute corporis, non tamen occidere innocentem pro salute reipublicæ. Et per hoc patet ad confirmationem & ad secundum argumentum. Dicimus enim, quod nulla ratione infirmum peste infectum, potest respublica occidere ne inficiat alios: eo quod non incurrit aliquam culpam propter infirmitatem: ipse tamen tenetur se ipsum ab alijs separare quantum poterit ex caritate & ex iustitia, quod si non fecerit poterit respublica illum occidere in pœnam peccati: imo quiuis alius titulo defensionis, poterit illum occidere si certus est mortaliter, quod peste inficietur ab illo.

Ad tertium argumentum respondetur, quod Diuus Augustinus sepæ vocat leges Dei, quibus licitũ est reos nocentes occidere, non quia oporteat quod sint leges diuinæ positiuæ: sed sufficit aliquando lex ipsa naturalis, aliquando vero superadditur lex humana quæ deriuatur ex lege naturali tanquam illi consonans & conueniens. Et ita dicit Diuus Augustinus ibidem, quod personam gerentes publicæ potestatis secundum eius leges, hoc est iustissimæ rationis imperium sceleratos morte puniunt, non faciunt contra præceptum, non occides. Verum est tamen quod Diuus Augustinus aliquando non est multum solicitus de proprietate vocabuli, & appellat exceptiones illius præcepti quæ proprius dicerentur explicationes.

Ad quartum argumentum respondetur, non esse legitimas illas explicationes nisi quatenus reducitur ad nostram secundam conclusionem. Cæterum ad rationes Scoti respondetur, q̃ legalia iã omnino cessauerunt, nunc autem in lege gratiæ quantum ad hoc quod est occidere vel non occidere hominẽ, lege naturali gubernamur vel lege humana positiua: neq; illud quòd dominus dixit Ioan. 8. Non fuit abrogatio legis veritatis, quæ adulteras præcipiebat lapidare neque prohibito ne de cætero occideretur: solum fuit manifestatio mansuetudinis Christi.

ARTICVLVS III.

Vtrùm occidere hominem peccatorem liceat priuatæ personæ.

Infra q. 65. a. 1. cor. & ad 2. Et. d. 27. q. 2. artic. 1.

AD Tertium sic proceditur. Videtur quòd occidere hominem peccatorem liceat priuatæ personæ. In lege enim diuina nihil illicitum mandatur. Sed Exodi 32. præcepit Moyses: Occidat vnusquisque fratrem suum & amicum, & proximum suum, pro peccato vituli conflatilis. Ergo etiam priuatis personis licet peccatorem occidere.

A 2. Præterea. Homo propter peccatũ cõparatur bestijs, vt dictum † est. Sed occidere bestiam sylueſtrem maximè nocentẽ, cuilibet priuatæ personæ licet. Ergo & pari ratione occidere hominem peccatorẽ. Arist. præcedenti.

3. Præterea. Laudabile, est q̃ homo ẽt si sit priuata persona, operetur quod est vtile bonum communi: Sed occisio malefactorum est vtilis bono cõmuni, vt dictum † est. Ergo laudabile est si etiam priuatæ personæ malefactores occidant. Arist. præcedenti.

B Sed contra est, quod August. dicit in primo † de ciuit. Dei, Qui sine aliqua publica administratione maleficium occiderit, velunt homicidia iudicabitur: & tanto amplius, quanto sibi potestatem à Deo non concessam vsurpare non timuit. Lib. 1. ca. 20. in mo dis: & ca. 21. in fine tom. 1.

Respondeo dicendum, quòd sicut dictum † est, occidere malefactorem licitum est, inquantum ordinatur ad salutem totius communitatis. Et ideo ad illum solũ pertinet, cui committitur cura communi Arist. præcedenti.

C tatis conseruandæ. Sicut ad medicum pertinet præcidere membrũ putridum, quando ei commissa fuerit cura salutis totius corporis. Cura autem communis boni cõmissa est principibus habentibus publicã autoritatem. Et ideo eis solum licet malefactores occidere, non autem priuatis personis.

Ad primum ergo dicendum, quòd ille aliquid facit, cuius autoritate fit, vt patet D per Diony. † 12. cap. cælestis hierar. Et ideo vt August. † dicit in 1. de ciuit. Dei, non ipse occidit qui ministeriũ dẽt iubenti, sed sicut adminiculum gladius est vtẽti. Vnde illi qui occiderunt proximos & amicos ex mandato Domini: non hoc fecisse ipsi videntur: sed potiùs ille, cuius autoritate fecerunt. Sicut & miles interficit hostem autoritate principis, & minister latronem autoritate iudicis. Ex cap. 4. Lib. de ciuit. cap. 21. prin. ad 3.

E Ad secundum dicendum, quòd bestia naturaliter est distincta ab homine. Vnde super hoc non requiritur aliquod iudicium, an sit occidenda, si sit sylueſtris: si verò sit domestica, requireretur iudicium non propter ipsam, sed propter damnum domini. Sed homo peccator non est naturaliter distinctus ab hominibus iustis. Et ideo indiget iudicio publico, vt discernatur an sit occidendus propter salutem communem.

Ad

Ad tertiũ dicẽdũ, quòd facere aliquid ad vtilitatem communem quod nulli nocet, hoc est licitum cuilibet priuatę personæ: sed si sit cum nocumento alterius, hoc non debet fieri nisi secundum iudicium eius ad quem pertinet æstimare quid sit subtrahẽdum partibus pro salute totius.

SVMMA ARTICVLI.

CONCLVSIO est, solum licet malefactores occidere, habenti publicam autoritatem.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR primo. Circa conclusionem Diui Thomæ, & arguitur contra illam. Iudicum cap. 3. Laudatur Aioth. quod occiderit Eglon. Similiter in historijs gentium laudatur Brutus qui interfecto tyranno Romam liberauit.

Secundò arguitur, quia lex diuina Numer. 35. concessit facultatem propinquis interfecti, vt occiderent homicidam, vbicunque inuenirent absque tribunali & iudicio publico.

Pro solutione huius dubijs notandum est, quod dupliciter potest esse aliquis tyrannus. Vno modo in dominatu absque iure dominii qui per vim & arma occupat rempublicam: alio modo est aliquis tyrannus in ipso regimine, quatenus tyrannicè gubernat cum aliàs sit legitimus princeps: nihilominus omnia iura & commoda reipublicæ refert ad suam vtilitatem sicut facit Turca in regno suo.

Sit igitur prima conclusio. Cuicunque priuatæ personæ licitum est interficere tyrannum primi generis, non autem secundi generis. Probatur prima pars. Respublica gerit bellum perpetuum cum tali tyranno: ergo quilibet ciuis tanquam miles ipsius reipublicæ poterit huiusmodi tyrannum interficere.

Quod si quis dicat, non esse actuale bellum neque semper exercentur bellica arma, ergo non quilibet ciues mille est vt illũ interficiat in bello iusto. Respondetur, quòd tyrannus actualiter opprimit rempublicam, vnde quælibet pars reipublicæ quandiu non discendit tyrannus: potest illum interficere. Vnde dico quod non solum vt miles & minister reipublicæ, sed etiam vt persona priuata potest in tali casu interficere tyrannum, & ipse opprimitur cum aliis: quia tunc titulo propriæ defensionis potest interficere inuasorem præsertim quando talis occisio non nocet reipublicæ neque vsurpat autoritatem reipublicæ, quin potius prodest reipublicæ & adimplet eius voluntatem. Imo etiam adiicimus, quod quilibet alius etiam si non esset pars illius reipublicæ neque opprimeretur à tyranno, licite potest titulo defensionis innocentium, interficere tyrannum primi generis, quapropter merito laudantur illi viri in locis citatis argumento, quia occiderunt tyrannos qui bellum gerebant iniquum contra rempublicam. Secunda vero pars conclusionis probatur ex Conci. Constantiensi sess. 15. Vbi refertur tanquam error contra fidem, quod sit licitum priuatæ personæ interficere tyrannum secundi generis. Item probatur ratione: quoniam ille tyrannus habet legitimum ius ad regnum: ergo non potest expoliari tali iure antequam eius causa publica

A autoritate discernatur & iudicetur.

Sed quæret aliquis, quid nam erit licitum reipublicæ agere quando tyrannicè opprimitur à legitimo rege? Respondetur, quod respublica potest & debet recurrere ad superiorem principem, v.g. ad Pontificem vel imperatorem, vt corrigant & detineant talem principem tyrannicè gubernantem: at vero si hoc remedium non fuerit possibile vel non fuerit efficax, vel fuerit periculum in mora: potestas ẽ in illa republica ad iudicandũ de illo principe. Quod si ille admonitus noluerit corrigi, potest illum à regno eijcere & occidere si opus fuerit. Ratio huius est euidens, quia iure naturæ rex ordinatur da bonum communitatis & non ẽcontra, eo

B vel maximè quod respublica Regi contulit autoritatem ad bonam gubernationem ipsius reipublicæ: ergo in casu quo Rex tyrannicè gubernet, potestas erit in republica ad deponendum principem, vel etiam ad occidendum pro defensione ipsius reipublicæ. Hoc quod diximus intelligendum est, per se & absolutè loquendo consideratis conditionibus reipublicæ & regis. Nihilominus sæpe accident circunstantiæ propter quas minus malum erit sustinere tyrannicam gubernationem, quam amouere Principem cum maiore calamitate reipublicæ, vt si v.g. ex remotionem Principis sequatur diuisio in ipsa republica & bella ciuilia, & præsertim si sequatur detrimentum Christianæ religioni. De hac re vide plu-

C ra apud D. Tho. opusc. 20. de regimine principum libr. 1. cap. 6. Et obseruandum est viro prudenti, quod vt in plurimum ex remotione Principis consequuntur maxima damna in ipsa republica: quapropter in re dubia semper fauendum est regi, potius quam communitati.

Solet autem disputari hoc in loco, an sit licitum priuatæ personæ occidere aliquem, propterea quod sibi imponit falsum crimen, vel imponere intẽdit, ex quo sequetur occisio ipsius innocentis vel infamia? & vtrum possit homo præuenire inimicum qui habet certum propositum inuadendi ipsum? Sed hæc omnia commodius examinabuntur articulo. 7.

D Ad tertium argumentum dicemus dubio sequenti.

DVBITATVR secundò. An possit Rex facere copiam siue per legem siue per specialem commissionem priuatis ciuibus, vt interficiant quosdam delinquentes in quibusdam speciebus criminum?

Primò arguitur pro parte affirmatiua. Quilibet ciuis potest licitè prospicere bono communi vel alicuius innocentis. Ergo vbi constiterit quo interficiendo aliquẽ malefactorem, impediuntur aliqua damna & nocumenta multa reipublicæ: poterit Rex committere priuatis personis, vt interficiant huiusmodi, siue per legem latam in communi siue per sententiam in particulari.

E Secundò arguitur. Licitum est humanis legislatoribus imitari leges diuinas positiuas quæ olim datæ sunt: sed dominus id concesserat olim, Numero 35. Faciẽs copiam propinquis interfecti, vt vbi inuenirent homicidam possent illum occidere. ergo & modo licitum erit nostris principibus similem legem condere.

Tertiò arguitur. Ex lege celebri Graccus C. ad legem Iuliam. vbi conceditur marito vt possit interficere vxorem cum adultero deprehensos in adulterio, ergo absque tribunali & iudicio licitum est priuatæ personæ aliquem malefactorem interficere, sola legis autoritate.

Deniq; sæpe contingit in republica etiam Christiana,

ſtiana, quod magiſtratus vel Principes ſiue per ſententiam latam in particulari ſiue per legem, committant cuilibet priuatæ perſonæ vt interficiat aliquem malefactorem: ſic enim conceditur facultas omnibus Chriſtianis vt poſſint aſſaſſinos interficere, vt bene colligit Sylueſt. in verbo, Aſſaſſinos, ex cap. pro humani. de homicidio, in 6. & videtur eſſe certa intelligentia illius capituli: nam in fine illius appellatur aſſaſſini diffidati diffidatus autem ille dicitur qui ſecundum publicam conceſſionem poteſt à quouis interfici.

PRO decisione huius dubij ſit vnica concluſio. Per ſe loquendo, non erit iuſta lex quę vniuerſaliter fecerit copiam priuatis perſonis, vt malefactorem quem viderint aut nouerint deliquiſſe in certo genere criminis occidant illum ante lata ſententiam à iudice circa factum. Probatur primo. Quia vſus eſt omnium nationum bene inſtitutarum neminem condemnare niſi vocatum ad iudicium, & auditum de excuſatione ſui criminis, ergo iniqua eſt lex. Probatur. Antecedens, ex eo quod dixit Nicodemus Ioan. 7. Lex noſtra non iudicat quenquam, niſi prius audierit ab eo. Et Actor. 25. cap. dixit, Fauſtus iudex à Romanis conſtitutus, non eſt conſuetudo Romanis aliquem damnare niſi prius is qui accuſatus fuerit præſentes habeat teſtes & locum defendendi accipiat.

Confirmatur. Ipſa enim natura nos docet quæ (ſicut ait Ariſt. in 2. de anima.) dedit nobis ſenſum quendam communem perceptiuum obiectorum particularium ſenſuum, vt de illis poſſit diſcernere: ergo ſimiliter iudex neceſſe eſt vt rectè iudicet, quod intelligat rationem quam de ſe ipſo reus poteſt reddere.

Confirmatur ſecundò. Quoniam ſententia iudicis publica debet procedere ex ſcientia publica, vt docet D. Tho. quæſt. 66. art. 2. ergò neceſſe eſt, vt iudex ſi rectè debet iudicare, habeat notitiam publicam vtriuſque partis circa ipſum factum. Præterea per huiuſmodi licentiam datam perturbaretur pax reipublicæ, eo quod homines nequam & ſiccarij paſſim occaſionem acciperent alios occidendi, excuſantes ſe ipſos eo quod dicerent eos deprehendiſſe in tali delicto.

Diximus autem in concluſione per ſe & abſolutè loquendo, hoc eſt attenta conditione iuſtitiæ vindicatiuæ quæ competit reipublicæ, alijs vero tanquam miniſtris illius. Cæterum alio titulo diſtincto à iuſtitia vindicatiua, videlicet titulo defenſionis, poſſunt euenire caſus in quibus non ſolum reſpublica poſſit facere legem in communi, vt quilibet occidat hominem criminoſum: ſed etiam quilibet particularis abſque tali lege & commiſſione reipublicæ, poſſit imo aliquando debeat occidere aliquem criminoſum. Exemplum eſt, ſi quis paratus ſit incendere ciuitatem vel etiam occidere innocentem aut principem, neque aliàs poſſit eſſe recurſus ad rempublicam: tunc quilibet poteſt huiuſmodi criminoſos occidere.

Secunda concluſio. Si malefactor publicè fuerit vocatus ad iudicium neque voluerit comparare: tunc iudex lata ſententia contra illum ſecundum allegata & probata, licitè poterit aliquando committere cuilibet priuatę perſonę occiſionem illius. Ratio huius eſt, quoniam aliquando ſic expedit omnino bono communi. v. g. Si aliquis ſit celebris latro expolians tranſeuntes per viam, neque facile poſſit comprehendi: tunc licitum erit iudici lata ſententia cuilibet committere occiſionem illius. Hac etiam via excuſari poſſunt aliquæ occiſiones, ſi fiant iuſſu principis, aliquorum qui committunt aliqua crimina læſæ maieſtatis: quorum criminum manifeſtatio in iudicio denigraret maieſtatem Regiam: tunc enim licitum eſt cognita euidenter malitia criminis vt Rex faciat talem criminoſum occultè occidere. Nihilominus huiuſmodi interfectiones ex tali commiſſione debent rariſſimè fieri & propter aliquod magnum bonum communitatis aut principis. Ratio eſt, quia ex huiuſmodi occiſionibus multa in conuenientia poſſunt ſequi quorum vnum eſt in republica Chriſtiana, quod ille malefactor abſque penitentia morietur & cum animi amaritudine & affectu vindictæ. De hac re infra redibit ſermo cop. ioſius. q. 67. de iudicijs. art. 2. videatur etiam lex. 1. & 2. C. quando liceat ſine ſententia iudicis ſe vindicare.

Ad argumenta in oppoſitum reſpondetur ad primum, quod titulo meræ defenſionis reipublicæ vel innocentis, nemo peccat occidendo aggreſſorem: ſed neceſſe eſt quod defenſio ſit cum moderamine inculpatæ tutelæ: quapropter requiritur quod in huiuſmodi caſibus ſit certum periculum reipublicæ vel innocentis, & quod aliundè non ſequantur maiora damna ipſi communitati.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur negando conſequentiam: quia dominus fecit illam legem tanquam dominus vitæ & mortis, vnde alij Reges non poſſunt ſimilem legem ferre: quia non ſunt domini vitæ & mortis. Reſpondetur ſecundo, quod illa lex fuit tantum permiſſiua in foro exteriori. Reſpondetur tertio & melius, quod lex illa intelligebatur poſt latam ſententiam à iudice circa ipſum factum: tunc enim lex committebat propinquis occiſionem interfectoris: & in hoc mitior erat lex erga homicidam, quia propinqui poterant parcere. Hanc intelligentiam inſinuat Gloſſa inter linearis & Eyrannus in eodem loco Numer. 35.

Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd lex illa Gracus, eſt permiſſiua & iuſto dolori maricompatiens non punit illum in foro exteriori: & hæc eſt communis ſententia Iuriſperitorum & Theologorum.

Ex quo ſequitur, quod ipſe adulter & adultera poſſunt ſe defendendo ſi opus fuerit occidere maritum? Probatur, quia ipſe maritus peccat contra iuſtitiam intendens illos occidere ibidem. At verò poſt latam ſententiam à iudice contra adulteram & adulterum, adhuc aliqui Iuriſperiti dicunt eſſe legem permiſſiuam, vt maritus occidat vtrunque in foro publico. Ratio illorum eſt: quia relinquitur arbitrio mariti vt occidat eos vel parcat eis. At vero Theologi omnes & peritiores Iuriſperitorum aiunt licitum eſſe, quod tũc maritus occidat vtrunque tanquam miniſter reipublicæ & ſententiæ iudicis exequutor. Et probatur hæc ſententia. Primo qui ipſi iudices tradunt adulteros ligatos in loco publico, quod profectò non eſt tantum permittere ſed cooperari ad occiſionem: ergo maritus, vt miniſter iudicis & exequutor ſententiæ occidi illos.

Confirmatur, quoniam aliàs iudices peccarent impedientes adulteros ne ſe defendant ab iniquè occidentibus: ſiquidem ius haberent illi defendendi vitam ab illo, ſicut habebant ante ſententiam quando deprehenſi ſunt in adulterio.

Deinde probatur: quia ſi tantum eſſet permiſſio legis quod maritus poſſet illos occidere, ſequitur quod cuilibet eſſet licitum illos defendere. Probatur ſequela, quia quilibet poteſt defendere patientes contra iuſtitiam: conſequens eſt falſum, quia tunc iudices iuſtè punirent talem defenſorem, quin potius ipſi defenderent maritum, imo & aſſiſtunt in loco vindictæ autoritatiue: ergo ipſi principaliter occidunt adulteros quando maritus occidit.

Neque tamen valet reſpondere, quod iudices non ferunt ſententiam capitis ſimpliciter, ſed tradũt maritos illos vt occidat ſi voluerit. Et n. nihilominus directè iudices tradũt adulteros certo periculo mortis, ac proinde non excuſarentur à peccato homicidij, ſi lex tantum eſſet permiſſiua: excederent enim conditiones permiſſionis. Sed ratio oppoſita conuincit, quod non eſt tam riguroſa ſententia, ſicut eſſet ſi iudex decerneret adulteros eſſe occidendos.

Ad quartum reſpondetur, quod nos non negamus, quin aliquando poſſit eſſe licitum vt reſpublica committat priuatis perſonis, vt occidant aliquem vel aliquos malefactores: ſed dicimus quod ſemper fieri debet poſt latam ſententiam, vel per legem præſuppoſita euidentia facti: & propterea iuſtificatur lex illa de aſſaſſinis, quia illi ſunt quædam hominum iniqua ſocietas, parata ad occidendum Chriſtianos. At vero qui nam propriè dicantur aſſaſſini & receptores illorum, qui excommunicati ſunt ipſo iure: explicant Caietanus, & Sylueſter in verbo, aſſaſſinus. Habemus itaque, quod facti publici notarietas ſolet valere loco ſententiæ.

Vnde contingit vt iudex licitè poſſit aliquando malefactorem coram ſe & in publico peccantem ſtatim occidere, Verbi gratia. Si quis miniſtrum iuſtitiæ in foro publico vel in tribunali occiderit, ſtatim licitum erit illum ſuſpendere. Sicut etiam contingit in bello, quod dux militè publicè à diſciplina militari deuiantem ſtatim interficit. Sic etiam licitum erit, ſi verum eſt quod aiunt, quòd in actuali congreſſu belli ſinguli milites habent facultatem occidendi ſocium antecedentem: quando ille ſe inclinauerit vel in latus verterit vt fugiat iſtũ iaculi, licita erit huiuſmodi occiſio quoniã fit publica autoritate. Et ratio huius rigoris eſt, propter commune bonũ exercitus: oportet enim vt acies ordinatiſſimè pugnent ad victoriam conſequendam. Cæterum de inſidijs quæ licitè fiunt in bello & ſolent per priuata perſonas fieri & procedere vſque ad occiſionem contrariorum vel ducis exercitus contrarij: non eſt præſentis loci ad unguem diffinire, ſed magis hoc pertinet ad materiam de bello. Nihilominus breuiter dicimus, quod illæ inſidiæ erunt licitæ in bello quæ non deſtruunt leges, quæ iure gentium admittuntur: quapropter quia iure gentium receptiſſimũ eſt, quod legati utriuſque exercitus recipiantur pacifice, non erit licitum, quod princeps per legatum ſuum inſidias patet alteri Principi, aut etiam duci exercitus intendens illos occidere ſub titulo pacis. Hoc enim omnes gentes vniuerſaliter damnant, quoniam daretur occaſio, quod ipſiſmet legatis parentur inſidiæ ac proinde deſtrueretur id, quod iure gentium receptiſsimum eſt tanquam neceſſarium ad hoc quod legatorum miniſterio ceſſent bellorum incommoda quæ maxima ſunt.

Dicimus ſecundo, q. qñ is quis mittitur inſidiari aut ipſe vadit non fungit officio legati, ſed ſolũ ſuo periculo occultè vel per verba æquiuocat inſidias parat Duci vel Principi qui gerit bellum iniquũ, vel fuit traditor vel dolo aut fraude iniuriam fecit alteri reipublicæ: tunc licitum erit per inſidias illum occidere. Huius rei exempla habemus in Sacris literis plurima. Etenim Iudith fœmina inſignis per inſidias ſanctas interficit Holofernem & Iahel fœmina vt habetur Iudicum 4. Occidit Siſaram per huiuſmodi inſidias. Et Aod, occidit Eglon Regem Moab per huiuſmodi inſidias. Et quanuis ipſe Aod miſſus fuerit tanquam legatus filiorum Iſrael per quem miſerunt munera regi Eglon vt habetur Iudicum. 3. Nihilominus excuſari poterit à peccato non ſolum, quia id fecit ſpiritu Domini vt ibidem narratur, ſcilicet qd Dominus ſuſcitauit filijs Iſrael ſaluatorem nomine Aod: ſed etiam quia poſtquam ille impleuit officium legati & iam abierat, poſtea reuerſus eſt, vt perſona particularis & dixit ad Regem, verbum ſecretum habeo ad te ò Rex, tunc autem ipſe Rex miſit foras famulos & manſit ſolus cũ illo, quod quidem imprudenter fecit quanuis permittente domino, ac propterea ipſe Aod non infamauit officium legati. Hinc eſt quod noſtris etiam temporibus merito laudantur fortes milites, qui ſi mulatè ingrediuntur caſtra inimicorum cum periculo vitæ, vt occidant principes aut duces illorum, qui iniqua bella gerunt, qualis fuit ille qui occidit Principem de Orange noſtris temporibus, in quo tamen principe ſpecialis erat ratio, vt quomodolibet occideretur: quoniam erat rebellis Hiſpaniarũ Regi Philippo Secundo, cuius ſubditus erat, & idcirco tanquam reus læſæ maieſtatis potuit ab ipſo Hiſpaniarum Principe taliter occidi. Et quantis ipſe Rex in particulari non præceperit militi, vt occideret talem Principem, tamen quia rex ipſe miſſo iam exercitu pugnabat contra vaſſallum ſuum reũ læſæ maieſtatis: conſequenter eo ipſo viſus eſt talẽ facultatem ſingulis militibus feciſſe, vt quomodolibet occideretur cuius ſignum eſt approbatio facti.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm occidere malefactores liceat clericis.

AD Quartum ſic proceditur. Videtur, quòd occidere malefactores, liceat clericis. Clerici enim præcipuè debent impiere quod Apoſtolus dicit, primæ Corinthiorum. 4. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Per quod nobis indicitur, vt Deum & ſanctos eius imitemur. Sed ipſe Deus, quem colimus, occidit malefactores: ſecundùm illud Pſal. 135. Qui percuſſit AEgyptum cum primogenitis eorum. Moyſes etiam à Leuitis fecit interfici vigniti tria millia hominum, propter adorationem vituli: vt habetur Exodi. 32. Et Phinees ſacerdos interfecit Iſraelitem cum Madianitide coeuntem, vt habetur Numerorum 25. Samuel etiam interfecit Agag Regẽ Amalec, & Elias ſacerdotes Baal, & Matathias eum qui ad ſacrificandũ acceſſerat: & in nouo Teſtamẽto Petrus Ananiam & Sapphiram. Ergo videtur, quòd etiam clericis liceat occidere malefactores.

Infra. qõ. 70 art. 1. ad 1. Et 4. d. 25. q. 1. art. 2. q. 2.

2. Præterea Poteſtas ſpiritualis eſt maior, quàm temporalis & Deo coniunctior.

ctior. Sed potestas temporalis licitè male factores occidit tanquam Dei minister, vt dicitur Romanorum. 13. ergo multò magis clerici, qui sunt Dei ministri spiritualem potestatem habentes, licitè possunt malefactores occidere.

3. Præterea. Quicunq; licitè suscipit aliquod officium, licitè potest ea quæ ad officium illud pertinent, exercere. Sed officium principis terræ est malefatores occidere, vt dictum † est: ergo clerici qui sunt terrarum principes, licitè possunt occidere malefactores.

Art. præc.

Sed contra est, quod dicitur 1. ad Timoth. 3. Oportet episcopum sine crimine esse, non vinolentum, non percussorem.

Respondeo dicendum, quòd non licet clericis occidere, duplici ratione. Primò quidem, quia sunt electi ad alteris ministerium, in quo repræsentatur passio Christi occisi: qui cùm percuteretur, non repercutiebat, vt dicitur 1. Petri. 2. Et ideo nõ competit, vt clerici sint percussores, aut occisores. Debent enim ministri suum dominum imitari, secundum illud Eccles. 10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius. Alia ratio est, quia clericis committitur ministerium nouæ legis, in qua non determinatur pœna occisionis vel mutilationis corporalis. Et ideo vt sint idonei ministri noui testamenti, debent à talibus abstinere.

Ad primum ergo dicendũ, quòd Deus vniuersaliter in omnibus operatur quæ recta sunt, in vno quoque tamen secundùm eius congruentiam. Et ideo vniusquisque debet Deum imitari in hoc, quod sibi specialiter congruit. Vnde licet Deus corporaliter etiam malefactores occidat, non tamen oportet quòd omnes in hoc eum imitentur. Petrus autem non propria autoritate vel manu Ananiam & Sapphiram interfecit, sed magis diuinam sententiam de eorum morte promulgauit. Sacerdotes autem vel Leuitæ veteris Testamenti erant ministri veteris legis, secũdùm quã pœnæ corporales infligebantur. Et ideo ẽt eis occidere propria manu cõgruebat.

Ad secundum dicendum, quòd ministerium clericorum est in melioribus ordinatũ, quàm sint corporales occisiones, scilicet, in his, quæ pertinent ad spiritualem salutem. Et ideo non congruit eis, ꝙ minoribus se ingerant.

Ad tertium dicendum, quòd prælati ecclesiarum accipiunt officium principũ terræ: non vt ipsi iudicium sanguinis exerceant per seipsos, sed quòd eorum autoritate, per alios exerceatur.

SVMMA ARTICVLI.

CONCLVCIO est negatiua. Cuius ratio est duplex. Tum quia clerici deputati sunt ministri ad altere Christi: & idcirco debẽt repræsentare mansuetudinem Christi. Tum etiam quia sunt ministri nouæ legis, in qua nulla fit mentio pęnę mortis.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR circa conclusionem. Quo iure habeatur quòd clericis non licet occidere malefactores? Ad hoc respondetur & sit prima conclusio. Non habetur iure naturæ quòd ministri deputati ad sacrificia & cultum Dei non possit occidere malefactores. Probatur conclusio. Quia nullam habet dissonantiam cũ iure naturali, quòd sacerdos exerceat officium iustitiæ vindicatiuæ tam necessarium ad populi tranquilitatem. Et confirmatur. Quia sacerdotes veteris legis & Leuitæ exercebant huiusmodi ministerium, & omnes illi quos refert D. Thom. in primo argumento, ergo non est contra ius naturæ.

Secunda conclusio. Non est introducta diuino iure positiuo huiusmodi prohibitio. Primò, quia nõ inuenitur in scriptura locus vnde tale præceptum inueniatur, neque est ecclesiastica traditio, imo vero multi Pontifices quando sibi videtur expedire ferunt sententiam sanguinis etiam in clericos Cardinales, neque aliqui scandalizatur de hac re qui sit vir prius & doctus, ergo in summo Pontifice est huiusmodi potestas, ac proinde poterit causam committere inferioribus clericis, ergo non est contra ius diuinum quòd clericis occidant malefactores. Et denique communis sententia Theologorum est, quòd in lege noua non continetur aliquod diuinũ præceptum positiuum præter illa quæ obligant ad receptionem sacramentorum (semper autem præsupponimus quòd præceptum fidei, spei, & charitatis intrinsecum est respectu hominis ordinati ad finem supernaturalem) sed tale præceptum quòd clerici non occcidant malefactores non continetur in aliquo prædictorum neque colligitur ex illo, ergo non est de iure diuino.

Sed contra hanc conclusionem est duplex obiectio. Prima ex illo 1. ad Timotheum. 3. Oportet episcopum irreprehensibilem esse, non vinolentum, non percussorem sed modestum. Neque valet respondere, quòd Paulus ibi prohibeat iniquam percussionem, non autem illam quæ autoritate publica exercetur. Nam si hæc est intelligentia illius loci, videtur quòd Diuus Thomas inepte adduceret illud testimonium ad probandam conclusionem articuli, quæ loquitur de occisione quæ fit publica autoritate, nam ea quæ fit priuata autoritate neque clericis neque non clericis licita est.

Altera obiectio est ab exemplo Christi & eius doctrina qui nunquam vsus fuit huiusmodi potestate, neque docuit vt ministris sui occiderent malefactores, sed potius vt omnẽ mãsuetudinẽ præ seferrẽt.

Ad primam obiectionem respondetur primò, ꝙ non omnia præcepta quæ ab Apostolis suis temporibus

ribus sunt tradita ad bonam gubernationem ecclesiasticam censenda sunt de iure diuino: etenim præcipiebant quædam tanquam ordinarij prælati ecclesiæ, ac proinde consequentia facta non valet. Secundò respondetur, quòd in illo loco non sit expressa mentio nisi de episcopo, ergo nhil concluditur de alijs clericis. Tertiò respondetur, quòd Diuus Thomas in argumento. Sed contra, non semper necessario concludit neque testimonium sacrę Scripturæ in literali sensu adducit, sed secundùm quandam congruentiam interdum arguit in oppositum tale testimonium est illud 1. ad Timotheum. 3. in quo Apostolus ex professo voluit aduertere signanter mansuetudinem & modestiam episcopi, vnde conuenienter ad hanc mansuetudinem perficiendam prohibuit ecclesia ipsis clericis malefactores occidere etiam publica autoritate vt plenius repræsentarent Christi mansuetudinem.

Ad secundam obiectionem negatur consequentia. Eadem enim ratione probares non esse licitum clericis habere dominium temporale, & iurisdictionem temporalem, siquidem Christus non habuit vel non est vsus huiusmodi potestate iurisdictionis.

Tertia conclusio. De iure positiuo & in ecclesia antiquissimo habetur huiusmodi statutum tãquam maxime conforme cum iure diuino Euangelico. Ex canonibus Apostol. patet hęc conclusio canone. 8. Qui approbati sunt in sexta synodo generali Constantinop. & sunt approbati in cap. episcopum. dist. 45. & in cap. sententiam. ne clerici vel monachi. & in tit. de clerico percussore. Ratione vero Diui Thomæ probant secundam partem conclusionis, & idcirco sine vrgenti necessitate non debet dispensari in huiusmodi statuto.

Notandum est quod ista prohibitio ex communi sententia doctorum extenditur ad clericos etiam in minoribus constitutos, & quidem de acolytho habetur expresè in cap. fina. de clerico percusso. Cęterum de clericis prima tonsura initiatis aliqui oppositum opinatur: mihi tamen verosimilius videtur quod illa prohibitio exendatur etiam ad illos, nam quanuis prima tonsura secundum opinionem probabiliorem non sit ordo: tamen constituit hominem in statu clericali & facit capacem ad beneficia ecclesiastica, & ille gaudet priuilegio clericali quod habetur in capit. si quis suadente diabolo. de sententia excommunicationis, ergo ille debet vitare ea quæ non decent statum clericalem, verum est tamen quod non est censendus mortaliter peccare clericus primæ tonsuræ, qui vltro vellet suscipere officium iudicis in causa sanguinis aut testis vel tabellionis, &c. quanuis postea priuaretur priuilegijs ecclesiasticis, & maneret irregularis ad vlterius procedendum in clericatu, at vero sacris ordinibus initiatus peccaret mortaliter, si absque dispensatione Pontificis se intromitteret in causa sanguinis.

DVBITATVR secundo circa solutionem ad tertium argumentum. Vtrùm prælati ecclesiæ qui habent temporalem iurisdictionem possit concedere facultatem iudicibus à se assignatis ad iudicandum in causa sanguinis? Et ratio dubitandi est, quia Diuus Thomas dicit expresè, quòd prælati ecclesiarum accipiunt officia principum terræ: non vt ipsi per seipsos iudicium sanguinis exerceant, sed quod eorum autoritate per alios exerceatur, videtur autem quòd sit magis indecens occidere autoritatiuè quam ministerialiter, quia qui occidit autoritatiuè principalior causa est. Ex alia autem parte videtur inconueniens quòd prælati ecclesiæ non possint occidere autoritatiuè, etenim essent perniciosi domini temporales si non possent in populum pace seruare occidendo malefactores. Caietanus in hoc articulo breuiter aduertit quòd coniunctio dominij temporalis cum spirituali non æquam reddit vtriusque conditionem vt possit prę latus tanquam prælatus omnia illius officij, & tanquam dominus omnia illius dominij facere. Patet enim quòd non potest episcopus qui est dominus temporalis, exercere officium sanguinis, bellare, &c. quæ tamen posset si esset tantum dominus temporalis, quin potius dominium temporale modificatur à dominio spirituali, ita vt quæcunque dedecent prælatum, dedeceant illum dominum qui est prælatus, & hoc quidem merito, quia nobilius debet ad se trahere ignobilius, & ex hac radice habetur quod non licet huiusmodi prælatis & dominis temporalibus simul vacare venationibus & alijs prohibitis clericis & prælatis, sicut eis non sunt licita quæ diximus bellare, &c. Eadem enim est ratio quo ad esse licitum vel illicitum, quanuis non sit eadem pœna. Hæc Caietanus. Sed ex ista doctrina non habemus solutionem propositi dubij.

PRO decisione igitur sit prima cõclusio. Quanuis prohibitum si clericis proferre sententiam in causa sanguinis, & multo magis alia exercitia ministerialia, non tamen prohibetur eis concedere autoritatem iudici delegato, vt iudicet huiusmodi causas. Hanc tenet gloss. expresè in c. clericis. & in cap. sententiam. ne clerici vel monachi. Verum est tamen quod aliqui Theologi vt excusent episcopos ne sint causa præcipua sententiæ iudicis delegati, aiunt quod quando episcopus designat iudicem ad causas sanguinis duntaxat exercet nudum ministerium creandi illum iudicem, non autem confert illi auctoritatem occidendi, quin potius illa auctoritas confertur iudici vel à republica vel à principe seculari qui primitus creauit illud officium prætoris ex quo accepit episcopus iurisdictionem illam temporalem ad nominandam personam iudicis, & afferunt exemplũ quemadmodum solemus dicere supra quæst. 1. art. 10. quod cum Cardinales eligunt Summum Pontificem: non conferunt illi autoritatem Pontificiam sed solummodo eligunt & nominant personam cui Christus tribuit Pontificiam autoritatem. Ita dicunt, quod episcopus nominat personam iudicis ad causas sanguinis, respublica vero tribuit illi autoritatem occidendi malefactores. Sed profecto hæc sententia scrupulosior est quam oporteat, & quidem D. Tho. in solutione ad tertium oppositum dicit; ait enim expresè, quod prælatorum autoritate, per alios exercetur iudicium sanguinis, & sic etiam aduertit glossa supra cap. clericis. vbi ait, episcopus & quicunque clericus habens autoritatem & potestatem secularem, potest ex iuris concessione absque aliqua dispensatione committere vice suas alicui iudici, vt in causa sanguinis sententiam ferat, ratio autem quare hæc autoritas non dedeceat episcopum ea est: quia per huiusmodi commissionem in vniuersali non amittitur mansuetudo ecclesiastica, sed solum per exercitium in particulari circa occisionem malefactoris, vnde etiam & prædicatores possunt exhortari prętores vt exerceant officium suum secundùm leges iustas & puniant malefactores, nec propterea amittunt mansuetudinem ecclesiasticam multo autem minus confessarij ammittũt mansuetudinem ecclesiasticam si prętorem pœnitentem admoneant in foro conscientiæ

vt in particulari exerceat iustum officium etiam in causa sanguinis. Et ratio est manifesta. Quia ille homo loco Dei præcipit in foro conscientiæ ita fieri in particulari.

Vnde ad argumentum primo loco factum respondetur, quod non est indecens occidere malefactores autoritatiue, sicut est indecens occidere ministerialiter, maxime quando autoritas residet in principe vel prælato qui nihil particulare exercet circa occisionem singularem huius hominis, sed est vt causa vniuersalis & remota. Indecentia autem illa consistit in prolatione sententiæ, in accusatione, in testificatione contra reum particularem, & in ipso exercitio occidendi physicè, at vero quod hęc fiant autoritate prælati ecclesiastici non est indecens: quia quantùs sit causa principalior est tamen vniuersalior, sicut & ipse legislator qui tulit leges iustas de occidendis malefactoribus non amisit mansuetudinem ecclesiasticam, neque est irregularis, etiam si autoritate legis plurimi malefactores occidantur.

Denique cum ista prohibitio sit ecclesiastica ne clerici occidant malefactores, non amplius extendenda est quam ex ipso iure & approbata consuetudine colligitur. Ex quo sequitur nullam irregularitatis notam incurrere Inquisitores quando hęreticos relaxant brachio seculari: quanuis sint certi quod ex huiusmodi relaxatione sequetur mors illorum, debent tamen seruare formam ab ipso iure præscriptam in capi. nouimus, de verborum significatione, videlicet, vt rogent seculares iudices, vt benigne se gerant cum hęreticis sibi relaxatis. Cęterum de irregularitatis censura quę ex homicidio voluntario vel casuali incurritur dicemus late artic. 8.

ARTICVLVS V.

Vtrùm licet alicui occidere seipsum.

Sup q 59 artic. 3. ad 1. & infra q. 124. art. 2. ad 2. Et 3. q. 47. art. 6 ad 3. Et 4. d. 49 q. 3. art. 1. q 2. ad 6. Et Hebr. 11. le 7. co. 1. † Li. 5. c. vlt & ca. 6 ad finé, tom. 5.

AD Quintum sic proceditur. Videtur, quòd alicui liceat seipsum occidere. Homicidium enim est peccatum, inquantum iustitiæ contrariatur. Sed nullus potest sibijpsi iniustitiam facere: vt probatur in 5. † Ethic. ergo nullus peccat occidendo seipsum.

2. Præterea. Occidere malefactores licet habenti publicam potestatem. Sed quandoque ille, qui habet publicam potestatem, malefactor, est ergo licet ei occidere seipsum.

3. Præterea. Licitum est, quòd aliquis spontaneè minus periculum subeat, vt maius periculum vitet: sicut licitum est, quòd aliquis etiam sibijpsi amputet membrum putridum, vt totum corpus saluetur. Sed quandoque aliquis per occisionem suijpsius vitat maius malum, scilicet miseram vitam, uel turpitudinem alicuius peccati: ergo alicui occidere seipsũ.

4. Præterea. Samson seipsum interfecit: vt habetur Iudicum 16. qui tamen cõnumeratur inter sanctos: vt patet Hebr. 11. ergo licitũ est alicui occidere seipsum.

5. Præterea. 2. Machab. 14. dicitur, quòd Razias quidam seipsum interfecit, eligens nobiliter mori potius, quàm subditus fieri peccatoribus: & contra nataleſ suos iniurijs agi. Sed nihil quod nobiliter fit & fortiter, est illicitum, ergo occidere seipsum non est illicitum.

Sed contra est, quod August. dicit in 1. † de Ciuitate Dei. Restat vt de homine intelligamus illud quod dictum est: Non occides: nec alterum, ergo nec te. Neque enim aliud quàm hominem occidit qui se ipsum occidit.

Respondeo dicendum, seipsum occidere, est omnino illicitum, triplici ratione. Primò quidem, quia naturaliter quęlibet res seipsam amat, & ad hoc pertinet, quòd quælibet res naturaliter conseruat se in esse, & corrumpentibus resistit quantum potest. Et ideo quòd aliquis seipsum occidat, est contra inclinationem naturalem & contra charitatem, qua quilibet debet seipsum diligere. Et ideo suijpsius occisio semper est peccatum mortale, vtpote contra naturalem legem, & contra charitatem existens. Secundò, quia quælibet pars id quod est, est totius. Quilibet autem homo est pars communitatis: & ita id quod est, est communitatis. Vnde in hoc quòd seipsum interficit, iniuriam communitati facit, vt patet per Philosophum in † 5. Ethicorum. Tertiò, quia vita est quoddam donum diuinitus homini attributum, & eius potestati subiectum, qui occidit & viuere facit. Et ideo qui seipsum vita priuat, in Deum peccat: sicut qui alienum seruum interficit, peccat in dominum, cuius est seruus: & sicut peccat ille, qui vsurpat sibi iudicium de re sibi non commissa. Ad solum enim Deum pertinet iudicium mortis & vitæ, secundùm illud Deuter. 32. Ego occidam, & ego viuere faciam.

Ad primum ergo dicendum, quòd homicidium est peccatum non solum, quia contrariatur iustitiæ, sed etiam quia contrariatur charitati, quam habere debet aliquis ad seipsum. Et ex hac parte occisio suijpsius est peccatum per comparationẽ ad seipsum. Per comparationem autem ad communitatem & ad Deum habet rationem peccati etiam per oppositionem ad iustitiam,

Ad secundum dicendum, quòd ille qui habet publicam potestatem, potest licitè malefactorẽ occidere per hoc, quòd potest de ipso iudicare. Nullus autem est iudex suijpsius. Vnde non licet habenti publicam potestatem, seipsum occidere propter quodcunque peccatum: licet tamen ei se committere iudicio aliorum.

Ad tertium dicendum, quòd homo constituitur dominus suijpsius per liberum arbitrium. Et ideo licitè potest homo de seipso disponere quantum ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam, quæ homini libero arbitrio regitur, non tamen quantum ad ea quę non subiacent suo arbitrio. Sed transitus de hac vita ad aliam fęliciorem non subiacet libero arbitrio hominis, sed potestati diuinæ. Et ideo non licet homini seipsum interficere, vt ad fęliciorem transeat vitam. Similiter etiam nec ut quaslibet miserias præsentis vitæ euadat, quia vltimum malorum huius vitæ & maximè terribile, est mors, vt patet per Philosophum in 3. Ethic. † Et ideo inferre sibi mortem ad alias huius vitæ miserias euadendas, est maius malum assumere ad minoris mali vitationem. Similiter etiam non licet seipsum interficere propter aliquod peccatum commissum. Tum quia in hoc sibi maximè nocet, quòd sibi adimit necessarium pœnitentiæ tempus. Tum etiam, quia malefactorem occidere non licet, nisi per iudicium publicæ potestatis. Similiter etiam non licet mulieri seipsam occidere, ne ab alio corrumpatur: quia non debet in se committere crimen maximum, quod est suijpsius occisio, vt vitet minus crimen alienum. Non enim est crimen mulieris per violentiam violatæ, si consensus non adsit: quia non inquinatur corpus nisi de consensu mentis, ut Lucia. dixit. Constat autem minus esse peccatum fornicationem vel adulterium, quàm homicidiũ, & præcipuè suijpsus, quod est grauissimum, quia sibijpsi nocet cui maximam dilectionem debet. Est etiam periculo-

sissimum: quia non restat tempus, ut per pœnitentiam expietur. Similiter etiam nulli licet seipsum occidere ob timorem, ne consentiat in peccatum: quia non sunt facienda mala, ut veniant bona, uel ut vitentur mala, præsertim minora & minus certa. Incertum enim est, an aliquis in futurum consentiat in peccatum. Potens est enim Deus hominem quacunque tentatione superueniente liberare à peccato.

Ad quartum dicendum, quòd sicut August. dicit † in 1. de Ciuitate Dei, Nec Samson aliter excusatur quòd seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quòd latenter Spiritus sanctus hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. Et eandem rationem assignat de quibusdam sanctis fœminis, quæ tempore persecutionis seipsas occiderunt, quarum memoria in ecclesia celebratur. Li. 1. ca. 21. à med. tom. 5.

Ad quintum dicendum, quòd ad fortitudinem pertinet, quòd aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, & ut vitet peccatum. Sed quòd aliquis sibijpsi inferat mortem vt vitet mala pœnalia, habet quidem quandam speciem fortitudinis: propter quod quidam seipsos interfecerunt, æstimantes se fortiter agere, de quorum numero Razias fuit: non tamen est vera fortitudo, sed magis quædam mollities animi non ualentis mala pœnalia sustinere: vt patet per Philosophum in tertio † Ethicorum: & per Augustinum in 1. de Ciuit. Dei †. Li. 3. Ethi. ca. 8. to. 5. Li. 1. c. 21. circa med. tom. 5.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Illicitum est omnino quod aliquis occidat seipsum.

Secunda conclusio ad primum argumentum. Qui occidit seipsum, peccat contra charitatem per comparationem ad se, peccat autem contra iustitiam per comparationem ad rempublicam & Deum.

Tertia conclusio in solutione ad secundum. Peccator etiam si habeat publicam auctoritatem non potest occidere seipsum propter aliquod crimen, licet tamen ei committere se alteri iudicanti.

Quarta conclusio ad tertium. Non est licitum homini occidere seipsum ut transeat ad fęliciorem uitam neque ut effugiat quamlibet miseriam præsentis uitæ, etiam peccati. Istæ tres conclusiones ultimæ sunt explicationes primæ conclusionis uniuersalis.

COMMENTARIVS.

ANTE omnia in hoc articulo aduertendum est fuisse olim hæreticos tam amentes, ut dicerent quod qui se occideret libera voluntate est verè martyr. De his meminit August. libro de hæresibus. Alij etiam aiebant quod qui se occidit pœnitentia ductus commissi criminis, est verè martyr: ac proinde Iudas fuisset protomartyr. De his erroribus plurima dicit Diuus Augustinus libro 1. de Ciuitate Dei, cap. 17. per multa capita. Contra has etiam hæreses habetur diffinitum in capit. tu dixisti. & in cap. non est. & in cap. placuit. 23. quæstione 5. imo isti errores repugnant lumini naturali, docet enim Aristoteles libro 3. Ethicorum, capit. 7. libro 5. cap. 11. non esse actum fortitudinis sed pusillanimitatis, quod quis seipsum occidat. Idipsum docet Cicero in 1. Tusculana, & in libro de somno Scipionis: & rationes D. Tho. in hoc articulo sunt morales demonstrationes.

DVBITATVR nihilominus primò circa primam conclusionem. Et arguitur contra illam primo. Eodem præcepto prohibetur quis occidere alium & seipsum, sed in multis casibus licitum est alium occidere, ergo in aliquo casu licitum erit occidere seipsum.

Arguitur secundò. Eodem præcepto tenetur homo non occidere seipsum & conseruare vitam proximi, sed in multis casibus licitũ est homini & sancto non conseruare vitam nec defendere illam, sed potius exponere certo periculo mortis, ergo aliquãdo licitum erit homini se occidere. Probatur consequentia. Quia ille moraliter se occidit qui uoluntariè uitam certo periculo mortis exponit.

Arguitur tertiò. Quoniam multi viri illustres non solum apud Gentiles, sed etiam apud fideles laudantur quod seipsos interfecerint, quorum plurima exempla refert August. lib. 1. de Ciuitate Dei, capit. 21. & Diuus Hieronymus in epistola ad Gerontiam laudat Lucretiam & quasdam alias nobiles fœminas quod seipsas interfecerint propter virtutem castitatis, & super primum cap. Ioannis inquit, In persecutionibus nõ licet propria perire manu absque eo ubi castitas periclitatur. Et D. Thomas refert in quarto & quinto argumento huiusmodi exempla, & de B. Apolonia legimus, quod seipsam vltro in flammas coniecerit.

His tamen non obstantibus, conclusio articuli certissima est. Confirmatur. Quia (vt iam diximus) nunquam est licitum occidere hominem nisi publica auctoritate uel in defensione sui ipsius, at vero quando quis seipsum interficit nihil horum interuenit, ergo nunquam licitum erit quod quis semetipsum occidat. Denique vsu ecclesiæ confirmatur quæ sepulturã denegat ijs qui se interficiunt, ergo iudicat semper esse enorme peccatum & finalem impœnitentiam. Tota igitur difficultas est in soluendis argumentis.

Ad primum argumentum respondetur negando consequentiam. Et ratio discriminis est, quia materia immediata illius præcepti negatiui est occisio hominis indebita contra rationem, at vero contingit quòd occidere alium non semper sit contra rationem. v. g. occidere malefactorem auctoritate publica, occidere vero seipsum semper est contra rationem, & ideo nunquam licet.

Ad secundum argumentum vt respõdeamus notandum est, quòd actio per quam homo priuatur vita duplex esse potest altera per quã directè corrumpitur vita. v. g. si quis seipsum præcipiter vel gladio confodiat: altera esse potest actio ex qua physicè loquendo per accidens sequitur mors. v. g. similes cũ fortiter pugnat occidatur: profectò tunc pugna illius non occidit illum quamuis pugnando constituatur in periculo mortis. Similiter medicus qui vult curare infirmum peste infectum, cum magno periculo propriæ vitę, certè curatio illa non occidit medicum sed per accidens sequitur ad illam mors ipsius medici. Similiter prædicator dum prædicat Euangelium sciens & prudens quod occidẽdus est ab hereticis, non se occidit sua prædicatione, quamuis per accidens ad prædicationem suam sequatur mors.

Notandum est secundò, quòd cum non possit aliquid esse peccatum nisi sit voluntarium, dupliciter contingit esse aliquid voluntarium, vt docet D. Th. 1. 2. quæst. 6. art. 3. uno modo dicitur voluntarium directe, nõ solum ut finis intentus, sed etiam ut medium quod dirigitur ad finem, altero modo dicitur voluntarium indirectè, quando aliquis poterat aliquid operari & tenebatur operari & non operatur, tunc damnum quod sequitur ex non operatione dicitur esse voluntarium homini qui non operatur, indirectè tamen, similiter erit voluntarium indirectè damnum quod sequitur ex aliqua operatione à qua tenebatur homo cessare uel abstinere. Respondetur ergo ad secundum argumentum negando cõsequentiam, & ad probationẽ negatur antecedens, nisi intelligatur isto modo: idem videtur esse occidere seipsum, & non conseruare vitam; cum homo teneatur & possit se defendere. Sic enim verum est antecedens, quòd ille homo moraliter occidatur à seipso qui non defendit & conseruat vitam propriam cum possit & debeat, non autem ille se occidit moraliter neque physicè, qui potest defendere vel conseruare uitam propriam quando non tenetur, quia tunc occisio illa neque directè neque indirectè est sibi uoluntaria, quin potius sæpe erit actus perfectę uirtutis non defendere uel conseruare propriam uitam, sed exponere illã certo periculo mortis dum homo exercet actionem uirtutis alicuius. Et quidem aliquando erit necessarium pati mortem necessitate præcepti: v. g. si expediat ad salutem reipublicæ, aliquando vero erit in consilio propter magnum exemplum & aliorum ædificationẽ.

Quod si quis interroget quænam erit nobis regula ad dignoscendum quando erit licitum ut homo persistat in aliqua operatione morali, non obstante certo mortis periculo, quando uero non erit licitũ, quando erit in præcepto, quando in consilio. Respondetur ad hoc quod boni viri prudentia necessaria est sicut in alijs rebus moralibus, iuxta doctrinam Aristot. lib. 10. Ethic. cap. 5. ubi ait illud esse bonum quod uiro bono uidetur. Nihilominus possumus aliqua documenta proferre ad rem istam iudicandam.

Primum documentum sit, Quotiescunque ex aliqua actione humana, siue illa sit bona ex natura sua siue indifferẽs, sequitur magnum commodum reipublicæ siue temporale siue spirituale, quale est exemplum insigne uirtutis, licitum est homini persistere in tali actione non obstante certo mortis periculo.

Secundum documentum est. Quotiescunque ex eo quod homo desistat ex aliqua bona actione aut certè non illicita ex natura sua consequitur notabile incommodum reipublicæ uel honori diuino, tenetur homo persistere in tali actione nõ obstante periculo mortis.

Tertium

Tertium documentum. Sæpenumero contingit quod aliquis teneatur persistere in talibus actionibus supradictis propter pactum quod fecit vel officium quod suscepit, quando alij qui non fecerunt pactum neque habent officium, non tenebuntur persistere. v. g. Episcopus & parochus tenebuntur aliquando non obstante periculo mortis ministrare sacramenta & docere populum quando alij non tenebuntur.

Hæc documenta etiam Philosophi naturales cognouerunt & docuerunt. v. g. Arist. 3. Ethic. cap. 9. & libro 2. Oeconomi cap. 2. inquit, mors illa maximè laudatur quam quis oppetit vt tueatur sua Tullius etiam in 1. Tuscula. Referens verba Socratis quę habentur in Phædone Platonis ait, vetat ille dominans in nobis Deus iniussu hinc nos migrare suo cum autem causam iustam Deus ipse dederit proculdubio lætus sapiens ex his tenebris in illam lucem excesserit. Et pręterea probantur hęc documenta testimonio Sacræ scripturæ. 1. Machab. 3. melius est nobis mori in bello quàm videre mala gentis nostræ & Sanctorum. Item primæ Ioan. 3. In hoc cognouimus charitatem Dei: quoniam ille animam suã pro nobis posuit & nos debemus pro fratribus nostris ponere, quomodo autem hoc fieri debeat pro fratribus diximus supra quęst. 26. art. 3. & 4. Denique hæc documenta ratione naturali probantur: quoniam vita animalis in homine ex natura sua ordinatur ad rationalem & spiritualem: ergo ubi necessarium fuerit quod vita animalis finiatur in operatione rationali, lex naturæ postulat vt finiatur potius quàm desistat homo ab operatione virtutis necessaria ad finem hominis ipsius.

Ad tertium argumentum, respondet D. August. lib. 1. de ciuit. Dei vbi supra quod facta illa gentium habuerunt quidem quandam similitudinem cum fortitudine sed non fuerunt facta veræ virtutis fortitudinis. Nam & ipse Aristo. 3. Ethicor. cap. 2. inquit, timidi esse inferre sibi mortem ob fugiendum quodcunque malum. Ad exempla uero Sanctorum quæ narrantur in Sacris literis & in Ecclesiasticis historijs, respondet Augustinus, quod illi spiritu Dei acti ita sunt operati. Sed profecto ad quędam huiusmodi exempla in particulari videtur posse responderi, quod illi non iniecerunt manus in se ipsos directè, sed dum operarentur actionem virtutis, per accidens interfecti sunt & ipsi, ita excusat Sansonem Victoria in relectione de homicidio, & similiter Eleazarum. 1. Machab. 6. Qui interfecit Elefantem suppositus illi cuius casu interfectus est. Sed aliqui Theologi excusant quidem ratione naturali Eleazarum non autem Sansonem: nisi quia id fecerit spiritu Dei actus. Et ratio illorum est apparens, quia Sanson suamet operatione directè interfecit se & Philisthæos, scilicet auferendo columnas templi, at vero Eleazarus non eodem ictu interfectus est quo ipse pugnabat confodiens Elefantem & supra existentes cortuere fecit: vnde excusari potest etiã ratione naturali, quia fortiter pugnando passus est mortem, ex quo inferunt quod nõ potest miles vt hostem præcipitet, se simul cum illo amplexus præcipitare, sed poterit se constituere in periculo, vt ab alio precipitetur dum ipse præcipitat hostem, & hęc quidem satis probabiliter dicuntur, sed profecto differentia inter Sansonẽ & Eleazarum vix possum inuenire, quia vterque se supposuit ruinæ, alter ipsius domus, alter Elefantis. Igitur quemadmodum si Philisthęi essent supra domum & Sanson auferret columnas haberet se similiter sicut Eleazarus: quoniam supra Elefantem erant hostes pugnantes, ita etiam parum retulerit quod Philisthæi essent in inferioribus partibus domus, quapropter mihi videtur quod vterque excusetur quia instinctu Dei ita fecerunt vel uterq; etiam ratione naturali.

Cæterum Razias de quo legitur. 2. Machab. capi. 14. quod se interfecerit non excusatur hic à D. Tho. sed excusat illum Nicolaus de Lyra super illum locum. Et profecto ipsa Sacra scriptura videtur illum excusare ex his quæ fecit antequam se occideret & ex eo quod dixit dum moreretur: eo vel maximè quod illa quæ ipse fecit postquam se percussit videntur miraculose facta. Vnde probabiliter dici potest quod spiritu Dei actus ita fecerit.

Ad confirmationem. Ex Diuo Hieronymo respondetur, quod fortassis fuit illius opinionis vel retulit illam opinionem, uel respondetur secundo, quod fortassis illa particula, absque, dum dicit absq; eo ubi castitas periclitatur, non accipitur exclusiuè, sed potius inclusiuè: sicut Cantic. 4. dicitur absque eo quod intrinsecus latet: vbi nõ significatur quod quæ intrinsecus latebant non erant pulchra quin potius quòd erant maximè pulchra: atque ita particula, absque, non accipitur exclusiuè, sed inclusiuè. Iuxta hunc modum loquendi dicit Apostolus. 2. ad Corinth. 11. capit. præter ea quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana solicitudo omnium ecclesiarum. Vbi Apostolus narrans suos labores maximos non intendit excludere laborem illum solicitudinis omnium ecclesiarum. Ad alterum testimonium Diui Hieronymi respondetur, quod illa facta non referẽt Diuus Hieronymus quasi imitanda à fœminis Christianis, sed pro illarum confusione quæ leuiora incommoda nolunt pati vt castè viuant.

DVBITATVR secundo. Vtrum qui seipsum occidit peccat contra iustitiam vel per comparationem ad se, vel per comparationem ad rempublicã vel ad ipsum Deum.

Primo arguitur & probatur, quòd non peccet contra iustitiam per comparationem ad rempublicam. Qui prodigit bona sua & famam suam non peccat cõtra iustitiam per comparationem ad rempublicam, ergo neque qui se ipsum occidit. Antecedens ab omnibus conceditur, probatur cõsequentia quoniam bona temporalia & bona fama ciuiti etiam pertinent ad commune bonum & decorem reipublicæ sicut & ipsa vita ciuium, ergo pari ratione non erit contra iustitiam occidere se ipsum uel certè utrunque erit contra iustitiam. Confirmatur quod sit eadem ratio vtriusque, quia respublica non solum est custo vitæ ciuium, sed etiam bonorum temporalium & honoris & famæ ciuium. Ergo si qui ista prodigit non peccat contra iustitiam per comparationem ad rempublicam non peccabit cõtra iustitiam qui seipsum occidit.

Secundò arguitur. Inter hominem & Deum nõ est propriè iustitia commutatiua, ergo homo non potest peccare contra iustitiam per comparationẽ ad Deum,

Tertiò arguitur. Mulier quę voluntariè permittit se per fornicationem corrumpi peccat contra iustitiam ipsamet, ergo etiam homo qui se interficit vel ab alio petit vt se occidas peccabit contra iustitiam per comparationem ad se ipsum, ergo falsa est prima pars secundæ conclusionis, in qua dicitur quod peccat tantum contra charitatem.

IN decisione huius difficultatis variè loquuntur Theologi. Quidam aiunt quod qui se occidit patitur violentiam quandam maximè dum petit ab

alio vt ipsum occidat atq; ita talis percussor peccat contra iustitiam per comparationem ad percussum: & idem sentiunt de stupratore qui virginem etiam volentem & inuitantem corrumpit. Fingũt enim quandam voluntatem naturæ in occiso & in virgine corrupta contra quam facit qui percutit volentem percuti & qui corrumpit virginem volentem corrumpi, neque enim virgo potest renuntiare voluntati naturæ ac proinde tam stuprator quam ipsa peccant contra iustitiam. Sed tamen de his nõ est in præsenti loco prolixius disputandum.

PRO decisione igitur nostræ difficultatis sit prima conclusio. Quia occidit se ipsum nullo modo peccat contra iustitiam per comparationem ad se. Ratio est tum quia omnis iniustitia sicut iustitia debet esse ad alterum. Tum etiam quia nemo patitur iniustum volens. Quæ documẽta receptissima sunt in schola Philosophorum ex doctrina Arist.

Quod si quis obijciat quod martyr patitur iniustum volens, vult enim mori libenter pro confessione fidei. Respondetur quod quanuis martyr voluntariè patiat per comparationẽ ad ipsum Deum & ecclesiam: non tamen per comparationem ad tyrannum. Non enim petit ab illo vt se occidat: imo vero nollet mori cum peccato occidentis illum quanuis præsuppositа malitia illius gaudet de bono patientiæ. At vero ad hoc quod aliquis dicatur pati iniustum: sufficit quod in illo sit inuoluntarium mixtum cum voluntario. v. g. quando aliquis dat latroni pecunias quoniam latro minatur mortem nisi dederit, ille quidem dat voluntariè simpliciter pecunias, sed inuoluntariè secundum quid, & hoc sufficit vt patiatur iniustum dans pecunia latroni.

Secunda conclusio. Qui se ipsum occidit peccat contra iustitiam per comparationem ad rempublicam: hæc est expressa D. Tho. sententia. Sed aliqui Thomistæ interpretantur hanc conclusionem de iustitia legali: negant enim quod ille homo peccet contra iustitiam commutatiuam per comparationem ad rempublicam, sed contra iustitiam legalem. Sed aduersus istam intelligentiam facit quod homicidium ex genere suo est peccatum iniustitiæ cõtra iustitiam commutatiuam, sed qui se occidit est vere homicida, ergo peccat contra iustitiam commutatiuam, sicut qui furatur semper peccat contra iustitiam commutatiuam. Deinde, si tantum peccaret contra iustitiam legalem qui se occidit eo quod omnis homo debet se conseruare & ordinare ad bonum reipublicæ sequeretur quod non semper occidere se ipsum esset peccatum mortale iniustitiæ per comparationem ad rempublicam. Probo, sequelam quia quanuis vita hominis cuiuslibet sit valde pretiosa respectu sui & per comparationem ad ipsum Deum colendum & inquirendum tanquam finem vltimum, tamen per comparationem ad bonum ipsius reipublicæ multi homines sunt nullius aut parui momenti, imo aliqui sunt perniciosi reipublicæ, ergo ex hac parte erit peccatum iniustitiæ veniale saltem. Quapropter ego certissimè arbitror cum D. Thoma quod iniustitia quam committit se occidens per comparationem ad rempublicam, non est tantum cõtra iustitiam legalẽ, sed ét contra cõmutatiuã: & ratio est, quia ipsa respublica habet ius sibi concessum ab autore naturæ tanquam speciali domino ipsius vitæ ad custodiendam vitam hominis etiam ab ipsismet volentibus se occidere, ergo homo qui se occidit facit contra istud ius quod habet respublica erga illum non minus quam si alium occidat. Et confirmatur hæc doctrina; quoniam prę-

A tor ciuitatis qui habet publicam autoritatem, tenetur ex officio defendere vitam hominis non solum ab alio aggressore, sed etiam ab ipsomet volente se occidere, ita vt si non defenderit peccet contra iustitiam commutatiuam, & ergo qui se ipsum occidit facit contra hoc speciale ius quod habet respublica ad custodiendam vitam hominis: neque valet obijcere quod homicida siue sui siue alterius nõ tenetur restituere reipublicæ, ergo non peccat contra iustitiam commutatiuam per comparationem ad rempublicã. Ad hoc enim respondetur, quod ratio quare ille deobligatur à restitutione nõ est quia non faciat iniuriam reipublicæ, sed quia excusatur ex eo quod est irreparabili vita hominis vt redeat
B ad custodiam reipublicæ.

Tertia conclusio. Qui se ipsum occidit peccat peccatum iniustitię per comparationem ad Deum, vt iniustitia opponitur virtuti iustitiæ commutatiuæ. Hęc etiam sententia probatur esse D. Thocum enim dicat quod peccat contra iustitiam certum est ex ipsa ratione, quod non loquitur de iustitia legali: ait enim qui se ipsum vita priuat in Deũ peccat: sicut qui alienum seruum interficit peccat in dominum cuius est seruus & sicut peccat ille qui vsurpat sibi iudicium de re sibi non commissa. At vero huiusmodi peccata constat esse contra iustitiam commutatiuam, scilicet occidere seruum alienum, ergo qui seipsum occidit peccat etiam contra
C istam virtutem. Ex quod etiam potest sumi noua ratio ad confirmandam præcedentem conclusionem: quoniam qui se occidit vsurpat iudicium reipublicę ad quam pertinet ex officio, iudicare an homo sit occidendus vel non: quare qui se ipsum proprio iudicio interficit vsurpat officium reipublicę.

Ad argumentum in oppositum respondetur & ad primum nego consequentiam. Et ratio differentię est quia homo est vere dominus bonorum temporalium famę, &c. Non autem est dominus vitę, sed tantum est custos sub custodia ipsius reipublicæ: & idcirco non est eadem ratio. Et quanuis respublica sit etiam custos bonorum tempora-
D lium famę & honoris ciuium: hęc tamen custodia solum extenditur ad hoc quod teneatur singulos ciues tueri ne quis illis iniurius sit in auferendis huiusmodi bonis: at vero titulo custodię non habet respublica ius ad impediendum verum dominum ne prodigatil la bona: verum est tamen quod alio titulo potest republica impedire aliquãdo hominem ne prodigat illa bona, videlicet quando illa sunt necessaria ad bonam gubernationem reipublicę & huiusmodi sunt multę leges quæ impediunt translationem dominiorum, & tunc homo agens contra huiusmodi leges peccabit contra iustitiam legalem per comparationem ad rempublicam.

E Ad secundum argumentum negatur consequentia. Et ratio est: quia potest contingere vt aliquod vitium speciale sit contra aliquam specialem virtutem quantum est ex natura vitij, & tamen quod illa virtus non possit propriè & formaliter inuenirі in eo in quo est vitiũ, sed tamen sufficit quod possit inueniri aliquid altius illa virtute v.g. potest contingere quod aliquis homo peccet speciale peccatũ odij sui ipsius & tamen in ipso non potest inueniri specialis uirtus dilectionis per comparationem ad se (loquimur enim naturaliter) sed est in homine aliquid altius virtute erga se ipsum, scilicet naturalis amor sui ipsius. Est aliud exemplum, si qui occidat patrem suum, uerè peccat etiam contra iustitiam commutatiuam, & tenetur restituere damna quæ

sequuntur

sequũtur ex illa occisione, etsi posset resuscitare pa-
A trem teneretur ex iustitia commutatiua restituere illi vitam: & tamen inter filium & patrem per se loquendo non est iustitia commutatiua, sed aliquid altius ista virtute, ad hũc igitur modum dico quod quia Deus reseruauit sibi speciale dominium vitæ hominis: omnis qui se occidit peccat peccatum iniustitiæ commutatiuæ vsurpans alienum, quod quidem vitium ex natura sua contrarium est virtuti commutatiuæ iustitiæ: quanuis propter Dei excellentiam non inueniatur proprie & formaliter iustitia commutatiua inter hominẽ & ipsum Deũ, sed est aliquid altius quàm virtus iustitiæ commutatiuæ. Hanc etiam ratione ponitur in homine secundum sententiam D. Thom. pœnitentia specialis uirtus iustitiæ quæ reducitur ad commutatiuam, quatenus per illam homo nititur satisfacere Deo recompensando offensam factam.

Ad tertium argumentum respondetur, nego antecedens. Neque enim opus est ad specifice distinguendum vitium stupri ab alijs speciebus vitiorum contra castitatem, quod stuprum habeat specialem rationem iniustitiæ, vt aliqui subtiliter arbitrantur, alias enim profecto etiam ipso virgo volens, peccaret contra iustitiam per comparationem ad se ipsam: sicut peccat peccatum stupri per comparationem ad se: & rursus ipse stuprator non magis potest peccaret contra iustitiam per comparationem ad virginem volentem: quàm si abscinderet manum
C illius volentis abscindi, sed constat ex dictis à D. Tho. & à nobis quòd non peccat contra iustitiam, etiam qui occidit alterum volentem occidi per comparationem ad ipsum, ergo multo minus peccabit contra iustitiam per cõparationem ad virginem vltro volentem corrumpi, sed sufficit specialis ratio dehonestatis ad constituendam speciem vitij contra castitatem: quemadmodum distinguitur vitium bestialitatis specie ab alijs vitijs cõtra castitatẽ, & tũ in illo unio non inuenitur specialis ratio iniustitiæ, magis quam in mollitie quando quis habet pollutionem voluntariam quæ est species quædam vitijs cõtra castitatem. Ad hunc igitur modum dicimus, quod stuprum habet specialem deformitatem contra ca-
D stitatem, videlicet quia ipsa natura ordinauit integritatem illam ad placendum viro in vinculo matrimonij, ita vt non aliter esset licitum rumpere signaculum virginitatis nisi per matrimonium. Fateor tamen quod magis me conuincit autoritas & communis opinio Theologorum ad asserendum quod stuprum virginis voluntariæ corruptæ sit necessario confitendum quantum ad illam circunstantiã quod mulier erat virgo: quam omnes rationes quæ adducuntur à Theologis ad probandum quod illa circunstantia mortaliter aggrauet supra peccatum fornicationis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm liceat in aliquo casu interficere innocentem.

1.2.q.64. ar.5.ad 2. & q.110. ar.2.ad 3. Et 1q.7. ar.6.ad 3. Et opusc.9. cõ.35. Et Hebr.12. c.20.lã. fi.

AD Sextum sic proceditur. Videtur quòd liceat in aliquo casu interficere innocentem. Diuinus enim timor non manifestatur per peccatum: quoniam magis timor Domini expellit peccatum, vt dici-
A tur Eccles. 1. Sed Abraham commendatus est quòd timuit Dominum: quia voluit interficere filium suum innocentem: ergo potest aliquis innocentem interficere sine peccato.

2. Præterea. In genere peccatorum quę contra proximum committuntur, tanto maius videtur aliquod esse peccatum, quanto maius nocumentum infertur ei, in quem peccator. Sed occisio plus nocet peccatori, quàm innocenti qui de miseria
B huius vitæ ad cælestem gloriam transit per mortem. Cùm ergo liceat in aliquo casu peccatorem occidere: multo magis licet occidere innocentem vel iustum.

3. Præterea. Illud quod fit secundùm ordinem iustitiæ, non est peccatum. Sed quandoque cogitur aliquis secundùm ordinem iustitiæ occidere innocentem, puta cùm iudex qui debet secundùm allegata iudicare, condemnat ad mortem eum,
C quem scit innocentem per falsos testes conuictum. Et similiter minister qui iniustè condemnatum occidit, obediens iudici: ergo absque peccato potest aliquis occidere innocentem.

Sed contra est, quod dicitur Exod. 23. Insontem & iustum non occides.

Respondeo dicendum, quòd aliquis homo dupliciter considerari potest. Vno modo secundùm se, alio modo per comparationem ad aliud. Secundum se quidem considerando hominem, nullum occidere licet: quia in quolibet etiam peccatore, debemus amare naturã quam Deus fecit, quæ per occisionem corrumpitur. Sed sicut suprà dictum † est, occisio pec- Art 2. huius quæst.
catoris fit licita per comparationem ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur. Vita autem iustorum est cõseruatiua & promotiua boni communis: quia ipsi sunt principalior pars multitudinis. Et ideo nullo modo licet occidere in-
E nocentem.

Ad primum ergo dicendum, quòd Deus habet dominium mortis & vitæ. Eius enim ordinatione moriuntur & peccatores & iusti. Et ideo ille qui mandato Dei occidit innocentem, talis non peccat, sicut nec Deus, cuius est executor. Et ostenditur Deum timere, eius mandatis obediens.

Ad secundum dicendum, quòd in pensanda grauitate peccati magis est conside

randum

randum id quod est per se, quàm id quod est per accidẽs. Vnde ille qui occidit iustũ, grauiùs peccat, quàm ille qui occidit peccatorem. Primò quidem, quia nocet ei, quem plus debet diligere: & ita magis contra charitatem agit. Secundò, quia iniuriam infert ei, qui est minus dignus, & ita magis contra iustitiam agit. Tertiò, quia priuat communitatẽ maiori bono. Quartò, quia magis Deum contemnit, secundùm illud Lucæ. 10. Qui vos spernit, me spernit. Quod autem iustus occisus ad gloriam perducatur à Deo, per accidens se habet ad occisionem.

Ad tertium dicendum, quòd iudex si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus conuincitur, debet diligentius examinare testes, vt inueniat occasionem liberandi innoxium sicut Daniel fecit. Si autem nec hoc potest, non peccat, secundũ allegata sententiam ferens: quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem. Minister autem iudicis condemnantis innocẽtem, si sententia intolerabilem errorem cõtineat, non debet obedire: aliàs excusarentur carnifices, qui martyres occiderunt. Si verò non contineat manifestam iniustitiam, non peccat præceptum exequendo: quia ipse non habet discutere superioris sententiam, nec ipse occidit innocentum, sed iudex cui ministerium exhibet.

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA conclusio principalis est negatiua. Ratio est quia vita innocentum est conseruatiua & promotiua boni communis.

Secunda conclusio notetur in solutione ad secundum argumentum, plus peccat qui occidit innocentem quam qui occidit peccatorem

COMMENTARIVS.

CIRCA conclusionem articuli aduertendum est, quod est intelligẽda de innocente prout homo est, si non probatur nocens publica autoritate & dignus morte iudicatur, vt latus dicemus in quæst. 67. art. 2.

Secundò. Nota quod aliquando per accidens occidere innocentem licitum est, Verbi gratia. In bello iusto vbi directè intenditur à principe occisio nocentum, inter quos tamen sunt innocentes, qui simul occiduntur. Dicimus ergo quod non tenentur milites abstinere ab expugnatione ciuitatis ne simul occidantur innocentes quando bellum est iustum, de qua re diximus supra quæstione. 40. Præterea etiam licitum erit occidere per accidens innocentem quando aliquis se ipsum defendens ab inuasore iniquo cum moderamine inculpatæ tutelæ & forte occidit aliquem innocentem, qui erat propè inuasorem.

DVBITATVR autem, an sit licitum occidere innocentem quando tyrannus petit à republica vt occidat aliquem innocentem, vel vt tradat illum sibi occidendum, alioquin destruet ciuitatem?

Pro cuius intelligentia aduerte, quod dupliciter potest tyrannus hoc petere, vno modo, vt ipsa respublica proprijs manibus occidat innocentem, altero modo, vt tradatur sibi innocens vel egrediatur ad ipsum, vt occidatur. De priore modo petitionis, consensus communis est non esse licitum, quòd respublica occidat innocentem. Et ratio est, quia hoc esset consentire cum sæuitia & malitia tyranni & ministrare illi in re turpi quod esset maximum dedecus, & infamia reipublicæ quapropter potius debet tota respublica pati destructionem ciuitatis: quàm tanto sceleri consentire. At vero secundo modo locus est dubitandi.

Et arguitur primò pro parte negatiua. Respublica non potest obijcere ciuem periculo mortis nisi quando ille debet exercere aliquam operationem studiosam non obstante quod sequatur mors illius, at vero in illo casu innocens nullam talem operationem debet exercet neq; exercet, ergo respublica nõ potest illum tradere.

Secundò arguitur. Esto ita quod innocens teneatur exire ad tyrannum, tenetur tamen ex charitate, at uero ad opera charitatis nemo potest cogi à republica: ergo respublica non potest illum tradere.

Tertio arguitur. Idem videtur esse in illo casu, qd respublica occidat innocentem proprijs manibus & quod tradat occidendum tyranno, sed illud non est licitum, ergo neque istud erit licitum. Probatur consequentia, & confirmatur argumentum. Quia non minus peccauerunt Iudæi, qui tradiderunt innocentem Christum Pilato, quàm ipse Pilatus, qui tulit sententiam mortis & milites qui crucifixerunt illum.

Propter hæc argumenta Magister Soto libro. 5. de Iustitia & iure. quæstio. 1. articulo. 7. tenet quod ipse innocens in tali casu debet exire ad tyrannum ex charitate patriæ: sed respublica non potest eum tradere aut cogere vt exeat.

Nihilominus sit nobis conclusio certa. Respublica potest præcipere innocentem, vt exat ad tyrannũ quod si noluerit iã non est innocens, & idcirco poterit respublica illum tradere tyranno. Probatur cõclusio. Quia respublica habet autoritatem præcipiẽdi ciuibus quenlibet actum moralem bonum ex obiecto suo, imo & indifferentem quando expedierit bono communi.

Confirmatur hæc doctrina, ex Aristotel. libro. 5. Ethicorum. capit. 7. quod multi actus sunt qui ante legem latam nihil refert sic vel aliter fiant: at vero post latam legem iam sunt actus boni neque possũt aliter fieri, at vero in nostro casu posito ille actus exeũdi ad tyrannũ erat bonus ante legẽ latã imo necessarius ipsi innocenti ex præcepto charitatis, ergo multo magis poterit esse debitus ex iustitia legali superueniente præcepto reipublicæ quàm si fuisset indifferens, igitur si innocens non obedierit præcepto poterit puniri à republica, & in pœnam peccati tradi tyranno. Et confirmatur ex doctrina Diui Thomę. 2. 2. quæstione 118. artic. 4. ad secundũ. vbi docet quod possunt diuites compelli per legem ad faciendam eleemosynam pauperibus cum necessitas vrget. Id ipsum docet scholastici supra quæst. 32. art. 5.

Ad ar-

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum, quod illic est actus moralis bonus quem potest & debet exercere innocens & mediante illo potest licitè se exponere periculo mortis pro salute reipublicæ & iste actus est exire animose ad tyrannum, & si opus fuerit pugnare cum illo.

Ad secundum negatur minor, vt patet ex doctrina Aristotel. & præterea dicimus quod ille tenetur ex iustitia legali quæ est virtus ordinans actiones particulares hominis ad bonum commune secundum legem.

Ad tertium argumẽtum respondetur, quod postquam ille innocens noluerit obedire reipublicæ iã factus est nocens & poterit respublica proprijs manibus illum occidere & tradere tyranno ad occidẽdum: at vero antequam respublica cognoscat, quod ille non vult exire etiam posita lege non poterit illum ligare & tradere tyranno: hoc enim esset punire innocentem.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm liceat alicui occidere aliquem, se defendendo.

4. dist. 25. q. 1. art. 2. q. 2. ad. 2. & 3.

AD Septimum sic proceditur. Videtur, quòd nulli liceat occidere aliquem, se defendendo. Dicit enim Augustinus † ad Publicam, de occidẽdis hominibus, Ne ab eis quisquam occidatur non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, vt nõ pro se hoc faciat, sed pro alijs, accepta legitima potestate, si eius congruat personæ. Sed ille qui se defendendo, occidit aliquẽ ad hoc eum occidit, ne ipse ab eo occidatur. Ergo hoc videtur esse illicitum.

Epi. 154. à medio illius, to 2. Et habetur 23. q. 5 capit. de occidend.

2. Præterea. In primo de † libero arbitrio dicitur: Quomodo apud diuinã prouidentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt? Eas autem res dicit esse contemnendas, quas homines inuiti amittere possunt, vt ex præmissis † patet. Horum autem præcipuum est vita corporalis. Ergo pro conseruanda vita corporali, nulli licitum est hominem occidere.

Lib. 1. ca. 3. nõ multũ procul à fine, to. 1

In diuisione quæst.

3. Præterea. Nicolaus papa dicit, vt habetur in Decretis in distinctione 50. † de clericis pro quibus cõsuluisti, scilicet, qui se defendendo paganum occiderunt, si postea per pœnitentiam emendati, possũt ad pristinum statum redire, aut ad altiorẽ ascendere, scito nos nullam occasionem dare, nec vllam tribuere licentiam eis, quẽlibet hominem quolibet modo occidendi. Sed ad præcepta moralia seruanda tenentur communiter clerici, & laici. Ergo etiam laicis non est licitum occidere aliquem, se defendendo.

In Decretis dist. 50 ca. de his clericis.

4. Præterea. Homicidium est grauius peccatum, quam simplex fornicatio vel adulterium. Sed nulli licet cõmittere simplicem fornicationem, vel adulterium vel quodcunque aliud peccatum mortale pro conseruatione propriæ vitæ: quia vita spiritualis præferenda est corporali: ergo nulli licet defendendo se ipsum, aliũ occidere, vt propriam vitam conseruet.

5. Præterea. Si arbor est mala, & fructus vt habentur Matth. 7. Sed ipsa defensio sui videtur esse illicita, secundũ illud Rom. 12. Non vos defendentes charissimi. Ergo & occisio hominis exinde procedens est illicita.

Sed contra est, quod Exod. 22. dicitur: Si effringens fur domũ, siue suffodiens inuẽtus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domũ. Ergo etiam si aliquis occidat aliquem pro defensione vitæ suæ, non erit reus homicidij.

Respondeo dicendum, quòd nihil prohibet vnius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius verò sit præter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secundum id quod intenditur. Non autem ab eo quod est præter intentionem, cùm sit per accidens, vt ex supradictis † patet. Ex actu ergo alicuius seipsum defendentis, duplex effectus sequi potest. Vnus quidẽ conseruatio propriæ vitæ, alius autem occisio inuadentis. Actus ergo huiusmodi ex hoc, quòd intenditur conseruatio proprię, vitæ non habet rationem illiciti, cùm hoc sit cuilibet naturale, quòd se conseruet in esse quantum potest. Potest tamen aliquis actus ex bona intentione proueniens illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendam propriam vitam vtatur maiori violentia, quam oporteat, erit illicitum. Si verò moderatè violentiam repellat, erit licita defensio. Nam secundum iura, vim vi repellere licite cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec est necessarium ad salutem, vt homo actũ modaratæ tutelæ, prætermittat ad euitandam occisionem alterius:

q. 41. art. 3 & 1. 2. q. 1. art. 3. & qõ. 29. art. 7.

rius: quia plus tenetur homo vitæ suæ prouidere, quam vitæ alienæ. Sed quia occidere hominem non licet nisi publica autorita, propter bonum commune (vt ex supradictis † patet) illicitum est quòd homo intendat occidere hominem, vt seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam autoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, vt patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro iudicis pugnante contra latrones: quanuis etiam & isti peccent, si priuata libidine moueãtur.

Arist. c. 2. & 5.

Ad primum ergo dicendum, quod autoritas August. intelligenda est in eo casu, quo quis intendit occidere hominem, vt seipsum à morte liberet. In quo etiam casu intelligitur autoritas inducta ex libro de † liber. arbit. Vnde signanter dicitur, pro his rebus: in quo designatur intentio. Et per hoc patet responsio ad Secundum.

In arg. 2. huius art.

Ad tertium dicendum, quòd irregularitas consequitur actum homicidij, etiam si sit absq; peccato: vt patet in iudice, qui iustè aliquem condemnat ad mortem. Et propter hoc clericus, etiam si se defendẽdo, interficiat aliquem, irregularis est quãuis non intendat interficere, sed seipsum defendere.

Ad quartum dicendum, quòd actus fornicationis, vel adulterij non ordinatur ad conseruationem propriæ vitæ ex necessitate, sicut actus, ex quo quandoque sequitur homicidium.

Ad quintum dicendum, quòd ibi prohibetur defensio, quæ est cum liuore vindictæ. Vnde † gloss. dicit: Non vos defendentes, id est, non sitis referientes aduersarios.

Glos. inter lin. ibid.

SVMMA ARTICVLI.

PRIMA conclusio. Si aliquis ad defendendam propriam vitam vtatur maiori violentia quam oporteat, illicitum erit occidere alium se defendendo.

Secunda conclusio. Si quis moderatè violentiam repellat, erit licita defensio etiã si alterum occidat.

Tertia conclusio. Illicitum est quod homo intendat occidere hominem vt seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam autoritatem.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR primò circa secundam conclusionem an vera sit: & arguitur primo contra illam. Vita spiritualis proximi plus debet diligi quam vita corporalis propria, vt supra quæst. 26. art. 5. diffinitum est: sed tunc perit vita spiritualis inuasoris quando me defendendo occido illũ qui est in peccato mortali, ergo potius deberẽ ego pati mortem corporalem quam mittere animam proximi in gehennam. Confirmatur. Si inuasor ex passione vel ignorantia vult me occidere, videtur quod tunc sit saltem tempus necessitatis proximi, vt ego ponam vitam corporalem pro spirituali illius, ergo saltim in tali casu non possum me defendendo illum occidere.

Arguitur secundò. Sequitur ex conclusione Diui Thomæ quod qui dedit causam & fuit in culpa vt ab alio inuaderetur, nihilominus possit defendendo se, occidere inuasorem. v.g. qui adulter deprehensus in adulterio ab ipso marito posset occidere maritum se defendendo, item qui proximum iniurijs lacessiuit possit, si lacessitus aggreditur occidere illum se defendendo.

De hac difficultate prima sententia est Abulen. q. 11. super c. 11. Iosue, ⊕ homo tenet se defendere et occidendo inuasorẽ & videtur quod ratio Diui Tho. in artic. hanc sententiam probet, dum inquit, Plus tenetur homo vitæ suæ prouidere quam vitæ alienæ, ergo non poterit homo desistere à defensione suæ vitæ, ne occidat alterum.

Secunda sentẽtia est Gersonis in tract. de Eucharist. & Ancarrano in lib. de autoritate ecclesiæ. quæstione. 52. articul. 3. & eam sequitur Accursius in lege vt vim. ff. de iustitia & iure. videlicet, quod nemo potest in defensionem propriæ vitæ, interficere aggressorem.

Tertia sententia est D. Antonini in 3. p. tit. 5. c. 8. §. 3. quã sequitur Nauar. in suo manuali. c. 15. nu. 7. & super. c. fin. 14. q. 6. nu. 15. videlicet quòd licitum est se defendendo occidere inuasorem præterquam quando is qui inuaditur dedit culpabilem causam aggressori, qualem dat adulter marito in adulterio deprehensus, & ille qui alterum conuitijs lacessiuit, vt se aggrederetur.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Licitum est non defendere propriã vitam quando homo non potest aliter se defendere quam occidendo inuasorem. Probatur conclusio ex doctrina D. August. li. 1. de doctr. Christ. c. 27. homo debet plus diligere proximum quam corpus proprium, quæ quidem doctrina secundùm communem intelligentiam Theologorum aliquando est in præcepto, aliquando in consilio, vt diffinitum est à nobis supra quæ. 26. art. 4. ad 3. & art. 5. ad 3. ergo quanuis homo possit se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ occidendo inuasorem, licitum tamen erit ei ex perfecta charitate velle potius pati mortem temporalem quam quod, ipse inuasor pereat in æternum. Probatur secundo exemplo Christi & plurimorum martyrum, qui cum possent se defendere à tyrannis voluerunt potius pati mortem, ergo non quotiescunque homo potest se defendere tenetur quando fuerit causa aliqua spiritualis ad Dei gloriam vel ad salutem proximi. Confirmatur ex doctrina Christi, Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Quam doctrinam vniuersi Christianis sequi possunt ex consilio Euangelico, item Ecclesiast. 28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur, & quãuis in prædicto nostro casu non sit præceptum obligans, poterit tamen homo vti consilio ad maiorem consuetudinem comparandam, & vt non se exponat periculo iræ & vindictæ contra proximum. Obseruandum est tamen quod conclusio intelligẽda est quando vita eius qui inuaditur non est multũ necessaria reipublicæ imo etiam quando non est simile

mile periculum circa salutem animæ propriæ. Tunc enim in ijs duobus casibus magis debet homo prouidere propriæ vitæ quam alienæ.

Secunda conclusio. Licitum est homini se defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere inuasorem. Probatur primò ratione D. Thom. in corpore articuli, quæ est demõstratio naturalis. Itẽ ex capit. ius naturale. distinctione. 1. vbi asseritur esse iuris naturalis vt liceat vim vi repellere, & idipsum habetur in l. vt vim. ff. de iustitia & iure. & in c. significasti. el secundo de homicidio. & in cap. si vero. de sententia excommunicationis. Hanc doctrinam eleganter pro sequitur Cicero in oratione pro Milone & est communis cõsensus omnium Philosophorũ Theologorum. Hæc conclusio intelligenda est cum exceptione quadam: quando scilicet ex morte aggressoris sequitur notabile damnũ reipublicæ, tũc enim tenetur homo potius pati mortem quàm occidere inuasorem cum tanto damno boni communis & hoc ipsa natura nos docet: experimur enim qd grauia elementa proprios motus deorsum obliuiscuntur & ascendunt sursum, ne detur vacuũ quod esset maximum damnum vniuersi. Sed nihilominus dicimus, quòd si occiderit inuasorem defendendo propriam vitam cum moderamine non peccat contra iustitiam commutatiuam per comparationem ad inimicum occisum, sed peccat mortaliter & grauiter contra charitatem & pietatem contra patriam, & insuper contra iustitiam commutatiuã per comparationem ad rempublicam cui maximum detrimentum infert. Aliud enim esset non defendere regem cum possis & aliud occidere, etenim in priori casu peccas tantum contra charitatem, in secundo vero peccas contra iustitiam commutatiuam damnificando rempublicam.

Tertia conclusio. Licitum est occidere inuasorẽ, etiam si ille qui inuaditur fuerit in culpa prius vt alter aggrederetur ipsum. Hæc probatur eisdem rationibus & iuribus sicut præcedens conclusio. Etenim adulter ex iniuria quã facit marito non amittit ius naturale defendendi propriam vitam. Præterea ipse inuasor iniuriã & vim facit, etiam si prius fuerit lacessitus factis aut verbis, ergo licitum est vim illam & iniuriam repellere. Et confirmatur à simili. Si meus proximus sua culpa & prodigalitate deuenit in extremam necessitatem ego teneor illi succurrere, ergo etiam si ego mea culpa me constituerim in illo periculo: non tamen poterit alter me occidere, & ego possum licitè me defendere.

Obseruandum est tamen, quod si adulter vel lacessitor præuidit pericula mortis futura ex actione propria, peccat certe peccatum homicidij in corde suo quando tale periculum præuidens, nihilominus statuit se in illo cõstituere. At vero postea in ipso periculo positus, non amittit ius defendendi se: imo tunc illi est maior ratio se defendendi donec doleat de peccato quod non est ita facile in illo conflictu & perturbatione animi.

AD argumenta in oppositum respondetur. Ad primum, quòd illa doctrina intelligenda est, quando proximus est in graui aut extrema necessitate: at vero quando ipse inuasor ex malitia sua se exponit tanto periculo: non teneor ego amittere vitam corporalem ne ille damnetur. Ad confirmationem respondetur, quòd quanuis inuasor ex passione vel ignorantia etiam inuincibili aggrediatur, nihilominus non ex eo derogatur iuri naturali quod ego habeo, vt defendam propriam vitam.

Quod si obijcias, tunc esse casum necessitatis in quo debeo uitã corporalẽ ponere pro vita spirituali proximi, ergo non licet interficere talẽ inuasorem. Respondetur, ⊕ in ipso inuasore duplex miseria esse potest. Altera quod sit in peccato quod ipse aliàs commiserat: altera quod dum aggreditur me, afficitur passione absorbente vsum rationis & iudicium, vel habet ignorantiam inuincibilem iudicans, quod ego volo illum occidere. Dico ergo, quòd medium ordinatum ad moderandam passionem eius, vel tollendam ignorantiam, non est quòd ego amittam propriam vitam, manet enim ille cum eadem ignorantia & passione ex quibus me interficere intendit, Rursus neque ad liberandum illum à peccato quod aliàs commiserat, medium est quod ego permittam me occidi. Manet enim cum eodem peccato me interfecto. Sibi igitur imputandum erit si moritur in peccato quod vltro commiserat, neque pœnituerat. Non enim propterea debeo amittere ius quod habeo ad defendendam propriam vitam, sed possum me ab illo defendere sicut à bestia fera.

Ad alterum argumentum patet ex dictis in tertia conclusione, non enim adulter confert ius marito, vt occidat illum; neque ipse amittit ius quod habebat defendendi vitam propriam ex eo quod adulterium commisit.

DVBITATVR secundò. An pro defensione rerum temporalium vel honoris licitum sit inuasorem occidere? Ad hoc breuiter respondetur conclusione affirmatiua, dummodo talis defensio fiat cum moderamine secundùm proportionem ad finem intentum. Hæc conclusio est consensus Philosophorum & ferè omnium Theologorum. Illam asserit Cicero vbi supra, & confirmatur ex Aristotele. 3. Ethicorum, capit. 7. vbi laudat mortem, quam quis oppetit vt tueatur sua, ergo si cum periculo vitæ propriæ potest homo bona temporalia tueri, multo magis cum periculo vitæ aggressoris.

Præterea, Exodi. 28. vt citatur. à D. Thoma in argumento, Sed contra, excusatur à reatu sanguinis qui percussit furẽ effringentem fores vel effodientem domum, Item ratione naturali probatur conclusio. Quoniam diuitiæ sunt instrumenta ad virtutem & necessariæ ad vitæ conseruationem, ergo licitum est ista bona defendere ab iniquo aggressore & vim vi repellere, non obstante occisione illius, quæ per accidens sequitur ex defensione mea: ipse enim potius se occidit moraliter, dum à vi inferenda non desistit. Eadem ratio procedit de honore quod est excellentius bonum, quàm diuitiæ.

Ex dictis sequitur vnum corollarium, quod non tenetur homo fugere aggressorem quando ipsa fuga est ignominiosa: sicuti est militi & viro nobili. Cæterum clericus vel monachus tenetur fugere, si fuga sua defendit vitam aut rem familiarem: non enim amittit honorem secundùm statum suum, quod si noluerit fugere & se defendendo occiderit inuasorem: peccat mortaliter saltem contra charitatem: & certo credo quod peccat cõtra iustitiã. Et rõ est, quia ille non se defendit cum moderamine proportionato ad finem intentum, sed maiorem vim adhibet quàm oporteret ad assequutionem finis, etenim quod respectu vnius hominis est proportionatum medium, respectu alterius non est proportionatum: quoniam ille amitteret honorem si fugeret, hic alter nihil amittit. Conclusio posita intelligenda est cum limitationibus conclusionum præcedentis dubij, scilicet, quòd si fuerit persona publica ipse aggressor, ex cuius morte magnum damnum sequitur reipublicæ, tunc non erit licitum illum occidere pro defensione rerum temporalium & honoris

noris. Argumenta verò quæ contra conclusionem possunt obijci vnico verbo soluuntur, si dicamus quod quanuis homo teneatur plus diligere vitam proximi, quàm bona propria temporalia: hoc tamẽ præceptum non obligat nisi in casu necessitatis proximi, & per media communia & ordinata ad illum finem, hic tamen casus non contingit quando proximus ẽ aggressor ex malitia sua. At vero si ex ignorantia inuincibili aggreditur bona mea rapere, putans esse sua, videtur quod tunc non possim illa defendere occidendo illum. Respondetur nihilominus, quòd iam est in culpa dum propria autoritate contendit vendicare sibi illa bona, sed deberet petere ante iudicem.

A niam latro adhuc est in exercitio capiendi aliena, dum non est iam in loco quieto retinens rem alienam. At uero qui semel percussit uel contumeliam dixit, iam læsit honorem meum, neque portat secum quidquã meũ quod ego possim eripere da manibus eius: sicut si quis abscindat manũ meam, non possum ego abscindere manũ eius. Imo si occidat equum meum: non possum ego occidere equum illius. Quia illa operatio nõ habet rationem defensionis, sed potius offensionis per vindictam. Ita igitur homo se habet qui pro recuperatione honoris percutit eum qui se percussit. Cæterum deantecedente argumenti, nota quòd si fur vel latro iam constituit se in loco tuto, vel rem alienam deposuit

Dvbitatvr tertiò. An sit licitum repercu- B tere eum qui postquam percussit, separat se ab aggressione. v.g. si quis dedit alapam proximo, an percussus possit statim repercurtere?

Arguitur primò pro parte affirmatiua. Quia illa repercussio ẽ recuperatio honoris qui actualiter offenditur, & repercussione defenditur & recuperatur.

Arguitur secundò à simili. Licitum est persequi latronem fugientem capta præda, & eripere illam de manibus eius per uim, etiam cum periculo uitæ latronis, ergo in casu posito in fragranti iniuria, repercutere est quasi eripere prædam honoris de manibus iniqui aggressoris.

Arguitur tertiò. Si quis irritet alterum ad singulare certamen taliter quod irritatus amittat honorem, nisi acceptauerit pugnam aut statim euaginauerit gladium: & licitum est illi defendere suum honorem, etiam si is qui irritauit illum uerbis, iam taceat neque ultra progrediatur, ergo etiam licitum erit percutientem repercutere pro defensione honoris qui adhuc læditur.

Nihilominus sit nobis certissima conclusio & catholica doctrina. Non est licitum repercutere eu qui percussit, nisi forte adhuc persequeretur impugnat tunc enim repercussio hẽt ratione defensionis respectu imminẽtis periculi, non uindictæ respectu præteritæ iniuriæ. Probatur egregio testimoni. 1. Petri. cap. 3. Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto. Item probatur, quoniam uindicta non est licita particularibus, ut patet Ecclesiast. 28. Qui uindicari vult, à domino inueniet vindictam. At vero qui repercutit vindicat se de percutienti, ergo peccat mortaliter. Hæc est communis doctrina Theologorum bene sentientium. Et si quis aliter sentit iudicio nostro contradicit sacræ Scripturæ. Verum est tamen quòd non desunt qui uelint fingere quòd illa repercusio non habet rationem uindictæ dum fit in feruore pugnæ: sed potius est defensio honoris. Et idem dicunt de illo qui acceptat duellum irritatus ab alio, aiunt enim quòd per illam acceptationem homo defendit honorem suum. Sed profecto uehementer falluntur dum ita E paralogizantur: quod patebit ex solutionibus argumentorum.

Ad primum argumentum respondetur, nego antecedens. Quia quanuis honor secundùm leges diaboli recuperetur, tamen recuperatur per uindictam, quod est illicitum. Et ratio est: quia honor iã est læsus propter illam percussionem priorem, & ideo non habet locum ibi iam defensio, sed est mera uindicta ipsa repercussio: quanuis per illam recuperetur honor apud uiros huius seculi, qui sunt idolatræ mundani honoris.

Ad secundum concedo antecedens & nego consequentiam. Ratio differentiæ est manifesta. Quo-

Dvbitatvr quarto. An in defensionem sui, licitum sit præuenire eum qui paratus est iniquè aggredi? Verbi gratia, an vxor quæ certa est, quòd maritus vult nocte illam suffocare, possit præuenire maritum, & illum occidere. Similiter an habeat rationem defensionis, si quis occidat eum qui vadit ad iudicem, vt imponat falsum testimonium propter quod erit occcidendus, vel infamãdus vel amissurus bona temporalia.

Pro solutione nota, quòd præuenire in præsenti est, antequam inimicus inuadat damnificare. Nota est

secundo, quòd aliquando huiusmodi præuentio nõ A est simpliciter præuentio, sed secundum qui uerbi gratia, quando ego post unum actum aggressionis præuenio alterum, quem prudenter timeo esse futurum in damnum meum.

Sit igitur prima conclusio. Non est licitum simpliciter præuenire eum, quem timeo futurum esse aggressorem. Probatur, quia illa præuentio non est propriè defensio, sed directè est occisio hominis ordinata ad conseruationem propriæ vitæ quemadmodum si adultera nouit, quòd maritus est cõscius adulterij quod illa commisit: qui tamen nondum quidquam parauit, nihil dixit, unde colligat, quòd est actualis aggressor: nihilominus mulier prudenter timet, quòd illam sit occisurus. Dicimus quòd in hoc casu, non est licitum præuenire maritum, & per insidias illum occidere. Confirmatur conclusio. Quia illud vniuersali principium, vim vi repellere licet, nullo modo verificatur in illo casu: quin potius verificatur, quando supra iniuriam factam altera additur.

Secunda conclusio. Postquam iam aggressor fecit aliquam actionem parando mihi insidias, quas ego aliter effugere non possum nisi occidendo illũ: tunc licitum est mihi medio tempore, antequam instet meum damnum, occidere insidiantem etiam si pro tunc quietus sit. Ratio est: quia tunc propriè loquendo est defensio vitæ meæ: nam profecto moraliter loquendo, ille est actualis aggressor. v.g. in casu posito, potest mulier adultera occidere maritum de quo certa est quod iam habet vel uenenum paratum, uel gladium aut aliquid simile: tũc enim vim repellit moraliter loquendo, quanuis physicè pro tunc ipse maritus nihil agat. Similiter dico de secundo casu: quod si ille qui vadit ad iudicem fuerit ad monitus & noluerit retrocedere, poterit is qui iniuriam patitur occidere illum defendendo se vel sua: si aliter non potest. Imo vero Caiet. infra in q. 95. ar. 8. ad 3. & in summa in verbo duellum, ait, quòd innocens tunc poterit prouocare accusatorem ad duellum & occidere: quoniam accusator iam inuadit innocentem occisurus gladio iudicis. Quin potius secundum istam rationem posset etiã occultè occidere aggressorem non prouocando ad duellum, siquidem habet illa actio rationem defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ. At vero contra hanc sententiam Caietani sunt tria argumenta. Primum argumentum est. Si ipse accusator bona fide imponeret mihi crimen, non liceret mihi illum occidere, ergo neque si mala fide. Probo consequentiam. Quia defensio vitæ propriæ, vt iam diximus licita est etiam contra ignorantem in uincibiliter.

Arguitur secundò. Sequeretur quòd etiam si accusator intenderet damnificare in causa ciuili, licitum esset illum occidere. Probatur consequentia. Quia si illa actio habet rationem defensionis, licita erit pro conseruatione rerum temporalium. Consequens autem videtur esse inconueniens. Quoniam tunc daretur occasio litigantibus, ut occiderent homines quos falsos testes esse iudicauerint: quod esset magna perturbatio reipublicæ. Confirmatur. Nam iudex iustè puniret talem interfectorem, ergo ipse iniustè occidit.

Arguitur tertiò. Quia propriè vis non dicitur, nisi quando aliquis actualiter aggreditur aliquo facto per se nociuo, sed ille accusator nondum sic aggreditur, ergo tunc non verificatur, quod vim vi innocens repellit. Magister Soto propter hoc tertium argumentum in lib. 5. de Iust. & iure. q. 1. art. 8. tenet partem negatiuã. Nihilominus sententia Caiet. mihi multo probabilior est. Et cõfirmatur, quia licitũ esset mihi occidere hominem qui vocat seruum, ut me occidat: si non habeo alium medium, quo vitã seruem incolumem. Item si quis vadit vt soluat uel irritet canem aut leonem contra me, licitũ est mihi illum occidere, antequàm soluat canem aut leonem, ergo etiam in casu posito licitum erit occidere accusatorem uel inuasorem.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum, q sicut nõ possum me defendere per vim ab ipso iudice & ministris, qui bona fide secundùm allegata & probata procedunt, etiam si ex ignorantia id faciat, ita neq; accusatorem possum occidere, B qui bona fide & iuridicè me accusat. Ratio est, quia omnes isti exequuntur officium legalis iustitiæ, ac per consequens non faciunt mihi iniuriam. Et confirmatur. Quia innocens probatus nocens tenetur pati mortem illatam à ministris reipublicæ, ergo accusatus tenetur pati accusationem factam secundũ legalem iustitiam. Ratio vtriusque est: quia sic expedit communi bono reipublicæ. Cæterum quando quis me inuadit uel accusat siue ex malitia siue ex ignorantia & non secundum iustitiam legalẽ, licitũ mihi est me defendere, non obstante morte illius.

Sed rogat quis quid agam ego, si quis uadit ad me accusandum de crimine uero sed occulto, ex cu ius accusatione mihi certum periculũ creatur mortis uel infamiæ. Respondetur, q si ille non habet ius ad me accusandum, neque procedit secundùm iustitiam legalem, ita me possum defendere ab illo, sicut ab imponente falsum crimen.

Ad secundum argm respondetur concedo sequelam. Diximus enim iam quod licitum est pro defensione rerum temporalium inuasorem occidere. Cũ igitur ille accusator per se uel per tertiam personam iniquè contendat accipere mea bona: licitum mihi erit illa defendere. Neq; illud inconueniens sequit ex ista doctrina, nisi ex malitia hominum litigantium: qui non prudenter examinabunt circumstantias, in quibus licitum est falsum accusatorem & falsum testem occidere. Ad confirmationem respondetur, concedo antecedens, & nego cõsequentiam. Quia iudex procederet ex falsa præsumptione. At si iuridicè posset probari ratio iustæ defensionis, tunc iudex iniquè puniret interfectorem.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd moraliter loquendo, ille iam cœpit facere uim quando apponit causam certam periculi futuri: sicut qui parat laqueum pedibus meis in loco per quem mihi necesse est transire, neque enim debeo expectare ad repellendam uim, quando iam nullum erit remedium. Sed tunc uerè me defendam, quando iam posita est aliqua actio per quam per bonam cõsequentiam sequitur meum periculum: alioquin postea nullus est locus defensioni relictus.

Dvbitatvr quinto & ultimo. An sit licitum intendere occisionem aggressoris, ut seipsum homo defendat uel sua bona?

Arguitur primò pro parte affirmatiua. Omne quod licitum est facere, licitum est intẽdere & uelle: sed licitum est occidere inuasorem defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ, ergo & uelle occisionem illius & intendere illam.

Arguitur secundò. Licitum est se defendenti ferire aggressorem in corde illius: imo & hoc ipsum intendere, sed talis percussio ex natura sua mortifera est, ergo etiam est licitum intendere occidere illum.

Arguitur tertiò. Quoniam sententia D. Tho. P uidetur

videtur nimis scrupulosa. Quis enim est qui se defendat, qui non eligat occisionem inuasoris, quando non aliter potest euadere? sed electio esse nõ potest sine intentione finis: imo idem actus est electio & intentio diuersis rationibus, ergo nõ peccat moraliter, qui intendit occidere inuasorem, vt se defendat. De hac difficultate M. Soto vbi supra, ait mentem D. Tho. claram esse, videlicet quod tunc duntaxat homicidium fit ex intentione propter defensionem, quãdo quis alterum aggreditur, ipsum præueniens vel ad vindicandam præteritam iniuriam vel ad cauendam futuram. Et ideo optime ait D. Tho. id tantum licere publicę potestati, vel per bellum respectu hostium exteriorum, vel per exequutionem iustitiæ respectu pestilentium ciuium. Sed quando aliquis se defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ, dicit quod nihil horum contingit, etiã si homo directè mittat iaculum ad cor, vt occidat aggressorem. Vnde videtur sentire quod se defendendo cum moderamine non intendit occisionem aggressoris. Et inquit insuper: quòd potest teneri, quòd talis occisio non est medii ad cõseruationem vitæ: sed conseruationis effectus. Nam consueto sermone rectè etiam appellatur medium, eodemq; nomine vtitur D. Thom. in hoc artic. Hactenus Magister Soto. Verum tamen hic modus dicendi & explicandi doctrinam D. Tho. neque nobis placet, neque D. Tho. est, nusquam enim D. Tho. dicit quod occisio hominis est medium licitum personę priuatæ ad conseruationem vitę, sed inquit, quod ipsa defensio est medium ad conseruationem vitæ, & quod ipsa occisio est effectus per accidens consequutus & præter intentionem. Præterea limitare occisionem hominis ex intẽtione, tantum ad illos modos, falsum est. Nam potest quis intendere occidere hominem, vt rapiat pecunias vel ob alium finem ad salutem suam conseruandam. Alij autem aiunt, quòd licitum est velle occisionem & intendere tanquam effectum necessario consequutum ex defensione vitæ: non autem vt medium ad finem. Sed neque isti attingunt veritatem & mentem D. Tho. nã ipse appellat talem occisionem effectum per accidẽs & præter intentionẽ defendentis seipsum. Quapropter effectus ille nulla ratione potest dici moralis & voluntarius ipsi defendenti se. Et ratio est manifesta. Quia ille effectus non est directè voluntarius, vt patet. Neque indirecte, quia non tenetur homo euitare illum effectum, dum secum moderatione defendit, ergo nullo modo est voluntarius. Item falluntur in eo quod dicunt esse effectum necessario consequutum ex defensione vitę. Etenim si dum ego defendo vitam meam, ipse aggressor separet se: nõ sequitur mors illius. At vero si persistit adhuc, & ego me non possum aliter defendere, tunc necessario ex suppositione, consequitur occisio aggressoris, non ex ipsa defensione vt est operatio defendentis volita & moralis. Et propterea propriè respectu illius defensionis dicitur effectus per accidens & præter intentionem operantis. Caiet. autem in hoc loco optime explicat mentem D. Tho. exemplo medici, qui intendit sanitatem infirmi per mediam potionem, ex qua cõsequitur debilitatio infirmi. Tunc enim profectò constat, quod medicus non intendit directè vel indirectè debilitare infirmum: neque accipit pro medio debilitationem: sed solum permittit illam propter maius bonum. Quemadmodum etiam Deus concurrit ad aliquam operationẽ quatenus bona est, quę tamen necessario est peccatum, quatenus est à libero hominis arbitrio contra legem operante: & tamen nullo modo intendit Deus

A peccatum neque directè neque indirectè neque est causa peccati simpliciter: sed solum permittit peccatum propter aliud maius bonum. Ita omnino se habet qui se defendens cum moderamine inculpatæ tutelæ aggressorem occidit.

PRO solutionem argumentorum notandũ est, quòd idem actus materialiter potest esse bonis respectu vnius voluntatis, & malus respectu alterius. v.g. passio Christi fuit valde bona respectu voluntatis Christi: at verò fuit mala vt procedebat à voluntate Iudæorum & crucifigentium.

Notandum secundò. Quod in defensione cũ moderamine inculpatę tutelæ, idem actus materialiter est defensio, & est occisio. Defensio quidem bona,

B quia consideratur ex parte ipsius defendentis tanquam medium proportionatum fini, qui est vitę cõseruatio. Occisio autem est mala respectu inuasoris quia ipse tenebatur se subtrahere ab illo periculo. Et ideo est illi indirectè voluntaria. Cæterum causa physica occisionis illius bene potest contingere quod sit ipse defendens se, nõ autem erit causa moralis, nisi fortè ex vindicta & odio occidat aggressorem, cum se defendit etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ. Est autem hæc doctrina valde necessaria pro alijs materijs moralibus. Sunt enim alij casus, in quibus oportet aduertere, an aliquis effectus, qui alias esset malus, moraliter, sit dicendus

C effectus per accidens, & præter intentionem? Et assumatur vt medium, vt sit directè, vel indirectè volitum? Cuius rei sint nobis duo exempla. Infirmatur quis vehementer infirmitate stomachi, vel opilatione uentris, ad cuius remedium necesse est puri & optimi uini magnam quantitatẽ sumere: unde rursus necesse est, naturaliter quod infirmus inebrietur. Tunc nihilominus secundùm communem sententiam licita est illa medicina, nõ obstãte ebrietate, quoniam ebrietas in illo casu est effectus per accidens, & præter intentionem accipientis medicinam per se ordinatam ad salutem. At uerò si illa medicina immediatè dirigeretur ad ebrietatem, non esset licitum illam sumere, etiam si ex ebrietate rur-

D sus sequeretur conseruatio uitæ. Ratio est: quia nõ sunt facienda mala, ut inde ueniant bona: sicut etiam non sunt relinquenda bona, quanuis præter intentionem operantis sequantur mala: iuxta illud commune. Prouerbium; Potius scandalum nasci permittitur, quàm ueritas relinquat. Est aliud exemplum. Si ad cõseruandam uitam, necessaria esset naturaliter expulsio superfluì seminis: nihilominus non esset licitum uti medicina uel confricatione excitatiua pollutionis. Ratio est, quia tunc sumeretur medium, quod secundùm se illicitum est. At uero si esset aliqua medicina, quæ immediatè ordinaretur ad confortandum partes uegetatiuas uel ad purgandum hominem, unde consequeretur physicè effu-

E sio seminis: licitum esset sumere talem medicinam, quia illa effusio est effectus per accidens, & præter intentionem accipiẽtis medicinam, nisi homo consentiat uel desideret ipsam pollutionem: sicut potest etiam peccare se defendendo, qui gaudet de morte aggressoris. Cæterum dijudicare, qui nam dicantur effectus per accidens, & in quo casu teneatur homo relinquere actionem aliàs bonam, ne inde consequatur malum: uel in quo casu sit ei licitum prosequi bonam actionem, etiamsi inde sequatur aliquod malum: magnum negotium est & prudentię non vulgaris. Duo tamen documenta uniuersalia possumus ante oculos, habere in huiusmodi casibus dijudicandis.

Primum documentum sit. Quando actio bona secun-

secundùm se, ex qua sequitur aliquis effectus secun A dùm se illicitus vel nociuus respectu alterius: est tamen mihi necessaria ad conseruationem eius, ad quod habeo ius: erit mihi licitum in illa bona actione perseuerare: dummodo effectus ille per accidens consequutus non sit nociuus notabiliter bonis communibus. Et multo magis erit licitum persistere in illa actione, quando ipsa est promotiua boni communis. Hoc documentum verificatur in actione defensionis propriæ vitæ, ad quã sequitur occisio aggressoris: & in sumptione medicinæ, ad quam sequitur per accidens ebrietas vel emissio seminis. Verificatur etiam maximè in bello iusto, quando milites pugnantes contra hostes, & ciuitatem, occidunt pariter innocentes per accidens, & præter intentionem. Sic enim expedit communi bono, quòd milites non desistant ab impugnatione ciuitatis, non obstante innocentum periculo.

Secundum documentum sit. Quando actio illa quæ bona est, aut certè non est mala secundum se, non est mihi necessaria, sed potius parum vtilis: etsi cessem ab illa, parum aut nihil nocumenti mihi accidit: & ex alia parte sequitur aliquod nocumentũ notabile proximo: teneor cessare ab illa actione vel ex charitate vel ex iustitia. Verbi gratia. Si quis recreandi animi gratia velit iaculari ad scopum, ad quam actionem ille ius habet: tamen si dum vult iaculari videat hominem transeuntem, & nihilominus iaculetur, & occidat hominem: non potest dici illa occisio effectus per accidens, & præter intentionem iaculantis, sed est illi indirectè volita illa occisio. Et ratio est, quia ille tenebatur cessare ab illa actione: ex quà cessatione parum, aut nihil damni reprobat: quamuis aliàs haberet potestatem iaculãdi. Et per hunc modum in alijs casibus philosophandum est de proposita difficultate.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum quod si sermo sit de licito per se: maior est vera; sed minor est falsa, quod sit licitum per se & absolutè occidere aggressorem: sed solum dicitur esse licitum seu potius non illicitum in sua causa per accidens. Et idcirco non valet consequentia dum infertur, ergo licitum est velle & intendere occisio- D nem aggressoris: sed solum sequitur, ergo licitum est velle & intendere defensionem propriæ vitæ, nõ obstante occisione aggressoris.

Ad secundum respondetur, concedo maiorem & minorem, & nego consequentiam. Quia variatur appellatio uerbi intendere. Non enim sequitur, quod si quis intendit vnum cui aliud intrinsecè annectitur, quòd intendat illud quod intrinsecè annectitur: quemadmodum medicus intendit dare medicamentum propter salutem infirmi: cui tamen medicamento intrinsecum est, quod debilitet, tamen non sequitur quod medicus intendat debilitationem infirmi: nec directè nec indirectè velit E eam.

Ad tertium argumentum respondetur, quod sententia Diui Thomæ, non est scrupulosa prout à nobis explicata est. Eodem enim modo potest homo se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ, non obstante occisione inimici, atque si licitum esset in illo casu intendere occisionem tanquam medium ad salutem propriam. Quin potius doctrina Diui Thomæ sic explicata, est necessaria pro alijs materijs. Et si quis aliter loquitur impropriè loquitur: etiam si sentiat nobiscum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm aliquis casualiter occidens hominem, incurrat homicidij reatum.

AD Octauum sic proceditur. Videtur, quòd aliquis casualiter occidens hominem, incurrat homicidij reatum. Legitur enim Genes. 4. quòd Lamech credens interficere bestiam, interfecit hominem: & reputatum est ei ad homicidium. Ergo reatum homicidij incurrit, qui casualiter hominem occidit.

B

2. Præterea. Exodi. 21. dicitur, Si quis percusserit mulierem prægnantẽ, & abortiuum fecerit: si mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima. Sed hoc potest fieri absque intentione occisionis. Ergo homicidium casuale habet homici-

C dij reatum.

3. Præterea. In decretis distinctione 50. † inducuntur plures canones, quibus casualia homicidia puniuntur. Sed pœnæ non debentur nisi culpæ. Ergo ille qui casualiter hominem occidit, incurrit homicidij reatum. In decret. dist. 50. c. miror. & c. eleticũ. & capi. de his clericis & c. si quis uiduam.

Sed contra est, quod Augustinus † dicit ad Publicolam, Absit, ut ea quæ propter bonum ac licitum facimus, si quid propter hoc præter nostram voluntatem quicquam mali acciderit, nobis imputetur. Sed contingit quandoque, vt propter bonum aliquod facientibus, homicidium consequatur casualiter. Ergo non imputatur facienti ad culpam. Epist. 154. non multũ procul à fine epistom. 2.

D

Respondeo dicendum, quòd secũdum Philosophum in secundo † Physicorum, Casus est causa agens præter intentionem. Et ideo ea quæ casualia sunt simpliciter loquendo, non sunt intenta, neque volun- E taria. Et quia omne peccatum est voluntarium secundum Augustinum, consequens est, quòd casualia, inquantum huiusmodi, non sunt peccata. Contingit tamen, id quod non est actu, & per se volitum vel intentum, esse per accidens volitum vel intentum, secundum quod causa per accidens dicitur remouens prohibẽs. Vnde ille qui non remouet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat remouere, erit quodammodo homicidium volun- Lib 2. textu 49. & 50. to. 2.

tarium. Hoc autem contingit dupliciter. Vno modo quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidiũ incurrit. Alio modo quando non adhibet debitam solicitudinem. Et ideo secundum iura, si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequitur, non incurrit homicidij reatum: si verò det operam rei illicitę, vel etiam det operam rei licitę, non adhibens diligentiam debitam, non euadit homicidij reatum, si ex eius opere mors hominis sequatur.

Ad primum ergo dicendum, quòd Lamech non adhibuit sufficientem diligentiam ad homicidium vitandum, & ideo reatum homicidij non euasit.

Ad secundum dicendum, quòd ille qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitè. Et ideo si sequatur mors vel molieris, vel pueri animati, non effugiet homicidij crimen, præcipuè cùm ex tali percussione in promptu sit, quòd mors sequatur.

Ad tertium dicendum, quòd secundum canones imponitur pœna his qui casualiter occidunt, dantes operam rei illicitæ, vel non adhibentes diligentiam debitam.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Qui dans operam rei licitæ adhibet debitam diligentiam: si ex hoc homicidium sequatur, nõ incurrit homicidij reatum.

Secunda conclusio. Qui dat operam rei illicitæ vel non adhibet diligentiam debitam, non euadit homicidij reatum: si ex eius opere homicidium sequatur.

COMMENTARIVS.

PRo intelligentia literæ articuli. Nota ex D. Tho. in 2. sent. distin. 30. quæst. 1. art. 1. quod nomine reatus propriè intelligitur obligatio ad pœnam propter culpam. Hinc est, quod ipse docet in dist. 42. quęst. 1. art. 2. quod cum reatus sit medium inter culpam & pœnam, accipitur aliquando pro vtralibet. Atque proinde in conclusionibus D. Thom. potest reatus accipi propriè pro ipsa obligatione ad pœnam: potest etiam accipi pro culpa vnde oritur obligatio, vel etiam pro ipsa pœna quæ oritur ex culpa. Tota difficultas huius articuli est de irregularitate, quę consequitur ex occisione uel mutilatione hominis. De qua re agunt Iurisperiti in titulis de homicidio. & in decreto distinct. 50. Summistę in verbo irregularitas. & in uerbo homicidium. Couarru. in Clemen. si furiosus. de homicidio voluntario. Nauar. in manua. c. 27. & super c. fin. 14. quęst. 6. Castro lib. 2. de potestate legis pœnalis. Theologi in 4. Sentent. dist. 25. Soto lib. 5. de Iustit. & iure. quæst. 1. art. 4. & 9.

Quatuor nobis disputanda videntur necessariò in præsenti tractatu. Primum erit de irregularitate, quæ incurritur ex homicidio voluntario. Secundum, de illa quæ incurritur ex homicidio casuali. Tertium, de illa quę incurritur ex mutilatione. Quartum, de modo quo tollitur irregularitas: & simul dicemus, an irregularitas sit propria censura ecclesiastica de qua possit quis absolui, sicut de alijs censuris ecclesiasticis per bullam Cruciatæ.

Ante omnia supponenda est irregularitatis diffinitio. Quæ quidem, vt colligitur ex doctoribus citatis talis est. Irregularitas est impedimentum iure Pontificio introductum ad suscipiendos ordines & in susceptis ministrandum. Dicimus in hac diffinitione quod sit impedimentum iure Pontificio introductum: vt docemus, quod nulla irregularitas iure naturali vel diuino introducta est. In qua re omnes conueniunt. Sed specialiter legendus est Innoc. in c. cùm cum pridem. de renunciatione. & in c. ad audientiam. de homic. voluntario. Et probatur. Tum quia in sacris literis nullus reperitur locus in quo sit introducta irregularitas: tum etiam quia sæpe Summi Pontifices dispensent super irregularitatibus: at vero si irregularitas naturali uel diuino iure esset introducta, non posset fieri huiusmodi dispensatio. Et quamuis 1. ad Timot. cap. 5. videatur fieri mentio de irregularitate bigamiæ, & etiam de illa quę contrahitur ex homicidio: inde tamen non colligitur, quod irregularitas sit diuino iure introducta: quoniam Apostoli statuebant aliquando leges posituas ecclesiasticas vtentes ordinaria potestate, quam habebant in Ecclesia. Ex his sequitur: quod nulla irregularitas est admittenda, nisi fuerit expressa in iure. Probatur. Quia iure positiuo est introducta, ergo ubi non fuerit expressum ius de irregularitate, non est admittenda. Et præterea probatur ex Bonifacio VIII. cap. ijs qui. de sentent. excommu. in 6. ubi expresse hoc ipsum docet. Deinde irregularitas est odiosum impedimentum: sed odia sunt restringenda, ergo in materia irregularitatis, non ualet argumentum per locum à simili vel à fortiori: sed debet esse expressa in ipso iure. v. g. si sit imposita irregularitas contra Sodomitas, non sequitur quod committentes peccatum bestialitatis incurrant illam.

Est tamen argumentum contra istam doctrinã. Quoniam in casu dubij, an Petrus sit irregularis vel non, debet haberi tanquam irregularis, ergo materia irregularitatis non est odiosa. Antecedens probatur ex cap. ad audientiam. & ex cap. significasti. de homicidio. in quibus apertè diffinitur illud antecedens. Ad hoc argumentum Ioannes Andreas, Panormitan. & multi alij Canonistæ in dict. cap. ad audientiam. & Nauar. in suo manua. cap. 27. num. 193. dicunt, quòd in foro conscientiæ in dubio, debet Petrus iudicari irregularis, non autem in foro contentioso. Sed hęc distinctio non probatur à Couar. in loco citato. Sed arguit contra illam primò, quia in citato cap. is qui. absque ulla distinctione inter forum conscientiæ, & iudiciarium decernit Bonifacius, quod nulla est irregularitas est nisi fuerit expressa, in iure, ergo in re dubia, etiam in foro conscientiæ iudicandus est liber Petrus ab irregularitate. Item canones citati, ad audientiam. & significasti, absque distinctione decernunt, quod in re dubia debet quis iudicari irregularis, ergo non oportet distinguere inter forum conscientiæ & iudiciarium, imo vero illa iura ex primæua intentione videntur procedere de foro iudiciario. Aliter ergo respondet Couarruuias dicens, quòd dubium de irregularitate potest contingere dupliciter. Vno modo ut sit dubium de ipso iure. Altero modo vt sit dubium de ipso facto. Hoc est, possumus dubitare an sit lata aliqua lex de tali irregularitate: & rursus possumus dubitare, an Petrus fecerit illam actionem propter quam sit posita irregularitas. Dicit ergo quod quando dubium fuerit de ipso iure: iudicandum est, quod Petrus non sit irregularis. Et probatur ex ca. is qui. ubi supponitur quod nulla est irregularitas, nisi habeatur expressa in ipso iure: at vero si dubitatio fuerit de facto: tunc in utroque foro debet Petrus censeri irregularis, quoniam ita disponit ius ecclesiasticum in illis tribus citatis capitulis. Et quantum ad hoc ita procedendum est de ipsa irregularitate, sicut si esset materia fauorabilis. Et præter ipsa iura citata: est etiã ratio quæ colligitur ex iure. Quoniam in æquali dubio ea pars est eligenda in qua minus periculi est. Sed in materia de qua loquimur minus periculi est, si homo se gerat ut irregularis: quia ex hoc nullum timetur malum, at vero ex opposito magnum incommodum timetur, scilicet, quod irregularis & indignus minister celebret sacramentum. Ex qua etiam ratione possumus colligere, quod si fuerit æquale dubium an Petrus sit excommunicatus aut suspensus, debet se habere tanquam excommunicatus & interdictus, maximè in foro conscientiæ: & debet quærere absolutionem ab huiusmodi uinculis antequam celebret. Sequitur deinde principaliter quod nulla irregularitas contrahitur propter actum purè interiorem. Probatur quia omnis irregularitas introducta est iure pontificio: sed ius pontificium nihil decernit circa actus purè interiores, ergo. Vnde non facile intelligitur, quid significent quędam uerba quę habentur in Iubilæis & Priuilegijs. Videlicet, quod confessarius electus possit dispensare super irregularitate etiam mentali. Fortassis posset quis dicere, quod nomine irregularitatis interioris & mentalis intelligenda est illa quæ incurritur propter actum exteriorem, sed ille actus est occultus, neque potest in iudicio probari: ita vt talis irregularis absoluatur tantum in foro animæ. Huic sententiæ non videtur refragari Couarruuias vbi supra: eo quod verba illa Iubilæi non videntur posse habere alium sensum: quoniam esset ridiculum explicare illam de irregularitate purè mentali. Quia nulla talis est, neque esse potest. Ista intelligentia non est nobis improbabili: & certè probabilior esset: nisi contingeret, quod in multis literis Apostolicis aliqua inseruntur ex inaduertentia notariorum quæ omnino sunt impertinentia & nullum operantur effectum. Sequitur etiam ex dictis falsum esse quod irregularitas incurritur ex effusione sanguinis aut seminis in Ecclesia, sicut opinatus est Soto vbi supra artic. 4. ratio est quia in toto iure non inuenitur.

Est tamen argumentum ad probandum quod est aliqua irregularitas diuino iure introducta. Quoniam irregularitas bigamiæ incurritur ante baptismi susceptionem, vt verbi gratia, si infidelis in statu infidelitatis duas habuit vxores successiuè, est irregularis, ita ut etiam postea susceptó baptismate, non possit promoueri ad ordines sine dispensatione irregularitatis. At uero lex positiua ecclesiastica non extenditur ad eos qui non sunt baptizati, ergo illa irregularitas non incurritur ex iure pontificio. Maior habetur expresè in decreto distinctione 26. capit. acutius. & capitu. deinde. quod est Innocentij Primi. & in capit. vna. quod est Diui Ambrosij. & Innocent. in capitu. deinde. diffinit hanc irregularitatem non tolli per baptismi susceptionem.

Secundò arguitur. Probabilis sententia est, quod propter homicidium perpetratum ante baptismũ incurritur irregularitas, quę non tollitur per baptismi susceptionem: sed illa irregularitas non potest introduci per legem ecclesiasticam, ergo iure diuino uel naturali introducta est. Maior est opinio glossæ in cap. si quis uiduam distinctione 50. quam sequuntur Archidiaconus, Dominicus & alij Canonistę. Et quidam ex Theologis, ut est Ioannes de Maioris in quarto sentent. distinctione 27. quęst. 8.

Ad primum argumentum Diuus Hieronymus, cuius uerba habentur in decreto. distinct. 26. capit. primo, & super primam ad Timoth. capit. tertio, opinatus est, quod ante susceptionem baptismi non contrahitur bigamia. Illum sequuntur gloss. ordi. & Lyra. in illo. capit. ad Timoth. supra. & Maior. in 4. ubi supra. & nonnulli etiam ex Canonistis: vt refert Abbas in capit. gaudemus. de diuortijs. & monentur ad hanc sententiam propter primum argumentum. Nihilominus tenendum est, quod bigamia contrahitur etiam ante baptismi susceptionem, & quod non tollitur istud impedimentum per baptismum. Hanc veritatem efficaciter probant tria capitula citata in primo argumento, præsertim in capit. deinde. quoniam illud est diffinitio Pontificis quæ nos cogit hanc sequi sententiam. Ad argumentum igitur respondetur, quod bigamia consistit in hoc quod aliquis sit diuisus secundum carnem. Fit autem hęc diuisio per hoc quod aliquis successiuè contrahit cum duabus vxoribus: eo quod vir & vxor fiunt vna caro, & idcirco qui cum duabus vxoribus contrahit, diuisus est secundum carnem. Quæ quidem diuisio introducta est non per legem positiuam: sed ex natura rei cognoscitur. Hinc ergo dicimus quod irregularitas bigamiæ habet fundamentaliter ortum ex natura rei: at verò non habet formaliter rationem irregularitatis, nisi accedente lege ecclesiastica, quę prohibet bigamum promoueri ad ordines propter indecentiam, eo quod ministri ecclesiæ debent repræsentare Christum vnius ecclesiæ sponsum & virum: cui repræsentationi non conuenit, quod minister sit bigamus & diuisus secundum carnem.

Ad secundum argumentum. Ipsimet auctores citati & quidam alij, quos refert Couarru. vbi supra, distinguunt de occisione: & aiunt, quod occisio iniusta quæ proprio nomine appellatur homicidium, ante baptismum, vel non inducit irregularitatem, vel si inducit tollitur per baptismum: per quem omnis defectus moralis tollitur, & omnia quæ ipsum consequuntur. Occisio vero iusta & licita inducit irregularitatem. Et de hac occisione procedit argumentum.

Cætetum sententia quæ per oppositum tenet, quod per nullam occisionem siue iustam siue iniustam, quæ fuit ante baptismum, incurritur irregularitas, est communis inter Canonistas, quos refert Couar. vbi supra. & Sylues. verbo, irregularitas. num. 28. quam sententiam etiam sequuntur Theologi doctiores in quarto senten. quidam. distin. 25. alij distin. 27. & hęc sententia habet fundamentum in illo cap. si quis viduam. vbi absolutè & sine aliqua distinctione asseritur, quòd homicidium ante baptismum factũ nõ inducit irregularitatẽ, at vero

ubi ius non distinguit, neque nos debemus distinguere: iuxta commune proloquium Iurisperitorum. Et profecto illa distinctio de occisione iusta vel iniusta impertinens videtur in rem præsentem: quoniam irregularitas quæ ex homicidio contrahitur non tam pensanda est ex iniustitia quam ex significatione scilicet, ex defectu mansuetudinis & lenitatis, qui interuenit in quacunque occisione siue iusta siue iniusta, ergo omnis occisio ante baptismum vel inducit irregularitatem: vel nulla occisio inducit. Ad argumentum igitur secundum negatur antecedēs. Quòd si quis interroget rationem differentiæ, quare bigamia quæ fit ante baptismum inducat irregularitatem post baptismum: & non homicidium? Respondent Couar. & Nauar. vbi supra, quòd irregularitas in homicidio incurritur propter quēdam horrorē, qui tollitur per baptismum. Sed non satis intelligo hanc solutionem: quia irregularitas homicidij non in horrore sed in defectu lenitatis consistit, quam debent seruare ministri altaris: vt conformentur mansuetudini Christi. Qua propter respondemus aliter: quòd defectus qui reperitur in bigamia, pertinet ad naturales defectus, qui quidem possunt incurri ante obligationem legis positiuæ & ante baptismum. Sicut si quis sit mācus ante baptismum. At vero defectus lenitatis, qui consideratur in homicidio: non est defectus naturalis: sed solum habet rationem defectus ex consideratione legis positiuæ, comparantis hominem ad Christum mansuetissimum. Et propterea iste defectus non contrahitur nisi ab illo qui subijcitur legi ecclesiasticæ: non tamen negamus quin potuisset Ecclesia statuere, quod per baptismum auferretur indecentia bigamiæ: Sed assignamus rationem quare Ecclesia noluerit, quòd defectus ille bigamiæ tolleretur in baptismo: quin potius baptizatus statim incipere esse formaliter irregularis. Hactenus de diffinitione irregularitatis.

Iam vero accedentes ad primam considerationem quæ est de homicidio voluntario, quomodo ex illo contrahatur irregularitas, statuimus certam conclusionem. Propter homicidium voluntarium ante baptismum siue iustè siue iniustè fiat, nulla incurritur irregularitas. Probatur ex ipsa dispositione iuris titul. de homicidio libro 6. & in illa distinctione 50. Decreti.

Aduertendum est autem primo, quod quanuis homicidium, si ad proprietatem vocis attendamus, denotet occisionem iniustam, tamen secundum iuris consuetudinem loquendi, sæpe accipitur vniuersaliter pro occisione hominis siue iusta siue iniusta, hoc patet in titulis de homicidio, vbi secundum communem intelligentiam Canonistarum, nomine homicidij intelligitur etiam occisio iusta. Et certè Diuus Thomas articulo præcedenti ad tertium, etiam videtur vsurpare homicidium in ista significatione ampla. An uerò in vniuersum tam in iure communi, quàm in priuilegijs specialibus hoc nomen homicidium voluntarium accipiatur in hac ampla acceptione, dicemus infra in secundo tractatu.

Aduertendum secundo, quod homicidium voluntarium illud est, quòd procedit ex intentione: siue intendatur vt finis, siue vt medium, siue vt effectus necessario cōsequutus ad aliquam actionem Physicè loquendo, præuisus tamen est ab operante: quanuis sequatur præter intentionem eius & per accidens. Hinc est quod quando aliquis in sui defensionem interficit aggressorem, illa occisio appellatur homicidium voluntarium secundum consuetudinem iuris & modum loquendi Iurisperitorum.

Nihilominus, differentia versatur inter doctores in diffiniendo, an homicidium quod in se ipso non est voluntarium, sed in sua causa, debeat reputari voluntarium quantùm ad rationem incurrēdi irregularitatem, & modum dispensandi in ipsa irregularitate. Quæ res multum refert, vt intelligamus ad quantum se extendunt concessiones iuris & priuilegia, quando datur facultas dispensandi super irregularitatem casualem, præter eam quæ est ex homicidio voluntario. Caietanus in hoc articulo in solutione ad tertium, dicit quod illud homicidium, quod est volitum in causa ex qua per se moraliter, & vt in plurimum sequitur mors, censendum erit volūtarium. Ponit exemplum, verbi gratia, qui mulieri impregnanti magnum terrorem incutit, ex quo sequitur abortus fœtus animati, censetur homicida voluntarius: & incurrit irregularitatem homicidij voluntarij: quoniam ex illo terrore per se & regulariter sequitur aborsus in muliere prægnante. Hanc sententiam sequitur Couarruuias in secunda parte relectionis citatæ à principio. Et probatur primo, quia qui vult causam per se, vult etiam totum illud quod ex causa sequitur, ergo qui vult homicidium in causa ex qua sequitur per se mors, vult etiam per se mortem & ex consequenti est voluntarium homicidium. Confirmatur, quia illud dicitur homicidium casuale, quod sequitur præter intentionem operantis: sed homicidium quod sequitur ex causa per se ex qua vt in plurimum sequitur mors, non est præter intentionem, imo videtur vitualiter volitum, ergo numerādum est inter voluntaria homicidia. Secundò probatur ex capit. fina. de homicidio. in sexto. vbi censetur homicida & irregularis ille qui præcepit seruo, vt aliquem verberaret, exprimendo tamen ne occidas vel mutiles, si de facto ex verberatione sequuta est mors. Hoc autem non alia ratione decernitur, nisi quia homicidium, illud fuit volitum in sua causa, scilicet in verberatione, ergo vera est sententia Caietani. Aliter sentit Nauarrus in suo Manuali capitul. 17. numere 240. vbi duo asserit. Primum est, quòd qui vult homicidium in causa proxima ex qua necessario sequitur mors naturali necessitate: reputatur homicida voluntarius. Verbi gratia, si quis propinat venenum alicui, etiam si id faciat sine animo occidendi, est homicida voluntarius: quoniam venenum est causa proxima inferens mortem. Secundum est, quod quando causa non est ita proxima neque necessariò sequitur mors ex illa, quanuis sequatur regulariter, non tamen censebitur homicidium voluntarium. Hoc secundum dictum directè contrariatur opinioni Caietani. Sed probatur, quia quando homicidium voluntarium diffinitur in iure, illud esse dicitur, quod dolo & animo occidēdi committitur: ita diffinitur in l. prima. ff. de Siccarijs. ergo homicidium quod non committitur animo occidendi non censetur in ipso iure voluntarium. Secundò probatur, quia in Concilio Tridentino, sessione 14. capit 7. illud duntaxat appellatur homicidium voluntarium quod fit per insidias aut ex proposito: & omne aliud homicidium reducitur ad homicidia casualia. At vero illud homicidium, quòd est tantum voluntarium in sua causa aliquantum remota: non censetur fieri per insidias neque ex proposito, ergo numerabitur inter casualia.

Tertiò probatur. Illud capit. vltimum. de homicidio. in sexto. in quo potissimum fundatur sententia contraria, non probat quòd homicidium, de quo

quo ibi fit mentio, sit voluntarium: sed tantum probat, quòd inducat irregularitatem: & quod ille est homicidia. Sed omnia hæc verificantur satis de homicidio casuali, quod potest inducere irregularitatem. Alijs verò Theologis placet magis hęc opinio doctissimi Nauarri: quanuis dicant quod si attēdamus ad rigorem Metaphysicum & Philosophicū moralem, sententia Caietani verissima est, & eius argumentum cōuinceret illud homicidium esse simpliciter voluntarium. At vero ex iuris benignitate & pia interpretatione hmōi homicidiū, de quo procedit secundū dictū Nauarri, non debet censeri volūtarium quantum ad modū rigorosum inducendi irregularitatem, quanuis alias inducat illam tanquā homicidium casuale. Præterea mouentur ex verbis Concilij Tridentini iam citati. Et denique quoniā secundum leges ciuiles iam citatas & plures alias, huiusmodi homicidium non punitur pœna ordinaria & rigorosa: sicut ponitur homicidium voluntarium: sed ius Canonicum debet esse magis pium quam ciuile. Ergo si ius ciuile non reputat huiusmodi homicidium esse voluntarium, multominus iure Canonico debet censeri voluntarium quantum ad rigorosam pœnam & censuram irregularitatis. Nobis tamen neuter modus dicendi plene satisfacit, multo autem minus sententia Caietani, videtur. nōloqui de voluntario quantum attinet ad veram culpam. Constat autem, quòd irregularitas absque aliqua culpa potest contrahi, ergo non loquitur de homicidio voluntario, quantum attinet ad irregularitatem.

Denique ratio Caietani satis infirma est. Ostendimus enim iam non esse consequentiam necessariam, quod si quis vult causam velit etiam effectum qui per se consequitur ad ipsam causam, verbi gratia, infirmus vult sumere potionem ex qua per se & necessario sequitur debilitatio, & tamen non vult debilitationem: licet permittat illam. Sed oportebat adijcere, vt ratio Caietani esset bona, quòd homo teneretur euitare illam causam. Tunc enim effectus consequens esset voluntarius in sua causam saltem indirectè. Deinde modus explicandi Nauarri, etiā impugnatur exemplo. Verbi gratias, quando quis defendens amicum aut patrem, occidit aggressorem: nulla ratione est voluntaria illa occisio nec directè nec indirectè: & tamen incurritur irregularitatis. ergo necessarius est alius modus explicandi, quomodo per homicidiū volūtarium incurratur secundum rigorem iuris irregularitas. Etenim prędictum homicidium non potest reduci ad casuale: contrahitur enim irregularitas indispensabilis, nisi per summum Pontificem. Præterea secundum communem omnium sententiam consulens, prēcipiens, exhortans ad occisionem alicuius, si sequatur occisio contrahit irregularitatem rigorosam homicidij voluntarii. Etenim non est necessarium, quòd ad consilium, ad præceptum, ad exortationem sequatur ille affectus occisionis: imo neque vt in plurimum consequitur. Ergo alius modus explicandi necessarius est, vt intelligamus quando contrahitur irregularitas secundum rigorem iuris ex homicidio voluntario, prout opponitur casuali. Sit igitur nobis hæc regula.

Quotiescunque voluntas hominis directa siue licitè siue illicitè, influit in effectum occisionis influētia morali, incurritur irregularitas secundum rigorem iuris ex homicidio voluntario. In hac regula includimus prætores, ferentes sententiā sanguinis, accusatorem, & testes, aduocatum contra reum, tabellionem, carnificem, præconem. Includimus etiam omne homicidium ex proposito quod est peccatum mortale. At vero consequenter etiam includimus præcipientes, consulentes, exhortantes, & auxilium scienter dantes. Non autem includimus homicidia omnia mortaliter culpabilia ex negligentia, considerantis quod sequeretur occisio. Hæc enim appellantur secundum morem loquendi iuris Canonici homicidia casualia: quanuis propter illa incurratur irregularitas dispensabilis ab episcopo. Si autem esset pure causalia præter omnem rationem voluntarij, non incurritur propter ipsa homicidia aliqua irregularitas.

Secunda regula est magis particularis. Quando occisio futura præuisa est in sua causa: & nihilominus homo vult operari causam illam: vel quia licitū est sibi sic operari, vel quia tenetur, vel etiam peccādo sic operetur: manet irregularis secundum rigorem iuris: & illa occisio dicitur homicidium voluntarium. Ab ista secunda regula excipiuntur aliqui casus ex benignitate iuris. Videlicet quando quis defendens se ipsū præuidet mortē aggressoris futurā, & nihilominus se defendit. Sed nō excipitur qū præuidet mortem aggressoris defendēdo patrē, vbi nullū est peccatū: imo esset peccatū si non defenderet. Ratio huius est, quia in hoc impedimēto ecclesiastico irregularitatis, quæ contrahitur ex occisione hominis, magis attenditur in ipsa repræsentatione occisionis: quàm ratio culpæ. Et propterea quædam irregularitates ex homicidio, quæ contractæ sunt simul cum peccato mortali sunt facilius dispēsabiles: quoniam occisio fuit casualis aliquomodo, quàm aliæ irregularitates, quæ sine culpa contractæ sunt: eo quòd occisiones istæ non fuerunt à casū, sed fuerunt præuisæ & directè volitę vt medium ad finem: sicut Prætor vult suspendere latronem. Nihilominus vt hæc magis explicentur.

DVBITATVR primo. An qui defensionē propriæ vitæ alterum occidit, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, maneat nihilominus irregularis. Et ratio dubij prima est, quia homicidium voluntarium illud ēt est, si quis prēuidens mortem aggressoris, illum interficit. Ergo manet irregularis. Patet consequentia, quia omne homicidium volūtarium inducit irregularitatem. Illud autem nō est casuale.

Secundò, hoc videtur expressum in Concilio Tridentino, Sessione 14. Decreto de reformationem capit. 7. vbi dicitur. Si vero homicidium non ex proposito, sed à casu vel vim vi repellēdo, vt quis se à morte defendat, fuisse commissum narretur, committatur ordinario loci, vel Metropolitano, aut episcopo: qui probato euentu possit dispensare. Ecce irregularis censetur qui se defendendo alterum occidit, siquidem dispensatio huius casu committitur episcopo.

Respondetur tamen, quod tempore D. Thomæ iste talis irregularis habebatur, vt colligitur ex articulo præcedenti ad tertium, vt ibi bene notat Caietanus. Nihilominus tamen nostris temporibus iam certū est oppositum: quòd videlicet non maneant irregularis. Patet ex Clementia, si furiosus. de homicidio. vbi excipitur ab irregularitate, qui purè causaliter occidit, & qui etiam occidit in defensionem suæ vitæ. Disputāt autem doctores. Vtrùm ante decisionē istam Clementis vere maneret irregularis iste occidens, defendendo se. Nauar. in Manuali capit. 27. numer. 209. dicit quòd Pontifex in illa Clementia, nō fecit nouum ius: sed declarauit antiquum. Et fatetur hoc esse contra D. Thom. & ratio illius est: quia textus non continet verba, quæ denotent nouum ius, ergo ita interpretandus est. Sequuntur illum aliqui iuniores, maximè ex Iurisperitis. Veruntamen oppo-

ſitum reputo uerum & colligo à poſteriori, quia nul
A lum ius antiquum extat ante illam Clementinam, nec Nauarus illud attulit, ergo non erat in iure. Et etiam quia Diuus Thom. id non ignorabat, qui tanquam certo ſupponit, talem homicidam incurrere irregularitatem: olim ergo omnes homicida volũtarius irregularis erat, & ſolum excipiebatur homicidium purè caſuale.

Ad primum reſpondetur, concedendo, quod talis homicida voluntarius eſt, quia ſciens operatur & præuidens effectum & mortem futuram: nihilominus cum damno aggreſſoris ſe defendit. Cæterum ex benignitate iuris excipitur iſte talis ab irregularitate: quia omnia iura tam naturalia quam poſitiua fauent conſeruationi viuentium, & maxime quando in conſeruanda vita homo patitur violentiam.

Sed contra. Sequitur, quod non manet irregularis adulter, qui occidit in defenſionem ſuæ vitæ maritum adulteræ inuadentem ipſum. Probatur ſequela. Quia hoc facit etiam in defenſionem propriæ vitæ ad quam conſeruandam habet ius in illo caſu. Ad hoc quidam ex Iuriſperitis negant conſequentiam, & ſequuntur ſententiam Nauar. in manuali, cap. 15. nu. 7. & etiam Couar. vbi ſupra. Dicunt enim iſti, quod illa actio illicita adulterij: eſt quaſi via moraliter loquendo ad homicidium alterius, & idcirco inducit irregularitatem, nihilominus oppoſitum eſt probabilius. Et fundamentum contrariæ ſententiæ ſupponit falſum, quia quanuis aliquando ex tali actione illicita, ſequatur homicidium, tamen eſt per accidens. Moraliter enim & frequenter illud non ſequitur. Quocirca tenendum eſt, quòd nõ maneat irregularis, magis quàm qui dans operam rei licitæ in ſui defenſionem, alterum occidit.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd Concil. Trident. loquitur, quando iſte ſe defendens dubitat rationabiliter de modo iuſtæ defenſionis, & vtrùm cum moderamine inculpatæ tutelæ, aut ſine illo tale homicidium commiſerit: iſte enim caſus frequenter contingere poteſt & ita iuſtum eſt, vt committatur ordinatio & eius diſcuſſio & diſpenſatio. Summo autem Pontifici reſeruantur irregularitates omnes quæ oriuntur ex homicidio voluntario & à propoſito.

Aliud dubium eſt, Vtrùm qui occidit alterum pro defenſione honoris & bonorum temporalium, maneat irregulari? Couarr. relect. iam citata, par. 3, numer. 4. dubitat de occidente in defenſionem honoris, an maneat irregularis: nihilominus tamen numero. 5. concludit reſolutorie, quod occidens ſiue defendendo honorem ſiue proprium cenſum, non manet irregularis. Probatur hæc ſententia ex capit. 2. de homicidio, vbi Summus Põtifex diffinit, quòd non ſit deponẽdus clericus, qui interfecit latronem volentem expoliare illum, ergo non inducitur irregularitas ex occiſione pro defenſione bonorum temporalium, alioquin deponendus eſſet iſte.

Secundò de honore ſpecialiter arguitur: quia à viris probis & rectè ſentientibus honor præfertur vitæ & prudenter ac iuſtè quis pro honore prodigit vitam, ergo ſicut qui pro defenſione vitæ occidens inuaſorem non manet irregularis, ita non manebit irregularis qui pro defenſione honoris alterum occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Tertiò. Facultates & bona temporalia per ſe ordinantur in conſeruationem vitæ, ergo ſicut in defenſione vitæ occidens non manet irregularis, ita neque occidens pro defenſione bonorum. Conſequentia probatur à paritate rationis: quia eadem cauſa eſt de fine & de his quæ per ſe ordinantur in
A conſequutionem finis per ſe, quare Theologi diffiniunt quod ſicut licitum eſt defendere uitã etiam cum damno aggreſſoris: ita etiam licet defendere proprium cenſum cum damno tertij, unde regula iuris habetur, quod vbi eſt eadem ratio ſit eadẽ iuris diſpoſitio.

Quarto & eſt argumentum potiſsimum Couar. quia nullus ex occiſione priuata manet irregularis, niſi talis occiſio fuerit culpabilis, ut patet inductiuè: cum ergo occiſio pro defendendo honore & proprijs facultatibus non ſit culpabilis, non inducet irregularitatem.

Alij autem doctores & maxime Theologi tenẽt oppoſitum, & ratio illorum eſt: quia iura non exci-
B piunt homicidam ab irregularitate niſi qui purè caſualiter occidit, uel in ſui defenſionem vel in propriæ vitæ defenſione: ſed qui occidit inuaſorem pro defendendo honorem non occidit caſualiter cum præuideat talem effectum, nec defendit propriam vitam directè, ergo non excipitur in iure. Et fundamentum huius rationis, eſt decretum Bonifacij ſupra citatum qui voluit quòd nullus habeatur irregularis, niſi qui exprimitur in iure, qua ratione & in exceptionibus vtendum eſt vt nulus videlicet homicida excipiatur ab irregularitate, niſi qui expreſſè excipitur in iure. Dicere vero quod talis eſt homicida caſualis in iure: falſum ſup-
C ponit, nam eadem ratione haberetur homicida caſualis, qui pro defendenda vita alterum occidit: hoc vero eſt contra contextum iuris, qui diſtinguit inter homicidam purè caſualem & iſtum qui occidit in ſui defenſionem. Vnde ſententia Theologorum quia tutior & magis conformis iuri tenenda eſt.

Ad primum reſpondetur, quòd ibi Pontifex diſpenſauit cum illo clerico ſuper irregularitate quam contraxerat, & hoc bene colligit glo ſa, quia ibidem præcipitur, quod maneat & viuat in perpetua pœni tentia: quòd ſignum eſt diſpenſationis.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd multi viri honoratiſſimi tenent oppoſitum, quòd videlicet vita præferatur, quia fundamentum eſt omnium reliquorum: & quanuis id daremus oppoſitæ ſenten-
D tiæ, quod honor eſſet præferendus: conſequentia eſt nulla. Sicut non valet, bene viuere quid præſtantius eſt quàm vita: ergo ſicut qui occidit inuaſorem non manet irregularis: ita nec qui occideret impedientem vt aliquis non rectè viuat. Sed contra ſequitur, quòd ſi aggreſſus occidit inuaſorem quem poterat non occidere ſi fugeret, quod maneret irregularis: conſequens eſt falſum, ergo. Sequela patet: quia iſte talis non defendit vitam ſed honorem, poſtquam facile poſſet ſeruare vitam ſine occiſione, quanuis cum aliquali dedecore. Couar. vbi ſupra dubius videtur in hac parte: verum tamen certo tenendum eſt, quod non maneat iſte irregularis: quia directè defendit propriam vitam quanuis per
E accidens admiſceatur defenſio honoris. Sicut enim aggrediens intendit occidere non vero inhonorare ita etiam aggreſſus intendit per ſe defendere propriã uitã non vero honorẽ, nec tenetur cõſulere vitæ alienæ cum iactura proprij honoris quare non cenſetur fuga iſta medium ordinatum aut neceſſario ponendum ad euitandam mortem proximi.

Ad tertium reſpondetur negando conſequentiam. Quia in iure non excipitur expreſsè qui occidit pro defenſione bonorum temporalium, quæ licet ordinentur ad tuendam vitam, non tamen ſemper, nec omnia illa quibus expoliamur neceſſaria ſunt ad vitam. Poterit enim qui ijs bonis priuatur, alia via ſibi comparare bona quibus viuat: ſe-

cus eſſet ſi daretur caſus quòd à me auferetur ab ali A
quo panis quo extremè indigere: quia tunc non defenderem propriè bona temporalia ſed vitam, quæ non poteſt conſeruari ſine tali pane ut ſupponimus. Similiter iudicandum eſt, de illo qui defendit arma ſine quibus abſque dubio morietur. Igitur in caſu argumenti reſpondetur, quòd non eſt eadem ratio de vita & de alijs bonis externis: imo quanuis eſſet eadem ratio, argumentum non valeret: qui irregularitas non ex ratione ſed ex textu penſatur.

Ad quartum reſpondetur, quòd irregularitas nõ ſemper reſpõdetur culpæ, quare non ſemper eſt pœna: ſed quãdoq. vt dictum eſt incurritur propter ſignificationem, & ideo quanuis defendens bona temporalia non culpabiliter occidat: tamen eſt ſuffi B
ciens fundamentum illatæ irregularitatis, nempe ſignificatio.

Dvbitatvr tertiò. Vtrùm occidens aliquem pro defenſione vitæ proximi, aut pro conſeruanda republica: maneat irregularis?

Prima opinio docet: quòd ſi iuſtè quis defendat vitam proximi, ſiue ex præcepto ſiue ex conſilio id faciat, non manet irregularis occidendo inuaſorem. Referuntur autores huius ſententiæ à Couar. vbi ſupra, numer. 5. & argumentum illorum eſt: quia irregularitas vel incurritur propter culpam vel propter ſignificationem: ſed in huiuſmodi defenſore non eſt culpa, vt patet, neque eſt ſignificatio quæ fundat irregularitatem, quod patet: quia defen C
ſio illa eſt maxime meritoria & actus excellentiſſimæ virtutis: ergo nulla ibi eſt ſignificatio cui congruat cenſura aut priuatio ordinum vel executionis eorum.

Alia ſentẽtia per oppoſitum docet, quòd talis occiſor ſemper manet irregularis, ſiue id faciat præcepto ſiue conſilio. Ita tenet Nauar. c. cit. nu. 14. & Caiet. 2. 2. q. 40. art. 2. Alij diſtinguunt in hac parte, quod ſi defendens vitam alienam vel rempublicam, hoc faciat ſua ſponte, manet irregularis occidendo: ſi autem id facit quia præceptum imminet, non manet irregularis. Sunt & aliqui iuniores qui aliter diſtinguunt, quòd ſi talis defenſor & occiſor fuerit ſacris initatus, non manet irregularis: ſi vero D
non ordinatus irregularitatem contrahit, & adhibent rationem huius: quia irregularitas in initiatis ſacris ordinibus, habet ratione pœnæ, ac ſubinde ſupponit culpam, quæ cum nulla ſit in tali defenſore & occiſore non incurretur: verum tamen in non ordinatio iuſtè incurritur propter ſolam ſignificationẽ nõ habens rationem pœnæ. Dico tamen in huius reſolutione, quod ſententia communis & quæ vſu recipitur eſt, quod iuſte talis maneat irregularis, ſiue hoc faciat concilio ſiue præcepto ſiue ordinatus vel non, ſiue pro defendenda vita partis vel proximi, ſiue pro defenſione reipublicæ. Ratio eſt, quia huiuſmodi eſt voluntarius homicidia & non in ſuæ vi
tæ defenſione, ergo ſecundùm ius vbi iſte non ex- E
cipitur, irregularis cenſetur. Et ratio in oppoſitum inualida eſt: quia iudex tenetur ex præcepto occidere reum, & meretur in illo damnando, & tamen manet irregularis. Similiter ante diffinitionem Clemẽtinæ citatæ, qui occidebat alterum in ſuæ vitæ defenſione manebat irregularis, quanuis exerceret opus meritorium. Illud autem diſcrimẽ quod alia opinio inuenit de ordinato vel nõ ordinato futile eſt: quia ordinatus bene poteſt incurrere irregularitatẽ quæ ſolum contrahitur propter ſignificationem: & quidem in caſu poſito eandem habet deformitatem & indecentiam mors ſequuta inordinato atq; in non ordinato, ergo eadẽ ſignificatio ibi conſiderabitur.

Dvbitatvr quartò. Vtrum decuntians coram iudice ex quo ſequitur quod reus interficiatur, maneat irregularis? Pro reſolutione nota, quòd denuntiatio iſta poteſt fieri tripliciter in propoſito. Primò abſolutè & non intendens occiſionem alterius quanuis illam præuideat. Secundò, intendens propriam vindictam denuntians tamen abſolute coram iudice. Tertiò, interius intendens vindictam & occiſionem denuntiati, exterius tamen proteſtans ſe hoc non facere propter vindictam aut intentionem mortis.

Prima concluſio. Duobus modis prioribus ſi fiat denuntiatio & ſequatur homicidium, inducitur irregularitas. Probatur, quia in iure iſte talis cenſetur
B homicida voluntarius, quia quanuis non velit mortem proximi vt finem vel vt medium vult tamen illam in effectu, ergo, eſt irregularis.

Secũda concluſio. Denuntians tertio modo non eſt irregularis. Ita Couarruuias in relectio. citata. & multi iuniores ſubſcribunt. Probatur ex cap. prælatis. de homicidio in. 6. vbi habetur quod clericus denuntians coram iudice ex quo aliquis occidi tur, ſi faciat proteſtationem ſe non intendere alterius mortem aut propriam vindictam, non debet illi imputari, & loquitur iuxta communem interpretationem textus de non imputanda irregularitate, ergo denuntians tertio modo, ſiue clericus ſit
C
ſiue non, non eſt irregularis. Et confirmatur, quia ius Canonicum cum externum ſit non reſpicit animum nec intentionem internam, ergo cum iſte proteſtatur exterius iuxta formam illius capitis: verè excipitur ab irregularitate, nihil conferens aut detrahens à tali exceptione iuris, animus non explicatus.

Sed contra ſunt duo argumenta. Primò arguitur. Nam iſte eſt homicida voluntarius & dans operam rei illicitæ: ergo cenſetur irregularis. Probatur antecedens. Quia peccat in tali denuntiatione. Nec ſufficit dicere, quod iſte ſolum habet internam intentionem prauam: quia talis intentio tendit in opus externum & ibi explicatur: ſicut quando hæ-
D
reticus qui erat purè mentalis poſtea nutibus aut ſignis explicat hæreſim manet excommunicatus in iure.

Secundò. Quia iſte clericus eſto ita ſit, quod non maneat irregularis quia excipitur in iure, tamen non ordinatus nullibi excipitur, & vt ſupra diximus, ſicut ad inducendam irregularitatem requiritur expreſſio iuris, ita ad exceptionem ab irregularitate requiritur expreſſio iuris.

Ad primum reſpondetur, quòd iſte talis non dat operam propriè rei illicitæ, quanuis cum praua intentione licitam denuntiationem exequatur: ſicut qui celebrat in peccato mortali non dicitur dare operam rei ilicitæ: quare licet iſte denuntians ſit homicida voluntarius quantum ad culpam: non tamen talis iudicatur iam ſuppoſita determinatione
E
illius textus, vel ſaltim excipitur, & actus ille interior in iſto denuntiante nunquã manifeſtatus eſt, imo exterius proteſtatus eſt oppoſitum: ſicut ſi hæreticus mentalis dicat exterius oppoſitum illius quod habet interius, non incurrit pœnas iuris.

Et ad ſecundum facile patet, quod ius excipiens clericum virtualiter excipit non ordinatum: & ratio ibi ſubiuncta hoc oſtendit & eſt communis, videlicet, ne mentientes irregularitatem non denuntient, & ſic iniqui homines multiplicentur in republica.

Dvbitatvr quintò. Vtrum clericus vel alius quicunque qui facta proteſtatione prædicta de

nuntiet in causa sanguinis, non in sui sed alterius vindictam maneat irregularis? Nauar. & alij iuniores tenent, quod manet irregularis: quia in dicto caprælatis, solum clericus denuntians contra sibi malefactores eximitur ab irregularitate, ergo si denuntiatio fiat contra malefactores reipublicæ aut proximi, denuntians erit irregularis. Quod confirmant, quia illa est exceptio iuris antiquioris, in quo omnis denuntiator in causa sanguinis manebat irregularis: sed exceptio cum sit odiosa & iniuriosa non est extendenda sed potius restringenda, ergo.

Secunda sententia est in oppositam, quoniam eadem ratio est quãdo denuntiatio fit contra proprios malefactores & in vtilitatem denuntiantis: atque si fiat contra malefactores reipublicæ & in vtilitatem alienam: vbi autem est eadem ratio debet esse eadem iuris dispositio: ergo non censebitur iste irregularis. Ita videtur tenere Caietanus 2.2. quæst. 40. art. 2. & Soto relectione de ratione tegendi & detegendi secretum, memb. 2. quæst. 4. Nec displicet Couarruuiæ vbi supra.

Tertia sententia distinguit, quòd si immineat grauе damnum, & maxime si illud tendat contra bonũ cõe, absque irregularitate siue clericus, siue laicus sit, pót denuntiare in causa sanguinis: cæterum si denũtiatio tendat ad quærendam vindictam, vel sumendam satisfactionem de crimine perpetrato: dicunt, quod incurritur irregularitas: Ita Nauar. capit. citato, numero 213. & capit. 18. numero. 54. & Couarruuias in relectione citata, par. 2. §. 5. & quadrat sententiæ Caietani. 2.2 quæstione. 33. articulo. 7.

Quarta sententia est quod etiam absque irregularitate in causa aliena, non solum reipublicæ sed personæ priuatæ, potest clericus denuntiare: maxime in vtilitatem consanguineorum qui quasi vnum reputantur in iure, ita Felin. in cap. significasti. 2. de homicidio. Sed mihi non placet prima sententia, quia ius canonicum plus debet fauere ijs qui denuntiant in vtilitatem reipublicæ, quàm qui in commodum proprium ergo iustè extenditur illud cap. vt comprehendat denuntiantes in vtilitatem aliorum. Quare tenendum est, quòd cap. illud non est exceptio iuris, sed nouum ius quod se extendit ad clericos denũtiantes, facta tali potestatione, siue hoc fiat in propriam siue in alienam satisfactionem, & hoc fauet secunda sententia.

Tertia sententia displicet, quia voluntariè excipit illum qui intendit satisfactionem proximi. Nam textus non attendit animi intentionem, sed solum requirit quod exterior protestatio fiat, & ne mala exorbitẽt in republica: quare bene corrigitur à quarta sententia. Ex quo sequitur quod in capite illo fit fauor denuntiantibus & iustè defendentibus sua vel aliena, vnde ampliandus est. Et quanuis ibi solum fiat mentio de denuntiantibus contra suos proprios malefactores: rationabiliter tamen & propter causam ibi expressam quæ communis est, extenditur ad non clericos & ad alios qui intendunt satisfactionem, siue publicam siue priuatam.

Nota tamen, quod clericis interdicitur in iure denuntiatio in causa sanguinis, vt patet in cap. clericis, & in cap. sententiam. extra. ne clerici vel monachi quare si non faciat, protestationem. peccat mortaliter & manet irregularis. Laicus vero quanuis maneat irregularis, non tamen peccat mortaliter: quia non est illi interdicta talis denuntiatio.

DVBITATVR sextò. Vtrùm maneat irregularis qui docet, consulit, aut præcipit, vt malefactores occidantur?

Pro parte affirmatiua arguitur primò. Quia etiã imminente causa sanguinis, licet doctoribus publico tradere ea quæ habentur in iure, & decernere in quibus casibus malefactores occidendi sint, quanuis ex hoc iudices postmodum tulerint sententiam capitis, ergo non manent irregulares.

Item confessarius potest iudicem sibi consitentẽ admonere in confessionem, vt puniat malefactores secundùm iura etiam perdendo & occidendo: & tamen non est vero simile, quod iste incurat irregularitatem, ergo licet consulere in causa mortis absq; nota irregularitatis.

Tertiò. Prælati ecclesiastici qui sibi constituunt iudices & ministros etiam in causa sanguinis, illisque præcipiunt vt iustè exequantur pœnas iuris, non manent irregulares, ergo præcipiens mortem in bonum reipublicę non incurrit irregularitatem. Quod maxime confirmatur in inquisitoribus, qui dampnat ad mortem malefactores vel saltum tradunt brachio seculari, quos certo sciunt occidendos.

In hac re nota, quod aliud est speculatiuè docere veritatem: aliud vero consulere & aliud præcipere. Et rursus, aliud est docere veritatem in causa mortis tanquam minister & proxime cooperans vt aduocati faciunt: aliud vero docere illam in communi, & quando non imminet periculum mortis. Similiter, aliud est consulere in cõmuni vt faciunt prædicatores, aliud vero in particulari.

Prima conclusio. Doctor non est irregularis quãuis efficaciter doceat, quod malefactores huius generis plectendi sunt capite. Probatur. Quia isti non intendunt mortem, sed tantum tradunt veritatem speculatiuè, ergo non concurrunt nec indirectè ad homicidium, alioquin omnes cathedrarij iuris, imo & Theologi essemus irregulares.

Sed quid, si iudex esset anceps an Petrus sit occidẽdus, & requirat Iurisconsultũ aut Theologũ, qui decernat talẽ esse occidendum. Respondetur, quod si doctor iste solum tradat veritatem iuris, sicut aliàs consueuit subscribere in casibus requisitis, non vero consulant neque intendat exequutionem in casu particulari: non manet irregularis. Si vero sciens & aduertẽs cãm sanguinis imminere, firmet decretũ, ex quo iudex occidit malefactorem, manet irregularis, quia iste talis non solum tradit veritatem, sed virtualiter vel formaliter consulit mortem.

Secunda conclusio. Prædicator vel confessarius vel alius quilibet consulens, non manet irregularis, quanuis in cõmuni consulant: imo & præcipiant quod malefactores puniantur in republica. Probatur. Qui istud est illorum munus, imo ex alia parte non consulunt mortem neque determinatè neque in particulari. Sed quid, si in particulari de occidendo isto malefactores consulant isti, iudice interogãte? Respondetur, quòd de prędicatore doctore vel alio consiliario certum videtur, quod manent irregulares si tale consilium præstant: quia moraliter loquendo influit in mortem proximi, & iste actus exterior est subiectus iuri canonico: si vero confessarius fuerit, qui intra confessionem tale consilium præstat non manet irregularis: quia actus ille soli Deo reseruatur, & confessarius iure diuino tenetur in illo foro dicere veritatem dubitatam.

Tertia conclusio. Inquisitores non manent irregulares tradentes malefactores brachio seculari. Probatur ex vsu recepto in ecclesia, qui manifeste indicat illos peculiari priuilegio gaudere, & est expressum in cap. ad abolendam. de hæreticis. vbi conceditur illis facultas relaxandi hæreticos brahio seculari. Verum est tamen, quod in cap. nouimus. de verb. signific. præcipitur vt efficaciter intercedant pro illis ne occidantur, quod communiter interpretantur de hæreticis non relapsis nec pertinacibus, non negatiuis, non ficte vel diminutè confitentibus. Vide Roffen. contra Luther. c. vlt. & licet hoc non haberetur in iure, tñ illos excusaret ab irregularitate actus ipse moraliter consideratus: quia illi nõ occidunt mediatè, nec immediatè, nec ferunt sentẽtiam sanguinis, nec sunt consulentes, sed permittunt malefactores puniri à iudice seculari secundum leges regias communes. De episcopis vero hoc ipsum certum est, habeturque in cap. episcop. ne cleric. vel monachi. vt constituant sibi iudices, etiã in causa sanguinis: eo vel maxime quod episcopi non designant iudicem vt specialiter occidat; sed vt iudicet in quibusuis casibus occurrentibus.

DVBITATVR septimò. Vtrùm clerici vel religiosi qui in bello iusto exhortantur milites, vt pugnent & occidant inimicos: maneant irregulares effectu subsequuto? Videtur pars affirmatiuam vera: quia isti verè coadiuuant tanquam consulentes, ergo manent irregulares. Confirmatur. Quoniam sequeretur quod absque irregularitate possent sibi arma assumere ad debellandos hostes. Probatur sequela. Quoniam magis fauent consilio quàm armis. Secundò sequitur, quod eadem ratione absque irregularitate possit clericus vel monachus in bello iniusto consulere vt occidantur aduersarij. Probatur sequela. Quia vterque est æqualis causa homicidij, nec quod bellum sit iniustum auget voluntarium: ergo vtrobique est eadem ratio. Tertiò sequeretur, quod etiam clericus ministrans arma militibus uere occidentibus, non maneat irregularis. Consequens est contra communem; ergo. Sequela patet. Quia iste talis solum est coadiuuans & indirectè concurrens multo minus quàm consiliarius.

In hac re Nauar. supra. tenet, quòd clericus consiliarius in bello iusto non est irregularis: quia non est proxima causa mortis secutæ. Explicat hoc, quia ille dans operam rei licitæ habet obiectum honestum & officiosum, quare multum remotè ad actũ illius sequitur mors: secus autem in bello iniusto ubi obiectum illius actus est iniquum. Hanc sententiam explicant aliqui interpretum in præsenti: quia occisio ista non est directe uolita, ut neque indirectè, quia clerici nec debent nec tenentur eam euitare & hac ratione non censetur voluntaria in iure. Illud enim uoluntarium dicitur indirectè, ut loquimur in præsenti: quando aliquis tenetur cessare ab aliqua actione, uel eandem continuare, & hoc non facit.

Alia sententia est Syluestri & aliorum quos citat, uerbo bellum. 3. §. 2. quod si clerici exhortentur milites in actuali conflictu, homicidio sequuto, manent irregulares: quia iste effectus est quasi proxime sequutus: si autem bellum sit futurum, sacerdos consulens non manet irregularis, quia effectus remotè se habet.

Tertia sententia aliorum qui dicunt, quod si bellum fuerit aggredientis: consiliarij clerici manent irregulares: quia homicidium censetur intentum, si autem fuerit defendentis se, absque irregularitate ipoterunt exhortari. Mihi tamen uidentur omnes istæ sententiæ falsæ.

Et prima quidem impugnatur: quia homicidium uoluntarium, ut patet ex dictis, est quod est intentum tanquam finis uel tanquam medium, uel tanquam effectus coniunctus in re ipsi causæ, & maxime quando tale homicidium est præuisum formaliter: sed huiusmodi sunt homicidia quæ sequuntur in bello propter exhortationem clericorum: ergo. Confirmatur. Nam sequeretur, quod si clericus defendens parrem suum, occidat inuisorem, quod non maneat irregularis: quia eadem ratione occisio illa nõ erit volita directe nec indirectè sed multũ remotè. Si dicas esse discrimen quod homicidium sequutum in defensione parentis, est immediatus effectus illius actionis clerici, non autem quod sequitur in bello propter exhortationem, quare illud proximum censetur ac subinde inducens irregularitatem, istud vero remotum. Contra. Sit casus quod duo fratres defendant parentem, & vnus illorum armis, alius vero industria & consilio occidant aggressorem: sequitur quod iste consiliarius non maneat irregularis. Probatur ex tua ratione. Quia non sequitur homicidium immediatè ex actione ipsius consulentis, eo vel maxime quod isti fratres non tenentur euitare illam actionem defensionis.

Confirmatur item, quia sequeretur quod pro defensione honoris & proprij census posset quis occidere non incurrens irregularitatem. Probatur sequela. Quia iste non intendit occidere & homicidium sequutum remotè se habet ad defensionem, ergo.

Secunda sententia etiam impugnatur: quia eodem modo intendit mortem qui exhortatur in actuali conflictu atque ante illum, & etiam quia verè ex tali consilio vtrobique potest sequi homicidium, ergo vtrobique incurritur eadem censura.

Tertia sententia impugnatur: quia tam aggressus quam defendens occidendo, manet irregularis si defendat vel rempublicam vel pugnet pro bono externo, ergo etiam consulens tale homicidium ex quo in effectu sequitur, est irregularis.

Respondetur ergo ad punctum, quod tales clerici aut monachi in bello iusto non manent irregulares propter dispositionem iuris. Patet in capit. quicunque. cum duobus sequentibus. 23. quæst. 8. & in cap. penultimo de homicidio. & cap. vltimo. de clerico percussore. & per hoc patet ad primum.

Ad confirmationem respondetur certum esse quod potest clericus assumere arma defensiua: si vero assumat offensiua & de facto occidat manet irregularis: secus esset si assumens arma offensiua de facto ipse non occideret, quanuis alij milites adiumento illius occiderent. Ita colligitur ex cap. petitio. extra de homicidio. & ex cap. vltimo. de clerico percussore: peccaret autem grauiter assumens arma offensiua absque magna necessitate & esset deponendus: quod colligitur ex cap. quicunque. 23. quæst. 8.

Ad secundum respondetur negando paritatem rationis: quia & pugnantes & exhortatores in bello iniusto non gaudent priuilegio iuris, nec aliqua ratio fauet illis, vt eximantur ab irregularitate.

Ad tertium respondetur, quòd Syluest. verbo, homicidium. 3. ex sententia multorum tenet partem negatiuam. Nauar. autem vbi supra numer. 215. tenet oppositum & illum multi sequuntur. Ego vero existimo, quod clerici ministrantes arma & maximè si hoc faciant bona intentione, non manent irregulares. Ratio est, quia isti etiam non intendunt homicidium sed defensionem reipublicæ & fœlicem exitum pugne, & etiam quia eadem ratio est atque de consulentibus: vnde merito in eorum fauorem ampliantur iura & gaudent benignitate iuris.

DEINCEPS in 2. parte huius tractatus disputandum

tandum est de irregularitate quæ consequitur ad homicidium casuale. Sed ante omnia statuendum est, quid sit homicidium casuale, secundum modum loquendi iuris. Non enim dicitur casuale quasi nulla ratione sit volitum: ex hoc nanque nulla prorsus cõtrahitur irregularitas, vt iam superioribus diximus & D.Tho.docet in hoc arti.8.sed dicitur homicidiũ casuale,prout distinguitur ab homicidio voluntario secundum modum loquendi ipsius iuris.

Pro cuius maiori intelligentia notandum est, qd potest sequi homicidium ex aliqua actione vel ex aliqua omissione,& hoc quidem dupliciter:vno modo ita vt homicidium illum fuerit præuisum fore sequuturum ex aliqua actione vel ex aliqua omissione. Altero modo,ita vt neque fuerit prouisum neque præuisum etiam si quis tenetur præuidere & impedire & culpabiliter non præuidit. Dicimus ergo quòd homicidium casuale secundum modum loquendi iuris isto secundo modum accipiendum est.

Notandum est secundo, quòd non omne homicidium præuisum fore sequuturum supposita aliqua omissione,dicetur casuale respectu illius: imo vero neque voluntarium. Verbi gratia.Si quis tenetur ex charitate defendere proximum, & præuidet certò quod si non defendit illum occidendus erit: tunc dicimus quod tale homicidium respectu illius hominis, neque dicitur casuale neque voluntarium secundum communem morem loquendi iuris:& ita nulla incurritur irregularitas vt statim dicemus.

DVBITATVR ergo primo breuiter. Vtrum maneat irregularis hic, qui sciens & prudens permittit mortem sui proximi quem commodè poterat defendere? Ad hoc Sylueſter in verbo, homicidium primo.§.vltimo. & homicidium. secundo. §. 15. inclinat magis in partem affirmatiuam vniuersaliter loquendo. Quam sententiam docuerunt quidam antiqui Canonistæ & Couar. vbi supra citatus est: sed aiunt, quod si non defendat ex malitia & dolo, manet irregularis,non autem si desinat defendere non ex malitia & dolo. Veruntamen non explicant quid sit, non defendere cum dolo & absque dolo. Fundamentum huius sententiæ est ratio quæ desumitur ex capit.quantæ.de sententia excommunicationis:vbi excomunicatur qui videns & sciens non defendit clericum ab iniuria quæ sibi infertur. Ergo id ipsum erit dicendum de irregularitate: quoniam eadem est ratio:at vero Nauar.in suo manuali.cap.27.nume.232& 233.. tenet cõtrariam sententiam:quod vniuersaliter loquendo, qui non defendit hominem à morte etiam si possit commodè defendere non incurrit irregularitatem.

PRO decisione huius difficultatis sit prima cõclusio.Qui non defendit illum quem titulo iustitiæ propriæ dictæ tenebatur defendere, manet irregularis si mors consecuta fuerit.v.g.si quis ex pacto se obligauit defendere Petrum,vel ex officio tenebatur defendere & non defendit:manet irregularis irregularitate quidem quæ consequitur ex homicidio voluntario,si sciens & prudens omisit defendere: at vero si negligenter se gessit incurrit irregularitatem,quę consequitur ex homicidio casuali. Exemplum est euidens in prætore,dum coram illo sciente & videntę neque defendente occiditur aliquis ciuis, manet irregularis irregularitate ex homicidio voluntario: si autem non expresse scient & videntę, sed ex aliqua negligentia non considerante sequatur mors, manet irregularis ex homicidio casuali.Ista conclusio quantum ad hoc quod incurratur irregularitas, communis est apud omnes Theologos & Iurisperitos:cæterum quantum ad hoc quod illa irregularitas in priori casu sit dicenda contrahi ex homicidio voluntario:non inuenì in aliquo doctore distincte assertum:sed ratio me conuincit, quoniam illa omissio est iniuriosa directe,respectu hominis qui occidi tur:quoniam sciens & prudens vult non defendere cum teneretur ex iustitia defendere. Ex hac doctrina sequitur, quod etiam medicus qui ex pacto tenetur curare aliquem infirmum, & sciens & prudens non curat,vnde sequitur mors infirmi, manet irregularis ex homicidio voluntario si sciens & prudẽs omisit:si autem ex negligentia,manebit irregularis ex homicidio casuali.Idem dicendum esset proportionabiliter de illo qui voluntariè suscipit custodiã infirmi:si enim ex negligentia illius moritur, manebit irregularis ex homicidio casuali: si autem illo sciente & prudente infirmus moritur, dum custos nõ apponit medium necessarium manebit irregularis ex homicidio voluntario. Aliqui volunt extendere doctrinam huius conclusionis ad eos qui tenentur defendere ex iustitia largo modo dicta.v.g. ad patrẽ qui tenetur ex pietate defendere filium,& ad filium qui tenetur ex pietate defendere patrem, & ad seruum & famulum qui tenetur defendere dominũ verum tamen quoniam huiusmodi irregularitas non habetur in iure, neque rursus ratio contineit quod homicidium consequutum sit voluntarium secundùm morem loquendi iuris, imo uero neque casuale, non oportet illic ponere irregularitatem: nam pari ratione diceres, quòd frater qui non defendit fratrem, & amicus qui non defendit amicũ, manet irregularis: quia etiam ex quadam iustitia largo modo dicta tenentur se adinuicem defendere. Cæterum de famulo & de seruo maior ratio est, quod in prædicto casu incurrat irregularitatem: quoniam est quodam pactum implicitum & interpretatiuum, quòd isti custodiant sicut res ipsas familiares etiam damnum ipsius domus:quando possunt absque notabili suo detrimento defendere: atque ita quemadmodum famulus tenetur restituere rem quam videt rapi à latrone dum ipse tacet dum facile potuisset defendere rem illam: ita etiam est reus mortis ipsius domini, dum facile potuit defendere & non defendit.

Neque valet obiectio, quod pater maiore vinculo tenetur defendere filium, quam ipse famulus patrem familias, ergo et ille incurret irregularitatem: negamus enim consequentiam: quoniam in irregularitate quæ sequitur ex homicidio voluntario,magis attenditur ratio propria iniustitiæ, quàm alterius vitij:nam etiam ex odio potest aliquis non defendere proximum quem commodè poterat defendere:& tamen ille non manet irregularis secundùm communem opinionem, & tamen non consistit ratio incurrendi irregularitatem in eo quod maiori vinculo tenetur defendere, vel in eo qui maiori malitia non defendit:sed in eo quod sit causa influens directè vel indirectè in ipsum effectum occisionis:quod quidem non contingit quando aliquis tenetur ex alia virtute defendere præter ipsam iustitiam: quapropter ad hoc quod incurratur irregularitas ex ipso homicidio, requiritur vel ratio iniustitiæ, vel influentia directè in ipsam occisionem.

Secunda conclusio certissima quæ sequitur ex prima & ex ratione illius. Quando aliquis impedit alium ne defendat proximum qui est in periculo vitæ,manet irregularis si mors fuerit sequuta.Hanc asserit Nauar.in loco supra citato.Et ratio est manifesta.

festa: quia per actionem iniuriosam impedit defensionem proximi,ergo,est causa mortis illius. Neque ualet respondere, quod ipse impeditus non tenebatur succurrere nisi ex charitate, ergo impediens nõ peccat contra iustitiam impediendo. Non enim ualet ista consequentia. Nam etiam Petrus non tenetur dare eleemosynam:nisi ex charitate & misericordia; & tamen impediens peccat contra iustitiam respectu pauperis.

Sed aduertendum est in casu istius conclusionis, quod si quis sciens & prudens impediat aliquem ne defendat, erit irregularis homicidio voluntario: si autem ex inconsideratione culpabili impediuit defensorem,erit homicidium casuale.

Tertia conclusio quæ communiter asseritur.Qui cognoscit aut uidet quod amici aut cõsanguinei uel familiares, tractant inter se de occidendo inimico & uindicanda iniuria sibi facta & non impedit modo sibi possibili ne interficiatur inimicus: erit irregularis,morte sequuta.Ita docet Couar.ubi supra.& Nauar.imo addit Nauarro, quod si non potest obtinere ab illis ne occidant inimicum, tenetur admonere illum, ut sibi caueat aliàs manebit irregularis. Ratio huius sententiæ est,quia in huiusmodi casu illud silentium est consensus cum homicidijs, & ueri ficatur regula iuris,qui tacet consentire uidetur. At uero hæc sententia sic uniuersaliter asserta nobis nõ placet.Et probatur,quod sit falsa.Si illi conferrent inter se de occisione amici, ego non manerem irregularis tacendo, etiam si illi occiderent amicum quam uis certè peccarem contra charitatem & amicitiam: ergo neque si taceo quando agitur de occisione inimici manebo irregularis. Antecedens, communis sententia est,ut statim dicemus. Consequentia probatur, quia non magis debeo ex iustitia inimico quam amico,imo minus,ergo.

Deinde, si in prædicto casu ego taceo, quia existimo nihil me effecturum cum illis,uel quia timeo ali quod damnum magnum, non manebo irregularis: ergo neque si simpliciter & absolutè taceã sine istis circunstantijs: Probo consequentiam,quia ego non magis influo in effectum occisionis in uno casu quã in alio. Dicendum ergo mihi uidetur,quod ista tertia concusio intelligatur de irregularitate quantum ad iudiciũ fori ecclesiastici exterioris: merito enim iudicabitur irregularis, quia merito ꝓsumitur quod suo silentio fauet consultationi amicorum de occisione inimici, & moraliter loquendo ita contingit de facto, quod silentium illud in tali casu nocet inimico. Cæterum in foro conscientiæ aliter iudicandum est.Si enim re uera silẽtium illud non fauet neque fuit exhortatiuum ad occisionem inimici, non manebit ipse tacens irregularis: & hoc probant argumenta quæ fecimus contra conclusionem. Imo uerò adijcimus, quod si silentium illud est quasi exhortatiuum ad occisionem amici uel filij uel patris, manebis irregularis tacens.

Quarta conclusio. Præter casus positos in tribus conclusionibus, qui permittit occisionem proximi sciens & prudens, non manet irregularis. Ita tenet Nauarrus ubi supra.Et probatur,quia in talibus casibus tãtum tenetur homo ex charitate defendere neque uiolat leges iustitiæ:ergo non incurrit irregularitatem ex homicidio.Probatur consequentia.Quia homicidium est contra iustitiam, imo uero etiam si tacens complaceat sibi in morte proximi,non manebit irregularis, si eius silentium non influat in effectum, scilicet in mortem proximi directè neque indirectè, Et ratio est manifesta:quia quãuis ille in corde suo est homicida coram Deo, tamen irregularitas non incurritur nisi ex occisione exteriori cuius homo est causa.

Ad argumentũ ex cap.quante.respondetur,quod quicquid sit de excommunicatione, consequentia nihil ualet: quia excommunicatio attendit iniuriã quæ irrogatur clerico, & statui ecclesiastico,& propterea uoluit ius Canonicum,ut ex non defensione clerici,incurratur excommunicatio. At uero irregularitas quæ incurritur ex homicidio, attenditur ex quadam significatione mansuetudinis uel humilitatis: & ideo noluit ius Canonicum, ut incurratur ex non defensione. Et denique potissima ratio est,quia irregularitas non incurritur,nisi sit expressa in iure. At uero irregularitas ex homicidio uoluntario uel casuali,expressa quidem est in iure:quod autem non defendens sit irregularis non colligitur uniuersaliter, sed solum in casibus triũ nostrarum cõclusionũ.

DVBITATVR secundo, circa secundam conclusionem,an quando irregularitas incurritur propter culpam, sufficiet quod culpa sit uenialis, an uero requiratur quod sit mortalis? Et arguitur primo ad probandum quod sufficiat uenialis culpa. Ex D.Th. ubi supra.ubi ait quod homo incurrit homicidij reatum, quando non remouet ea quæ debet uitare: sed quando homo uenialiter peccat, ex quo sequitur occisio hominis, non remouet id quod debuit uitare: ergo &c.Secundo arguitur.Peccatum ueniale est uoluntarium,ergo homicidium quod sequitur ex illo, erit sufficienter uoluntarium ad contrahendam irregularitatem.Tertiò arguitur.Clericus in minoribus constitutus si exerceat iudicium in causa sanguinis, non peccat nisi uenialiter, ut haber communis opinio;& tamen incurrit irregularitatem, dum iudicat si sequitur mors,ergo &c.

Quartò arguitur,supra diximus,quod irregularitas semper cõtrahitur ex occisione hominis uel mutilatione, nisi sit purè casualis, uel sequatur ex defensione propriæ uitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ: sed cum aliquis occidit hominem ex aliqua ira quæ non sit peccatum mortale,sed ueniale,ut si motus ille irę non fuit plene deliberatus,nec tamen fuit motus primo primus, in quo nullum est peccatum, sed fuit motus secundo primus, ut aiunt Theologi, in quo est ueniale peccatum: tunc dicimus quod uidetur incurri irregularitas:siquidem cõsequitur homicidium non purè casuale, neque ex defensione proprię uitæ.

Ad hoc dubium Caiet. hic dicit sufficere culpam uenialem. Sylueſt. tamen in uerb. homicidium.2.§.2. reg.4. tenet quod leuissima culpa in homicidio casuali non inducit irregularitatem. Et probat ex cap. quæsitum.de pœnit. & remiss. ubi sacerdotes Græci excusantur ab irregularitate propter mortem filiorum paruulorum: si tamen malitiosè non procuraueruntillam uel ex negligentia studiosa fuerit mors consequuta.Ergo non incurritur irregularitas,si solum fuerit leuissima culpa, qualis est peccati uenialis. Alij uerò Canonistæ aiunt,quod si leuissima culpa fuerit non in omittendo, sed in cõmittendo: incurritur irregularitas. Ita Couar. ubi sup. par. 2.§.4. num.9. Alij dicunt, quod siue leuissima culpa sit in committendo siue in omittendo, numquam incurritur irregularitas ex illa. Alij etiam dicunt,quod si leuissima culpa est omittendo potest irregularitas incurri ab illo qui tenetur ex pacto & mercede adhibere diligentiam, & non adhibuit. V.g.si quis sit conductus ad custodiendum infirmum, & sua leuissima culpa infirmus bibat uinum, & moriatur,incurrit irregularitatem.Ita Sylueſt.ubi supra.quæst.15. & Couar.ubi supra.

Pro deci-

PRO decisione huius difficultatis obseruandum est, quod dupliciter potest tractari ista questio, uno modo Theologice in foro conscientiæ coram Deo, ut confessarij sciant iudicare de irregularitate. Altero modo in foro exteriori ecclesiastico, ut iudices sciant ferre sententiam circa irregularitatem: qui sæpè numero procedunt ex præsumptione iuris. Siquidem loquamur isto secũdo modo, uidetur nobis adhibenda fides Iurisperitis, quamuis inter illos sit tanta uarietas opinionũ, ut sit necessarium confugere ad rationem Theologicam, ad iudicandum quæ nã opinio sit probabilior. Verum est tamen, quod ipse iudex ecclesiasticus poterit sequi suam opinionem, quam reputat probabiliorem. Quod si res ista Theologicè disputetur non est nobis regula doctrina Iurisperitorum.

Nos igitur Theologicè diffinientes istam difficultatem. Dicimus primo, quod apud Iuristas, nomine culpæ, non intelligitur peccatum aliquod corã Deo mortale uel ueniale: sed intelligitur priuatio prouidentiæ uel diligentiæ, quæ humano more solet adhiberi ab homine diligente & prudente in aliquo negotio secundum qualitatem negotij: ita sanè ut priuatio diligentiæ & prudentiæ, quam solet adhibere mediocriter diligens, dicatur leuis culpa: priuatio uerò diligentiæ & prudentiæ, quæ solet adhiberi ab homine diligentissimo iuxta naturam negotij, dicatur leuissima culpa: priuatio deniq; diligentiæ quam solent adhibere homines vulgariter diligentes, dicitur lata & ampla culpa, siue in huiusmodi priuationibus prædictis sit aliquod peccatum coram Deo, siue non. Atque ita diximus supra in quæst. 62. art. 6. quod commodatarius tenetur ad restitutionem rei commodatæ quam amisit etiam de leuissima culpa, non autem de casu fortuito qui non cadit sub humana prouidentia, Dicimus secundò. Quòd quando aliquis in foro exteriori iudicatur irregularis, etiam si non sit irregularis coram Deo: nihilominus debet se gerere in exterioribus tanquam irregularis sub pœna peccati mortalis. Probatur, quia excommunicatus in foro exteriori debet se gerere tanquã excommunicatus in rebus exterioribus & publicis, etiam si coram Deo non sit excommunicatus. Ratio est, quia ille tenetur obedire sententiæ iustæ iudicis in re graui, esset enim scandalum oppositum facere: sed idem est iudicium de irregularitate: ergo tenetur homo se gerere tanquam irregularis in publico. Dicimus tertio, quod ad diffiniendũ in foro conscientiæ. Vtrum ex homicidio uel mutilatione incurratur irregularitas· impertinens est quod sequatur ex peccato mortali uel ueniali, & quod sit peccatum ratione obiecti per se uel ratione circunstantiæ. Probatur istud documentum & declaratur: quoniã potest sequi irregularitas homicidij ex actu iusto & bono, ut patet in iudice & in defendente amicum, qui incurrunt irregularitatem coram Deo si occidant; potest etiam sequi ex peccato mortali, ut patet in eo qui se uindicans occidit hominem. Potest etiã sequi ex peccato ueniali, ut patet in eo qui occidit hominem, dum uenialiter peccat defendendo amicum motu iræ, qui motus fuit peccatum ueniale.

Dicimus quarto. Quòd confideratio rei licitæ uel illicitæ cui dat operam is qui occidit, solet esse utilis ad inuestigandum rationem peccati uoluntarij directè uel indirectè: quæ quidem ratio uoluntarij non se habet impertinenter ad irregularitatem, sed per se quamuis non adæquatè; quia bene sequitur, uoluntariè aliquis occidit directè uel indirectè: ergo incurrit irregularitatem.

Dicimus quinto. Quòd quando ad irregularitatem requiritur peccatum uoluntarium directè uel indirectè, nunquam incurritur ex solo peccato ueniali ex indeliberatione. Ratio est, quia illud non est noluntarium directè uel indirectè, & idcirco quamuis esset illud peccatum mortale ex obiecto: non incurritur irregularitas coram Deo, si non esset simpliciter deliberatum.

Dicimus sexto. Quòd irregularitas potest consequi ex peccato ueniali ex obiecto, si est simpliciter uoluntarium, sed tamen tunc erit mortale ex circũstantia. Vt v. g. si quis ex gula quæ est peccatum ueniale ex obiecto, exponat se periculo occiddi & occidat postea: erit irregularis, etiam si quando occidit sit frænęticus. Ratio est, quia iam ipsa gula fuit peccatum mortale ex circunstantia.

Dicimus ultimo, quòd irregularitas quæ habet purè rationem pœnæ propter culpam, nunquam incurritur coram Deo propter solum peccatum ueniale. Probatur, quòniam alias esset excessiua & iniqua pœna.

Ex dictis sequitur unum corollarium uniuersalissimum. Nulla irregularitas ex homicidio uel mutilatione incurritur ex operatione quæ sit peccatum ueniale, nisi alias etiam sequeretur absque omni culpa. Hoc patet etiam inductiuè neque enim dabitur instantia.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum argumentum respondetur, quòd illud uerbũ debet, significat perfectam rationem debiti sub reatu peccati mortalis, unde ex peccato ueniali ut sic non sequitur irregularitas.

Ad secundum argumentũ respondetur, quod non omne peccatum ueniale est simpliciter uoluntariũ: sunt enim peccata uenialia ex indeliberatione actus. Quando uerò fuerit peccatum ueniale perfectè uoluntarium, tunc ut incurratur irregularitas oportet quod homo preuideat uel preuidere debeat, quod ex illa actione sequitur homicidium, & tunc si nihilominus operetur efficietur mortale peccatum ex circunstantia· nisi in casu quo poterat occidere absque omni culpa. V.g. quando aliquis defendens amicum uenialiter peccat.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd ille clericus nõ incurrit irregularitatem ex eo quod peccat uenialiter suscipiendo officium, sed quando postea exercendo officium occidit uel mutilat, incurrit irregularitatem, etiam si iustè & sanctè occidat uel mutilet, unde ex illo peccato ueniali non incurritur irregularitas.

Ad quartum argumentum respondetur, quod occisio quæ sequitur ex ira quæ est tantum ueniale peccatum in foro conscientiæ, reputabitur simpliciter casualis, quamuis non sit purè casualis: quoniam habet aliquid de uoluntario secundum quid ex indeliberatione uoluntaris. Cæterum antecedens argumẽti pro maiori, non est uniuersaliter uerum, nisi apponatur alia exceptio, scilicet quando præuidetur occisio futura mediatè ex operatione mea mihi licita propter præstantiorem finem: sic enim excusamus ab irregularitate clericos uel monachos exhortantes milites ad bellum iustum. Similiter excusatur ab irregularitate qui implorat aliorum auxilium ad defensionem patris, etiam si illi occidant aggressorem, dummodo ille non occidat uel non concurrat.

DVBITATVR tertio, circa secundam cõclusionem. An ille qui dat operam rei illicitæ, ex qua sequitur mutilatio uel occisio hominis, incurrat semper irregularitatem.

Arguitur primo pro parte affirmatiua. Ex cap. dilectus. de homicidio. ubi quidam capellanus excusatur ab irregularitate, quoniam dabat operam rei licitæ, equitando uidelicet. Hinc sumunt argumentum Canonistæ à cessante ratione & causa, quod nos dicimus à contrario sensu, ergo si daret operam rei illicitæ incurreret irregularitatem. Arguitur secundo. Ex cap. ex literis. el 2. de homicidio. ubi etiam excusatur quidam monachus ab irregularitate: quia dabat operam rei necessariæ & utili: ergo si non daret operam rei licitæ incurret irregularitatem. Similiter in cap. tua nos. excusatur quidam monachus qui pietatis gratia aperuit ferro tumorem gutturis cuiusdam mulieris, cum esset expers in arte: quæ tamen mulier postea mortua est. Ergo si non pietatis gratia, sed cupiditatis curasset illam, incurreret irregularitatem. Propter hæc argumenta, & alia multa similia, est prima sententia multorum Iurisperitorum uniuersaliter asserentium, quòd qui dat operam rei illicitę manet irregularis, si ex illa operatione sequatur mors, quamuis adhibeat plurimum diligentiæ ne consequatur mors. Eandem sententiam tenet Sylues. in uerb. homicidium. 2. §. 2, reg. 3. & Caiet. in hoc loco, imo D. Tho. uidetur esse huius sentẽtiæ, dum ait, dupliciter homicidij reatum posse incurri; uno modo quando aliquis dat operam rei illicitæ quam uitare debebat: altero modo quando non adhibet sufficientem diligentiam, etiam si det operam rei licitæ, ergo sunt duo modi differentes contrahendi irregularitatem quorum uterq; sufficit sine altero. Item D. Tho. in ipsa. 2. conclus. disiunctiua, satis apertè hoc asserit, & in 4. sent. d. 25. q. 2. artic. 1. Secunda sententia, est in alio extremo quod quantumcunque aliquis det operam rei illicitæ, non incurrit irregularitatem si adhibet sufficientem diligentiam ne sequatur occisio uel mutilatio. Hanc docuit M. Cano dum interpretaretur D. Tho. in 1. 2. q. 73. art. 8. ubi D. Tho. uidetur eandem sententiam tenere: dicit enim quòd propter negligentiam considerandi, imputantur homini ad pœnam nocumenta quæ sequuntur si dabat operam rei illicitæ. Eandem sententiam sequuti sũt postea, quidam Theologi, inter quos fuit M. Peña. Tertia sentẽtia tenet, q̃ qui dat operã rei illicitę quę natura sua est læsiua & ad mortem tendens, incurrit irregularitatem, quantumuis adhibeat sufficientem diligentiam: si autem dabat operam rei illicitę quæ ex natura sua non habet ordinẽ ad mortẽ uel ad læsionẽ, non incurrit irregularitatem: si tamen adhibeat sufficientẽ diligentiã ne ex alijs circunstantijs sequatur mors aut mutilatio. Exemplum primi habetur expressè in cap. fin. de homicidio in 6. ubi quidã iudicatur incurrisse irregularitatem qui mandauit seruo suo ut uerberaret quempiam non tamen occideret: eo q̃ ipse uerberatus postea mortuus est. Exẽplum secundi sic in clerico qui proficiscereturad negotiationem sibi prohibitam, & forte in uia iacentẽ conculcauit & occidit, iste non erit irregularis si adhibuit sufficientem diligentiam ne ex aliqua circunstantia sequeretur occisio. Hanc sentẽtiam tenet Soto lib. 5. de Iustitia. q. 5. art. 9. & Couar. ubi supra par. 2. §. 4. num. 10. & citat in eandẽ sententiam Castr. in lib. 2. de potest. leg. pœn. c. 14. citat in eandẽ sententiam Ancharanum, & Villadiego. Quarta sententia, est Nauar. ubi supra. num. 221. & super capit. fin. 14. quęst. 6. circa finẽ. q̃ si qui dabat operam rei illicitę, intendebat illam facere, incurrit irregularitatem, etiam si illud opus non sit ex natura sua iesiuum neque ad mortem ducens: & ponit exemplum, si quis persuadeat socio ut ingrediatur uineam & furetur uuas & forte erat ibi canis custos uineę & momordit ingredientem & mortuus est: tunc ille persuasor manet irregularis.

Bañes de Iustitia.

PRO decisione huius difficultatis sit prima conclusio. Prima sententia non est nobis uerosimilis, etiam in foro exteriori. Et hoc quidem optimè probat Couar. ubi supra, ubi ponit multa exempla in quibus uidetur ridiculum q̃ incurratur irregularitas: quia dabat operam rei illicitę: sed sit exemplum. Si medicus peritissimus curaret diligentissimè episcopum intẽdens accipere pro pretio beneficium ecclesiasticum, sequeretur, q̃ iste incurreret irregularitatem q̃ uidetur ridiculum. Probatur sequela, quia ille dabat operam rei illicitę, erat enim simoniacus. Similiter sequeretur q̃ fornicarius, si forte mulier moreretur in actu fornicãdi uel etiam ex partu qui causatus fuit ex fornicatione. Preterea illa sententia, est cõtra ius Canonicum, ut patet ex cap. tua nos. de homicidio, ubi monachus ille condemnatur quidem de culpa, quia usurpauit officium Chirurgi q̃ erat illicitum monacho: sed excusatur ab irregularitate: quia cum esset peritus in arte chirurgię adhibuit sufficientem diligẽtiam, ne illa mulier moreretur. Hoc ipsum colligitur ex cap. quanto. 50. distin. ubi excusatur ab irregularitate latro, qui ducebat equos ex furto, quibus in uia conculcatam mulierem occidit.

Secunda conclusio. Tertia sententia uidetur probabilior quàm secunda. Probatur, quia secunda sententia uix potest respondere huic argumento. Videlicet q̃ ipsa iura duplicem casum distinguunt ad incurrendam irregularitatem: alterũ si quis dabat operam rei illicitę. Alterum, si non adhibuit sufficientẽ diligentiam, etiam si daret operam rei aliàs licitę. At uero secunda sententia omnia uniuersaliter reducit ad negligentiam considerandi: siue quis det operam rei illicitę, siue licitę, ergo nõ est conformis iuri Canonico quod sepè distinguit, si dabat operam rei illicitę uel licitę. Ceterum tertia sententia explicat ius Canonicum, & distinguit si quis dabat operam rei illicitę, quæ ex natura sua nociua est, incurrit irregularitatem: quamuis adhibeat diligentiam, ergo hęc sententia conformior est iuri Canoniço, ac proinde probabilior.

Tertia conclusio. Nihilominus secunda sentẽtia probabilis est. Et argumento facto possumus respondere, q̃ non inuenietur in iure Canonico, ubi diffinitur, quod aliquis incurrat irregularitatem, solùm quia dabat operã rei illicitę: sed quia cum daret operam rei illicitę, negligens fuit uel presumitur fuisse in considerandis nocumentis. Vt patet in. c. fi. de homicidio. libr. 6. ubi dicitur: q̃ quia quidam mandando in culpa fuit, & hoc euenire posse, debuit cogitare, irregularis fuit. Et huic cõsonat doctrina D. Th. in 1. 2. ubi supra. Sed notandum est in fauorem huius sententię, q̃ ille qui dat operam rei illicitę, merito presumitur negligens in considerandis nocumentis, quę inde possunt sequi; maxime si res illicita est talis naturę, ut ex ea possit sequi tale nocumentum. Vt in. c. suscepimus. de homicidio. ponitur exemplũ, & idcirco merito in foro exteriori iudicabitur ille irregularis. Quod si re uera apposuit omnem diligẽtiã, non erit irregularis corã Deo iuxta secundã sententiã. V.g. si in hastiludio non maneret irregularis secularis, qui fortè occidit corriualem. Similiter si clericus se intromitteret in hastiludium cum simili diligentia non maneret irregularis: quãuis in foro exteriori iudicaretur iste irregularis: quia dabat operam rei illicitę, ex qua poterat sequi illud nocumentũ: eo quod ille presumitur negligens. Et hoc confirmari potest, ex. d. c. tua nos. Quarta conclusio. Sentẽtia illa ultima nõ est probabilis, ut ipsemet casus pręse fert. Et cap. tua nos. conuincit, & ca. quando. 15. d. Imo ipse Nauar. ubi supra num. 215. dicit, quod clericus,

ricus, qui in bello pugnat, ut exhortetur milites, nõ manet irregularis, si tamen ipse per se non occidat. Et tamen certum est, quod dat operam rei illicitę pugnando. Non ergo sufficit ad incurrendam irregularitatem, quod aliquis ex intentione det operam rei illicitæ. Ad argumenta in oppositũ ad primũ respondetur, quod argumentum à cõtrario sensu uel à cessante causa & ratione, non est ualidum: nisi quando causa est adæquata alicuius effectus: quod sub alijs terminis docet Arist. li. 1. Post. tex. 20. dum dicit: si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis. Quod etiam debet intelligi de causa adæquata. Nunc autem in proposito non est causa adæquata, quare aliquis excusetur ab irregularitate: quia dat operam rei licitæ. Potest enim dare operam rei licitæ, & manere irregularis, propter negligentiam, considerandi nocumentum quod poterat sequi. Similiter non est causa adæquata quod aliquis contrahat irregularitatem, quia dabat operam rei illicitæ, ut patet in casibus confutationis primæ & quartæ sententiæ. Ad secundum argumentum respõdetur, q̃ ca. tua nos. potius probat oppositum. Nam ille monachus dabat operam rei illicitæ exercendo officiũ chirurgi sibi prohibitum in. c. sentẽtiam. ne cler. uel monachi. Et per hoc patet ad alia argumenta, quæ fiunt ex alijs capitulis iuris Canonici. Ad D. Thom. respondetur, q̃ illius disiunctiua est intelligenda pro altera parte, quando aliquis dabat operam rei illicitę: quæ ex natura sua tendebat ad læsionem. Et tunc quantumlibet aliquis adhibeat diligentiam manebit irregularis, si sequitur occisio uel mutilatio ex sua actione. Et hoc iuxta tertiam sententiam. At uero iuxta secundam sententiam non erit irregularis coram Deo, quamuis in foro exteriori iudicetur irregularis. v. g. in exemplo posito. Si clericus in hastiludio uel torneamentis quæ licita sunt secularibus: ille tamen occidat uel mutilet, manebit irregularis, quia dabat operam rei illicitæ, ex qua poterat sequi tale nocumentum. Secularis autem non manebit irregularis, si non fuit notabiliter negligens in considerando nocumento quod inde sequutum fuit.

IAM uero in tertia parte huius tractatus breuiter agendum est de irregularitate quatenus consequitur ex mutilatione actiua. Etenim in Clemen. unica, de homicidio æquiparantur mutilatio & homicidium quatum ad irregularitatem: nisi forte fiat causa sanitatis, tunc enim ipse chirurgus non manet irregularis: & ita receptum est secundum communẽ sententiam doctorum. Difficultas tota est indefiniẽdo, quid intelligatur nomine membri, quando dicitur in iure quod mutilans, hoc est membrum scindens, manet irregularis. De qua re mirum est, quàm uariæ sunt sententiæ. Sed nobis hac parte placet sententia Couar. in 3. par. relect. citata in princip. num. 8. & 9. quæ consistit in unico dicto, scilicet, q̃ nomine membri simpliciter, ut colligitur ex Aristot. li. 1. de partibus anim. c. 5. intelligenda est illa pars animalis, qua exercetur specialis operatio: & distincta ad perfectionem totius ordinata. V. g. pes ad ambulandum, manus ad operationem, oculus ad uisionem, auris ad auditionem, lingua ad loquendum. Sed de genitalibus non est ita certum. Quidam enim aiunt quòd quamuis sit irregularis qui sibimet abscindit uirilia: ut habetur in c. si quis partem, dist. 55. tamen ibidem etiam censetur irregularis: qui sibi abscindit partẽ digiti: & nihilominus constat, quòd si alter abscinderet partẽ digiti alterius, non maneret ipse irregularis. Quapropter uidetur, quod ius in odiũ atrocitatis erga seipsum, uoluerit apponere talem irregularitatem abscindenti sibi uirilia & partem digiti.

A Non igitur qui alteri abscindit genitalia manebit irregularis. Nihilominus nobis est probabilior sententia, quòd ille manebit irregularis. Probatur, quia ille abscindit membrum simpliciter nam ea pars ordinata est à natura ad specialem operationem, scilicet, ad generationem sibi similis: quæ est maxima perfectio uiuentis. Tunc enim unum quodq; animal perfectum est quando potest generare sibi simile. Igitur manebit irregularis qui ita proximum læserit ut omnino genitalia abscideritur. Hic autem non facimus mentionem de membris interioribus, scilicet, de corde & epate & pulmonibus: quia hæc mẽbra non possunt abscindi nisi occidatur homo. Hæc diffinitio membri simpliciter, uidetur confirmari ex dicto Apostoli ad Roman. 12. Sicut enim in uno corpore
B multa membra habemus, non autem omnia membra eundem actum habent, &c. Vbi satis apertè insinuat, quod ad rationem membri pertinet habere specialem operationem.

Ex hac doctrina infertur. Primo, qd̃ si quis abscinderet alteri auriculam, hoc est cartilaginem extrinsecam, non manet irregularis: quia non abstulit organum auditus. Inferunt etiam aliqui, quòd non manet irregularis qui abscindit mulieri mammillam: eo quod non est membrum ad specialem operationem. Sed oppositum sentit Baldus. in l. data opera. C. qui accusare non possunt. numer. 75. & in hac parte
C uidetur nobis ista sententia probabilior. Et ratio est, quia mammilla mulieris habet specialem operationem, scilicet sanguinem decoquere quousque conuertatur in lac necessarium ad nutritionem infantis: quæ operatio necessaria est ad perfectionem humanæ speciei.

Infertur tertiò, quod si aliquis abscidit digitum alteri, non est irregularis. Ratio est quia digitus non est membrũ simpliciter sed pars membri. Hoc est cõtra Caiet. quæstione sequenti. arti. 1. & contra Soto lib. 5. de Iustitia & iur. quæst. 2. art. 1. existimant enim digitũ esse membrũ principale contra eõm opinionem. Imo uero infertur quartò, q̃ non manebit irregularis qui abscideritur tres digitos principales alteri, E scilicet, pollicẽ, indicẽ & medium. Et ratio est quia ille homo dicetur mancus: sed non mutilatus membro: quia simpliciter non est abscisa manus. Hoc corollariũ est cõtra aliquos Iuristas & Theologos, qui existimant uniuersaliter esse uerũ, qd̃ si quis percussione alterũ facit irregularẽ: ipse manet irregularis. Ita tenet Sylue. uerbo, homicidiũ. 3. Infertur quintò, qd̃ non est irregularis ille, qui percussione aut lesione fecit mẽbrũ alterius inutile & oĩno aridũ. Ratio huius est, sicut & præcedentiũ, qm̃ irregularitas est impedimentũ iure Pontificio introductũ, ergo non debet incurri nisi in casibus expressis ab ipso iure. At uero iura non dicunt, si quis membrũ arefecerit, uel
D inutile reddiderit, manebit irregularis: sed si quis mutilauerit membrũ sit irregularis. At uero mutilare ꝓpriè, sicut notat glos. super Clem. si furiosus. est membrũ oĩno separare à corpore. Igitur ille non manebit irregularis quantumcunque læserit, si tamen non abstulit membrum à corpore. Hęc uera doctrina est contra Panormit. capit. cum illorum. de sententia excommunicationis & contra Sylues. t. ubi supra. Et nobiscum sectit Nauarrus in Manuali capit. 27. à numero 206. Vbi optimas rationes facit contra Caietanum & Soto. Notat tamen ipse, quod quando quis alium facit irregularem sua percussione, manet aliquando etiam ipse irregularis irregularitate, quæ sequitur ex delicto, quando delictum est notorium: non quia fecit alium irregularem. Appellat autem delictum notorium, quod notorietate facti nulla ratione

tione potest celari, uel notorietate iuris; quando ia- A
aliquis condemnatus est per sententiam in iudicio publico: Dicitur uero irregularis ex delicto publico. Verbi gratia, quando irregularitas consequitur ex continuata fornicatione notoria, uel ex adulterio uel ex quolibet delicto maiore & notorio, propter quod mereatur homo deponi. Vt explicat Nauarrus supra numer. 248.

Iam uero in quarta parte huius tractatus agendum est de dispensatione irregularitatis.

DVbitatur primo, ante omnia uniuersaliter, an nomine censuræ intelligatur irregularitas, ita ut cum in bullis Cruciatæ conceditur confessoribus, ut possint absoluere à qualibet censura, intelligatur etiam irregularitas. Pro parte negatiua arguitur primo. Ex Innocent. Tertio, capit. quærenti. de uerborum significatione. ubi ait quærenti quid per censuram intelligatur cùm huiusmodi clausulam in nostris literis apponimus: respondemus quod nomine censuræ non tantum debet intelligi interdicti: sed etiam suspensionis, & excommunicationis sententiæ. Ecce ubi Pontifex nullam fecit mentionẽ irregularitatis, nomine censuræ, ergo non intelligitur illo nomine. Nam alias Pontifex fuisset diminutus.

Secundo arguitur. In ipsis bullis Cruciatæ, ubi cõceditur absolutio à qualibet censura, non conceditur dispensatio super irregularitate. Probatur; quia absolutio propriè non fit de irregularitate, sed dispõsatio: ut patet ex usu ecclesiastico. Sic enim loquuntur Prælati etiam Religiorum, Dispenso tecum super omni irregularitate, ergo non eo ipso quòd conceditur absolutio ab omni censura, conceditur etiã dispensatio irregularitatis.

Tertiò arguitur. Quia non est consuetudo neque stylus curiæ Romanæ, ut dispensatio super irregularitate, intelligatur in uniuersali clausula, ergo non est intelligenda talis dispensatio in Bullis, cùm in illis dicitur, quod confessarius possit absoluere ab omni censura.

Ad hoc dubium communis sententia Iuristarum est negatiua. Ita tenet Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 192. & 249.

PRO decisione sit prima conclusio. Irregularitas quæ tantum incurritur propter culpam quasi pœna ipsius, intelligitur nomine cẽsurę ecclesiasticæ. Hãc sententiam docuit in hac schola Salmantina Magister Cano & postea sequutus est illam. Soto in 4. Sententiarum, distinctione 22. quæstione, 3. articu. 1. & multi alij Theologi moderni. Et probatur primo, quoniam censura propriè loquendò est quædam notatio & punitio, qua malefaciẽs punitur propter aliquam culpam: sed quædam irregularitates sunt notatio quædam & punitio propter aliquam culpam, ergo illæ ueniunt intelligendæ nomine censuræ. Explicatur minor. Quando aliquis suspensus uel excõmunicatus celebrat, manet irregularis propter culpã quam commisit & tunc irregularitas est propriè censura.

Secundò probatur. Nam in quibusdam Bullis dicebatur, quod confessor possit absoluere ab omni ex cõmunicatione suspensione & interdicto & ab omnibus alijs censuris & pœnis ecclesiasticis. Ergo in

istis Bullis dabatur facultas absoluendi à quibusdam irregularitatibus. Probatur consequentia. Quia nullæ sunt aliæ censuræ præter illas tres: nisi quædam irregularitates.

Tertiò, in quibusdam Bullis etiam cruciatis olim, dum numerabantur casus qui concedebantur confessoribus, ponebatur talis exceptio, scilicet, excepto homicidio uoluntario (*Porque el tal homicidio esta reseruado quãto à la irregularidad.*) Ergo omnes alię irregularitates propter culpam, concedebantur confessoribus quibus committebatur facultas absoluendi ab ipsis culpis.

Et confirmatur. Nam in alijs Bullis olim dicebatur, quòd conceditur facultas absoluendi ab omnibus censuris & pœnis ecclesiasticis, etiam si requirãt specialem mentionem sui & non includantur in uniuersali clausula. Quod quidem uidetur esse adiectum propter eos qui dicunt nullam irregularitatẽ includi in generali clausula. Prædictas Bullas ego uidi. Est tamẽ obseruandum nostris temporibus, quod in Bullis cruciatis, quæ dimanauerunt à Sede Apostolica à tempore Pij Quinti, fit mentio solum facultatis absoluendi ab omni censura, atque ita uolumus qui sequimur istam sententiam, quod nomine censuræ intelligantur omnes illæ irregularitates, quæ impositæ sunt directè propter aliquam culpam. Nã contingit quod aliqua irregularitas contrahatur ex actu qui est culpa: non tamen est directè pœna propter culpa, qualis est irregularitas, quæ contrahitur quando quis alterum occidit iniquè: tunc enim irregularis manet, non qua iniquè occidit, sed quia occidit uoluntariè. Sicut manet irregularis iudex qui iustè occidit.

Obseruandum est secundo circa Bullas cruciatas, quòd qui habuerit ultimam Bullam cruciatam gaudebit omnibus priuilegijs præcedentium Bullarum non cruciatarum ante Pium Quintum concessis. Et ratio est: quia omns aliæ bullæ nunquam sunt reuocatæ, sed tantum suspensę pręterquàm quantum ad illam clausulam, quòd religiosi & alij sacerdotes possint oua comedere in quadragesima. Hæc enim clausula uniuersaliter reuocata est à Pio Quinto. At uero omnes aliæ Bullæ cruciatæ reuocatę sunt prorsus à Pio Quinto in prima Cruciata, quam ipse concessit. Cæterum alię Cruciatæ quę post ipsum emanauerunt secum afferunt clausulam reuocatiuam, seu potius limitantem, ita ut non liceat gaudere gratijs & facultatibus illic concessis nisi intra annum prędicationis, & statim expirant.

Ex quo sequitur, quod ipse commissarius Cruciatæ non reualidat antiquas illas cruciatas: quia non datur illi facultas reualidandi nisi tantum illas quas ipse suspendit. Suspendere autem non potest nisi eas Bullas, quę adhuc habent effectum: quales sunt Bullę sanctę Catherinę & redemptionis captiuorũ & alię similes & etiam personales facultates.

His suppositis ad primum argumentum respondetur, quod Pontifex non dixit exclusiuè, quod tantum illa tria intelligebantur nomine censurę: sed quod illa tria intelligebantur, ratio autem quare nõ fecit mentionem irregularitatis, duplex est. Altera quia irregularitas non est censura secundum totam latitudinem, ut patet in irregularitate bigamię & homicidij. Altera uero ratio est, quia ibi Pontifex solũ intendebat numerare illas censuras, quibus iudices ecclesiastici solent compellere rebelles, ut ex ipso litere contextu patet. Cęterũ irregularitas nunquã est censura posita ab aliquo iudice ecclesiastico, sed ab ipso iure. Quare non oportuit facere illius mentionem.

Ad secundum respondetur, quòd circa irregularitatem, quæ propriè est pœna propter culpam, bene potest confessarius uti uerbo absolutionis, ita ut dicat, ego te absoluo ab omni censura irregularitatis: imo ineptè dixerit, ego dispenso tecum super irregularitate: nisi fortè ex speciali commissione prælati sibi fuerit commissa dispensatio.

Ad tertium negatur antecedens. Imo quotiescunque conceditur in curia Romana facultas absoluendi ab omni censura: conceditur etiam facultas absoluendi à quibusdam irregularitatibus: quæ nihil aliud sunt, quam censuræ propter aliqua peccata.

DVBITATVR secundò, An irregularitas propter homicidiũ sit reseruata Summo Pontifici? Hoc dubium mouemus ad explicandum decretum Concilij Tridentini Sessione. 24. cap. 6. ubi in hunc modum dicit. Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio uoluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispensare. Hoc in loco concedit episcopis Concilium ordinariam facultatem ad dispensandum in irregularitate quæ oritur ex occulto delicto: una excepta irregularitate, quæ oritur ex homicidio uoluntario. Sed difficultas est de irregularitate, quæ oritur ex occisione hominis iusta & licita.

Caietanus in uerbo irregularitas in summa dicit, quòd ille qui habet facultatem ad tollendam irregularitatem, quæ oritur ex homicidio casuali, habebit etiam facultatem ad tollendam irregularitatem prouenientem ex occisione hominis uoluntaria, licita tamen: non obstante quod in tali concessione prohibeatur dispensatio super irregularitate prouenienti ex homicidio uoluntario. Ratio Caietani est: quoniam hæc limitatio tantùm habet locum in irregularitate quæ prouenit ex homicidio uoluntario iniuo. Etenim huiusmodi occisio, pprie & simpliciter dicitur homicidium. Eandem sententiam & propter eãdem rationem sequitur summa Armilla in uerbo irregularitas. Eandem sententiam sequitur Couarruuias in relectione supra citata in 2. parte. licet propter aliam rationem, uidelicet, quia homicidium quod committitur sine culpa, reputatur iure casuale. Secundum istos doctores dicendum est consequenter, quòd episcopus potest dispẽsare super omni irregularitate prouenienti ex qualibet licita occisione hominis: sicut potest dispensare super irregularitate, prouenienti ex homicidio casuali, propter concessionem sibi factam in decreto Concilij: & illa exceptio ibidem facta de homicidio uoluntario tantùm intelligenda est de homicidio uoluntario, quod est uere peccatum. Hæc tamen sententia nobis omnino non placet: Imo existimo cum doctissimo Nauarro ubi supra, quòd solus ipse Summus Pontifex potest dispensare super irregularitate prouenienti ex occisione hominis uoluntaria, quantumlibet iusta & licita. Et quidem ratio Caietani parum ualet: quia ut supra diximus, nomine homicidij uoluntarij in iure Canonico quantùm ad materiam irregularitatis, comprehenditur etiam occisio hominis iusta. Item ratio duæ profertur à Conarruuia non uidetur habere fundamentum in iure. Imo irrationabiliter dicitur, quòd quando iudex, data sententia sanguinis, occidit hominem, quod tũc dicatur casuale homicidium. Et ita omnino existimo, quòd nullus episcopus dispensat neque audet dispensare super hac irregularitate, magis quàm super irregularitate bigamiæ: de qua nulla ratione intelligitur episcopis facta copia dispensandi in supradicto decreto. Et ratio est, quia in Concilio intelligitur facta illa exceptio ab illa uniuersali, scilicet quod liceat episcopis dispensare super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepta irregularitate homicidij uoluntarij. In qua exceptione intelligo homicidium uoluntarium quod est peccatum. Nam aliud homicidium uoluntarium, quod non est peccatum, non oportebat excipere: quia non includebatur in uniuersali concessione, sicut non includebatur irregularitas contracta ex bigamia. Vnde neque ista excipitur, & tamen constat, quod episcopus super illam dispensare non potest.

ALTERA difficultas est, An episcopus possit dispensare super irregularitate contracta ex delicto homicidij uoluntarij occulto, nam si publicum est: omnes conueniunt in hoc, quod Episcopus non potest dispensare.

In hac difficultate, omnino repellẽda est sententia Alphonsi de Castro in libro. 2. de lege pœnali asserentis, quòd propter homicidium uoluntarium & iniquum, si fuerit omnino occultum: non incurritur aliqua irregularitas. Hæc enim sententia aduersatur dispositioni iuris in cap. finali. de temporibus ordinationum & ordinandorum. & in cap. inquisitioni. de accusationibus. & hic autor singularis est in ista sententia: quamuis etiam illam tenuerit quidã Vincentius citatus à Sylueſtro in uerbo homicidiũ. 3. quæst. 8. Ac proinde Couarruuias ubi supra, & Nauarro capit. illo. 27. citato. reprobant istam sententiã tanquam singularem & iuri Canonico contrariã. Nam etiam si textus in capit. ex tenore. de temporibus ordinationum, dicat, quod crimina quæ si essent publica punirentur depositione & degradatione: si fuerint secreta, non impediunt ascensum ad superiores ordines: tamen non sanct hoc prædictæ sententiæ. Quoniam ut aduertit Couarru. textus non loquitur de criminibus, quæ ipso facto inducunt irregularitatem: quale est homicidium. Sed loquitur de illis, quæ si constarent punirentur in iudicio pœna depositionis & degradationis: qualia sunt grauissima quædam crimina. Hoc supposito respondendum est ad propositam difficultatem.

Prima conclusio. Neque olim ante Concilium, neque modo post Concilium Trientinum, concessa est episcopis autoritas dispensandi in huiusmodi irregularitate ad suscipiendos sacros ordines: quãuis sit probabile quod ante Concilium poterant episcopi dispensare quo ad minores ordines suscipiendos. Hæc omnia latissime probant Couarruuias & Nauar. supra.

Secunda conclusio. Etiam est probabilis sententia, quod olim ante Concilium Tridentinum poterat Episcopus dispensare quantum ad beneficiũ simplex retinendum & de nouo obtinendum. Imo aliqui probabiliter existimant, quod etiam quantum ad beneficium curatum retinendum. Hoc colligunt doctissimi Canonistæ ex capit. 2. de clerico pugnante in duello. Tota autem difficultas est, an Episcopus post Concilium gaudeat huiusmodi facultate dispensandi in huiusmodi irregularitate. Nauarrus ubi supra tenet partem negatiuam, & dicit, quod Episcopus nõ habet talem facultatem, etiam quoad minores ordines suscipiendos: & quo ad beneficium simplex retinendum: sed quod solus Papa potest dispensare quãtumlibet homicidium sit occultum. Probat ex eo, quod in prædicta Sessione dicitur expressè: quòd in homicidio uoluntario etiam si fuerit occultum, non liceat dispensare ad ordines sacros suscipiendos: sed talis homicida omni ordine ac beneficio ecclesiastico perpetuo careat. In quo decreto duo uerba expenduntur. Alterum est, non liceat: alterum

terum est, careat. Quæ uerba secundum Caietanum in summa in uerbo absolutio ab excommunicatione, tollunt potestatem dispensandi. Item in secunda parte eiusdem ut ceteri fatentur, quòd in irregularitate quæ oritur ex homicidio casuali episcopus non potest dispensare, nisi adhibitis quibusdam circunstantijs & conditionibus sibi narratis, ergo cùm limitet Concilium episcopis ipsis autoritatem dispensandi in homicidio casuali: signum est, quod intendebat totam illis autoritatem tollere dispensandi in homicidio uoluntario. Eo uel maxime, quod Concilii cõtraponit homicidiũ casuale cõtra uoluntariũ.

Secundò probatur hæc sententia ex capit. 6. de reformatione, Sessio. 24. ubi conceditur facultas episcopis dispensandi super omni irregularitate prouenienti ex delicto occulto, excepta ea quę oritur ex homicidio uoluntario, ergo Concilium prohibet dispensare super irregularitate homicidij uoluntarij quantumlibet occulti. Nihilominus uiris doctis nostri temporis uidetur, quod episcopi eandem omnino autoritatem habent dispensandi post Concilium Tridentinum, quam olim habebant ante Concilium ipso iure communi. Ratio illorum est: quoniam Concilium non tollit episcopis apertè istam facultatem. Est enim dubia interpretatio literæ Concilij, at uero quecunque lex noua interpretanda est quantum fieri potest conformiter ad ius cõmune. Igitur adhuc episcopi habent facultatem, quam antea iure communi habebant. Confirmatur. Res fauorabilis est, quod episcopi habeant istam facultatem, ergo decreta Concilij, si cõmodè fieri potest, debet interpretari in fauorẽ episcoporũ: atq; ita ipsi interpretantur.

Ad primum enim argumentum respondent cum Couar. in loco citato, quòd Concilium in illo capitu. 7. non loquebatur de homicidio omnino occulto: sed occulto aliquo modo, scilicet, de illo quod non poterat in iudicio probari. Respondent secundò, quòd synodus in illo decreto tantum intendebat ostendere difficultatem maximam, quę debet esse in dispensatione irregularitatis, quæ oritur ex homicidio uoluntario: non autem intendebat limitare autoritatem episcoporum quam olim habebant. Et idcirco uerbum illud, non liceat, non tollit autoritatẽ dispẽsandi, quidquid sit de doctrina Caietani in uerbo absolutio ab excommunicatione. Sed aiũt quod denotat quod prelati male facient, si absque grauissima causa dispensauerint. Et hoc colligũt ex eo quod synodus ibi, non solum loquitur episcopis, sed cuicunque dispensanti, etiam Summo Pontifici. Imo uidetur quod ex principali intentione loquebatur de dispensatione quę fit in Romana curia. Et ex hoc respondent ad illud quod obijcitur de homicidio casuali. Dicunt enim, quod Concilium tantum limitat modum dispensandi episcopis super hac irregularitate, quando dispensatio committitur illis à Romano Pontifice. Nihilominus non prohibet, quòd ipsi sua autoritate dispensent in eo qd antea poterant iure cõmuni: si ab ipsis immediate petatur dispẽsatio. Ad secundum argumentum respondent, quòd illa exceptio non fit simpliciter à facultate, quam habent episcopi dispensandi in irregularitatibus: sed fit exceptio à facultate illis concessa per illud decretum Concilij. Ita sane quod ex ui illius decreti non possunt dispensare super irregularitate, quæ oritur ex homicidio uoluntario occulto. Non tamen ibi negatur, quòd iure communi habeant talem autoritatem dispensandi, saltem quantum ad aliquid, scilicet, quantum ad beneficium simplex retinendum & obtinendum, & quantum ad beneficium curatum retinendum. Iste modus explicandi Conci-

sium uidetur nobis satis perplexus. Quapropter ego credderim, quod in huiusmodi decretis Concilij Tridentini explicatum est, quod olim erat obscurũ & dubium inter doctores secundũm ius commune: & insuper concessa est noua facultas episcopis dispensandi in multis irregularitatibus in foro conscientię, super quibus antea dispensandi facultatem non habebant. Et insuper concessa est illis facultas absoluendi à plurimis delictis reseruatis Summo Pontifici.

Sed quæret aliquis, Vtrùm per bullam Cruciatam habeat confessarius electus tantam facultatem absoluendi à peccatis, quantam habent episcopi concessam à Concilio Tridentino, cap. 6. Sessio. 24. Respondetur, quòd non habet tantam facultatem. Primo quidem de crimine hęresis manifestum est. Quoniam in ipsa bulla Cruciata excipitur facultas absoluendi: & tamen Concilium Episcopo per semetipsum concedit, quod possit absoluere in foro conscientię de crimine hęresis. Deinde quamuis confessarius electus possit absoluere semel ab omnibus alijs peccatis & censuris reseruatis Summo Pontifici: tamen episcopus toties quoties se obtulerit occasio, potest in foro conscientię ab huiusmodi peccatis absoluere secundum formam concessam sibi in illo capite. 6. Sessione 24. Quapropter confessarius debet attendere, an delictum sit reseruatum Summo Pontifici uel non. Similiter an excommunicatio sit reseruata uel non. At uero circa irregularitates non hoc ut aliquis absoluatur à peccatis & recipiat sacramentum Eucharistiæ: quòd absoluatur prius à censura irregularitatis etiam quando est uera censura. Cæterum si pœnitens sit clericus & uoluerit promoueri ad ordines superiores uel obtinere aliquod beneficium uel ministrare in ordine suscepto: ad ipsum promouendũ pertinebit inquirere: an illa irregularitas sit reseruata Summo Pontifici uel non. Vnusquisque enim tenetur scire ea quę pertinent ad suum statum. Et idcirco ipse confessarius poterit se eximere ab isto onere & remittere pœnitenem, ut consulat doctores circa huiusmodi irregularitates: si confessarius non fuerit certus.

QVAESTIO LXV.
De mutilatione membrorum.

DEINDE considerandum est de peccatis aliarum iniuriarum, quæ in personam committuntur Et circa hoc quæruntur quatuor.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm mutilare aliquem membro suo, in aliquo casu possit esse licitum.

AD Primum sic proceditur. Videtur quòd mutilare aliquẽ mẽbro suo in nullo casu possit esse licitum. Damasc. enim di-

Li. 2. c. 4. & 30. & li. 4. c. 21. cit † in 2. libro, quòd peccatum committitur per hoc quòd receditur ab eo, quod est secundum naturam in id, quod est cõtra naturam. Sed secundũ naturam à Deo institutam, est, ꝙ corpus hominis sit integrum membris. Contra naturam autẽ est, quòd fit membro diminutum. Ergo mutilare aliquem membro, semper videtur esse peccatum.

2. Præterea. Sicut se habet tota anima ad totum corpus, ita se habent partes animæ ad partes corporis, ut dicitur in † 2. de Anima. Sed non licet aliquem priuare anima, occidendo ipsum, nisi publica potestate: ergo etiam non licet aliquem mutilare membro, nisi fortè secundùm publicam potestatem.

Li. 2. ter. 9 tom. 2.

3. Præterea. Salus animæ præferenda est saluti corporali. Sed non licet aliquem mutilare se membro propter salutem animæ, puniuntur enim secundum statuta † Niceni Concilij, qui se castrauerunt propter castitatem seruandam: ergo propter nullam causam aliam licet aliquem membro mutilare.

In Decretis di. 55. c. Si quis abscideret. Et ca. Si qs per agritudinem.

Sed contra est, quod dicitur Exod. 21. Oculum pro oculo, dentẽ pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.

Respondeo dicendum, quòd cũ membrum aliquod sit pars totius humani corporis, est propter totum sicut imperfectum propter perfectum. Vnde disponendum est de membro humani corporis, secundum quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per se quidem utile est ad bonum totius corporis: per accidens tamen potest contingere quòd sit nociuum, puta cum membrum putridum est totius corporis corruptiuum. Si ergo membrum sanum fuerit, & in sua naturali dispositione consistens, non potest præscindi absque totius corporis detrimento. Sed quia ipse totus homo ordinatur vt ad finem, ad totam communitatem cuius est pars, ut suprà † dictum est, potest contingere, quòd abscisio membri etsi vergat in detrimentum totius corporis, ordinatur tamen ad bonum communitatis, inquantum alicui infertur in pœnam ad cohibitionem peccatorum. Et ideo sicut per publicam potestatem, aliquis licitè priuatur totaliter vita, propter aliquas maiores culpas, ita etiam priuatur membro propter aliquas culpas minores. Hoc autem non est licitum alicui priuatæ personæ, etiam uolente illo cuius est membrum: quia per hoc fit iniuria communitati, cuius est ipse homo & omnes partes eius. Si verò membrum propter putredinem sit totius corporis corruptiuum, tunc licitum est de uoluntate eius, cuius est membrum, putridum membrum præscindere propter salutem totius corporis, quia vnicuique commissa est cura propriè salutis. Et eadem ratio est si fiat voluntate eius, ad quem pertinet curare de salute eius, qui habet membrum corruptiuum: aliter autem aliquem membro mutilare est omnino illicitum.

q. 61. art. 1 & 2. & q. præc. artic. 1. 2. & 5.

Ad primum ergo dicendum, quòd nihil prohibet id quod est contra particularem naturam, esse secundum naturam vniuersalem, sicut mors & corruptio in rebus naturalibus est contra particularem naturam eius quod corrumpitur, cum tamen sit secundum naturam vniuersalem. Et similiter mutilare aliquem membro, etsi sit contra naturam particularem corporis eius, qui mutilatur, est tamen secundum naturalem rationem in comparatione ad bonum commune.

Ad secundum dicendum, quòd totius hominis uita non ordinatur ad aliquid propriũ ipsius hominis, sed ad ipsam potius omnia quæ sunt hominis, ordinãtur. Et ideo priuare aliquẽ uita, in nullo casu pertinet ad aliquẽ, nisi ad publicam potestatem, cui cõmittitur procuratio boni cõmunis. Sed præcisio mẽbri potest ordinari ad propriam salutem vnius hominis. Et ideo in aliquo casu potest ad ipsum pertinere.

Ad tertiũ dicendũ, ꝙ membrum non est præscindendũ propter corporalẽ salutẽ totius, nisi quando aliter toti subueniri non potest. Saluti autem spirituali semper potest aliter subueniri, quam per membri pręcisionẽ: quia peccatũ subiacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet mẽbrum præscindere, propter quodcunque peccatũ uitandum. Vnde Chrysost. † exponens illud Matthæi. 19. Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnũ cœlorum: dicit, non per membrorum abscissionem, sed malarũ cogitationũ interemptionẽ. Maledictioni.n. est obnoxius qui membrũ abscindit. Etenim qui homicidę sunt, talia præsumunt. Et postea subdit: Neque concupiscentia mansuetior ita fit, sed molestior. Aliũde.n. hẽt fontes sperma quod in nobis est, & præcipuè à proposito incõtinenti & mente negligente. Nec ita abscissio membri comprimit tentationes, vt cogitationis frenum.

Homil. 19 in Matth. cit. med. tom. 2.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Licitum est autoritate publica mutilare peccatores. Secunda conclusio. Licitum ẽt est propter salutem corporis & vitę, mutilare hominem de voluntate ipsius uel de uoluntate eius qui curam illius gerit. Tertia conclusio. Aliter mutilare est illicitum.

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo notandũ est, ꝙ ẽt membrum sanũ in seipso licitũ erit abscindere, qñ opus fuerit ad salutẽ hois & vitam. Ratio est quã assignauimus in q. 64. art. 2. quia totum esse membri est propter totum: vñ qñ fuerit necessarium propter totum ut membrum pereat, licitum erit abscindere. Quòd autem D. Tho. dicit in tertia conclusione, ꝙ aliter mutilare est illicitum, intelligitur quando homo consistit in plenaria sanitate.

Secundò est notandum, ꝙ nemo põt cogi vt patiatur abscissionẽ membri pp uitam: nisi ab illo qui curam illius gerit, ut à republica, qñ uita illius fuerit necessaria bono cõi, & non alias. Ratio, quia homo nõ põt cogi à republica nisi fm operationes politicas necessarias reipublicę, fm quas hẽt rationem partis: põt ẽt cõgi filius à patre qñ est sub eius potestate: itẽ seruus à dño, quia non est sui iuris: similiter ẽt religiosus potest cogi à suo prælato, maximè si uita illius necessaria est religioni, quod debet iudicare prælatus. Sed quæret aliquis, An ipsemet homo teneatur pati abscissionem membri pp seruandã uitã? Et vt ꝙ sic: quia tenetur seruare uitã per media ordinata & proportionata: sed abscisio membri est medium proportionatum ad seruandã uitam, ergo tenetur pati abscisionem. Respondetur & sit prima conclusio, quod non tenetur absolutè loquendo. Et ratio est. Quia quanuis homo teneatur conseruare uitam propria, non tenetur per media extraordinaria, sed per uictũ & uestitũ cõe, per medicinas cões, per dolorẽ quendam cõem & ordinarium: non tn per quendam dolorem extraordinarium & horribilem, neq; ẽt per sumptus extraordinarios, fm proportionem status ipsius hominis. Vt si v. g. communem ciuem salutẽ consequuturum esset certum, si insumeret tria millia ducatorum in quadam medicina, ille nõ tenetur insumere. Per hoc patet ad argumentum. Nam quãuis illud medium sit proportionatum secundùm rectam rationem, & ex consequenti licitum, est tamẽ extraordinarium. Circa tertiam conclusionem est dubium, An sit licitum ut quis seipsum mutilet ut euadat periculum mortis ab extrinseco imminens? Vt v. g. an sit licitum quòd scindat manum quam habet ligatam ut effugiat flammam, aut feram, aut tyrannum comminantem mortem: nisi ipsemet homo se mutilet? Respondetur, quòd in hoc tertio casu non licitum, quia esset consentire cum malitia tyranni, qui intendit inferre iniuriam naturæ rationali ut ipsamet in seipsam manus inijciat. Ita tenet Soto lib. 5. de iustitia. q. 2. artic. 5. Cæterum in alijs casibus licitum est: quia pars ordinatur in bonum totius & non est aliqua causa quæ faciat actum illicitum sicut in tertio casu.

ARTICVLVS II.

Vtrùm liceat patribus verberare filios, aut dominis seruos.

AD Secundum sic proceditur. Videtur quòd nõ liceat patribus verberare filios, aut dominis seruos. Dicit enim Apostolus ad Ephes. 6. Vos patres nolite ad iracundiã prouocare filios uestros. Et infra subdit: Et vos domini eadem facite seruis, remittentes minas. Sed propter uerbera aliqui ad iracundiam prouocantur, & sunt etiã minis grauiora: ergo neque patres filios, neque domini seruos, debent uerberare.

Inf. q. 92. art. 2. ad 2.

2. Præterea. Philosophus dicit in 10. Ethic. quòd sermo paternus habet solum admonitionem, non autem coactionem. Sed quædam coactio est per verbera: ergo parentibus non licet filios uerberare.

Li. 10. vltimo ante med. tomo 5.

3. Præterea. Vnicuique licet alteri disciplinam impendere. Hoc enim pertinet ad eleemosynas spirituales, vt suprà † dictum est. Si ergo parentibus licet propter disciplinam, filios verberare: pari ratione cuilibet licebit quemlibet uerberare: quod patet esse falsum: ergo & primum.

q. 32. artic. 2.

Sed contra est, quod dicitur Prouerb. 13. Qui parcit virgæ, odit filium suum. Et infrà 23. Noli subtrahere à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu uirga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis. Et Eccles. 33. dicitur: Seruo maleuolo tortura & compedes.

Respondeo dicendum, ꝙ per verberationem nocumentum quoddam infertur corpori eius qui uerberatur: aliter tamen quã in mutilatione. Nã mutilatio tollit corporis integritatem, verberatio verò tantum-

tantummodo afficit ſenſum dolore. Vnde multò minus nocumentũ eſt, quã mutilatio mẽbri. Nocumẽtum aũt inferre alicui non licet, niſi per modũ pœnæ propter iuſtitiam. Nullus aũt iuſtè punit aliquẽ, niſi ſit eius iuriſdictioni ſubiectus. Et ideo verberare aliquem non licet, niſi habẽti poteſtatem aliquam ſuper illum, qui verberatur. Et quia filius ſubditur poteſtati patris, & ſeruus poteſtati domini, licitè põt verberare pater filiũ, & dominus ſeruum cauſa correctionis & diſcipline.

Ad primum ergo dicẽdum, ꝙ cùm ira ſit appetitus uindictæ, præcipuè cõcitatur ira, cũ aliquis ſe reputat læſum iniuſtè: ut patet per Philoſophum † in 2. Rhetoricę. Et ideo p hoc ꝙ patribus interdicitur, ne filios ad iracundiam prouocẽt, nõ prohibetur quin filios verberent cauſa diſciplinæ: ſed ꝙ nõ immoderatè eos affligãt verberibus. Quòd verò indicitur dominis, ꝙ remittant ſeruis minas, põt dupliciter intelligi. Vno modo, vt remiſsè minis vtantur: quod pertinet ad moderationẽ diſciplinæ. Alio modo, vt aliquis non ſemper impleat quod comminatus eſt: quod pertinet ad hoc, ꝙ iudicium quo quis comminatus eſt pœnam, quandoque per remiſſionis miſericordiam temperetur.

Li. 2. c. 13. parum à prin. to. 6.

Ad ſecundum dicẽdum, ꝙ maior poteſtas maiorẽ dẽt habere coactionem. Sicut autem ciuitas eſt perfecta cõitas, ita princeps ciuitatis hẽt perfectã poteſtatẽ coercendi. Et ideo põt infligere pœnas irreparabiles. ſ. occiſionis vel mutilationis. Pater autem & dominus, qui preſunt familię domeſticæ, quæ eſt imperfecta communitas, habent imperfectam poteſtatem coercendi, ſecundùm leuiores pœnas, quę non inferunt irreparabile nocumentum. Et huiuſmodi eſt uerberatio.

Ad tertium dicẽdum, ꝙ exhibere diſciplinã uolenti, cuilibet licet. Sed diſciplinã nolenti adhibere, eſt ſolum eius, cui alterius cura committitur. Et ad hoc pertinet aliquem uerberibus caſtigare.

SVMMA ARTICVLI.

PRima concluſio. Cauſa correctionis & diſciplinæ licitum eſt.

Secunda concluſio. Non eſt licitum mutilare aut occidere.

COMMENTARIVS.

DE hoc articulo uide Soto ubi ſupra, ar. 2. & nota, ꝙ legibus ciuilibus cautum eſt quantũ ſe debeat extendere illa poteſtas patrum erga filios, vt pater in l. ſi filius. C. de patria ptãte, & in l. prætor. ff. de iureiurando. §. præterea. Sed quæritur, An liceat patribus uerberare filios clericos? Syluester in uerbo excõicatio. 6. §. 4. refert ſententiã Panor. in c. cum voluntate de ſententia excõicationis. ꝙ non eſt licitum patribus uerberare filios in ſacris conſtitutos, bene tũ in minoribus: ſed ipſe Syluest. tenet eſſe licitũ verberare filios et in ſacris conſtitutos: & ratio eius eſt, quia hoc cõceditur magiſtris circa diſcipulos, et in ſacris conſtitutos, ut patet ex ca. ſuper eo. de ſentẽ. excõicationis, ergo erit licitum patribus. Patet cõſequentia. Quia patres non habent minorem iuriſdictionem ad erudiendos filios, quam magiſtri. Et hæc ſententia eſt tenenda.

Sed notandum eſt, ꝙ prælatis religionũ licitũ erit flagellare ſubditos ſm leges & conſtitutiones eorũ, & non aliàs: incurreret n. ſniam excõicationis prælatus, qui ira quadã ſubditum pedibus conculcaret aut alapis cæderet. Et hoc quod diximus patet ex ca. ex tenore de ſentẽtia excõicationis. Notãdum uero eſt, ꝙ ſi patet uel magiſter uel prælatus exceſſerit modũ uerberandi, aut flagellandi, poſtquam iam ſemel cepit iuſtè punire nõ ſtatim incurrit ſniam excõicationis: niſi ſit notabilis exceſſus, quod quidem arbitrio boni uiri iudicandũ erit: ſi aũt fuerit res dubia Epiſcopus poterit diſpenſare de iure cõi. Etenim illa excõicatio canonis, ſi quis ſtudente diabolo, reſeruatur Pontifici, quãdo certum eſt aliquem incurriſſe canonem, & fuit notabilis percuſſio. Vide Caietanum in uerbo excommunicatio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm liceat aliquem hominem incarcerare.

AD Tertium ſic proceditur. Videtur, quòd non liceat aliquẽ hominem incarcerare. Actus enim eſt malus ex genere, qui cadit ſuprà indebitã materiam, ut ſupra † dictum eſt. Sed homo habens naturalẽ arbitrij libertatem eſt indebita materia incarcerationis quę libertati repugnat. Ergo illicitum eſt aliquem incarcerare.

† 2. 2. q. 64. artic.

2. Pręterea. Humana iuſtitia regulari debet ex diuina. Sed ſicut dicitur Eccleſ. 15. Deus reliquit hominem in manu cõſilij ſui. Ergo videtur quòd non eſt aliquis coercendus uinculis uel carcere.

3. Pręterea. Nullus eſt coercendus niſi ab opere malo, à quo quilibet poteſt alium licitè impedire. Si ergo incarcerare aliquem eſſet licitum ad hoc, quòd cohiberetur à malo, cuilibet eſſet licitum aliquem

quem incarcerare; quod patet eſſe falſum. Ergò & primum.

Sed contra eſt quod Leuit. 24. legitur, quendam miſſum fuiſſe in carcerem propter peccatum blaſphemiæ.

Reſpondeo dicendum, ꝙ in bonis corporis tria per ordinem conſiderãtur. Primò quidem integritas corporalis ſubſtantiæ, cui detrimentum affertur per occiſionem vel mutilationem. Secundò delectatio vel quies ſenſus, cui opponitur verberatio vel quodlibet ſensũ dolore afficiẽs. Tertiò motus & vſus membrorũ, qui impeditur per ligationem vel incarcerationem, ſeu quamcunq; detẽtionem. Et ideo incarcerare aliquem vel qualitercũq; detinere, eſt illicitum, niſi fiat ſecundum ordinem iuſtitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicuius mali vitandi.

Ad primum ergo dicendum, ꝙ homo qui abutitur poteſtate ſibi data, meretur eã amittere. Et ideo homini qui peccãdo abuſus eſt libero vſu ſuorum membrorũ, conueniens eſt incarcerationis materia.

Ad ſecundum dicendũ, ꝙ Deus quandoq; ſecundũ ordinem ſuæ ſapientię peccatores cohibet ne poſſint peccata implere ſecundũ illud Iob 5. Qui diſſipat cogitationes malignorũ, ne poſſint implere manus eorum quod cęperãt. Quandoq; verò eos permittit quod uoluerint agere. Et ſimiliter ſecundum humanam iuſtitiã, non pro qualibet culpa homines incarcerantur, ſed pro aliquibus.

Ad tertium dicendum, ꝙ detinere hominẽ ad horã ab aliquo opere illicito ſtatim perpetrando, cuilibet licet: ſicut cum aliquis detinet aliquem ne ſe præcipitet, vel ne alium feriat. Sed ſimpliciter aliquẽ includere uel ligare, ad eum ſolum pertinet qui habet diſponere vniuerſaliter de actibus & vita alterius: quia per hoc impeditur non ſolum à malis faciendis, ſed etiam à bonis agendis.

SVMMA ARTICVLI.

PRima concluſio. Incarcerare vel qualitercunq; hominem detinere, eſt illicitum: niſi fiat ſecundum ordinem iuſtitiæ.

Secunda concluſio notetur in ſolutione ad tertiũ. Detinere hominem ad horam, cuilibet eſt licitum ad impediendum illũ à perpetratione alicuius mali.

Tertia concluſio ibidem. Simpliciter aliquem includere uel ligare, ad eum ſolum pertinet qui habet diſponere & vniuerſaliter, de actibus & uita alterius.

COMMENTARIVS.

CIrca iſtum articulũ ſũt duo dubia. Primũ eſt. An licitum ſit cuilibet detinere proximũ ad horam ne perpetret aliquod malum? Nam D. Tho. videtur vniuerſaliter id aſſerere.

Reſpondetur & ſit prima concluſio. Si malum quod aliquis uult facere ſit contra iuſtitiam, licitum erit cuilibet illum detinere. Ratio eſt, quia tunc illa detentio habet rationem defenſionis.

Secunda cõcluſio. Si aũt malũ quod vult facere eſt contra alias uirtutes, ut cõtra tẽperantiam, aut caſtitatẽ: nõ eſt licitũ cuilibet detinere illum. Ratio eſt, quia homo eſt dñs ſuarũ operationũ: ergo fit illi iniuria ſi detineatur, niſi ab eo qui hẽt aliquã iuriſdictionẽ ſupra illũ. Ex quo ſequitur, qd in tali caſu põt ille homo detineri ad breue tempus à pædagogo ipſius, à Magiſtro à præfecto ipſius domus.

Tertia cõcluſio. Si peccatũ fuerit ſcandaloſum nõ ſolum contra cõitatem quale eſt peccatũ hęreſis quã aliquis uult prædicare, ſed ẽt ſi fuerit ſcandaloſum puſillorũ, vt v. g. Si aliquis vult ire ad ſcandalizandã virginem honeſtam: poterit detineri à quolibet ad breue tempus. Ratio huius eſt: quia talis detentio habet rationem defenſionis aut boni cõis & religionis, aut etiam innocentis & puſilli, quatenus inuoluntariẽ aggreditur illum ſcandalizator.

Dubium ſecundũ eſt. An poſſim ego detinere illũ qui me affecit iniuria, ad breue tẽpus donec iudicẽ uoco? Soto ubi ſupra, q. 2. art. 3. Reſpondet affirmatiuè. Nihilominus nobis oppoſitum uidetur, niſi in caſu quo talis detentio haberet rationem defenſionis: vt uerbi gratia. Si illa adhuc pergeret in inferenda iniuria & nocumento, & in auferendo à me bona mea: quia tunc eſt in fragranti delicto.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm peccatũ aggrauetur in hoc, quòd prædicta iniuria inferuntur in perſonas alijs coniunctas.

AD Quartũ ſic proceditur. Videtur, ꝙ peccatũ nõ aggrauetur ex hoc ꝙ prædictæ iniuriæ inferuntur in perſonas alijs coniunctas. Huiuſmodi n. iniurię habẽt rationem peccati, prout nocumentũ alicui infertur cõtra eius volũtatem. Sed magis eſt cõtra hominis voluntatẽ malum quod in propriam perſonã infertur, quàm quod infertur in perſonam coniunctã: ergo iniuria illata in perſonã cõiunctã eſt minor.

2. Præterea. In ſacra ſcriptura pręcipuè reprehenduntur qui pupillis & viduis iniurias inferũt. Vnde dicitur Eccleſiaſt. 35. Non deſpeciet preces pupilli, nec uiduã, ſi effundat loquelam gemitus. Sed vidua & pupillus nõ ſunt perſonæ alijs coniunctæ:

iunctæ:ergo ex hoc, q̃ infertur iniuria per sonis coniunctis, nõ aggrauatur peccatũ.

3. Præterea. Persona coniuncta habet propriam voluntatem, sicut & principalis persona. Potest.n. aliquid ei esse voluntarium, quod est contra voluntatem principalis personæ, vt patet in adulterio, quod placet vxori, & displicet viro. Sed huiusmodi iniuriæ habent rationẽ peccati, prout consistunt in voluntaria commutatione: ergo huiusmodi iniuriæ minus habent de ratione peccati.

Sed cõtra est, quod Deuteronomium, 28. ad quandam exaggerationem dicitur: Filij tui & filiæ tuæ tradentur alteri populo uidentibus oculis tuis.

Respondeo dicendum q̃ quãto aliqua iniuria in plures redundat, cæteris paribus, tãto grauius est peccatum, & inde est q̃ grauius est peccatũ si aliquis percutiat principem, quàm personam priuatã: quia redũdat in iniuriam totius multitudinis, vt supra † dictum est. Cùm autem infertur iniuria in aliquam personam coniunctam alteri, qualitercunque illa iniuria pertinet ad duas personas. Et ideo, cæteris paribus, ex hoc ipso aggrauatur peccatũ: potest tamen contingere, q̃ secundũ aliquas circũstantias sit grauius peccatum, quod fit contra personam nulli coniunctam, vel propter dignitatem personæ, vel propter magnitudinem nocumenti.

1.2.q.73. artic. 9.

Ad primum ergo dicendum, q̃ iniuria illata in personam coniunctam, minus est nociua personæ, cui coniungitur, quàm si in ipsam immediatè inferretur: & ex hac parte est minus peccatum. Sed hoc totũ quod pertinet ad iniuriam personæ, cui coniugitur, superadditur peccato quod aliquis incurrit ex eo, quòd aliam personam secundum se lędit.

Ad secundum dicendum, q̃ iniuriæ illatæ in viduas & pupillos magis exaggerantur: tum quia magis opponuntur misericordiæ, tum quia idem nocumentum huiusmodi personis inflictũ, est eis grauius, quia non habent releuantem.

Ad tertium dicendum, quòd per hoc quod vxor voluntariè consentit in adulterium, minoratur quidem peccatum & iniuria ex parte ipsius mulieris. Grauius enim esset si adulter violenter eam opprimeret. Non tamen propter hoc tollitur iniuria ex parte viri: quia vxor non habet potestatem sui corporis, sed uir, vt dicitur primæ ad Corinthios, 7. Et eadem ratio est de similibus. De adulterio tamen, quia non solum iustitiæ, sed etiam castitati opponitur erit, locus † infra agendi, in tractatu de temperantia.

Quæstio. 154. artic. 4.

SVMMA ARTICVLI.

Conclusio est affirmatiua.

QVAESTIO LXVI.

De Furto & rapina.

DEINDE considerandum est de peccatis iustitiæ oppositis, per quę infertur nocumentum proximo in rebus, scilicet de furto & rapina. Et circa hoc quęruntur nouem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm naturalis sit homini possessio exteriorum rerum.

AD Primum sic proceditur. Videtur, q̃ non sit naturalis homini possessio exteriorum rerum. Nullus.n. dẽt sibi attribuere quod Dei est. Sed dominium omnium creaturarum est proprium Dei: secundũ illud Psal. 23. Domini est terra, &c. Ergo non est naturalis homini possessio rerũ exteriorum.

In fine.

2. Præterea. † Basilius exponẽs verbum diuitis dicentis Luc. 12. Congregabo oĩa quę nata sunt mihi, & bona mea, dicit, Dic mihi quę tua, vnde ea sumẽs in vitã tulisti? Sed illa quæ homo possidet naturaliter, põt aliquis conuenienter dicere esse sua. Ergo homo non possidet naturaliter exteriora bona.

In fine diuitis. ante medium.

3. Præterea. Sicut † Amb. dicit in lib. de Trinita. Dominus nomen est potestatis. Sed homo non habet potestatem super res exteriores, nihil enim potest circa earum naturam immutare. Ergo possessio exteriorum

L. 1. de fide. c. 1. circa fin. dist. 100.

exteriorum rerum non est homini naturalis.

Sed contra est, quod dicitur in Psal. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, scilicet hominis.

Respondeo dicendum, quòd res exterior potest dupliciter considerari. Vno modo quantum ad eius naturam, quæ non subiacet humanæ potestati, sed solũ diuinæ, cui omnia ad nutũ obediũt. Alio modo quantũ ad usum ipsius rei, & sic habet homo naturale dominiũ exteriorũ rerum: quia per rõnem & uoluntatem põt vti rebus exterioribus ad suã utilitatem, quasi propter se factis. Semper.n. imperfectiora sunt propter perfectiora], ut supra † habitũ est. Et ex hac rõne Philosophus probat in 1. † Politic. q̃ possessio rerũ exteriorum est homini naturalis. Hoc autẽ naturale dominium super cæteras creaturas, quod competit homini secundum rationem, in qua imago Dei consistit, manifestatur in ipsa hominis creatione, Genes. 1. vbi dicitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, &c.

Quæ. 64. artic. 1. Lib. 1. ca. 3. tom. 5.

Ad primũ ergo dicendum, q̃ Deus habet principale dominium omnium rerũ. Et ipse secundũ suam prouidentiam ordinauit quasdam res ad corporalẽ hominis sustẽtationem. Et propter hoc, homo habet naturale rerum dominium, quantum ad potestatem vtendi ipsis.

Ad secundum dicendum, q̃ diues ille reprehenditur ex hoc q̃ putabat exteriora bona esse principaliter sua, quasi non accepisset ea ab alio, scilicet à Deo.

Ad tertium dicendum, q̃ illa ratio procedit de dominio exteriorum rerũ quantum ad naturas ipsarum. Quod quidem dominiũ soli Deo conuenit, vt † dictũ est.

In corp. articuli.

ARTICVLVS II.

Vtrùm liceat alicui, rem aliquam quasi propriam possidere.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, q̃ non liceat alicui rem aliquam quasi propriam possidere. Omne.n. quod est cõtra ius naturale, est illicitum. Sed secundũ ius naturale omnia sunt communia: cui quidem communitati contrariatur proprietas possessionum. Ergo illicitum est cuilibet homini appropriare sibi aliquam rem exteriorem.

2. contra ca. 127. fi. Et opus. 20. lib. 4. cap. 4.

2. Præterea. † Basilius dicit, exponens prædictũ uerbum diuitis. Sicut qui properantes ad spectacula, pro hiberet ãduęniẽtes, appropriãdo sibi quod ad cõem vsum ordinatur: similes sunt diuites qui cõia, quæ præoccupauerunt, æstimant sua esse. Sed illicitum esset præcludere uiam alijs ad potiendum communibus bonis. Ergo illicitum est appropriare sibi aliquã rem communem.

In serm. ad diuites ananiros. post medium diui.

3. Præterea. † Ambrosius dicit, & habetur in Decre. dist. 47. cap. sicut hi. Propriũ nemo dicat quod est commune. Appellat autem commune, res exteriores, sicut patet ex his quæ præmittit. Ergo uidetur illicitum esse, quòd aliquis appropriet sibi aliquam rem exteriorem.

In ser. 81. tom. 3. Et habetur distin. 47. cap. sicut hi.

Sed contra est, quod † August. dicit in lib. de hæresib. Apostoli dicuntur, qui se hoc nomine arrogantissimè uocauerunt, eo q̃ in suam communionem non acciperent utentes coniugibus, & res proprias posidentes: quales habet catholica Ecclesia, & monachos, & clericos plurimos. Sed ideo isti hæretici sunt, quia se ab Ecclesia separãtes, nullã spem putant eos habere, qui vtuntur his rebus, quibus ipsi carent. Est ergo erroneum dicere quòd nõ liceat homini propria posidere.

Capi. 40. tom. 6.

Respondeo dicendum, q̃ circa rem exteriorem duo competunt homini, quorũ vnum est potestas procuraudi & dispensandi: & quãtum ad hoc licitum est quod homo propria posideat. Et est etiam necessarium ad humanam vitam, propter tria. Primo quidem, quia magis solicitus est vnusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli competit, quã id quod est commune omnium vel multorum: quia vnusquisque laborem fugiens, relinquit alteri id quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministrorum. Alio modo, quia ordinatiùs res humanæ tractantur, si singulis immineat propria cura alicuius rei procurandæ. Esset autem confusio, si quilibet indistinctè quælibet procuraret. Tertiò, quia per hoc magis

magis pacificus ſtatus hominum conſeruatur, dum unuſquiſque re ſua contentus eſt. Vnde uidemus, quòd inter eos qui communiter & ex indiuiſo aliquid poſſident, frequentius iurgia oriuntur.

Aliud uerò quòd competit homini circa res exteriores, eſt uſus ipſarum. Et quãtum ad hoc non debet homo habere res exteriores ut proprias, ſed ut communes: ut ſcilicet de facili aliquis eas communicet in neceſſitates aliorum. Vnde Apoſtolus dicit primæ ad Timotheum ultimo. Diuitibus huius ſeculi præcipe facile tribuere, communicare.

Ad primum ergo dicendum, quòd cõmunitas rerum attribuitur iuri naturali: non quia ius naturale dictet omnia eſſe poſſidenda communiter; & nihil eſſe quaſi proprium poſſidendum: ſed quia ſecundum ius naturale non eſt diſtinctio poſſeſſionum, ſed magis ſecundum humanum condictum, quod pertinet ad ius poſitiuum, ut ſupra † dictum eſt. Vnde proprietas poſſeſſionem non eſt contra ius naturale, ſed iuri naturali ſuperadditur per adinuentionem rationis humanæ. (Qu. 57. ar. 2. & 3.)

Ad ſecundum dicendum, quòd ſi ille qui præueniens ad ſpectacula præpararet alijs uiam, non illicitè ageret. Sed ex hoc illicitè agit, quòd alios prohibet. Et ſimiliter diues non illicitè agit ſi præoccupans poſſeſſionem rei, quę à principio erat cõmunis, alijs etiam communicat. Peccat autem ſi alios ab uſu illius rei indiſcretè prohibeat. Vnde † Baſilius ibidem dicit: Cur tu abundas, ille uerò mendicat, niſi ut tu bonę diſpenſationis merita conſequaris; ille uerò patientiæ premijs coronetur. (Loco citato in argumen.)

Ad tertium dicendum, quòd cùm dicit Ambroſius: Nemo proprium dicat quod eſt commune: loquitur de proprietate quantum ad uſum. Vnde † ſubdit: Pluſquam ſufficeret ſumptui, uiolenter obtentum eſt. (Loco citato in argument.)

DE articulo primo & ſecundo, non eſt huius loci diſputare, diſputatum eſt in principio quæſtionis 62.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſit de ratione furti, occultè accipere rem alienam.

A AD Tertium ſic proceditur. Videtur, quòd non ſit de ratione furti occultè accipere rem alienam. Illud enim quod diminuit peccatum, non uidetur ad rationem peccati pertinere. Sed in occulto peccare pertinet ad diminutionem peccati: ſicut è contrariò ad exaggerandum peccatum quorundam, dicitur Iſaiæ. 3. Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, B nec abſconderunt. Ergo non eſt de ratione furti occulta acceptio rei alienę.

2. Præterea † Ambr. dicit, & habetur in Decret. diſt. 47. Minus eſt criminis habenti tollere, quàm cum poſſis & abundanſis, indigentibus denegare. Ergo ſicut furtum conſiſtit in acceptione rei alienæ, ita etiam in detentione ipſius. (Ambr. de ſer. in Pro. cit. Hoc. cit. Et habetur dist. 47. c. Cui ſuperfluit. & in mor.)

3. Præterea. Homo poteſt furtim ab alio accipere etiã quod ſuum eſt, puta rem C quam apud alium depoſuit: uel quæ eſt ab eo iniuſtè ablata. Non eſt ergo de ratione furti, quòd ſit occulta acceptio rei alienę.

Sed contra eſt quod † Iſidorus dicit in lib. Etymologiarum. Fur à furuo dictus eſt, id eſt, à fuſco: nã noctis utitur tẽpore. (Lib. 10. c. 3. in fin. Fur dicit. à poste illiter.)

Reſpondeo dicendũ, ꝙ ad rationẽ furti tria cõcurrunt. Quorũ primũ conuenit ſibi, ſecundũ qd̃ contrariatur iuſtitię, quę D unicuiq; tribuit quod ſuũ eſt; & ex hoc cõpetit ei, ꝙ uſurpat alienũ. Secundum uerò pertinet ad rationẽ furti, prout diſtinguitur à peccatis, quę ſunt contra perſonã, ſicut ab homicidio & adulterio & ſecundũ hoc cõpetit furto, qd̃ ſit circa rem poſſeſſã. Si quis n. accipiat id quod eſt alterius non quaſi poſſeſſio, ſed quaſi pars: ſicut ſi amputet mẽbrum: uel ſicut perſona cõiuncta, ut ſi auferat filiam uel uxorem, E non habet propriè rationem furti. Tertia differentia eſt, quæ complet rationẽ furti: ut ſcilicet occultè uſurpetur alienum. Et ſecundum hoc propria ratio furti eſt, ut ſit occulta acceptio rei alienæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd occultatio quandoq; quidem eſt cauſa peccati, puta cum quis utitur occultatione ad peccandum, ſicut accidit in fraude & dolo. Et hoc modo non diminuit, ſed conſtituit ſpeciem peccati, & ita eſt in furto. Alio modo occultatio eſt ſimplex circunſtantia peccati Et ſic diminuit peccatum.

Tum

Tum quia ſignum uerecundiæ eſt: tum quia tollit ſcandalum.

Ad ſecundum dicendum, quòd detinere id quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione iniuſta. Et ideo ſub iniuſta acceptione intelligitur etiam iniuſta detentio.

Ad tertium dicendum, quòd nihil prohibet id quod eſt ſimpliciter unius, ſecundum quid eſſe alterius: ſicut res depoſita eſt ſimpliciter quidem deponentis: ſed eſt eius, apud quem deponitur, quantum ad B cuſtodiam. Et id quod eſt per rapinam ablatum; eſt rapientis, non ſimpliciter, ſed quantum ad detentionem.

SVMMA ARTICVLI.

PRima concluſio eſt affirmatiua. Secunda concluſio. Habetur in ſolutione ad ſecundum ſub nomine iniuſtæ acceptionis, intelligenda eſt etiam iniqua detentio, quæ pertinet ad ſpeciem furti quando eſt occulta.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum furtum & rapina ſint peccata differentia ſpecie.

Infra art. 3. & ſcq. & 173. ar. 1. & 2. Et ad ſecundũ. 2. 2. Co. 32. 12. co. 33. fin.

A AD Quartum ſic proceditur. Videtur, quòd furtum & rapina nõ ſint peccata differentia ſpecie. Furtum enim & rapina differunt ſecundum occultum & manifeſtũ, D Furtum enim importat occultam acceptionem, rapina uero uiolentam & manifeſtam. Sed in alijs generibus peccatorum, occultum & manifeſtum non diuerſificãt ſpeciem. Ergo furtum & rapina non ſunt peccata ſpecie diuerſa.

2. 2. qõ. 1. ar. 3. & q. 78. art. 6. 2. Præterea. Moralia recipiunt ſpeciẽ à fine, ut ſupra † dictum eſt. Sed furtum & E rapina ordinantur ad eundem finem, ſcilicet ad habendum aliena. Ergo non differunt ſpecie.

3. Præterea, Sicut rapitur aliquid ad poſſidendum, ita rapitur mulier ad delectandum. Vnde & † Iſidorus dicit in lib. Etymolog. quòd raptor dicitur corruptor, & rapta dicitur corrupta. Sed raptus dicitur, ſiue mulier auferatur publicè ſiue occultè. Ergo & res poſſeſſa rapi dicitur, ſiue occultè ſiue publicè rapiatur. Ergo non differunt furtum & rapina. (Lib. 10. c. 37. & incipit. Religioſus. & med.)

Sed contra eſt, quod † Philoſophus in A 5. Ethic. diſtinguit furtum à rapina, ponens furtum occultum, rapinam uerò uiolentam. (Lib. 5. ca. 1. in fine, tom. 5.)

Reſpondeo dicendum, quòd furtum & rapina ſunt uitia iuſtitiæ oppoſita, inquãtum aliquis alteri facit iniuſtum. Nullus autem patitur iniuſtum uolẽs, ut probatur in 5. † Ethic. Et ideo furtum & rapina ex hoc habent rationem peccati, quòd B acceptio eſt inuoluntaria ex parte eius cui aliquid ſubtrahitur. Inuolũtarium autẽ dupliciter dicitur, ſcilicet per ignorantiam, & uiolentiã, ut habetur in 3. † Ethic. Et ideo aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum. Ergo propter hoc differunt ſpecie. (Li. 5. c. 9. ante medũ, to. 5. Lib. 3 ca. 1. tom. 4.)

Ad primum ergo dicendum, quòd in alijs generibus peccatorum non attenditur ratio peccati ex aliquo inuoluntario, C ſicut attenditur in peccatis oppoſitis iuſtitię. Et ideo ubi occurrit diuerſa ratio in uoluntarij, eſt diuerſa ſpecies peccati.

Ad ſecundum dicendum, quòd finis remotus rapinæ & furti idem eſt. Sed hoc non ſufficit ad identitatem ſpeciei, quia eſt diuerſitas in finibus proximis. Raptor enim uult per propriam poteſtatem obtinere, fur uerò per aſtutiam.

D Ad tertium dicendum, quod raptus mulieris non poteſt eſſe occultus ex parte mulieris, quæ rapitur. Et ideo etiam ſi ſit occultus ex parte aliorum, à quibus rapitur, adhuc remanet ratio rapinæ ex parte mulieris, cui uiolentia infertur.

SVMMA ARTICVLI.

COncluſio eſt affirmatiua. De hac materia eſt nobis communis diſputatio cum Iuriſperitis utriuſque iuris in ſuis titulis de furtis. Vide Soto lib. E 5. de Iuſtitia. q. 3.

COMMENTARIVS.

PRo explicatione definitionis furti arguitur primo. Ex. l. 1. ff. de furtis, ubi Paulus Iuriſconſultus aliã definitionem aſſignat, ſcilicet furtum eſt contrectatio fraudulóſa lucri faciendi gratia, uel ipſius rei, uel poſſeſſoris eius, uel uſus illius. Eandem definitionem aſſignat Iuſtinianus, Inſtituta de obligationibus quæ ex delicto naſcuntur. Item Theologi communiter addunt illi definitioni, inuito

inuito domino. Ergo definitio Diui Tho. diminuta est. Secundò qui iustè rem alienam accipit commodato, etiam si postea iniquè detineat, non dicitur fur neque punitur ut fur, ergo secunda conclusio tertij articuli falsa est. Tertia. Vsura uel iniqua emptio uel uenditio non est furtum: & tamen est acceptio occulta rei alienæ: ergo mala est definitio.

Vltimo arguitur. Ex l. si uendidero. ff. de furtis. & ex Augustino in sermone 19. de uerbis Apostoli, & libr. 2. quæstionum Exodi quæstione 71. cuius uerba habentur 14. quæstione 5. ca. si quid inuenisti. & ca. pœnale. Ex quibus locis habetur, quòd rapina est furtum & pars subiectiua illius, hoc est specifica, & tamen non est occulta: ergo mala est definitio rapinæ & furti. Respondetur, definitionem D. Tho. esse optimam, & magis secundum artem quam definitionē Iurisconsulti. Et probatur. Nam particula illa, fraudulosa, non pertinet formaliter ad rationem furti, sed ad quoddam uitium imprudentiæ, per quod aliquis utitur simulatis uijs infactis ad intentionem suam exequendam. Cæterum in furto sufficit occultatio, neque opus est simulatione. Item illa particula lucri faciendi gratia, denique aliæ duæ particulæ, scilicet possessio & usus rei, sufficienter intelliguntur nomine rei. Definitionem etiam D. Tho. ponit Isidorus, lib. 5. Etymologiarum, capit. 26. Sed loco illius particulæ occulta ponit clandestina. Quod autem Theologi solent addere, inuito domino, magis faciunt ex plicandi gratia, quam necessitatis: quia per se loquēdo, non est occulta acceptio quando fit uoluntario domino saltem interpretatiuè. Et per hoc patet ad primum argumentum. Ad secundum respondetur, quòd iniqua detentio rei alienæ ignorante domino, peccatum est furti apud Deum in foro conscientiæ: quamuis in foro exteriori non puniatur ut fur, nisi quando accipit occultè. Ad tertium respondetur, quòd usura & emptio uel uenditio iniqua, non necesse est quòd fiat ignorante domino, sed sæpe fit domino sciente. Cæterum quando fuerit occulta habebit malitiam etiam furti. Ad quartum respondetur, quòd sæpe apud Latinos ista duo confunduntur scilicet furtum & rapina, & alterum pro altero accipitur. Cæterum quòd D. August. inquit in loco citato, quòd per furtum intelligitur rapina in septimo præcepto Decalogi, quasi à parte totum, ita erit explicandum, quia per furtum intelligitur etiam omnis iniqua acceptio, & quicquid continetur sub iniqua acceptione sicut continetur rapina.

A

2. Præterea. Ille qui inuenit rem non suam, si eam accipiat, uidetur furtum committere: quia accipit rem alienā. Sed hoc uidetur esse licitum secundnm naturalem æquitatem, ut Iuristæ dicunt. Ergo uidetur, quòd furtum non semper sit peccatum.

B

3. Præterea. Ille qui accipit rem suam, non uidetur peccare: cùm non agat contra iustitiam, cuius æqualitatem non tollit. Sed furtum committitur etiam, si aliquis rem suam occultè accipiat ab altero detentam uel custoditam. Ergo uidetur quòd furtum non semper sit peccatum.

Sed contra, est quod dicitur Exodi 20. Non furtum facies.

Respondeo dicendum, quòd si aliquis consideret furti rationem, duas rationes peccati in eo inueniet. Primò quidem propter contrarietatem ad iustitiam, quę redit unicuique quod suum est. Et sic furtū iustitiæ opponitur, inquantum furtū est acceptio rei alienæ. Secundò ratione dolli seu fraudis, quam fur committit, occultè, & quasi ex insidijs rem alienam usurpando. Vnde manifestum est, quòd omne furtum est peccatum.

C

Ad primum ergo dicendum, quòd accipere rem alienam uel occultè, uel manifestè autoritate iudicis hoc decernentis, non est furtum, quia iam fit sibi debitum per hoc, quòd sententialiter sibi est adiudicatum. Vnde multò minus furtum fuit, quòd filij Israel tulerunt spolia Aegyptiorum ex præcepto Domini, hoc decernentis, pro afflictionibus, quibus Aegyptij eos sine causa afflixerant. Et ideo signanter dicitur Sapientiæ. 10. Iusti tulerunt spolia impiorum.

D

Ad secundum dicendum, quòd circa res inuentas est distinguendum. Quædā enim sunt quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius, sicut lapilli & gemmæ, quę inueniuntur in littore maris. Et talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio est de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non extat aliquis possessor, nisi quòd secundùm leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem domino agri, si in alieno agro inuenerit. Propter quod in parabola Euangelij dicitur Matth. 13. de inuentore thesauri absconditi in

ARTICVLVS V.

Vtrùm furtum semper sit peccatum.

E

Infra q. 118. ar. 4. cō. Et 2. q. 42. q. 2. art. 4. cō. Et mal. q. 10. art. 2. cor. Et q. 6. 15. ar. 2. corp. princ.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd furtum non semper sit peccatum. Nullum enim peccatum cadit sub præcepto diuino. Dicitur enim Eccles. 15. Nemini mandauit impiè agere. Sed Deus inuenitur præcepisse furtum. Dicitur enim Exo. 12. Fecerunt filij Israel sicut præceperat Dominus Moysi, & expoliauerunt Aegyptios. Ergo furtū nō semper est peccatū.

diti in agro, quòd emit agrum, quasi ut haberet ius possidendi totum thesaurum. Quædam uerò res inuentæ fuerunt de propinquo in alicuius bonis. Et tunc si quis eas accipiat non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtū. Et similiter si pro derelictis hàbeantur, & hoc credat inuentor, licet sibi eas retineat, non committit furtum: aliàs autem committitur peccatum furti. Vnde † August. dicit in quadam homil. & habetur 14. questione. 5. Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti.

Setm. 19. de uerb. Apost. à medio. tom. 10. Et habetur 14. q. 9. capitu. Si quid.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui furtim accipit rem suam apud alium depositam, grauat depositarium: quia tenetur ad restituendum, uel ad ostendēdum se esse innoxium. Vnde manifestum est q̄ peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij. Qui uerò furtim accipit rem suā apud alium iniustè detentā, peccat quidē, non quia grauet eum qui detinet (& ideo nō tenetur ad restituendum aliquid uel ad recompensandum) sed peccat contra cōmunem iustitiam, dum ipse sibi usurpat suæ rei iudicium, iuris ordine prætermisso. Et ideo tenetur Deo satisfacere, & dare operā, ut scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur.

A

B

C

D

E

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Furtum habet duas rationes peccati, scilicet, iniustitiæ, & doli.

Secunda conclusio in solutione ad secundum. Res inuentæ quęcunque non fuerunt alicuius, sicut sunt gemmæ inuentæ in littore maris efficiuntur ipsius inuenientis, & occupantis.

Tertia conclusio ibidem. Eadem est ratio de thesauris antiquis occultatis in terra, quorum nullus est possessor, sed tamen secundùm leges ciuiles dimidia pars reddenda est domino agri.

Quarta conclusio. Si quis res inuentas, quę de propinquo fuerunt alicuius Domini accipiat animo restituendi, non committit furtum.

Quinta cōclusio ibidem. Non cōmittit furtū qui res inuentas quę pro derelictis habentur sibi accipit.

Sexta conclusio. Qui aliter quam dictum est accipit rem alienam, committit furtum.

COMMENTARIVS.

CIrca primam conclusionem nota, quòd prima consideratio peccati in furto, est generica, secunda uero specifica: unde ex illis consurgit unica species peccati Circa solutionem ad primū. uide Caietan. lib. 2. de locis, cap. 4. & Soto lib. 3. de iustitia, q. 3. articu. 3. ad primum. lib. 2. quæst. 3. artic. 8.

Circa secundam conclusionem arguitur sic. Re-

Bañes de Iustitia.

ges Catholici Hispaniæ tulerunt legem, ne quis in mari Indicio Occidentali quæreret margaritas, nisi esset talis uel talis conditionis, ergo ibi margaritæ inuentæ non erunt inuentoris. Respondetur, quòd secunda conclusio est uera stando in solo iure naturæ, & etiam in iure communi, ut habetur in l. item lapilli. ff. de rerum diuisione. & Instituta eod. titulo. §. item lapilli. & est Arist. 1. Politicorum, in initio & omnium Philosophorum & Iurisperitorū & Theologorum. Vide Diuum Antoninum in 2. par. titulo 1. cap. 15. §. secundo.

Ad argumentum uero respondetur, quòd lex illa particularis est, & potest iustificari propter bonum commune huius Regni uel illius, ad quod pertinet ut non quilibet quærat huiusmodi margaritas. Simili modo poterit Rex condere legem, ut in suo regno nullus alienigena quærat margaritas. Notandum est tamen, quòd lex illa Hispaniæ prohibet quærere margaritas, non autem forte repertas sibi accipere. Item etiam est notandum, quòd illa lex omnino pœnalis est, neque obligat ad restituendas margaritas ante cōdemnationem iudicis, sicut lex quæ prohibet piscationem aut uenationem.

Circa tertiam conclusionem notandum est, quòd thesaurus dupliciter dicitur. Vno modo propriè: alio modo impropriè. Thesaurus propriè, dicitur uetus depositio pecuniæ cuius non extat memoria ita ut Dominum non habeat. Sed nomine pecuniæ intelligamus id quod pecunia æstimatur. Ita definit Iurisconsultus in l. nunquam. §. thesaurus. ff. de acquirendo rerum dominio. & in l. unica. C. de thesauris. lib. 10. & Instituta de rerum diuisione. §. thesaurus. Thesaurus uero impropriè, dicitur in eisdem legibus citatis depositio pecuniæ quam quisque lucri gratia, uel metus, uel custodiæ, sub terra condidit. Possumus etiam nos addere honoris ostentandi gratia.

Sit ergo prima conclusio. Qui inuenit thesaurum impropriè dictum, tenetur ad restitutionem uero Domino, uel hæredibus eius. Pro cuius explicatione nota, moris fuisse olim apud gentes, & forte nunc etiam estut in sepulchris simul cum cadauer ibus multas diuitias conderent ad ostentationem honoris & gloriæ suæ, uel suorum in posterum, aut etiam ad reipublicæ defensionem: si quando in magno periculo constituta indigeret diuitijs. Ponebantur autem in sepulchris ut ibi tutius seruarentur ad ingentem necessitatem reipublicæ: unde non erat fas sine urgenti tali necessitate illas educere. Cuius exemplum est apud Iosephum libro. 7. antiquitatum, capit. ultimo. ubi refert Salomonem ædificasse patri Dauid magnificum sepulcrum, & ibi plurimas diuitias condidisse, quibus, postea mille & trecentos annos, usus est Hyrcanus sacerdos, quando Antiochus obsidebat Hierusalem cui data fuit pecuniæ ingens summa, ut solueret obsidionem, & sic reparauit ciuitatem. Probatur ergo conclusio ex l. nunquam. ubi supra, ubi expresse Iurisconsultus dicit, quòd qui accipit huiusmodi thesaurum, furtum cōmittit. Et confirmatur. Quia huiusmodi thesaurus non habetur pro derelicto. Hinc inferunt aliqui corollarium quòd Hispani qui apud Indos Occidentales extraxerunt thesauros de sepulchris, tenentur ad restitutionem. Et ratio est, quia adhuc erant hæredes illius thesauri, scilicet filij dominorum, uel ipsamet respublica. Sed tamen nobis uidetur, quòd non est uniuersaliter uerum hoc corollarium: sed dicimus, quòd ubi constiterit diuitias illas superstitionis causa esse depositas: nō tenentur qui illas inuenerunt restituere. Probatur. Quia tales diuitię nul

R lius

lius rei uera causa depositę sunt: ergo habentur pro derelictis, ex quibus nullus usus expectatur fore hęredibus aut reipublicę: ni si tantũ ꝙ illæ diuitię sacri ficabantur idolis & falsæ religioni: & tales fuisse ali quos thesauros depositos in sepulchris apud Indos nalde probabile est, ex his quę nobis narrant qui inde aduenerunt.

Secunda conclusio. Stando in solo iure naturæ, thesaurus propriè dictus efficitur ipsius inuentoris. Hæc est omnium expressa sententia, & habetur in l. nunquam. ubi supra. Et ratio est. Quia quæ in nullius bonis sunt, statim efficiuntur occupantis, sicut facta est diuisio rerum.

Tertia conclusio. Secundum tamen ius commune positiuum & Hispanicum, thesaurus inuentus arte magica totus adiudicatur fisco. Hæc conclusio probatur ex. l. unica. Codice de thesauris. & in l. nemo. Codice de maleficis & mathematicis. Item in l. Regia 44. titulo. 28. Partita. 2. Sed nota, quòd cum istæ leges sint penales contra artem magi cam non obligant ante condemnationem iudicis.

Quarta conclusio. Si eadem iura attendamus thesaurus inuentus in proprio fundo, totus est inuento ris, si autem inueniatur in alieno: tunc si ex proposi to quærebatur, totus est reddendus domino agri: si autem à casu fuerit repertus diuidendus est æqualiter inter inuentorem & dominum agri. Hæc habetur in l. unica. Codice de thesauris. §. thesaurus. & in l. Regia 44. supra.

Sed nota circa secũdam partem conclusionis ubi dicitur, quòd thesaurus ex proposito inuentus, totus adiudicetur domino agri: quòd non est intelligenda ipso facto ante sententiam iudicis, quoniam illæ leges sunt pœnales contra illum qui in agro alieno quærit thesaurum. Cæterùm quantum ad illud quod inquit thesaurum diuidendum, non opus est sententia iudicis: sed in foro conscientiæ tenetur ipse inuentor dimidiam parem reddere Domino agri. Ratio huius est, quia finis legis non est puni re, sed componere ciues inter se. Nam Dominus agri poterat pro se adducere, quod cum ager esset pro prius, etiam thesaurus, qui ibi latebat sibi debebatur. Contra ipse inuentor diceret pro se, quòd fortuna sibi fauit, ut totus thesaurus sibi deberetur: & ideo lex uoluit componere istam discordiam, & ipso facto adiudicare dimidiã partẽ, uni & dimidiã alteri.

Quinta conclusio. Si eadem iura attendamus, qui inuenit thesaurum in agro quem emit, siue sciens ibi latere, siue nesciens: efficitur Dominus ipsius the sauri. Probatur primò. Qui inuenit in agro proprio thesaurum, fit Dominus totius, sed iste inuenit in agro proprio, ergo &c.

Secundò. Finis legum est, componere discordiam ciuium inter se, sed quando homo iam emit agrum, nulla est discordia, ergo cessat finis legum.

Confirmatur ex D. Thoma supra quæstione 66. articulo. 5. in solutione ad secundum, ubi ait, quòd propterea in parabola Matth. 13. dicitur, quòd qui in uenit thesaurum emit agrum illum, scilicet, ut totũ possideret. & ita sentit Iurisconsultus in l. tutore. ff. de rei uendicatione.

Sed contra istam confirmationẽ arguitur primò. Venditor agri ex ignorantia patitur inuolũtarium: non enim uenderet si sciret latere thesaurum: ergo ipse emptor tenetur restituere dimidiam partẽ. Probatur consequentia. Quia tacendo fuit causa inuoluntarij alterius.

Secundò. Esto non teneatur ipse emptor restituere quando ignorans latere thesaurum emit agrum illum: tamen quando sciens latere emit agrum, tollit ius quod uenditor habet ad dimidiam partem thesauri: ergo tenebitur restituere.

Tertiò. Venditor non uendidit thesaurum cum agro, ergo emptor non acquisiuit maius ius, quam antea habebat ad thesaurum.

Ad primum respondetur, quòd emptor non est causa inuoluntarij quod patitur uenditor: quia non tenetur reuelare illi quod ipse sua industria cognouit, maximè quia non pertinet ad substantiam rei uenditæ thesaurus absconditus, quia ager appreciatur secundùm superficiem quam habet maius uel minus fructificam, non uero secundùm ea quæ accidentario ibi recondita sunt. Quemadmodum si quis emeret equum, quem scit bibisse margaritam in flumine, non tenetur reuelare Domino equi: quia non pertinet ad substantiam equi, neque ad ualorem illius. De qua re uide Soto libro. 6. de iustitia, quæstione. 3. articulo. 2. circa finem, quamuis Soto ipse libro. 5. de iustitia, quæstione. 3. articulo. 3. ad secundũ. tenet aliquid contrarium nostræ conclusioni, scilicet quòd qui emit agrum alienum in quo postea inuenit thesaurum tenetur restituere dimidiam partem uenditori. Sed tamen hoc non probat sufficienter: quia talis medietas thesauri nullo titulo debetur ipsi uenditori agri.

Ad secundum respondetur, quòd si ille qui ignorans emit agrum, non tenetur aliquid reddere uenditori, non etiam tenebitur reddere si sciens latere thesaurum emit agrum. Ratio est, quia ignorantia emptoris, non tollit aliquod ius quod antea habebat uenditor, ergo si ignorans non tenetur, non tenebitur sciens.

Ad tertium respondetur, nego consequentiam, quia emptor non acquirit dominium thesauri ex uenditione alterius, sed ex inuentione in agro proprio, neque ipse uenditor antea erat Dominus thesauri: alioquin non esset thesaurus proprie dictus, de cuius ratione est quòd non habeat Dominum. Vide Syluestrum in uerbo, inuentũ, §. 8. & in Rosa aurea in tractatu de q̃stionibus imperti nentibus, casu. 39.

Sexta conclusio. Princeps potest iustam legem condere, ut communis thesaurus propriè dictus inuentus in suo regno ad se pertineat. Hæc conclusio est contra Syluest. ubi supra, quem citat & sequitur Soto ubi supra. Imo ipse addit, quòd nullam partem thesauri inuenti potest princeps sibi applicare. Insuper dicit se neque scire neque approbare, quòd Princeps possit etiam urgente necessitate reipublicæ, huiusmodi tributum imponere.

Sed nihilominus probatur conclusio. Nam sicut iure naturæ omnia dicuntur esse communia, nihilominus iure gentium facta est diuisio rerum in cõmuni, ita etiam ius gentium quo res efficiuntur occupantis, potest determinari iure positiuo Regni & prouintiæ, ergo Rex poterit sine detrimento iuris naturalis, aut gentium, applicare sibi huiusmodi thesauros tãquam personæ quæ gerit uicem reipublicæ.

Secundò probatur. Nam de facto est lex Hispaniæ libro. 6. ordinationum Regalium, titul. 12. num. 7. quæ decernit, quòd thesaurus inuentus in quouis loco Regni Regi acquiratur, data quinta parte uel quarta inuentori. Neque ualet dicere quòd intelligitur illa lex de inuentis thesauris in loco communi reipublicę, quoniam usus est in contrarium, quod ubicunque inueniatur thesaurus Rex sibi illum applicat. Paludanus in 4. distinctione. 15. quęstione tertia articulo quinto, inquit, esse communem usum in toto orbe. Idipsum dicit Diuus Antoninus in secunda parte, titulo. 3. §. 1. capite primo. Neque ualet etiam dicere, quod illa est lex pœnalis:

halis: quia lex pœnalis semper prohibet aliquem actum malum, uel habẽtem speciem mali: sed illa lex nullum actum prohibet, sed solum dicit, quòd thesaurus inuentus acquiratur Regi.

Sed probatur tertiò specialiter contra sententiam Soto. Nam Rex imponit tributa iusta & exigit illa de rebus magno labore partis, ut de tritico, ergo multo melius poterit imponere tributa super rebus forte inuentis.

Et si quis arguat contra nostram sententiam, quòd sua natura thesaurus inuentus est inuentoris, ergo iniqua est lex quæ prohibet huiusmodi dominium. Patet consequentia. Quia est contra legem naturæ. Respondetur primò, quòd idem argumentum probaret, quòd etiam est iniquũ ius gentium per quod facta est diuisio rerum, quæ iure naturæ communes erant.

Secundò respondetur, quòd cum dicitur iure naturæ thesaurus inuentus fieri inuentoris: intelligendum est negatiuè, non omnino positiuè: hoc est, qd ius naturæ non præcipit positiuè, quòd thesaurus sit inuentoris: sed quia iure naturæ non est alterius, statim efficitur occupantis.

Tertiò respondetur clarius, quòd quamuis iure naturæ qui inuenit thesaurum statim acquirat dominium: tamen ius particulare inuentoris potest impediri alio iure naturali uniuersaliori, ut v. g. nisi propter bonum commune expediat, quòd thesaurus efficiatur reipublicæ, aut Principis: tunc enim lex positiua quæ hoc determinat fundatur in iure naturali. Est exemplum in naturalibus, Aqua habet naturalem inclinationem specificam ad motum deorsum: & nihilominus propter bonum uniuersi ascendit sursum: neque in illo motu sursum fit aliqua uio lentia aquæ: quia etiam habet naturalem inclinationem ad illum motum inquantum est pars uniuersi. Sic etiam homo habet naturalem inclinationem, & ius naturale ad conseruandum & defendendam propriam uitam: & nihilominus obligatur iure naturali pati mortem propter bonum commune, inquantum est pars reipublicæ. Et per hoc patet ad aliud argumentum quod posset fieri ex lege, intelligitur. ff. de iure fisci. ubi dicitur Regi tribuatur dimidia pars thesauri inuenti in loco Regis, uel fisci. Respondemus enim, quòd istud ius commune limitatur iure Regni particularis. De qua re uide Nauar. in manuali, capite 17. à numero 172. usque ad finem capitis, ubi tenet nostram quintam & sextam conclusionem. Ex dictis etiam sequitur, quomodo sit intelligendum quod dicitur in capit. cum tu. de usuris. & in multis alijs. 14. quæstione. 5. ubi præcipitur quòd res quæ non habent certos dominos conuertantur in usus pios pauperum: non enim intelligitur hoc de thesauris propriè dictis: sed de illis rebus quę habent dominos sed ignotos, & in huiusmodi maxime uerificantur illi canones quando illæ res sunt ablatæ per iniquitatem, uel per aliquam acceptionẽ ex qua uirtute contractus oritur obligatio iustitiæ in accipiente, ut reddat quod recipit.

Septima conclusio. Non obstantibus quæ dicta sunt, ille qui inuenit thesaurum non tenetur statim dare Regi totum thesaurum accepta sibi quarta uel quinta parte: quousque exigantur ab illo. Ratio est, quia huiusmodi lex imponit tributum: non est autem ius ut tributa soluantur nisi exigantur à ministris Regis. Tenebitur autem dare dimidiam partem Regi si inuenit thesaurum in fundo Regis: quia illa dimidia pars non est tributum, sed debitum ex iustitia commutatiua, sicut est debitũ quod detur dimidia pars Domino agri.

Banes de Iustitia.

Octaua conclusio. Mineralia auri uel argenti, uel metallorum uenę, si solum ius naturę attendamus, sunt illorum quorum sunt loci ubi inueniuntur. Ratio est, quia huiusmodi sunt ueluti fructus ipsius terrę, ut, uerbi gratia, quercus & herbæ: si autem attendamus ius commune positiuum, similiter iudicandum est de mineralibus, atque de thesauris, ut patet ex eisdem legibus, quas supra citauimus: si denique attendamus ius Regni Hispanię multo aliter determinatur. Nam in l. 6. titulo. 28. Partita. 3. dicitur, quòd ad Regem pertineant uenę mettallorum & mineralium. & in l. 8. titulo. 1. libro. 6. ordinationum Regalium dicitur, quòd nemini liceat absque priuilegio Regis ea quærere: & inde sibi aliquid accipere. Deinde titul. 12. ibidem conceditur cuique facultas querendi ubicunque: dummodo fiat sine detrimento agri alieni, & de uoluntate Domini, & dummodo deductis expensis duas tertias reddat Regi, & sibi possit unum accipere. Sed Nihilominus nostris temporibus uidimus, quòd hęc lex non fuit seruata cum illo, qui inuenit minam argenti, quę uulgo dicitur *guadalcana*, & fuit data illi minima quędam porrò pecunię, & Rex accepit dominium filius. Ratio harum rerum esse potest, quia huiusmodi mineralia maxime auri & argenti, sunt fructus opimi ualde ipsius terrę, qui non decent nisi Regiam maiestatem & magnificentiam, & hoc propter bonum commune reipublicę.

SVPEREST iam disputare circa quartam conclusionem D. Thom. de rebus inuentis quas adhuc habere dominum uerosimile est, quæ bona uulgo dicuntur, *bienes mostrencos*. De his igitur bonis hoc supponendum est, quod qui illa inuenit, tenetur inquirere uerum dominum: & si inuenerit reddere. Hęc est communis omnium sententia. Sed arguitur contra illam. Ille qui inuenit hæc bona potest ea relinquere ubi inuenit: nec tenebitur ad restitutionem, etiam si res illa pereat: quia non tenebatur ex iustitia sed tantum ex charitate seruare illa bona Domino suo, ergo etiamsi semel acceperit illa bona, non tenebitur ex iustitia querere dominum. Respondetur nego consequentiam. Quoniam postquam semel accepit, ut illa acceptio sit iusta debet se obligare ratione rei, querere Dominum illius, quia si non accepit illam ista intentione: iam est acceptio iniusta, & tenebitur ratione iniustę acceptionis restituere. Dubium autem est, utrùm post factam diligentiam inquirendi Dominum, si non inuenerit possit sibi retinere? Ad quod fere omnes respondent, quòd tenetur restituere pauperibus. Syluester in uerbo inuentum, dicit hanc sententiam esse communem, & arguitur primo pro illa ex Augustino. 14. quęstione. 5. can. si quid inuenisti & non reddidisti, rapuisti: & canone multi. hoc ipsum habetur: & preterea in canone communia, de successionibus. & l. 1. Regia titulo penultimo, Partita. 6. precipitur, quòd bona peregrini morientis absque testamento, si non comparuerit heres: per episcopum pauperibus distribuantur. Secundò Bona per iniquitatem accepta aut etiam mutuo, reddenda sunt pauperibus si non comparuerit Dominus, ergo etiam alię res inuentę. Antecedens patet ex capit. cum tu. de usuris. & in multis alijs. 14. quęstione 5. Quod si aliquis respondeat negando consequentiam: quia antecedens definitum est iure Canonico, non autem consequens. Contra. Nam saltem sequitur, quòd teneatur illa bona conuertere in usus reipublicę. Patet sequela. Quia iure naturę, bona quorum Dominus non comparet redeunt ad ipsam rempublicam.

Tertiò. Talia bona sunt expendenda secundum uoluntatem interpretatiuam Domini, quando uoluntas expressa haberi non potest: sed merito præsumitur uoluntas Domini esse, ut illa bona in pios usus expendantur, ergo inuentor tenetur bona illa pauperibus restituere. Altera sententia est Soto ubi supra artic. 3. ad secundum, ubi ait, sub consilio tantũ esse ut illa bona dentur pauperibus: neque esse sub precepto, ut homo etiam diues teneatur illa bona reddere pauperibus.

PRO decisione quæstionis sit prima conclusio. Stando in solo iure naturæ, & etiam communi Ciuili & Canonico, res inuentas in nostro casu, non est necesse dare pauperibus: sed licitum erit inuentoribus si bi retinere. Probatur. Quia nulla ratio, nullus textus est, qui conuincat oppositum. Et confirmatur. Nam iure naturæ res quæ in nullius bonis sunt, efficiuntur occupantis: sed huiusmodi res inuentæ de quibus iam non est spes quòd appareat dominus illarum, reuera in nullius bonis computantur: sed habentur pro derelictis ergo efficiuntur ipsius inuentoris primo occupantis.

Secunda conclusio. Nihilominus seruandæ sunt leges iustæ cuiusque Regni & prouinciæ circa huiusmodi res inuentas. Ita tenet Caietanus hic & Nauarro in manuali, capit. 17. numero. 174. Imo dicit quòd non opus est expectare sententiam iudicis ad huiusmodi res restituendas secundùm normam legis. Vt v.g. est lex apud Hispanos libro. 4. fori Regalis titulo. 13. lege. 2. & libro. 6. ordinationum Regalium titulo. 12. l. 1. quòd huiusmodi res inuentæ tradantur iudici, qui post uocem præconis in diebus feriatis, hoc est, *de mercado, o feria*, si non comparuerit Dominus tradat illas res illi, cui ex priuilegio Regis competunt, & ita faciendum est in foro conscientiæ: quia sunt leges istæ iustæ neque sunt tributariæ aut pœnales, ut expectetur quod petatur tributum: sed statim dandæ sunt iudici. Sed notãdum est quòd istæ leges loquuntur de rebus, quæ uulgo dicuntur, *bienes mostrencos*, cuius appellatione non ueniunt nisi animalia, ut iumenta & pecudes. Vnde si quis inuenerit annulum aut gemmam, poterit sibi retinere facta diligentia inueniendi dominum. Quod si postea comparuerit Dominus, ualde probabilis est sententia quæ tenet, quòd illi reddenda sunt bona sua: si comparuerit ante tempus prescriptionis.

AD argumenta in contrarium respondetur. Ad primum respondetur, quòd illa iura intelliguntur nisi inuentor fecerit sufficientem diligentiam inquirẽdi dominum: leges uero ibidem citatæ loquuntur de bonis quæ licet in presenti non habeant certum dominum: constat tamen de proximo habuisse certum dominum. Nos autem loquimur de bonis, de quorum domino certo non constat, neque de presenti, neque de propinquo.

Ad secundum argumentum bene ibidem respondsum est. Sed ad replicam respondetur: quòd non omnia bona quorum Dominus non comparet, cedunt in usum aut dispositionem reipublicæ: sed illa tantũ, quæ sunt superflua possidenti. Dicuntur autem superflua possidẽti illa, quæ ipse tenetur restituere uel reddere, siue ratione iniquæ acceptionis siue mutuò acceperit, aut ex alio contractu iusto. Nos autem cõtendimus, quòd ille qui inuenit rem aliquam, non comparente domino illius, efficitur Dominus illius titulo inuentionis.

Ad tertium respondetur, quod uoluntas interpretatiua antiqui Domini, ea præsumitur esse: ut disponatur de re amissa eo modo, quo melius & faciliùs possit redire ad Dominum suum; quòd si distribuatur pauperibus, omnino nulla est spes reliqua: quòd res illa perueniat ad uerum Dominum. Nam obligare ipsum inuentorem, ut si postea comparuerit Dominus, ipse restituat illi: esset intolerabile, ergo melius est & magis in fauorem Domini antiqui, ut ipse inuentor acquirat dominiũ rei, reuocabile tamẽ, si cõparuerit Dominus intra tempus prescriptionis.

Notandum est circa solutionem ad tertium, ubi dicit Diuus Thomas duo. Alterum est, quòd qui accipit rem propriam furtim à depositario, grauat ipsum depositarium: & tenetur ad reuelandum hoc grauamen. Qui autem accipit rem propriam ab iniquo possessore non grauat ipsum, licet peccet contra iustitiam communem usurpando sibi iudicium, iuris ordine prætermisso. Notandum inquam est circa hanc definitionem, quòd est differentia inter depositarium & iniquũ possessorem quantùm ad hoc, quòd depositario fit iniuria contra iustitiam commutatiuam ratione sui officij. Iniquo autem possessori non fit talis iniuria. Ex quo sequitur, quòd si depositarius incurrat aliquod aliud detrimẽtum ex eo quòd ego accepi rem meam furtim ab illo, teneor ad restitutionem illius detrimenti, & non sufficit reuelare illi quòd ego accepi rem meam. Si autem fur incurrat aliquod detrimentum ex eo quòd ego accepi furtim ab illo rem meam: non teneor ad aliquam restitutionem illi faciendam: sed sufficit reuelare illi per meipsum uel per alium, quòd ego accepi rem meam, ne teneatur ex ignorantia iterum restituere. Et hoc intelligitur quando ego non sum passurus aliquod detrimentum ex tali reuelatione: tunc enim malitiæ suæ deputet ipse fur, quò iterum teneatur restituere ex ignorantia sua.

DVBIVM est circa eandem solutionẽ, An qui non potest iuris ordine seruato recuperare rem suã, possit illam secretò accipere? Et uidetur quòd non. Primò, quia aliàs sequeretur quòd etiam posset homo priuata autoritate uindicare se de illo, qui fecit sibi iniuriam: quando non potest alia uia obtinere sententiam iudicis. Secundò sequeretur, quòd possem ego per uim in eodem casu accipere rem meam ab iniquo possessore, quando non possum aliter rẽ meam recuperare.

Respondetur unica conclusione affirmatiua. Et probatur primò, quia per talem acceptionem nulli fit iniuria. Nam non fit ipsi iniquo possessori, ut D. Thom. docet expressè in articulo. Neque fit iudici: quia ipse iudex uel non potest facere suum officium uel non uult, ergo nulla fit illi iniuria. Secundò probatur. Nam recompensatio rei pro re licita est etiam priuata autoritate, ergo licita erit acceptio ipsius rei propriæ: quando nulla est alia uia recuperandi: hæc est sententia communis: & ita sentit Caietanus hic. Sed notandum est necessarium esse ad hoc quòd sit licitum rem propriam accipere prædicto modo, quòd homo sit certus rem esse propriã: & quòd aliter illam recuperare non potest. Vnde respondetur ad primum argumentum negando sequelam. Et ratio discriminis est, quòd in recuperatione honoris, utitur homo uindicta: quæ nunquam est licita propria autoritate: at in recuperatione rei nulla est uindicta: sed tantum recompensatio sine damno alterius aut læsione. Ex quo sequitur, quòd si ego possum recuperare meum honorem cum tali damno proximi: quale ipse tenetur pati ante sententiam iudicis, ut restituat mihi honorem: licitum erit mihi recuperare meum honorem illo modo: verbi gratia probando illi per testes quòd mentitus est: ipse enim tenebatur dicere quòd mentitus est.

Ad fm negat' seq̃la. Et rõ est, q̃a q̃n p̃ uĩ recupero rẽ meam:

meam: perturbo pacem reipublicæ: non autem quãdo furtim & occultè accipio. Verum est tamen quòd si uis non sit scandalosa uel multum nociua ipsius proximis, licitum erit per uim arripere rem meam: quando aliter recuperare non possum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm furtum sit peccatum mortale.

Locis supra, ar. 5. inductis.

AD Sextum sic proceditur. Videtur quòd furtũ non sit peccatum mortale. Dicitur enim Prouerb. 6. Non grandis est culpæ, cum quis furatus fuerit. Sed omne peccatum mortale est grandis culpæ. Ergo furtum non est peccatum mortale.

2. Præterea. Peccato mortali mortis pœna debetur. Sed pro furto non infligitur in lege pœna mortis, sed solum pœna damni, secundùm illud Exod. 22. Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, quinque boues pro uno boue restituet, & quatuor oues pro una oue. Ergo furtum non est peccatum mortale.

3. Præterea. Furtum potest cõmitti in paruis rebus, sicut & in magnis. Sed incõueniens uidetur quòd pro furto alicuius paruæ rei, puta unius acus, uel unius pennæ, aliquis puniatur morte æterna. Ergo furtum non est peccatum mortale.

Sed contra est, quòd nullus damnatur secundum diuinum iudicium nisi pro peccato mortali. Condemnatur autem aliquis pro furto: secundum illud Zachar. 5. Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur. Ergo furtum est peccatum mortale.

Qu. 24. art. 12. & 12. q. 72. ar. 1. 5. & 87. art. 3.

Respondeo dicendum, quòd sicut suprà † habitum est, peccatum mortale est quod contrariatur charitati, secundum quod est spiritualis animæ uita. Charitas autem cõsistit principaliter quidem in dilectione Dei, secundariò uerò in dilectione proximi, ad quam pertinet, ut proximo bonum uelimus, & operemur: per furtum autem homo infert nocumentũ proximo in suis rebus, & si passim homines sibi inuicem furarentur, periret humana societas. Vnde furtum tanquam contrarium charitati est peccatum mortale.

Bañes de Iustitia.

Ad primum ergo dicendum, q̃ furtum dicitur non esse grandis culpa duplici ratione. Primò quidem propter necessitatẽ inducentem ad furandum, quæ diminuit, uel totaliter tollit culpam, ut infra † patebit. Vnde subditur: Furatur enim, ut esurientem impleat animam. Alio modo dicitur furtum non esse grandis culpa per cõparationem ad reatum adulterij, quod punitur morte. Vnde subditur de fure, quòd deprehensus reddet septuplum: qui autem adulter est, perdet animam suam. Artic. sequenti

Ad secundum dicendum, q̃ pœnæ præsentis uitæ magis sunt medicinales, quàm retributiuæ. Retributio enim reseruatur diuino iudicio, quod est secundum ueritatem in peccantes. Et ideo secundum iudicium præsentis uitæ, nõ pro quolibet peccato mortali infligitur pœna mortis, sed solum pro illis, quæ inferunt irreparabile nocumentum, uel etiam pro illis quæ habent aliquam horribilem deformitatẽ. Et ideo pro furto quod irreparabile damnũ non infert, non infligitur secundum præsens iudicium pœna mortis, nisi ut furtũ aggrauatur per aliquam grauem circunstantiã: sicut patet de sacrilegio, q̃d est furtum rei sacræ, & de peculatu, quod est furtum rei communis: ut patet per † Augustinum super Ioannem, & de plagio, quod est furtum hominis, pro quo quis morte punitur: ut patet Exodi 21. Tract. 50. à medio tomo. 9.

Ad tertium dicendũ, q̃ illud quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil. Et ideo in his quæ minima sunt, homo nõ reputat sibi nocumentum inferri. Et ille qui accipit, potest præsumere hoc non esse contra uoluntatem eius, cuius est res. Et pro tanto si quis furtiuè huiusmodi res minimas accipiat, potest excusari à peccato mortali. Si tamen habeat animũ furandi & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per consensum.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Furtum secundum speciem suam & obiectum est peccatum mortale.

Secunda conclusio in solutione ad tertiũ. Si quis res minimas furtim accipiat, potest excusari à peccato mortali. Tertia ibidem. Si autem aliquis habeat animum furandi & inferendi nocumentum proximo etiam in rebus minimis, potest esse peccatum mortale: sicut etiam in sola cogitatione.

COMMENTARIVS.

CIrca solutionē ad primum, Nota, quòd fortum est minimum peccatum inter peccata quę committuntur contra proximum: quia fur lædit in minimis bonis. Cæterum hoc intelligitur cæteris patibus & ex natura rei. Quia tantum potest esse furtum quod superet aliquam infamiam.

Circa solutionem ad secundum. Nota, quòd latrones & raptores & grassatores apud omnes nationes ferè plectuntur pœna mortis. Vt patet. in l. capitali. §. famosos. ff. de pœnis.

DVBITATVR autem de furibus, an merito interficiantur. Et arguitur primo pro parte negatiua. Nam in lege ueteri quæ fuit rigida ualde, non interficiebantur: ut patet Exodi 22. Vbi qui furabatur pecuniam, puniebatur pœna dupli. Qui bouem pœna quintupli: qui ouem pœna quadrupli. Postea uero tempore Salomonis, ut significatur Prouerb. 6. Puniebatur pœna septupli. Præterea etiam in l. sed nouo iure. C. de seruis fugitiuis. & in authentic. sed nulli iudici liceat. collatione. 9. Decernitur, ut fures non interficiantur. Ergo iniquum est illos occidere. Secundo uita hominis multo pretiosior est rebus temporalibus, ergo non est æquum auferre uitam ab illo, qui tantum nocuit in rebus temporalibus. Tertio. Nam fur non perturbat pacem temporalem neque est sacrilegus furando res sacras, neque expoliat publicum ærarium. Ergo nimis durum uidetur, ut occidatur. Alexand. Alensis. in 3. par. quæstio. 47. articu. 4. membro 4. negat esse licitum occidere fures. Scotus. in 4. distin. 15. quæst. 3. Vniuersaliter negat esse licitum occidere malefactores, nisi tantum illos quos lex Vetus declarauit esse occidendos. De hac opinione iam supra diximus in quæst. 64. quam falsa sit & omnino intolerabilis. Syluester. etiam in uerbo, furtum. quæstione 3. quòd attinet ad fures, tenet eandem sententiam, Soto in libr. 5. de Iustitia & iure. quæstione. 3. articu. 3. ad quartum, nimis ægrè fert, quòd fures occidantur & inuehitur in Baldum: quia eius sententia fuerit in causa, quòd ista lex sit in usu quòd fur pro tertio furto occidatur, aut pro uno ingenti. Erasmus etiam in annotationibus ad Titum 3. inquit, Iurisperitos ob ignorantiam uocabulorum, occidunt fures: eo quòd sermone uulgari apud Hispanos & Gallos appellantur, *ladrones*; cum tamen fures non sint latrones.

PRO decisione fit conclusio. Iustissimus est mos Hispaniæ, ut fur pro tertio furto suspendatur, aut etiam pro uno ingenti. Hanc sententiam tenent omnes Iurisperiti specialiter Ioannes de Castro in. authentico citato. Inter Theologos etiam tenet hanc sententiam Driedo. in libro. de libertate ecclesiastica, pag. 115. & Ioannes de Medina in lib. de restitutione. quæstione 4. & Maioris in 4. distinctione 15. quæstione 27. artic. 4. Et probatur ratione. Primò, quia ut omnes aiunt & Diuus Thom. etiam in articulo, iustissimè occiduntur qui furantur de templo uel de publico ærario, quod uitium dicitur peculatus, sed interdum maius nocumentum facit communitati, qui furatur, ergo iustè occiditur. Secundò. Nam experientia docuit in Hispania necessarium esse, ut fures occiderētur. Nam cum paucis annis mitterentur ad Triremes: tota Hispania scaturiebat furibus: donec iterum introductus est mos, ut suspenderentur.

Ad primum argumentum respondetur, quòd pro uarietate temporum & locorum uariæ leges da

A tæ sunt contra fures. Ad secundum argumentum respondetur, quòd tranquillitas reipublicæ præstat uitæ hominis malefactoris. Ad tertium respondetur negando antecedens. Imo frequentia furum perturbat ualde rempublicam. Et notandum est, quòd quāuis ex textu expresso non habeatur, quòd furi non ualeat confugium ad ecclesiam: sed tantum latroni. Tamen usū communi sæcularī & ecclesiastico receptum est quòd furibus non ualeat ecclesia.

DVBITATVR circa secundam conclusionem quæ habetur in solutione ad tertium. An sit aliqua regula certa ad iudicandum, quæ nam materia sit grauis ad hoc ut furtum sit peccatum mortale?

B Respondetur quod Doctores communiter distinguunt duplicem materiam grauem. Alteram absolutam sine respectu ad dominum ipsius rei. Alteram respectiuam, hoc est, quæ respicit conditionem ipsius domini, scilicet, an sit diues uel pauper. Exemplum primi. Furari duos uel tres ducatos est peccatū mortale: quia materia est grauis absolutè loquendo. Ita censet Sotus lib. 5. de Iustitia. quæst. 3. arti. 3. ad tertium. Alij uero dicunt ꝙ materia grauis est absolutè unus ducatus uel dimidius: materia uerò grauis respectiua est. Verbi gratia. Duo argentei uel tres: quia respectu ducis erit leuis materia: respectu uero militis, erit grauis materia. Similiter etiam philosophantur de materia leui.

C Est enim materia leuis absolutè loquendo, quæ quantum in se est respectu cuiuslibet facit peccatum ueniale. Vt v. g. furari dipondium uel trientem. Sed tamen nobis non uidetur ista certa regula & absque confusione. Sit igitur nobis primum documentum. Nulla materia est grauis in furto, nisi quia graue damnum infert domino. Probatur, quia furtum eatenus est peccatum quatenus infert nocumentum proximo in bonis temporalibus. Ergo si nocumentum in bonis temporalibus non est graue, non erit peccatum mortale. Et confirmatur. Ideo furtum est peccatum, quia est contra iustitiam, sed iniustitia leuis non est peccatum mortale; ergo neq; furtum rei, quod parum nocet proximo.

D Patet consequentia: quia est iniustitia leuis. Ex hoc sequitur, quod nunquam potest quantitas materiæ in furto tam absolutè considerari, quin habeatur respectus ad dominium ipsius rei uel ad dominos. Probatur, quia in definitione furti includitur hoc nocumentum inuito domino. Sed nihilominus Doctores qui faciunt illam distinctionem intelligunt per materiam grauem absolutè, illam quæ consideratur sine speciali respectu ad conditionem domini: non tamen sine generali respectu ad nocumentum domini.

Secundum documentum est. Etiam si materia uideatur grauis prima facie secundum se, tamen non

E statim erit peccatum mortale, nisi Dominus fuerit ualde rationabiliter inuitus. V. g. si filius furetur à patre prædiuite quinquaginta aureos, non erit peccatum mortale: & tamen si seruus furetur ab eodem unū ducatum erit peccatū mortale. Ratio huius est: quia respectu filij non est ualde rationabiliter inuitus ipse pater, benè tamen respectu famuli. Similiter est aliud exemplum. Si aliquis priuatus Regis cui cōmittitur dispensatio multorum milliarium ducatorum, accipiat sibi centum uel ducentos: non est peccatum mortale. Ratio est, quia Rex ipse non est rationabiliter inuitus in ordine ad talem ministrum.

Arguitur tamen contra documentū primum. Sequitur ex illo quòd si aliquis furetur à Rege centū ducatos; non peccat mortaliter quicunque ille sit. Probatur sequela, quia minus nocet Regi qui furatur centum ducatos, quàm qui à paupere furatur trientem,

trientem, sed furari à paupere trientem, non est peccatum mortale, ergo &c. Respondetur quòd grauitas nocumenti non est attendenda in furto ex eo quod Dominus patitur damnum in sua persona, scilicet, in uictu aut uestitu: sed quia ipse Dominus priuatur facultate quam habebat disponendi de re sua.

Vnde ad argumentum respondetur negando sequelam, quia plus patitur ipse. Rex in temporalibus, dum priuatur potestate disponendi de centum ducatis quam pauperculā, quæ priuatur potestate disponendi de triente. Secundò arguitur. Sequitur quòd sit peccatum mortale furti, furari ab aliquo artifice instrumentum artis suæ, licet sit parui pretij. Vt uerbi gratia, à sartore acum. Patet sequela, quia plus nocumenti accipit, quā si aliquis ab illo furaretur tres uel quatuor argenteos. Ad hoc argumentum & similia respondetur, quòd etiam si materia sit leuissima secundum se: furtum poterit esse peccatum mortale ex circunstantia: propterea, quòd proximus amittit lucrum occasione furti. Non autem erit peccatum mortale intra speciem furti, quia proximus non læditur directè in temporalibus per illud furtū, nisi leuiter. Vnde neque ipse fur condemnabitur pena furti notabilis. Tenebitur tamen ad restitutionē de damno dato & lucro cessante: quia peccauit contra iustitiam impediendo lucrum proximi. Vnde parum refert ad forum conscientiæ, quò dicamus illud furtum esse peccatum mortale in ratione furti aut in ratione iniustitiæ. Eadem enim est grauitas peccati & eadem restitutio.

Tertiò arguitur contra idem documentum. Sequitur ex illo, quòd non peccat mortaliter ille qui à multis accipit quinquaginta aureos, si à singulis accipiat unum dipondium tantum: quales sunt caupones, qui per fallaciam occultam plurimos defraudant in paucis, Probatur sequela: quia isti nulli nocent notabiliter in temporalibus. Respondetur negando sequelam. Quia isti tales nocent grauiter ipsi communitati, etiam si singulis parum noceant. Cuius signum certum est, quonia ipsa communitas ægrè ferret quòd Rex tale tributum imponeret etiam si singulis parum detrimenti accederet.

Quartò arguitur contra secundum documentū. Pater aliquis rationabiliter est inuitus, quando filius accipit occultè quinquaginta aureos ad ludendum uel luxuriandum, ergo falsum est quod diximus, quòd filius non peccat mortaliter accipiendo illam quātitatem à patre ualde diuite. Respondetur, quòd pater in illo casu ualde rationabiliter est inuitus respectu ludi uel luxuriæ: sed tamen non respectu rei familiaris. Eo quod cum filius sit aliquid patris respectu illius non est grauis materia: quæ respectu alterius esset grauissima. Vt ideo pater in ordine ad filium non est rationabiliter inuitus ualde: neque filius tenebitur ad aliquam restitutionem sub peccato

D mortali, nisi forte fratribus suis cohæredibus notabiliter poccat. Sequitur ex dictis, quòd si scio proximū ualde contristandum, ex eo quòd accipio ab illo rē leuem, erit peccatum mortale: sed non erit mortale furti: quia non noceo notabiliter in temporalibus. Sed erit contra charitatem & beneficentiam. Ex eisdem documentis sequitur, quòd accipere res alienas quæ magno periculo sunt expositæ, uel quæ patiuo labore & industria nascuntur, non erit peccatum mortale accipere in tanta quantitate quanta erat sufficiens constituere peccatū mortale in alia materia, uel in rebus, quæ non essent tanto periculo expositæ. Vt verbi gratia, non erit peccatum mortale, accipere castaneas & nuces Syluestres in tanta quantitate quæ æstimaretur uno ducato in foro. At uero e-

A tiam si res sit exposita periculo, sed tamen magno labore & industria nascitur: ut sunt uuæ & fruges: non erit absque peccato mortali in tanta quantitate accipere. Sed non erit mortale accipere in maiori quantitate, dum sunt in campo, quam si res illæ iam essent domi collocata. Ex dictis sequitur etiam quòd pueri aulici qui deseruiunt mensis diuitū, non peccant mortaliter, si deuorent quæ de mensa tollunt aut fortè non peccant nisi peccatum gulæ. Et ratio est, quoniam domini, aut non sunt ualde rationabiliter inuoluntarij, aut nullo modo. Et etiam quia tales res sunt ualde expositæ periculo. Hoc tamen intelligendum est, nisi fortè cibi integri qui de mensa tollūtur, sint decreti pro stipendio Architrielini uel alterius officialis. Tunc enim est furtum huiusmodi

B acceptio, quia fit inuito officiali.

DVBIVM est circa eadem documenta. An materia furti quæ sufficit ad peccatum mortale, sufficiat ut iudex ecclesiasticus possit ferre sententiam excommunicationis, ut restituatur huiusmodi ablatū. De hoc dubio habemus determinationem Concilij Tridentini, Sessione 25. cap. 3. de reformatione. Vbi dicitur quod excommunicationes pro rebus deperditis aut sublatis non dentur, nisi pro re non vulgari, & quòd non ab alio dentur nisi à solo Episcopo. Vbi aduertendum est, quòd si ex committione Episcopi dentur tales excommunicationes à suo uicario, factum tenet: quia concilium non dixit quòd si

C secus factum fuerit, totum sit irritum & inane: peccabit tamen Episcopus contra mandatum Concilij, si sine causa urgenti committat huiusmodi excommunicationes suo uicario. Est autem dubium, an episcopus peccet mortaliter dādo tales excommunicationes pro rebus non magni momenti, & an factum teneat si illas dederit. Respondetur quòd episcopus mortaliter peccat concedendo tales excommunicationes. Probatur, quoniam pro furto unius ducati, quod est peccatum mortale, in foro seculari uix flagellaretur fur, ergo peccatum est ut in foro ecclesiastico excommunicetur. Probatur consequentia, quoniam excommunicatio est gladius spiritualis ad puniendum rebelles in re grauissima. Item etiam, quia facit contra mandatum Concilij in re graui.

Secundo dico, quod si ferat excommunicationē In tali casu, ualida est: tum quia in Concilio dicitur, quod totum negotium & examinatio causæ pro loco & tempore & persona committitur arbitrio episcopus: & ponitur in eius conscientia: & etiam quia sententia pastoris licet iniusta timenda est, ut habet commune proloquium. Tum denique, quia excommunicatio fertur contra inobedientem & rebelles, quod est grauissimum peccatum, & non contra furtum quodlibet: etiam si sit peccatum mortale. Nā

D quamuis episcopus debeat examinare & iudicare causam grauissimam, ut non de facili inijciat laqueū animabus: tamen postquam iam iudicauit, efficitur causa grauissima ratione inobedientiæ & rebellionis.

Circa solutionem ad tertium notādum est, quòd cum D. Tho. ait quòd furando res minimas potest quis peccare mortaliter: quia habet animum furandi res minimas uel nocendi in rebus minimis. Sed absolutè habet animum furandi, aut nocendi absolutè. Furari autem res minimas non est furtum simpliciter & absolutè, neq; nocere in rebus minimis est nocumentum simpliciter: quod autem hæc sit mens D. Tho. patet, ex eo quòd solo cogitatu poterat peccare mortaliter non inferendo aliquod nocumentum.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm liceat alicui furari propter neceſsitatem.

Infra. q. 100. ar. 3. ad 4. Et 4. dist. 15. q. 1. ar. 1. q. 4 ad 1. & ibidē. & ar. 4. q. 2 ad secū. & artic. 5 q. 1. corp.

AD Septimum ſic proceditur. Videtur, quòd nō liceat alicui furari propter neceſſitatem. Nō enim imponitur pœnitentia niſi peccanti. Sed extrà, de furtis † dicitur: Si quis per neceſſitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus pœniteat per hebdomadas tres. Ergo nō licet furari propter neceſſitatem.

† In decretali lib. 5 ti. 18. c. 3 & incipit, ſi qs propter.

2. Præterea, † Philoſophus dicit in 2. Ethic. q̃ quædam confeſtim nominata, conuoluta ſunt cum malitia, inter quæ ponit furtum. Sed illud quod eſt ſecundum ſe malum, non poteſt propter aliquem bonum finem, bonum fieri. Ergo non poteſt aliquis licitè furari, ut neceſſitati ſuæ ſubueniat.

† Li. 2. c. 6. ad finem.

3. Præterea. Homo debet diligere proximum, ſicut ſeipſum. Sed non licet furari ad hoc, quòd aliquis per eleemoſynā proximo ſubueniat: vt † Auguſt. dicit in lib. contra mendacium. Ergo etiam non licet furari ad ſubueniendum propriæ neceſſitati.

Capi. 7. ſ medio, tom. 4.

Sed contra eſt, quòd in neceſſitate ſunt omnia communia: & ita non uidetur eſſe peccatum, ſi aliquis rem alterius accipiat propter neceſſitatem ſibi factam communem.

Reſpondeo dicendum, quòd ea quæ ſunt iuris humani, nō poſſunt derogare iuri naturali, vel iuri diuino. Secundum autem naturalem ordinem ex diuina prouidentia inſtitutum res inferiores ſunt ordinatæ ad hoc, quòd ex his ſubueniatur hominum neceſſitati: & ideo per rerum diuiſionem & appropriationem ex iure humano procedentem non impeditur, quin hominis neceſſitati ſit ſubueniendum ex huiuſmodi rebus. Et ideo res quas aliqui ſuperabundāter habent, ex naturali iure debentur pauperū ſuſtentationi. Vnde † Ambroſ. dicit, & habetur in Decretis diſtinctione quadrageſimaſeptima. Eſuriētium panis eſt, quem tu detines: nudorum indumentum eſt, quod tu recludis: miſerorum redemptio & abſolutio eſt pecunia, quam tu in terram defodis. Sed quia multi ſunt neceſſitatem patientes, & non pōt ex eadem re omnibus ſubueniri: committitur arbitrio vniuciuſq; diſpenſatio propriarum rerum, vt ex eis ſubueniat neceſſitatem patientibus. Si tamen adeo ſit eui dens & vrgens neceſsitas, vt manifeſtum ſit inſtanti necesſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubueniendum (puta cum imminet perſonæ periculum, & aliter ſubueniri non poteſt) tunc licitè poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſsitati ſubuenire, ſiue manifeſtè, ſiue occultè ſublatis, nec hoc propriè habet rationem furti vel rapinæ.

Ambr. in ſer. 81. nō procul a fine, to. 3 Et habetur diſt. 47 capit. ſicut ij.

Ad primum ergo dicendum, quòd Decretalis illa loquitur in caſu, in quo non eſt vrgens neceſsitas.

Ad ſecundum dicendum, q̃ uti re aliena occultè accepta in caſu neceſsitatis extremæ, non habet rationem furti, propriè loquendo: quia per talem neceſsitatem efficitur ſuum id, quod quis accipit ad ſuſtentandam propriam vitam.

Ad tertium dicendum, q̃ in caſu ſimilis neceſsitatis etiam poteſt aliquis occultè rem alienam accipere, vt ſubueniat proximo ſic indigenti.

SVMMA ARTICVLI.

PRima cōcluſio. Bona quæ ſuperfluunt diuitibus, naturali iure debentur pauperum ſuſtentationi. Secunda concluſio. Nemo citra extremam neceſſitatem pōt huiuſmodi bona ſibi accipere palàm vel occultè. Tertia concluſio. In extrema neceſsitate licitum eſt cuilibet occultè uel palàm huiuſmodi bona accipere ad uſum ſibi neceſſariam.

COMMENTARIVS.

CIrca primam concluſionē. Nota q̃ non eſt debitum iuſtitiæ ſed miſericordiæ, vt ea quę ſuperfluunt diuitibus, dentur pauperibus: vt definitur ſupra. 22. quæſtione 32. alioquin citra extremam neceſſitatem licitum eſſet pauperibus occultè accipere à diuitibus ea quæ ſuperfluunt.

Circa tertiam concluſionem notandum eſt, quòd quanuis proximo exiſtenti in extrema neceſſitate non teneatur quis ex iuſtitia dare propria, ut habet cōis opinio, tamen tenetur ex iuſtitia non impedire, ſi ille uelit accipere ſibi neceſſaria. Ratio eſt: quia alias daretur iuſtum bellū ex utraq; parte ſine aliqua ignorantia. Nam extremè indigens ius habet ad acquirendum panem. Ergo ex illa parte bellum eſt iuſtum: ſi autem qui poſſidet non iniuſtè defenditerit bellum iuſtum ex utraque parte.

Nota ét circa eandem concluſionē, q̃ extrema neceſsitas, de qua loquitur D. Tho. eſt qn homo conſtituitur in periculo vitæ ex defectu cibi aut potus aut

ueſtitus aut alterius rei: non autem in præſenti appellat extremam neceſſitatem, periculum amittendi honores. Vtrum aut ſit licitum in tali periculo accipere aliena: diximus ſupra quæſtione 62. art. 6. dubio vltimo, & artic. 8. dubio 2. ſed nunc breuiter dico: q̃ abſolutè loquendo non eſt ſufficiens neceſſitas tale periculum, ut aliquis iuſtè accipiat ſibi aliena. Ratio eſt, quia hæc bona temporalia nō ordinantur per ſe ad honorem hominis, ſed ad uitæ ſuſtentationem. Honor. n. præmiū eſt uirtutis. Item ét quia aliàs quilibet uir honoratus poſſet occultè & palàm accipere aliena, ne amitteret honorem ſuum. Nihilominus dicimus ſecundo. Quòd in tali caſu licitum erit homini cui eſt ualde inhoneſtum mendicare, occultè accipere aliena animo reſtituendi, ſi tñ aliter nō poteſt ſibi ſuccurrere: qui caſus rariſſimus eſt, quia huiuſmodi homines poſſunt Principibus deſeruire, aut in militiam proficiſci. Ratio autem huius aſſerti eſt communis pietas hominum erga huiuſmodi egentes. Non autem damus illis dominium: quia res temporales non ordinantur ad honorem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm rapina poſsit fieri ſine peccato.

Ar. 4 huius ſſt.

AD Octauum ſic proceditur. Videtur, q̃ rapina poſsit fieri ſine peccato. Pręda. n per uiolentiā accipitur: qđ videtur ad rationem rapinę pertinere, ſecundū † prædicta. Sed prædam accipere ab hoſtibus licitum eſt. Dicit. n. † Ambr. in lib. de Patriarchis: Cū præda fuerit in poteſtate uictoris, decet militarem diſciplinam, vt regi ſeruētur omnia, ſcilicet ad diſtribuendum. Ergo rapina in aliquo caſu eſt licita.

Lib. 1 de Abrahā Ca. 3 medio, to. 4.

2. Præterea. Licitū eſt auferre ab aliquo id quod non eſt eius. Sed res quas infideles habent, nō ſunt eorū. Dicit. n. Augu. in Epiſtola ad † Vincētium Donatiſtam: Res falsò appellatis ueſtras, quas nec iuſtè poſſidetis, & ſecundū leges terrenorū regum amittere iuſſi eſtis. Ergo videtur, q̃ ab infidelibus aliquis licitè rapere poſſit.

Epiſt. 48. in 2. pagina ante finē Epiſto. to. 2.

3. Præterea. Terrarum principes multa à ſuis ſubditis violenter extorquent: quod videtur ad rationē rapinæ pertinere. Graue autē uidetur dicere, q̃ in hoc peccent: quia ſic ferè omnes principes damnarentur. Ergo rapina in aliquo caſu eſt licita.

Sed contra eſt q̃ de quolibet licitè accepto pōt fieri Deo ſacrificium, uel oblatio. Non aūt pōt fieri de rapina, ſecundū illud Iſa. 61. Ego dominus diligēs iudiciū, & odio habēs rapinā in holocauſtū. Ergo per rapinā aliquid accipere non eſt licitū.

Reſpondeo dicendum, q̃ rapina quandam violētiā & coactionem importat, per quam contra iuſtitiā alicui aufertur, q̃ ſuū eſt. In ſocietate autē hominum nullus hēt coactionē, niſi per publicam poteſtatē. Et ideo quicunq; per violentiam aliquid alteri aufert, ſi ſit priuata perſona, nō vtens publica poteſtate, illicitè, & rapinam cōmittit: ſicut patet in latronibus. Principibus verò poteſtas publica cōmittitur ad hoc, q̃ ſint iuſtitiæ cuſtodes. Et ideo non licet eis uiolentia & coactione vti, niſi ſecundū iuſtitiæ tenorē, & hoc vel contra hoſtes, pugnando, vel cōtra ciues malefactores, puniēdo. Et quod per talem uiolentiā aufertur, non hēt rationem rapinæ, cū non ſit cōtra iuſtitiā. Si verò contra iuſtitiā aliqui per publicā poteſtatem uiolēter abſtulerint res aliorū, illicitè agunt, & rapinam committunt, & ad reſtitutionē tenentur.

Ad primū ergo dicendū, q̃ circa prædā diſtinguendū eſt. Quia ſi illi qui depredātur hoſtes, habeant bellū iuſtū, ea quæ per violentiā in bello acquirunt, eorū efficiuntur. Et hoc non hēt rationē rapinæ. Vnde nec ad reſtitutionē tenētur. Quāuis poſſint in acceptione prædę iuſtū bellum habētes, peccare per cupiditatē ex praua intentione, ſi. ſ. non p̃ p̃ iuſtitiā, ſed propter prędā principaliter pugnēt. Dicit. n. † Auguſt. in libr. de verbis Domini, q̃ propter prędam militare peccatum eſt. Si uerò illi, qui prędam accipiunt, habeant bellum iniuſtum, rapinam committunt, & ad reſtitutionem tenentur.

Serm 19. qui. principio. nō Et habē 11. q. 1. c. Militare.

Ad ſecundū dicendū, q̃ in tātum aliqui infideles res ſuas iuiuſtè poſſidēt, inquātum eas ſecundum leges terrenorum principum amittere iuſsi ſunt, & ideo ab eis poſſunt per uiolentiam ſubtrahi, non priuata auctoritate, ſed publica.

Ad tertium dicendum, quòd ſi principes à ſubditis exigāt, quod eis ſecundum iuſtitiam debetur, propter bonum commune conſeruandum, etiam ſi uiolentia adhibeatur, non eſt rapina. Si uerò aliquid principes indebitè extorqueant per uiolentiam, rapina eſt, ſicut & latrocinium. Vnde dicit † Auguſtinus in 4. de ciuitate Dei, Remota iuſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? quia & latrocinia quid ſunt, niſi parua regna?

Lib. 4. ca. 4. in pri. tom. 5.

Et Ezechielis 22. dicitur: Principes eius in medio eius quasi lupi rapientes prædam. Vnde & ad restitut onem tenentur, sicut & latrones. Et tanto grauius peccant, quàm latrones, quantò periculosius & communius contra publicam iustitiam agunt, cuius custodes sunt positi.

SVMMA ARTICVLI.

Conclusio est negatiua, & patet dictis. Circa solutionem ad secundum, de iusto bello contra infideles à nobis disputatum est. 22. quæstione. 10. articu. 10. Et uide Caietanum hic. Et Soto libr. 5. quæstio. 3. artic. 5.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm furtum sit grauius peccatum, quàm rapina.

Inf. q. 71. arti. 1. ad secundũ. Et q. 116 arti. 2. ad primũ. Et q. 114. ar. 2 ad 4.

AD Nonum sic proceditur. Videtur, quòd furtum sit grauius peccatum, quàm rapina. Furtum enim super acceptionem rei alienæ habet adiunctam fraudem & dolum, quod non est in rapina. Sed fraus & dolus de se habent rationem peccati, ut † supra habitum est. Ergo furtũ uidetur esse grauius peccatum, quam rapina.

Q. 55 art. 4 & 5.

2. Præterea. Verecundia est timor de turpi actu, ut dicitur † in 4. Ethico. Sed magis uerecundantur homines de furto, quàm de rapina. Ergo furtum est turpius, quam rapina.

Lib. 4 ca. 9. tom. 5.

3. Præterea. Quanto aliquod peccatum pluribus nocet, tanto grauius esse uidetur. Sed per furtum potest nocumentum inferri & magnis & paruis. Per rapinam autem solùm impotentibus, quibus potest uiolentia inferri. Ergo grauius uidetur esse peccatum furti quàm rapinę.

Sed contra est, quòd secundum leges grauiùs punitur rapina, quàm furtum.

Respondeo dicendum, quòd rapina & furtum habent rationem peccati sicut supra † dictum est, propter inuoluntarium, quod est ex parte eius cui aliquid auertur: ita tamen quòd in furto est inuoluntarium per ignorantiam, in rapina autem est inuoluntarium per uiolentiam. Magis est autem aliquid inuoluntarium per uiolentiam, quam per ignorantiam: quia uiolentia directius opponitur uoluntati, quã ignorantia. Et ideo rapina est grauius peccatum, quàm furtũ. Est & alia ratio, quia per rapinam non solum infertur alicui dãnum in rebus, sed etiam uergit in quandã personæ ignominiam siue iniuriam. Et hoc præponderat fraudi ue dolo, quæ pertinent ad furtum. Vnde patet responsio ad Primum.

Ad secundum dicendum, quod homines sensibilibus inhærentes, magis gloriãtur de uirtute exteriori, quę manifestatur in rapina, quam de uirtute interiori, quæ tollitur per peccatum. Et ideo minus uerecundantur de rapina quàm de furto.

Ad tertium dicendum, quòd licet pluribus possit noceri per furtum, quàm per rapinam: tamen grauiora nocumenta possunt inferri per rapinã quàm per furtũ: unde etiam ex hoc rapina est detestabilior.

SVMMA ARTICVLI.

Conclusio est negatiua: quia rapina includit uiolentiam.

QVAESTIO LXVII.
De Iudicis iniustitia.

DEINDE considerandum est de uitijs oppositis commutatiuæ iustitię, quę consistunt in uerbis quibus læditur proximus. Et primò, de his quæ pertinent ad iudicium: secundò, de nocumentis uerborum quę fiunt extra iudicium.

Circa primum quinque consideranda occurrunt. Primò quidẽ, de iniustitia iudicis in iudicando: secundò de iniustitia accusatoris in accusãdo: tertio, de iniustitia ex parte rei in sua defensione: quartò, de iniustitia testis in testificando: quintò, de iniustitia aduocati, in patrocinando. Circa primum queruntur quatuor.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm quis possit iustè iudicare eum, qui non est sibi subiectus.

AD primũ sic proceditur. Videtur, q̃ aliquis possit iustè iudicare eũ, qui nõ est sibi subditus. Dicit enim

Super 4. de uita Christi. Et 4. dist. 17. q. 3. ar. 1. Et 4. q. 1. ar. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Daniel

Daniel. 13. capitu. quòd Daniel seniores de falso testimonio conuictos, suo iudicio condemnauit. Sed illi seniores non erant subditi Danieli, quinimo ipsi erant iudices populi. Ergo aliquis potest licitè iudicare sibi non subditum.

2. Præterea. Christus non erat alicuius hominis subditus, quinimo ipse erat Rex Regum & dominus dominantiũ. Sed ipse exhibuit se iudicio hominis. Ergo videtur quòd aliquis licitè possit iudicare aliquẽ, qui non est subditus eius.

3. Præterea. Secundũ iura quilibet sortitur forum secundũ rationẽ delicti. Sed quandoq; ille, qui delinquit, non est subditus eius, ad quem pertinet forum illius loci; puta cùm alterius est diœcesis, vel cùm est exemptus. Ergo videtur quòd aliquis possit iudicare eum, qui non est sibi subditus.

Referitur 6. q. 3. ca. Scripturam est.

Sed contra est, q̃ Gregorius dicit super illud Deuteronom. 23. Si intraueris segetem, &c. Falcem iudicij mittere non potest in eam rem, quę alteri videtur esse commissa.

Respondeo dicendũ, quòd sententia iudicis est quasi quædam particularis lex in aliquo particulari facto. Et ideo sicut lex generalis debet habere vim coactiuam, vt patet per † Philosophum in 10. Ethicorum. ita etiã & sententia iudicis debet habere vim coactiuam, per quam constringatur vtraque pars ad seruandam sententiam iudicis: alioquin iudicium non esset efficax. Potestatem autem coactiuam nõ habet licitè in rebus humanis, nisi ille, qui fungitur publica potestate. Et qui ea funguntur, superiores reputantur respectu eorũ, in quos sicut in subditos potestatẽ accipiunt, siue habeant ordinariã, siue per commissionem. Et ideo manifestum est, quòd nullus potest iudicare aliquem, nisi sit aliquo modo subditus eius uel per commissionem, vel per potestatem ordinariam.

Lib. 10 c. 11. to. 5.

Ad primũ ergo dicendum, q̃ Daniel accepit potestatem ad iudicandum illos seniores quasi commissam ex instinctu diuino. Quod signatur per hoc, quod ibidem dicitur: Quòd suscitauit Dominus spiritum pueri iunioris.

Ad secundum dicendũ, quòd in rebus humanis aliqui propria sponte possunt se subijcere aliorũ iudicio, quanuis non sint eis, superiores: sicut patet in his, qui compromittunt in aliquos arbitros. Et inde est quòd necesse est arbitrium pœna uallari: quia arbitri qui non sunt superiores, nõ habent de se plenam potestatem coercendi. Sic ergo & Christus propria sponte, humano iudicio se subdidit: Sicut etiam & † Leo Papa se iudicio Imperatoris subdidit.

Habetur 2. q. 7 ca. Nos si in cõpetentiam.

Ad tertium dicendũ, quòd Episcopus in cuius diœcesi aliquis delinquit, efficitur superior eius ratione delicti, etiam si sit exemptus, nisi fortè delinquat in re aliqua exempta, putà in administratione bonorum alicuius monasterij exempti. Sed si aliquis exemptus committat furtum, vel homicidium, vel aliquid huiusmodi, potest per ordinarium iustè condemnari.

SVMMA ARTICVLI.

Conclusio est negatiua. Ratio est, quia iudicium debet habere uim coactiuam sicut & ipsa lex. Vim autem coactiuam nemo habet, nisi qui fungitur authoritate publica: sed qui fungitur authoritate publica superior est secundum istam rationem, quàm ille circa quem fungitur ista authoritate, ergo.

COMMENTARIVS.

DVbium primum in hoc articulo est, An sententia tyranni Principis qui per uim obtinet rempublicam oppressam, sit ualida: si detur secundum leges iustas.

Pro parte negatiua arguitur primo ex ratione Diui Thomę in articulo, & communi sententia Scholasticorum in 4. distinct. 17. & 18.

Secundò arguitur ex iure Canonico, ubi sæpè dicitur, quòd sententia à non iudice, nulla est. Vt v. g. in cap. at si clerici, de iudicijs. & in l. Barbarius. ff. de de officio prætoris.

De hoc dubio Soto libro 3. de iustitia, quęstione 4. articu. 6. inquit, quòd sententia tyranni nunquam est ualida nisi iam ipse tyrannus factus sit princeps legitimus ex consensu reipublicę: quales fuerint in Hispania Gothi, & in Gallia Franci. Qui quidem à principio fuerunt tyranni, postea uero respublica consensit illorum gubernationi. Sed opposita opinio est nobis probabilior, scilicet, quòd sententia tyranni, qui iam oppressit rempublicam & obtinet principatum quanuis tyrannicè, ualida est & obligat in foro conscientię. Hanc sententiam tenuit Victoria. Cuius ratio est, quia talis sententia, quantus ut proficiscitur à tyranno, sit à non iudice: tamen quatenus proficiscitur à uoluntate interpretatiua reipublicæ, ualida est. Colligitur autem uoluntas

luntas interpretatiua reipublicæ tali ratione. Quia necesse est ut in tali oppressione reipublicæ, sit aliqs qui dirimat lites inter ipsos ciues. Non est autē alius modus possibilis, nisi vt sententia tyranni quæ datur secundùm leges, sit valida, ergo Respublica interpretatiuè consentit & debet consentire in tali sententia: etiam si non consentiat in principatu tyranni. Et confirmatur ex illo Matthæi, cap. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Et tamen constat quòd Romani tyrannicè dominabantur Iudæis, ergo reddenda sunt tributa secundùm sententiam Principis tyranni, si aliàs sunt moderata. Ad argumenta verò in oppositum respondetur, quòd talis sententia quæ datur à tyranno non est ualida quatenus est ab illo, sed quatenus est à uoluntate reipublicæ interpretatiua saltem.

Dubium secundum est, An clerici sint subiecti Principibus secularibus. Pro parte affirmatiua arguitur primò. Respublica secularis est perfecta, ergo potest punire omnes suos ciues malefactores perturbantes pacem reipublicæ: sed tales possunt esse clerici, qui sunt ciues ipsius reipublicæ, ergo ab ipsa possunt puniri.

Secundò. Clerici tenentur de facto multis legibus secularibus: ut v.g. legi de taxatione tritici, & aliarum rerum, ergo sunt subditi. Nam lex loquitur his qui sunt subditi. Et confirmatur experientia. Nā in tribunalibus Regijs uidemus quotidie comparere clericos & monachos, ergo sunt subditi.

Tertiò. Christus Dominus Summus Pontifex Ecclesiæ totius, subiecit se iudicio Pilati in causa sanguinis. Item etiam tributum soluit Cæsari, ergo nemo ecclesiasticus est exemptus à potestate seculari. Et confirmatur, Nam Leo. 4. subiecit se iudicandum Ludouico Imperatori, ut patet. 2. q. 7. canone, nos si incompetenter. De hac re fuit hæresis antiqua cuiusdam Marsilij Paduani tempore Ioannis, 22. qui aiebat Summum Pontificem, & omnes sacerdotes nullam habere potestatem, nisi datam à Cæsare. Imo & Christum Dominum soluisse tributum ex necessitate, non ex liberalitate. Ista hæresis damnatur in Cōcilio Constantiensi contra Ioannem Hus & contra Vviteleplis, vt patet errore. 12. & 17. & in Extrauagantibus etiam Ioannis 22. contra Marsilium Paduanum. Hanc etiam hæresim sequutus est Lutherus in quadam reformatione quam misit ad Carolum V. anno Domini 1520. Henricus etiam octauus Rex Angliæ se constituit supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ, in spiritualibus & temporalibus.

PRO decisione sit prima conclusio. Communis status Ecclesiæ iure diuino in spiritualibus, exeptus est ab omni potestate seculari. Vt v.g. in creandis Episcopis & cæteris ministris Ecclesiæ, in administratione sacramentorum actiua & passiua, & in definiendis rebus fidei, & in explicandis populo, & in similibus. Probatur ista conclusio ex illo Ioannis vltimo capite. Pasce oues meas. Vbi Christus plenariam potestatem dedit Petro & successoribus ad pascendum oues in omnibus quæ pertinent ad pastum spiritualem, ergo nulla respublica temporalis habet potestatem supra Petrum & successores eius in his quę pertinent ad spiritualem gubernationem. Et confirmatur. Quia Petro datæ sunt claues regni cœlorum: ut quodcunque soluerit super terram, sit solutum & in cœlis, ergo non est aliud tribunal sub cœlo superius tribunali Ecclesiæ. Prima ista conclusio expressè definita est in Concilio Constantiensi ubi sup. & a Ioan. 22. ubi sup. & probatur Apostolica traditione & perpetua: nūquam enim Apostoli in gubernatione spirituali deferebant aliquid autoritatis Principibus secularibus. Item probatur ratione. Finis reipublicæ spiritualis est supernaturalis; secularis autē reipublicæ finis est naturalis; ergo respublica secularis non potest gubernare spiritualem. Cōsequentia probatur. Nam non potest esse bona gubernatio, nisi in ordine ad finem præcognitū, quem constat ratione naturali non posse cognosci. Confirmatur. Nam spiritualis respublica est immediatè à Deo: at verò potestas reipublicæ secularis est immediatè ab ipsa republica collata Principi, ergo ista non potest iudicare de illa, ut potę quę est inferior.

Secunda conclusio. Clerici in temporalibus & in naturalibus non sunt exempti ipso iure diuino immediatè à potestate seculari. Probatur. Nam distinctio clericorum à reliquo populo, tantùm habetur iure diuino positiuo: sed iure naturali omnes qui sunt partes alicuius reipublicæ debent obedire legibus ipsius reipublicæ, ergo clerici non sunt exempti iure diuino, siquidem sunt partes reipublicæ. Patet cōsequentia. Quia gratia, ut dicitur, non destruit naturam: sed perficit. Item confirmatur ex illo Pauli ad Roman. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, siue Regibus, &c. ubi Apostolus ad omnes Christianos uniuersaliter loquitur, non excipiens clericos. Et ibidem D. Thom. inquit, clericos iure positiuo exempros esse à tributis, non iure diuino. Denique confirmatur. Nam de facto in quibusdam sunt subiecti, ut inquit Syluester in verbo, iudex, primo. §. 4. ergo non sunt exempti iure diuino. Alias Ecclesia non posset permittere illos subijci.

Tertia conclusio. Nihilominus ualde consentaneum est iuri diuino, ut Ecclesia, si uiderit expedire, eximat clericos à potestate seculari in temporalibus. Ratio potissima est. Nam Ecclesia habet plenariam potestatem in ordine ad finem supernaturalem, ergo in ordine ad media cōuenientia ad talem finem. Et est conuenjens sæpissimè, ut clerici eximantur, ergo, &c. Minor probatur. Nam expedit maximè bono spiritualis Ecclesiæ, ut clerici in honore habeantur: si autem deferrentur ad tribunalia secularia illorum delicta spernerentur à populo, ergo, &c. Confirmatur. Nam propterea conuenientissimum est, ut fideles eximantur à tribunalibus infidelium, propter honorem fidei, ut patet 1. Corinthiorum 6. Contemptibiles, qui sunt in Ecclesia constitutæ ad iudicandum. At est eadem proportio inter statum secularem & ecclesiasticum quantum ad honorem Christianę religionis, ergo, &c. Item est absurdissimum, ut qui sunt subditi in spiritualibus, fiant statim iudices in temporalibus, & habeant ut reos, quos paulò ante habuerunt ut iudices spirituales.

Quarta conclusio. Clerici de facto sunt exempti à republica seculari in temporalibus, non solum iure Pontificio & communi: sed etiam iure seculari. Patet ex Concilio Constantiensi Sessione. 13. & 15. & in Concilio Tridentino Sessione 25. capite 20. de reformatione. & cap. non minus. in 6. de foro competenti. & in capit. seculares. 96. distinctione. Et causa 11. quæstione 1. Item in iure ciuili in authentico statuimus, de episcopis & clericis. Idem habetur etiam in iure Hispaniensi Partita. 1. titulo 6. in l. 5. Item etiā in ordinationibus Regalibus. libro 1. titulo 3. l. 6. Vide Ruffinum. in libro 16. Ecclesiasticæ historiæ, ubi narrat dictum Constantini Imperatoris: qui cum in Synodo Nicena rogaretur à quibusdam episcopis, ut lites quasdā inter ipsos iudicaret & examinaret processus, Respondit. Indignum est, ut uos qui sacerdotes dati estis nobis à Deo, à nobis iudicemini. Vos estis Dij, & ideo ab illo iudicandi: de quo scriptū est, Deus stetit in Synagoga Deorum. Ex dictis sequitur suspectos

suspectos esse metuto de hæresi Lutherana seculares iudices qui clericos contra sua priuilegia cōprehendunt uel ad sua tribunalia trahunt. Probatur, quia facto ipso confirmant quod error Lutheranus asserit, scilicet, clericos subditos esse Principibus sæcularibus. Quemadmodū si quis imaginē cōculcatet, uehemēter esset suspectus de hæresi Lutherana quæ asserit imagines non esse colendas. Sequitur secundò ex dictis, quòd in grauissima necessitate Regni secularis debent clerici pati aliquam contributionem de licentia Pontificis, si non sit periculum in mora. Nam si est tale periculum, non oportet expectare facultatem Pontificis. Tunc enim ius naturæ obligat, ut si opus fuerit non solum bona temporalia tribuat, sed etiam uitam periculo exponant, & arma capiāt pro defensione reipublicę. Non enim ius Pontificium derogare debet iuri naturali.

Vnde sequitur quinta conclusio. Iure defensionis innocentis, vel tranquillitatis reipublicæ poterit potestas secularis clericos comprehendere & detinere, donec opportunè suis prælatis tradat. Et si quis dicat, quòd iure defensionis quilibet poterit hoc facere. Respondetur, quòd in actuali aggressione innocentis quilibet poterit illum defendere, sed tamē respublica secularis amplius potest, scilicet, prouidere & anticipare, ne sint occasiones & tumultus in republica. v.g. si clerici nocte incedant armati: poterit officialis potestatis secularis illos comprehendere & arma auferre ab illis: sicut ab alijs secularibus. Ratio huius asserti est: quoniam ius Pontificium, nō derogat iuri naturali, secundum quod respublica potest seipsam tranquillam seruare: non potest autem alio modo, ergo licitum erit illi, exercere suam potestatem in clericos perturbantes pacem reipublicę. Ex dictis sequitur, quòd si in Ecclesia non esset possibilitas puniendi clericos sufficienter ad tranquillitatem reipublicæ secularis: tunc potest inuocare auxilium brachij secularis: quod si non inuocauerit respublica secularis poterit se intromittere & punire tales clericos: non tamen pœna mortis, quia hoc esset impium & scandalosum, & non necessarii ad tranquillitatem reipublicæ. Ratio huius corollarij est eadem atque conclusionis, & eadem ratione potest Rex secularis bellum indicere contra Summum Pontificem, si quod Deus auertat, iniquē rapiat aliquod oppidū, aut ciuitatem iurisdictionis secularis.

Sexta conclusio. Rex Hispaniæ habet priuilegium à Summo Pontifice vt possit causas clericorum ad sua tribunalia interim aduocare, quando aliquis etiam secularis conqueritur, quòd uim patitur à iudice ecclesiastico, quod vulgo dicitur, *por via de agrauio y fuerça*: tunc iudices seculares poterunt iudicare ex ipsa commissione Pontificis, An stat vis vel non. Quæ res multum reprimit episcoporum vicarios ab insolentijs. Nihilominus semper manet recursus liber ad sedem Apostolicam.

Ad primum argumentum respondetur, quòd probat quintam conclusionem. Nam quanuis ipsa respublica secularis perfecta sit, est tamen subdita reipublicæ spirituali in ordine ad finem supernaturalem. Vnde quando fuerit opus in ordine ad talem finem, ut clerici eximantur ab illa potestate seculari, exempti erunt: dummodo ab Ecclesia sufficienter prouideatur, ne per talem exemptionem perturbetur tranquillitas & pax Reipublicæ.

Ad secundum respondetur, quòd pretium iustum in emptionibus & venditionibus omnes tenentur seruare secundūm morem reipublicæ in qua habitant: & hoc est de iure naturali. Est autem per accidens, quòd pretium iustum cōstituatur per legem vel consuetudinem reipublicæ ad hoc quòd clericus teneatur seruare pretium iustum in emptione & venditione.

Ad tertium respōdetur, quòd Christus Dominus soluit tributum, non quòd teneretur: vt ipse dixit, Matthæi 17. capit. ergo liberi sunt filij. Vbi loquitur de filio naturali. Cæterum quòd Christus Dominus voluerit iudicari à Pilato, non probat quòd Pilatus non vsurpauerit iudicium: quia uoluntas Christi Domini fuit in ordine ad Deum, non autem in ordine ad Pilatum committens illi iudicium, sed patiens ab illo iudicari propter Deum. Et hoc est quod Pilato dixit Christus: Non haberes potestatem aduersus me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Hoc est, permissum. Nihilominus Pilatus usurpauit iudicium, non solum ea ratione qua usurpabat iudicando alios Iudæos, ut minister tyranni Principis, sed etiam speciali ratione respectu personæ Christi: qui cum esset verus Messias, nulli Principi subiectus erat. Neque ignorantia huius excusabat Pilatum: eo quòd erat valde culpabilis, quia ipsemet Pilatus poterat & tenebatur illi credere, sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent illum, qui multa miracula fecerat in testimonium veritatis quam prædicabat. Quod si quis contra obijciat, quòd illa sententia approbatur à Deo, ergo non erat iudicium vsurpatum. Distinguitur consequens. In ordine quidem ad Pilatum, nego consequentiam. In ordine aūt ad Deum, concedo consequentiam. Quia nulla fiebat iniuria Christo Domino ex parte Dei, sed erat iustus contractus & iusta sententia, quòd si uellet esse Redemptor hominum, pateretur pro illis & moreretur. Ad confirmationem dicemus dubio sequenti.

Dubium tertium sit, Vtrūm Papa possit se subijcere alicuius iurisdictioni. Pro parte affirmatiua facit confirmatio prædicta.

Secundò arguitur. Nam Papa subijcit se iudicandum sacerdoti in foro conscientiæ, ergo in alijs potest se subijcere. In oppositum est communis sententia Theologorum. in 4. distinct. 18. & 19. quòd Papa non potest se subijcere alicui iudici in personalibus & criminalibus.

PRO decisione sit prima conclusio. Iure diuino Papa hæreticus subijcitur dispositioni Concilij. De qua re disputatur à nobis in 2. 2. quęstione. 1. artic. 10. De qua re uide Caietanum in opusculo de autoritate Papæ & Concilij capit. 10. Et Cano lib. 6. de locis. cap. vltimo, ad vltimum. definita est conclusione in cap. si Papa. dist. 40. & in quinta Synodo Romana, & in Epistola. 3. Anacleti de Patriarchis.

Secunda conclusio. Nullus iudex ordinarius potest ordinaria potestate iudicare Papam in quacunque alia re. Ista est communis sententia Theologorum & Iurisperitorum. Et ratio est. Quia Papa est supremum caput in terra reipublicæ spiritualis, ergo habet ipse plenariam potestatem in ordine ad gubernationem spiritualem & eius finem: alioquin esset imperfecta respublica spiritualis. Rursus, ergo Summus Pontifex potest eligere media etiam temporalia conuenientia ad finem spiritualem: sed unum medium necessarium est, ut nullus princeps temporalis possit legitimè Summum Pōtificem cogere & punire, ergo hoc datum est illi à Deo, vt non sit subiectus iurisdictioni alicuius Principis. Et confirmatur. Papa potest alios clericos à potestate ciuili eximere etiam in rebus tēporalibus, ergo ipse est exemptus iure diuino. Probatur consequentia. Quia alias Princeps secularis poterat illi præcipere, ut neminē eximeret, ergo necesse est, ut qui alios potest eximere ipse sit exemptus.

Tertia

Tertia conclusio. Papa potest subijcere iudici secularis in rebus temporalibus: & in spiritualibus sacerdoti in foro conscientiæ. Hanc conclusionem probant duo argumenta facta pro parte affirmatiua.

Quarta conclusio. In huiusmodi subiectione, quę fit in rebus temporalibus, semper manet superior potestas Pontificis simpliciter loquendo, & non potest cogi ab aliquo iudice. Probatur. Quia potestas ex cõmissione semper manet inferior potestate committentis: sed potestas iudicis in proposito casu, est ex commissione Pontificis, ergo.

Quinta conclusio. Papa qui se alteri subijcit iudicandum, tenetur acceptare sententiam iustam necessitate virtutis iustitiæ commutatiuæ, ita vt sit iniustus, nisi acceptauerit sententiam: non tamen necessitate coactionis. Hanc asserit Caietanus in hoc loco. Sed est intelligenda ita quòd Summus Pontifex peccabit contra iustitiam respectu partis læsæ: non autem respectu iudicis delegati. Nam respectu illius, semper habet ius reuocandi sententiam eius. Sed nihilominus peccabit etiam contra iustitiam commutatiuam respectu iudicis si dum commisit illi potestatem promisit illi se staturum sententiæ eius, & ea conditione iudex acceptauit. Ita conclusio ita explicata non aliter probatur quam cęteræ præcedentes.

Sexta conclusio. Papa in omnibus non potest subijcere alterius potestati etiam modo prædicto. Hãc tenet D. Thom. in 4. distin. 19. quæst. 1. articu. 3. quæstiun. vltima ad tertium, & Richardus in distinct. 18. artic. 5. quæstione. 1. & Paludanus quæst. 2. & Caietanus hic. Et probatur. Nam Papa non potest se alteri subijcere suspendendum vel excommunicandum. Et si quis quærat, quare in quibusdã possit, & in quibusdam non possit subijci? Respondet Caietanus, q̃ in omnibus in quibus Papa potest per seipsum de se iudicare & exequi iudicium: potest etiam se alteri iudicandum subijcere. In quibus autem non potest per seipsum de se iudicare, neque potest alteri se subijcere. Exemplum primi. Papa potest per seipsum diiudicare iniurias quas alteri fecit & restituere: & ideo poterit etiam alteri iudicium committere. Exemplum secundi. Papa non potest per seipsum se suspendere ab officio vel excommunicare: & ideo nec poterit alteri committere. Sed contra hoc est argumentum. Papa non potest seipsum absoluere à peccatis & tamen potest alteri committere tale iudicium, ergo regula falsa est. Respondetur, quòd regula Caietani intelligitur de iudicio in foro exterior, non autem in foro conscientiæ. Et ratio differentiæ est, quia in foro conscientiæ quilibet sacerdos habet potestatem iure diuino remittendi peccata: iurisdictionem autem circa istum vel alium peccatorem, interdum habet sacerdos ex commissione Pontificis. Et quia ipse Summus Pontifex, si peccat mortaliter, manet iure diuino subiectus clauibus Ecclesiæ absoluendus. Ideo quando alteri se subijcit in foro conscientiæ, habet se ut persona quædam particularis. Habet autem facultatem iure diuino eligendi confessorem: quia nõ habet superiorem in terra. Vnde colligitur plane: q̃ facultas absoluendi Summum Pontificem, non est ex commissione Pontificis, ut iudex est: sed tantum ministrat materiam, in quantum est pœnitens. Vnde ad primum argumentum respondetur, q̃ Leo Papa subiecit se imperatori non simpliciter, sed secundum quid, scilicet, ita ut teneretur acceptare sententiam iustam ex virtute iustitiæ directiuæ, non autem ex necessitate iustitiæ vindicatiuæ & coactiuæ.

Ad tertium argumentum patet ex vltima cõclusione. Si n. Papa peccat mortaliter, tenetur iure diuino iubicere se sacerdoti, & hoc non facit in quantum iudex sed vt reus.

Dubitatur quarto. An iudices extrahentes subditos suos ab Ecclesijs ad quas confugiunt, vsurpent iudicium si postea iudicauerint illos? Et videtur quòd non. Quia huiusmodi priuilegia tantum sunt concessa in fauorem Ecclesiarum, ergo non fit iniuria subditis, si iudicentur iam extracti ab Ecclesia. Secundò. Iudices qui extractos ab Ecclesia iudicant, non tenentur restituere, nisi tantum Ecclesijs saltẽ, & ita habet vsus: ergo nullam iniuriam faciũt subditis iam extractis, ergo non vsurpant iudicium.

Tertiò. D. Thom. infrà quæst. 99. arti. 2. ad tertium, inquit, quòd sacrilegium potest inueniri separatum ab omnibus peccatis, & ponit exemplum in casu nostri dubij: ergo ibi non est ratio iniustitiæ.

PRO decisione sit conclusio. Huiusmodi iudices vsurpant iudicium, & faciunt iniuriam reo. Probatur. Quia in tali casu tollitur ab ipsis iudicibus facultas iurisdictionis, ut patet in titulo de immunitate Ecclesiarum. & in 1. 2. quæst. 4. & C. de sacrosanctis Ecclesijs. & de his qui ad Ecclesias confugiunt. & in iure Hispania. 1. par. titulo. 11. & lib. 1. Ordin. Regal. titul. 2. & lib. 1. for. Reg. titul. 5. ergo tales iudices vsurpant iudicium & sententia illorum nulla est.

Ex quo sequitur, quòd ille qui extrahitur ab Ecclesia contra priuilegia Ecclesiarum, potest se armis defendere: eo quòd patitur violentiam, neque tenetur postea respondere iudici interroganti etiamsi alias teneretur.

Ad primum respondetur, quòd priuilegia data sunt quidem in fauorem Ecclesiarum primario, sed secundario data sunt etiam in fauorem confugientium.

Ad secundum respondetur, quòd non tantum fit iniuria loco sacro, sed etiam extracto, unde iudex tenetur restituere reo quicquid patitur ex eo quòd est extractus.

Ad tertium respondetur, quòd D. Tho. voluit ibi docere, quòd tota ratio culpæ in illo casu ortum habet à sacrilegio.

Dubitatur quinto. An iudex ex eo q̃ sit excommunicatus vsurpet iudicium. Probatur quòd non. Nam aliàs esset perturbatio in conscientijs hominũ nescientium, An iudices sint excommunicati dum proferunt sententiam, & dominia rerum transferũt. Sed in oppositum est quod habetur. 14. quæstione. 1. cap. miramur. & cap. auerte. & capit. ait Cœlestinus. & 15. quæstione. 6. capit. nos sanctorum. & capite iuratus. quibus in locis excõmunicati iudices priuantur authoritate iurisdicendi & exercendi quoscunque actus iudiciales, & subditi absoluuntur ab eorũ obedientia. De hoc dubio Caietanus, verbo excommunicatio, prope finem in cap. Vbi scito, ait vniuersaliter, quòd gesta per excommunicatum ratione publici officij etiam ciuilis, non valent. Quam sententiam sequitur Soto lib. 3. quæst. 4. artic. 6. corollario. 2. & in 4. distinct. 22. quæst. 1. articu. 4. Idem videtur tenere.

PRO decisione sit prima conclusio. Omne iudices excommunicati vsurpant iudicium, & mortaliter peccant ferendo sententiam & exercendo actus iudiciales. Probatur, quia sunt priuati autoritate & publica facultate iurisdicendi, ut patet in iuribus citatis.

Secunda conclusio. Nihilominus sententia excommunicati qui ab Ecclesia toleratur, ualida est. Hæc conclusio est contra Caietanum & Soto: & probatur. Nam in Concilio Constantiensi sub Martino V. conceditur fidelibus, vt possint communicare cum excommunicatis, exceptis nominatim excõicatis, & notoriè clericorũ percussoribus. Arguitur ergo. Talis concessio facta fuit in fauorem populi fidelis. Cum ergo populus fidelis non minus habeat utilitatis ex eorum communicatione, quam si non essent excommunicati, erit valida sententia. Et nihilominus ipsi iudices non minus peccant exercendo suum officium, quam si talis gratia non esset concessa.

Secundò. Absolutio sacramentalis facta ab excõmunicato qui toleratur ab Ecclesia ualida est, ergo multo magis sententia lata in foro ciuili. Antecedens patet ex Concil. supra, & ex communi sententia Theologorum. Consequentia probatur. Quia excommunicatio ex natura sua magis priuat à communicatione in spiritualibus quam in ciuilibus aut politicis.

Tertiò arguitur ex. l. Barbarius. ff. de officio prætoris. vbi dicitur, quòd ignorantia communis circa autoritatem iudicis, non irritat neque inualidat gesta per illum iudicem, & ita est communis sententia Iurisperitorum, qui etiam tenent nostram cõclusionem. Vide Innocentium & Panormitanum in cap. ueritatis. de dolo & contumacia. & Sylueſtrum in uerbo excommunicatio. 3. q. 23. num. 4. ubi refert Richardum & alios Theologos pro nostra sententia. Et si quis contra arguat. Ille iudex excommunicatus vsurpat iudicium, ergo illa sententia est à non iudice, & per consequens est inualida. Respondetur primò nego consequentiam: quia illa sententia est à republica, & Ecclesia, quæ vult esse validam sententiam, non quatenus est ab ipso iudice excommunicato: sed quatenus ab Ecclesia toleratur & illius gesta approbantur, sicut diximus dubio primo de tyranni sententia. Hinc est, quòd ipse iudex perinde peccet iudicando: atque si ab Ecclesia non esset concessa facultas fidelibus vt non uitarent excommunicatum; eo quòd in ipsomet Concilio expressè dicitur, quòd per hoc nolumus aliquam gratiam facere excommunicatis ipsis, aut in aliquo illos subleuare. Ad argumentum in oppositum respõdetur, quòd illud militat contra sententiam Caietani & Soto, & probat nostram secundam conclusionem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm iudici liceat iudicare contra veritatem, quam nouit, propter ea quæ in contrarium proponuntur.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd iudici nõ liceat iudicare contra veritatẽ, quã nouit, propter ea quæ in contrarium proponuntur. Dicitur enim Deuteron. 17. Venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis qui iudicabunt tibi, iudicij veritatem. Sed quandoque aliqua proponuntur cõtra veritatem, sicut cùm aliquid per falsos testes probatur. Ergo non licet iudici iudicare secundum ea quę proponuntur & probantur contra veritatem, quam ipse nouit.

2. Præterea. Homo in iudicando debet diuino iudicio conformari: quia Dei iudicium est, vt dicitur Deuteron. 1. Sed iudicium Dei est secundum veritatem, vt dicitur Roma. 2. Et Isaiæ. 11. prædicitur de Christo: Non secundùm visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum auriũ arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Ergo iudex non debet secundum ea quæ coram ipso probantur, sentẽtiam ferre contra ea, quæ ipse nouit.

3. Præterea. Idcirco in iudicio probationes requiruntur, vt fides fiat iudici de rei ueritate. Vnde in his quę sunt notoria, non requiritur iudicialis ordo, secundum illud. 1. ad Timoth. 5. Quorũdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudiciũ. Si ergo iudex per se cognoscat ueritatem, non debet attendere ad ea quę probantur, sed sentẽtiam ferre secundum ueritatem, quam nouit.

4. Præterea. Nomen conscientię importat applicationem scientię ad aliquid agibile, vt in 1. † habitum est. Sed facere cõtra sciẽtiam est peccatum. Ergo iudex peccat, si sententiam ferat secundum allegata contra conscientiam veritatis quam habet. 11. q. 79. artic. 13.

Sed contra est, quod † August. dicit super Psalterium: Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundum leges & iura pronuntiat. Sed hoc est iudicare secundũ ea, quę in iudicio proponuntur & probantur. Ergo iudex debet secundum huiusmodi iudicare, & non secundum proprium arbitrium. Amb. in Psal. 118. Ser. 20. versi. 4. ante me. to. 4 August. de ver. reli. c. 31. tomo 1.

Respondeo dicendum, quòd sicut † dictum est, iudicare pertinet ad iudicem, secundum quod fungitur publica potestate. Et ideo informari debet in iudicando, non secundum id quod ipse nouit tanquã priuata persona, sed secundum id quod sibi innotescit tanquam personę publicę. Hoc autem innotescit sibi & in communi & in particulari: in communi quidem per leges publicas, vel diuinas, vel humanas, cõtra quas nullas probationes admittere debet: in particulari autẽ negotio aliquo per instrumenta, & testes, & alia huiusmodi Art. præc. & sup. q. 60 art. 2. 5 & 6.

di legitima documēta, quę debet sequi in iudicādo magis, quàm id quod ipse nouit tanquam priuata persona. Ex quo tamen ad hoc adiuuari potest, ut districtius discutiat probationes inductas, vt possit earum defectum inuestigare. Quod si eas nō possit de iure repellere, debet, sicut † dictum est, eas in iudicando sequi.

In isto articulo.

Ad primum ergo dicēdum, quòd ideo premittitur in illis uerbis de quęstione iudicibus facienda, vt intelligatur quòd iudicare debent iudices veritatem secūdum ea, quę fuerunt sibi proposita.

Ad secundum dicendum, quòd Deo competit iudicare secundum propriā potestatem. Et ideo in iudicādo informatur secundum veritatē, quam ipse cognoscit, non secundum hoc, quod ab alijs accipit. Et eadem ratio est de Christo, qui est uerus Deus & homo. Alij autem iudices nō iudicant secundum propriam potestatem & ideo non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quòd Apostolus loquitur in casu quando aliquid non solum est manifestū iudici, sed sibi & alijs, ita quòd reus nullo modo crimen inficiari potest, ut in notorijs, sed statim ex ipsa euidentia facti cōuincitur: si autem sit manifestum iudici & non alijs: vel alijs, & non iudici, tunc est necessaria iudicis discussio.

Ad quartum dicendum, quòd homō in his quæ ad propriam personam pertinent, debet informare consciētiam suam ex propria scientia. Sed in his quæ pertinent ad publicam potestatem, debet informare conscientiam suam secundū ea quæ in publico iudicio sciri possunt, &c.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Iudex debet sequi in iudicando instrumenta & testes & alia legitima documenta, potiusquam, quòd ipse nouit tanquam persona priuata. Ratio est, quia iudex dum iudicat fungitur autoritate publica: ergo debet informari de ipsa veritate per publica testimonia.

Secunda cōclusio. Nihilominus iudex poterit adiuuari ex eo, q̄ nouit vt p̄sona priuata: vt districtius examinet testes & discutiat probationes inductas. Ratio est, quia quilibet tenetur iure naturæ defendere innocētem inquantum fuerit possibile: ergo multo magis iudex qui ex officio tenetur nulli iniuriam facere & impedire faciendam.

COMMENTARIVS.

NOtandum est, quòd D. Thom. supra, q. 60. artic. 5. mouet quæstionem similem huic vtrū iudex debeat iudicare secundum leges scriptas. Sed tamen differentia est inter illam quæstionem & istam. Nam ibi disputatur de scientia in communi secundum leges: hic autem disputamus de scientia in particulari negotio, quæ dicitur scientia facti, & de hoc definimus quòd debet haberi ex testimonijs publicis.

Quæstio celebris est. An iudex possit ferre sententiam contra innocentem quem nouit esse innocentem scientia priuata, probatum tamen nocentem publicis testimonijs & legitimis. Arguitur primò pro parte negatiua. Si iudex sciret scientia priuata aliquā legem esse iniquam, non posset iudicare secundum illam, etiam si à plurimis probaretur ut iusta: ergo simili ratione, non poterit iudicare secundum allegata & probata, si cognoscit esse falsa. Secundò. Confirmator alicuius electionis indigni, quem ipse scientia priuata cognoscit indignum, non potest electionem illam confirmare, sed poterit illam cassare: ergo etiam in nostro casu. Consequentia probatur. Nam talis confirmator etiam est iudex illius electionis. Tertiò. Papa non potest definire aliquam propositionem esse de fide, quam ipse certo scit non esse de fide, etiam si à multis doctoribus asseratur esse de fide. Ergo similiter dicendum est de iudice. Quartò. Iudicare contra veritatem est contra ius naturæ & diuinum. Iuxta illud Exodi 23. Nō suscipies vocem mendacij & in iudicio non acquiescas plurimorum sententiæ vt à vero deuies: ergo nunquam est licitum. Quintò. Quando aliquod medium est contrarium fini intento non debet eligi à prudente, etiam si communiter illud medium soleat esse conueniens ad talem finem. Vt v.g. medicus sapiens non eligit hic & nunc medicinam quam scit esse contrariam saluti, etiam si secundum sententiam medicorum dicatur esse vtilis ad talem infirmitatem. Ergo iudex etiam qui scit veritatem Innocentis non debet eligere & procedere secundum allegata & probata. Probatur consequentia, quia allegata & probata sunt medij ad manifestandam veritatem: ergo si certus est iudex quòd allegata & probata offuscant veritatem, nō debet illa eligere. Sextò. Virtus quæ dicitur epicheia est species quædam iustitiæ superior quam iustitia legalis, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 120. artic. 2. Cuius officium est moderari uerba legis & sequi intentionem legislatoris in casu extraordinario, prætermissa forma verborum legis. Hinc igitur sumitur argumentum, intentio legis & legislatoris præcipientis, vt iudex procedat secundum allegata & probata est, ut manifestetur veritas: ergo quando in casu extraordinario constat iudici, quòd ueritas destruitur per allegata & probata: debet vti virtute epicheya ad ferendam sententiam non secundum verba legis, sed secundum intentionem.

De hoc dubio est prima sententia D. Tho. quòd in omni causa ciuili vel criminali, iudex debet procedere secundum allegata & probata prætermissa scientia sua priuata. Hanc tenet D. Thom. expresè supra, quæst. 64. ar. 6. ad 3. Hanc tenet Maioris in 3. d. 33. q. 4. Diuus Antoni. in 3. par. tit. 9. cap. 2. §. 6. Hanc etiam sententiam tenet Abulen. Exod. 23. quæst. 6. & Turrecrema. in cap. iudicet 3. quæst. 7. & alij quos refert Couar. lib. 1. Variar. resolut. nu. 3. & 6. Secunda sententia est in altero extremo, quòd in omni causa debet iudex ferre sententiam secundum veritatē quam ipse

ipse nouit, siue scientia priuata siue scientia publica, ita q̄ nunquam sit licitum iudicare contra veritatē quam ipse nouit scientia priuata. Hanc sententiam tenet Hugo in l. Prætor. ff. de iurisd. omn. iudicum. quē sequitur Caldericus & Panor. in c. Pastoralis. §. quia vero. tit. de offic. delegati. Angel. in verb. iudicare. q. 7. Lyra Exod. 23. in illa uerba, insontem & iustum nō occides, & alij quos refert Couar. vbi supra. Tertia sententia est, q̄ in criminalibus causis, debet iudex sequi priuatam sententiam non obstantibus allegatis & probatis: non autem in causis ciuilibus. Hanc sententiam tenet Adrianus quodlib. 6. artic. 3. & iuquit esse communem sententiam Theologorum, hanc tenent multi Iurisperiti quos citat Couar. ubi supra, sed aliqui moderantur illam sic, q̄ etiam in negotijs ciuilibus magni momenti, debet iudex sequi sententiam priuatam. Quarta sententia est, q̄ iudex ex priuata scientia veritatis, debet absoluere reum non autem potest condemnare. Autores huius sententię citat Couar. vbi supra. Quinta sententia est, q̄ supremi iudices possunt sequi priuatam scientiam veritatis. Non obstantibus allegatis & probatis: inferiores vero non possunt nisi iudicare secundū allegata & probata. Annumerant autem inter supremos iudices, eos qui sunt supremi senatus quos vulgo dicimus *del Consejo Real*, etiam si habeant Principem superiorem. Huius sententiæ est Guido Papa, vt refert Couar. ubi supra. Ipse tamen ait Principem supremum id posse facere.

Ex his sententijs prima est tenenda non solum vt probabilior, sed vt ueritas demonstrata moraliter. Probatur primo, ratione D. Thom. in art. sed confirmatur illa ratio. Nam iudex iudicat, ut persona publica vice reipublicæ: sed si respublica iudicaret nō posset procedere nisi secundum scientiam publicam: ergo iudex debet iudicare secundum illam, alias nō esset uicarius bonus ipsius reipublicæ. Et hanc rationē insinuat D. Tho. in solut. ad 2. ubi ait, q̄ Deus iudicat secundum propriam scientiam, quia iudicat secundum propriam autoritatem: ergo qui non iudicat secundum propriam autoritatem, sed uice alterius, s. reipublicæ: debet iudicare secūdum scientiam secundum quam iudicaret respublica. Secundo. Nam ex oppositis sentētijs sequuntur magna incommoda reipublicæ & iudiciorum peruersio: nam iniqui iudices facile condemnarent innocentes & absoluerent nocentes, dicerent enim se scire ueritatem priuata scientia, & proferrent sententiam contrariam allegatis & probatis. Rursus boni iudices semper incíderent in magnas angustias & perplexitates, ut v.g. si aliquis probaretur reus læsæ maiestatis uel hæreticus secundum allegata & probata, & ipse iudex sciret innocentiam illius scientia priuata: siquidem absolueret illum ipse puniretur pœna capitis: si autem condemnaret peccaret mortaliter secundum illas sententias; ergo, &c. Tertio. Vtilitas iudiciorum ea maximè est, ut reipublicæ satisfiat, ut in tranquillitate consistat, & in tranquillitate seruetur dum iniqui puniuntur & alij à malo arcentur: sed nisi prima sententia sit uera omnia ista commoda pereunt, dum ipsa respublica non puniret eos qui publice probantur iniqui. Quartò probatur testimonijs Sanctorum. In primis est D. Ambro. serm. 20. super Psal. 118. in illud, Misericordiæ tuæ multæ Domine secundum iudicium tuum uiuifica me, inquit, Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundum leges pronunciat, & secundum quod audit iudicat. Hoc habetur 3. quæst. 7. canone iudicet, & quamuis referatur à Diuo Thoma esse D. August. errore tamen librariorum fuit. Sed etiam D. August. super Psal. 57. in illud, Molas leonum cōfringet Dominus inquit, Iudex non potest nisi secundum leges iudicare, & idem dicit in lib. de uera relig. capit. 31. Idem dicit D. Gregor. & habetur, 11. quæst. 3. cano. summopere. Item omnia iura canonica & ciuilia aiunt, quòd ex instrumentis sit certus iudex de iure litigantium. Hoc habetur in ca. dilectus. in cap. accepimus. in ca. contingit. de fide instrumentorum. & cap. Pastoralis. §. quia uero. de officio delegati. & in l. adoptio. ff. de adoptionibus. Et denique Daniel 3. Daniel quanuis nouit ueritatem scientia priuata ab Spiritu sancto, tamen non condemnauit senes illos, donec corā populo conuicit illos mendacij ex ore proprio.

Ad primum argumentum in contrarium respondetur negando consequentiam. Nam bonitas legis non pendet ex dicto ignorantium, aut iniquorum, sed ex eo, quòd lata est ab habente autoritatem & cōformis est legi naturæ. Cæterum ueritas facti in publico iudicio pendet ex testibus, aut ex ipsa notorietate facti, ex quo sequitur, quòd iudex sciens legem esse iniquam non potest iudicare secundum illam. Item est alia differentia egregia: quia quando iudici constat legem esse iniquam publice hoc potest probari faciendo demonstrationem: quando uero constat iudici de ueritate facti non potest publicè ostendere ueritatem illam.

Ad secundum argumentum negatur consequentia. Et ratio est, quia confirmator ex officio habet ius confirmandi uel cassandi electionem prout sibi uidebitur expedire bono communi: ita prorsus ut sicuti electores libere eligunt quem ipsi iudicant esse dignum scientia priuata, ita confirmator legitimè confirmat quem iudicauerit esse dignum, siue scientia publica siue priuata, & in hoc deficit confirmator à ratione iudicij, quòd iudex ut sic, tenetur ferre sententiam secundum allegata & probata, & si oppositum fecerit nulla est sententia. Cæterum confirmator quomodolibet cassauerit electionem etiā digni cassa est. Quod si aliquis obijciat. Contra ille confirmator iniuriam facit electo, ergo tenetur confirmare eum ex iustitia. Probatur antecedens: quia statim iudicabitur electus suspectus de aliquo crimine. pp quod nō confirmatur à prelato. Respondetur nihilominus, nego antecedēs, & ad probationem respondetur, q̄ est temerarium iudicium, quia multis uijs potest cassari electio etiam digni.

Ad tertiū argumentum rndetur, q̄ definitio propositionis ueritatis de fide, nō pendet ex testimonio hominum, sed ex assistentia Spiritus sancti: unde Pontifex poterit definire non solum contra testimonium hominum, sed etiam contra id quod ipse opinatur, ut v.g. si esset hæreticus.

Ad quartum argumentum rndetur, q̄ illud antecedens pōt esse uerum & est uerū, si intelligatur proportionabiliter loquendo de iudicio & de ueritate. s. q̄ iudicare publice contra ueritatem publice probatam, est cōtra ius naturæ, & iudicare secreto cōtra veritatem secretā ēt est contra ius naturæ: sed tn iudicare publice & ut persona publica contra veritatem quam ipse nouit scientia priuata nō est contra ius naturæ: sed consonum valde iuri naturæ, ut procedat secundum allegata & probata, propter tranquillitatem & pacem ipsius reipublicæ.

Ad quintum argumentū rndetur. Concedo Maiorem, sed distinguo minorem. Allegata & probata sunt medium ad manifestandam ueritatem, quantum in iudicio publico manifestari potest, concedo. Non autem ad manifestandam ueritatem, secundum quòd à parte rei est, hoc enim non semper est necessarium aut possibile. Exemplum autem de

medico non conuincit, quoniam medicatio per se ordinatur ad salutem istius hominis hic & nunc: sententia autem iudicis ordinatur ad tranquillitatem & pacem reipublicæ, quæ consurgit ex eo quòd vni cuique tribuitur suum ius fm allegata et probata. Itē etiam iudex dicendo ius, distribuit bonū quodā cōe distribuendum secundū merita causarum, quatenus ex allegatis & probatis cognoscuntur: medicus autē operatur aut ex iustitia commutatiua aut ex misericordia uel ex liberalitate, quare tenetur attendere quod commodum est istius hominis hic & nunc.

Ad vltimum respondetur, ꝙ intentio legislatoris & legis est, vt iudex non sequatur scientiam priuatā sed procedat secundum allegata & probata. Cæterū quod ibi dictum est de virtute epicheya verum est. Sed notandum est, quòd ista virtus exercetur in casibus extraordinarijs in quibus si seruentur verba legis, sequetur inconueniens contra omnem intentionem legislatoris & contra bonum publicum, quod quidem maximè est attendendum ad exercitium huius virtutis. Vt v. g. Dicit lex vt vnicuique reddatur suum depositum petenti: sed contingit vt furiosus si petat gladium ad occidendum innocētem vel contra rempublicam, non est illi reddendum depositū. Et quia in casu nostrę disputationis sequitur magnū inconueniens bono communi, nisi iudex ferat sententiam secundum allegata & probata: non habet locum virtus epicheiæ, sed potius est intentio legislatoris, quòd in tali casu seruetur forma verborum legis, etiam si per accidens occidatur innocens.

Dubitatur secundo circa secundam conclusionē D. Thom. Quid possit, & quid teneatur facere iudex in prædicto casu vt liberet innocētem? Ad quod respondetur, & sit prima conclusio. Non tenetur iudex renuntiare officio suo. Ista est contra Sylueſtrum in uerbo, iudex. 2. quæst. 5. Probatur, quia nemo utens iure suo facit alteri iniuriam, sed iudex utitur iure suo, ergo. Secundo, iudex ex officio suo tenetur seruare leges communes & prouidere paci & tranquillitati reipublicæ. Ergo etiam si inde sequatur præter intentionem eius mors alicuius innocentis, non tenetur cessare ab officio suo: quemadmodum Dux in bello non tenetur cessare ab impugnatione ciuitatis, etiam si aliqui innocentes ibidem occidendi sint per accidens.

Secunda conclusio. Non tenetur iudex remittere causam superiori, imo non potest si altera pars instet, vt faciat iudicium & iustitiam. Prima pars probatur eisdem rationibus atque prima conclusio. Secunda vero probatur. Quia supposito, ꝙ non cedit officio suo tenetur seruare ordinem iuris in procedendo ad iudicium. Ordo autem iuris est, ut in tali tribunali fiat prima instantia: ergo tenetur illum seruare. Quod si aliquis objciat contra istam conclusionem, quòd Diuus Thom. dicit supra in quæst. 64. artic. 6. ad tertium, quòd iudex si non habet occasionem liberandi talem innocentem remittat illum & debet remittere superiori iudicandum.

Respondetur & sit tertia conclusio. Quòd de consensu vtriusque partis potest & debet iudex in tali casu remittere innocentem, & hoc est quod Diuus Thomas ibi uoluit docere dum dixit, quòd si hoc nō potest nō peccat iudicando illum, acsi diceret, quòd si non potest seruato ordine iuris, scilicet, de consensu utriusque partis, non peccat iudicando. Itaque iudex debet quantum in se est fauere innocenti seruato ordine iuris necessario. Vt v. g. debet admittere appellationem illius. Item debet relaxare pœnam iuris in casibus in quibus est licitum, ut articu. 4. dicemus. Item si potest sine scandalo publico dare illi occasionem ut fugiat: tenetur facere. Ratio est, quia quilibet tenetur in quantum persona priuata adhibere media licita ad seruandum innocentem. Quarta conclusio. Non potest iudex pronuntiare sententiā in hunc modum, scilicet dicendo, non constat de veritate causæ. Pro quo nota, quòd est unus modus terminandi iudicium, cum iudex dicit, Non liquet de ueritate. Hæc conclusio est contra Alciatum capit. 1. de officio ordinatij, qui ait, in tali casu debere iudicem proferre talem sententiam. Sed probatur conclusio nostra, quia sententia iudicis debet intelligi secundum allegata & probata, sicut debet dari secundum allegata & probata: sed falsum est dicere in illo casu, quòd secundum allegata & probata non constat publice de ueritate causæ: ergo sententia falsa est. Item respublica non minus scandalizaretur de eiusmodi sententia, atque si illum absolueret: scit enim respublica crimen esse probatum in iudicio: sed maximè scandalizaretur respublica in illius absolutione: ergo etiam in prolatione talis sententiæ.

Quinta conclusio. Princeps supremus debet etiā iudicare secundum allegata & probata contra ueritatem quam cognoscit priuata scientia. Probatur, quia eadem inconuenientia sequuntur si non ita iudicet, quæ sequuntur in inferiori tribunali, ut dictum est iam. Nihilominus cum ipse Princeps sit dispensator legum & habeat plenariam potestatem à republica, poterit in tali casu secluso scandalo reipublicæ aut nocumento dispensare cum illo innocente, quantum ad pœnas iuris, quæ infliguntur propter bonum reipublicæ: non autem quantum ad pœnas, quæ respiciunt satisfactionem alterius partis. Item etiam poterit uti testimonio suo secundū scientiam priuatam & publicare illud contra testes falsos, qui non sunt magnæ autoritatis: quia tunc esset scandalum in republica infamare illos. Et denique dicimus, quòd quotiescunque Princeps potest dispensare in lege cum uere reo, tenetur dispensare cū innocente: etiam si probetur nocens. Ratio est, quia iure naturæ unusquisque tenetur uti medijs licitis ad defendendum innocentem.

Dubium tertium est. An cum Principi notum est crimen alicuius, quod probari potest facile, uel probatur testibus: possit illum interficere non citando illum ut se defendat & à crimine purget. Vt uerbi gratia, an possit illum occidere per uenenum secreto propinatum, aut alia uia occulta? Et pro parte affirmatiua sic arguitur. Primo euidentia patratis sceleris non indiget processu iuridico: sed in tali casu euidens est Principi, etiam per testes sufficientes, crimen malefactoris: ergo poterit illum condemnare & occidere, quando & quomodo uoluerit. Secundò. Reus ipse dignus est morte: ergo non fit illi iniuria si occidatur à Principe habente publicam potestatem. Et confirmatur. Nam per occisionem occultam consulitur famæ malefactoris: ergo nulla fit illi iniuria. Tertiò. Sit casus quòd reus non possit citari sine incommodo reipublicæ. Vt verbi gratia si est Dux, qui habet exercitum sibi beneuolum, & timetur quòd inuadet rempublicam. Vel etiam sit casus, quòd si reus citetur infamabitur persona principis: quia crimen commissum fuit verbi gratia, adulterium cum Regina, tunc uidetur necessarium quòd malefactor puniatur non citatus, aliquo modo occulto. Ad hoc dubium respondet Caietanus in sum. in uerb. homicidium. unica conclusione negatiua, cuius ratio est. Nam ius naturale postulat ut sicut potestas occidendi debet esse publica: ita notitia criminis debet esse publica. Ita etiam ipse reus publice citandus

tandus est & publice puniendus ea publicitate, quæ sufficit vt reus cognoscat se puniri à publica potestate propter crimen, de quo conuincitur & condemnatur. Hinc sequitur, ꝙ non solum Princeps qui aliter occiderit vel occidi fecerit, sed etiam ministri ipsius qui exequūtur eius mandatum sunt homicidæ: quia constat illis, quòd huiusmodi occisio non procedit à potestate publica inquātum publica est, & sic non excusat illos obedientia sicut excusat quando publica potestate procedunt ad bellum, de quo dubitant, an sit iustum vel iniustum. De qua re aliqua diximus supra quæst. 64. art. 5.

Ad primum respondetur, quòd euidentia patrati sceleris, non solum debet esse respectu Principis: sed etiam respectu iudicij & testium, & respectu ipsius rei, qui euidenter conuincitur ex publicitate facti, vnde licitum quidem erit iudici ante eius oculos aliquis occidit hominem præsentibus multis testibus, statim illum publicè punire: nunquam tamen erit licitum hominem malefactorem occidere, nisi ipse sciat quòd occiditur à publica potestate.

Ad secundum negatur consequentia: quia etiam si sit dignus morte, non tamen repentina, ita vt ignorans causam & à quo occidatur pereat: cæterum ꝙ eius famæ consulatur per accidens est, magis enim infamatur respublica & Princeps ipse, ex eo quòd homines interficiantur illo modo quàm si eius crimen publicaretur & puniretur. Item per huiusmodi punitiones secretissimas frustratur finis intentus à republica, qui est, vt alij à malo arceantur scientes causam punitionis, & denique inhumanum est uel de hominem imparatum occidere, quia certè condemnabitur in æternum.

Ad tertium respondetur, ꝙ uix est possibilis ille casus sed admisso illo casu respondetur, quòd minus inconueniens est quòd Princeps dissimulet punitionem ad tempus, quam vt procedat ad puniendū contra ordinem iuris naturalis: id quod prudenter fecit Dauid non puniendo Ioab propter sua delicta, vsque quo iam moriturus præcepit filio Salomoni, vt occideret Ioab: sed contra hoc est argumentum: demus quòd sit periculū in mora, nisi statim puniatur malefactor: quia traditurus est rempublicam, vel committet iterum idem crimen læsæ maiestatis. Respondetur, ꝙ iam tunc proceditur contra illum iure defensionis reipublicæ, aut læsæ maiestatis Regiæ: & tunc licitum erit vnicuique illum occidere: non autem erit licitum occidere illo modo propter delicta præterita, quia ille processus est via punitionis qui publicus debet esse.

ARTICVLVS III.

Vtrùm iudex possit aliquem condemnare, etiam si non sit aliquis accusator.

Opus. 19. ca. 5. fin.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, ꝙ iudex possit aliquem iudicare, etiā si non sit aliquis accusator. Humana .n. iustitia deriuatur à iustitia diuina. Sed Deus peccatores iudicat, etiā si nullus sit accusator. Ergo videtur, ꝙ homo possit in iudicio aliquē condemnare, ēt si nō adsit accusator.

2. Præterea. Accusator requiritur in iudicio ad hoc, ꝙ deferat crimen ad iudicē: sed quandoq; potest crimen ad iudicē deuenire alio modo, quā per accusationem, sicut per denūtiationem, vel per infamiā, vel etiā si ipse iudex uideat. Ergo iudex potest aliquem condēnare absq; accusatore.

3. Præterea. Facta sanctorū in Scripturis narrantur quasi quędā exemplaria humanæ vitæ. Sed Daniel simul fuit accusator & iudex contra iniquos senes, vt patet Daniel. 13. ergo non est contra iustitiam si aliquis aliquem condemnet tanquam iudex, & ipsemet sit accusator.

Sed cōtra est, quod 1. ad Cor. 5. † Amb. exponēs sententiā Apostoli de fornicatore, dicit: ꝙ iudicis non est sine accusatore dānare: quia Dominus Iudam, cū fuisset fur, qa non est accusatus, minimè abiecit. 1. ad Cor. 5. to. 5 habetur 23. q. 4 ca. iū quis potestate.

Respondeo dicendū, ꝙ iudex est interpres iustitiæ. Vnde sicut † Philosophus dicit in 5. Ethic. homines ad iudicem confugiunt, sicut ad quandam iustitiā animatam. Iustitia aūt, sicut supra † dictū est, nō est ad se ipsum, sed ad alterū. Et ideo oportet, ꝙ iudex inter aliquos duos diiudicet. Quod quidem fit cùm vnus est actor, & alius est reus. Et ideo in criminibus nō pōt aliquem iudicio cōdemnare iudex, nisi habeat accusatorem, secundū illud Actorū, 25. Non est consuetudo Romanis dānare aliquem hominē priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locūq; defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei objiciuntur. Lib. 5. ca. 4. parū ante mediū tomo. 5. Q. 68. artic. 2.

Ad primum ergo dicendum, ꝙ Deus in suo iudicio vtitur cōsciētia peccātis quasi accusatore, secūdum illud Rom. 2. inter se inuicem cogitationum accusantiū, aut ēt defendentium. Vel etiam euidentia facti, quantum ad ipsum: secundum illud Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.

Ad secundum dicendū, ꝙ publica infamia hēt locum accusatoris. Vnde super illud Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui, &c. dicit glo. Euidentia perpetrati sceleris, accusatore nō eget. In denūtiatione vero, sicut supra † dictū est, nō intēditur punitio peccantis, sed emendatio. Et ideo nihil agitur cōtra eum, cuius peccatū denūtiatur, sed pro eo: & ideo nō est ibi necessarius accusator q. 11. artic. 7.

sator. Pena autem infertur propter rebellionē ad Ecclesiā; quæ, quia est manifesta, tenet locum accusatoris. Ex eo aūt, q̃ ipse iudex uidet, nō pōt procedere ad sententiam ferendam, nisi secundum ordinē publici iudicij, quod tenet locū accusatoris.

Ad tertium dicendum, q̃ Deus in suo iudicio procedit ex propria notitia veritatis: non aūt homo, ut supra † dictum est. Et ideo homo non potest simul esse accusator, & testis, & iudex, sicut Deus Daniel autem accusator fuit simul & iudex, quasi diuini iudicij executor, cuius instinctu mouebatur, † vt dictum est.

Arti. præcedenti.

Arti. 2. ad primam.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. In criminibus non pōt iudex aliquem condemnare si non habeat accusatorem. Ratio est, quia officiū iudicis est iudicare inter duos eo quòd iudex est quædam iustitia animata.

Sed a cōcl. notetur in solutione ad fm. Publica infamia & rebellio ad Ecclesiam, habet locū accusatoris.

Tertia conclusio ibidem. In denuntiatione non est necessarius accusator.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm iudex licitè possit pœnam relaxare.

8. q. 64. ar. 1. 2. ad 3. Et di. 43. q. 2. ar. 2. ad 1. & 4. dis. 46. q. 3. artic. 2. q. 2. & q. 2. ar. 1. q. 3. ar. 1.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, q̃ iudex licitè possit pœnā relaxare. Dicitur. n. Iac. 2. Iudicium sine misericordia ei, q̃ nō facit misericordiā. Sed nullus punitur p̃ hoc, q̃ nō facit illud quod licitè facere non pōt. Ergo quilibet iudex pōt licitè misericordiam facere, relaxando pœnam.

2. Præterea. Iudicium humanum debet imitari iudicium diuinum. Sed Deus pœnitentibus relaxat pœnam: quia nō vult mortem peccatoris, vt dicitur Ezechie. 18. Ergo etiam homo iudex potest pœnitenti licitè laxare pœnam.

3. Præterea. Vnicuiq; licet facere q̃d alicui prodest & nulli nocet. Sed absoluere reū à pœna prodest ei, & nulli nocet. Ergo iudex licitè potest reum à pœna absoluere.

Sed cōtra est, q̃d dicit Deu. 13. de eo q̃ persuadet seruire dijs alienis, nō parcat ei oculus tuus, ut miserearis, & occultes eū, sed statim inficies eū. Et de homicida dicit Deut. 19. Morietur nec misereberis eius.

Artic. 2. & 3.

Respōdeo dicēdum, q̃ sicut ex † dictis patet, duo sunt, quātum ad propositū pertinet, circa iudicē consideranda quorum vnum est, q̃ ipse hēt iudicare inter accusatorē & reū; aliud āt est, q̃ ipse non fert iudicij snīam, quasi ex propria, sed quasi ex publica ptāte. Duplici ergo rōne impeditur iudex, ne reum à pœna absoluere possit. Primo quidē ex parte accusatoris, ad cuius ius quādoq; pertinet, vt reus puniatur, puta propter aliquā iniuriā in ipsum cōmissā; cuius relaxatio nō est in arbitrio alicuius iudicis, quia quilibet iudex tenetur ius suum reddere vnicuiq; Alio modo impeditur ex parte reipublicę cuius ptāte fungitur, ad cuius bonū pertinet, q̃ malefactores puniātur. Sed tamē quātum ad hoc, differt inter inferiores iudices, & supremū iudicē. s. principē, cui est plenariè ptās publica cōmissa, iudex. n. inferior nō hēt ptātem absoluēdi reum à pœna contra leges à superiore sibi impositas. Vnde super illud Ioan. 19. Nō haberes aduersum me ptātem vllā, dicit Aug. † Talē Deus dederat Pilato ptātē, ut esset sub Cæsaris potestate, ne ei omnino liberum esset accusatum absoluere, sed princeps qui hēt plenariam ptātem in republica, si ille qui passus est iniuriam, velit eam remittere, poterit reum licitè absoluere, si hoc publicæ vtilitati viderit non esse nociuum.

Tradit. 19. q. 2. c. Iudex. 1. & 2.

Ad primū ergo dicēdum, q̃ misericordia iudicis hēt locū in his, q̃ arbitrio iudicis relinquuntur, in quib. boni viri est, ut sit diminutiuus pœnarum; sicut Philosophus dicit 5. Ethic. † In his āt quæ sunt determinata secundū legem diuinā vel humanam, non est suum misericordiā facere.

Ad secundū dicēdū, q̃ Deus hēt supremā ptātem iudicādi, & ad ipsum pertinet quicquid cōtra aliquē peccatur. Et ideo liberū ei est pœnā remittere, præcipuè cū peccato ex hoc pœna maximè debeatur, quod est cōtra ipsum, nō tamen remittit pœnam, nisi secundum quod decet suam bonitatem, quę est omnium legum radix.

Ad tertiū dicendū, q̃ iudex si inordinatè pœnā remitteret, nocumētū inferret & cōitati, cui expedit, vt maleficia puniātur, ad hoc, q̃ peccata uitentur. Vnde Deu. 13. post pœnā seductoris subditur; Vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltra faciat quippiam huius rei simile. Nocet etiam personæ cui est illata iniuria, quę recompensationem accipit per quandam restitutionem honoris in pœna iniuriantis.

SVM-

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Nullus iudex potest relaxare pœnam iuris, contra ius quod habet accusator, vel actor vt sibi satisfiat.

Secunda concl. Pœna iuris, quæ est infligenda pp bonū reipublicæ: nullus iudex inferior pōt relaxare.

Tertia conclusio. Hanc pœnam potest relaxare supremus Princeps, quādo non sequitur ex tali remissione detrimentum reipublicæ.

COMMENTARIVS.

CIrca primam & secundam conclusionē nota primò, q̃ sunt intelligendæ regulariter loquendo. Nam potest contingere vt reus sit adeo necessarius reipublicæ, ut locum habeat epicheia, & relaxetur pœna iuris, satisfaciendo parti alia via: idque insinuat D. Thom. quæst. 68. art. 5. ad tertium. & Caietanus ibidem, & Soto in quæst. 4. art. vlt. lib. 5.

Secundò nota, quòd nomine inferioris iudicis, intelligimus etiam Duces & Marchiones & cæteros Hispaniæ, qui sūt iudices supremi Principis, & ideo non possunt dispensare in pœna taxata per legem superioris: etiam si accusator condonet illam.

Tertiò nota, quòd licet in Partita. 7. tit. 1. l. 22. dicatur, quòd remittente accusatore non puniat iudex reum corporali pœna taxata per legem: tamen hæc lex vt iacet non est in vsu, nam si crimen est atrox, iudices punire debent & puniunt secundùm pœnam legis, etiam si actor condonet: si autem crimen non sit atrox, puniatur reus mitiore pœna, etiam arbitraria: & hoc est in vsu & ualde iustum: & in huiusmodi pœnis habent locum preces proborum uirorum, ut iudex minuat pœnam quæ in eius arbitrio ponitur: hoc. n. conformè est legi quid ergo. §. pœna. ff. de his qui notātur infamia. & c. at si clerici. de iudicijs.

Quartò nota, quòd supremus Princeps non debet frequenter & facile relaxare pœnas & multo minus debet facile concedere, vt pœna corporalis pretio redimatur: hoc enim esset dare occasionem peccandi prauis hominibus: & esset nota auaritiæ in Principe, quod est maximè indecens. Denique iniquissimum esset, pretium recipere pro delictis, quādo possunt alia uia impediri in futurum, ut v. g. quando nulla cura est ut non sint concubinarij, & tamen summa diligentia est in exigendis pœnis pecuniarijs. Et de hoc uitio reprehendebātur olim sacerdotes Oseæ cap. 4. Sacerdotes peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem subleuabunt animas eorum. Vide de hac re Caiet. in uerbo, iudicis peccata.

Dubitatur deinde, An iudex qui contra dicente accusatore relaxat pœnam iuris, teneatur restituere fisco suum portionem, & etiam ipsi accusatori? Pro parte negatiua arguitur primò. Pœnam talionis nemo tenetur subire, nisi condemnatus per sententiā: sed quod iudex restituat suas portiones fisco & accusatori uidetur esse pœna talionis: ergo in conscientia non tenetur ante condemnationem. Et confirmatur. Nam iudex in illo casu non tenetur subire pœnam corporalem, quam tenebatur subire reus: ergo neque pecuniariam.

Secundò. Reus ipse qui interrogatus in iudicē negat ueritatem & deludit sententiam, non tenetur restituere pœnam lege taxatam fisco, uel accusatori, ut ostendetur. q. 69. ergo neq; ipse iudex tenebitur in illo casu. Probatur cōsequentia: quia uterq; peccat cōtra iustitiam. Tertiò. Testis qui legitimè interrogatus negat ueritatem, quam si confiteretur esset in causa, ut reus solueret pecuniam fisco uel accusatori: non tenetur ipse ad talem restitutionem, si reus non condemnetur, ut dicemus in q. 70. ergo neque iudex.

Ad hoc dubium Sylueſter in uerbo, iudex 1. §. 16. quæst. 11. particula. 5. ait, quod secundùm D. Tho. tenetur iudex in tali casu restituere communitati uel accusatori, si illo contradicēte relaxata est pœna. Tn apud D. Tho. nunquam inuenitur hæc uerba. Soto ubi supra ait, q̃ tenetur iudex restituere accusatori si illo contradicente relaxata est pœna.

Prima conclusio. Iudex tenetur restituere parti læsæ totum suum ius quod per relaxationem pœnæ amittit. Ratio est: quia iudex tenetur ex iustitia commutatiua ratione officij, suum ius unicuique tribuere, ergo tenetur ad restitutionem.

Secunda conclusio. Si iudex post latam sententiā non exequatur illam, tenetur restituere fisco & accusatori suas portiones taxatas per legem. Ratio est: quia fiscus & accusator, eo ipso quod fertur sententia contra reum, acquirunt ius in actu ad tales portiones: ergo iudex qui per iniquitatem impedit illam utilitatem tenebitur restituere.

Tertia conclusio. Iudex & omnes alij ministri iustitiæ, si ex eo q̃ nō rectè faciunt suum officiū, sequitur aliquod nocumentum fisco uel accusatori: tenetur ad restitutionem. Ratio huius est: quia isti officiales tenentur ex iustitia commutatiua dicere ius omnibus petentibus illud: quod si nō fecerint tenebuntur ad restitutionem omnium damnorū quę sequuntur, ex eo quòd non faciunt suum officium.

Quarta conclusio. Fiscalis Regius tenetur accusare tales iudices & ministros. Ratio est: quia etiam ipse tenetur ex iustitia commutatiua facere suum officium in ordine ad bonum reipublicæ.

Quinta cōclusio. Quādo iudex ex aliqua ignorantia inuincibili relaxat pœnam, quam reuera non debebat relaxare: non tenebitur postea ad restitutionem, etiam si cognoscat se errasse. Ratio est, quia ille non tenetur ratione rei acceptę, neq; ratione iniustę acceptionis: quia excusatur ignorantia à peccato, ergo nullo modo tenetur.

Ad argumenta in contrarium rndetur. Ad primū rndetur, q̃ propriè loquendo, non dicitur pœna talionis quando quis ex iustitia commutatiua tenetur aliquid reddere, etiam si habeat quandam similitudinem cum pœna talionis.

Ad confirmationē rndetur, nego cōsequentiā: q̃a pœna corporalis non est incōmodū alterius, sicut pœna pecuniaria. Itē pœna corporalis est purè pœna: at uero solutio pecunię pertinet ad iustitiā cōmutatiuam quam uiolauit iudex: unde tenebitur in foro conscientiæ ante condemnationem restituere. Et denique, pœna corporalis est purè passio ab alio infligenda: pœna autem pecuniaria in casu posito debet esse actio iustitiæ commutatiuæ, ergo.

Ad secundum & tertium argumentū rndetur, q̃ neq; reus neq; testis tenetur per se loquendo ex iustitia commutatiua, dicere ueritatem in iudicio: sed tantum ex iustitia legali, & ideo uiolatio iustitiæ legalis non obligabit ad restitutionem.

QVAESTIO LXVIII.

De accusatione, quando & quomodo fieri debeat.

POstea cōsiderandū est de his quę pertinet ad iniustā accusationē. Et circa hoc quęrūtur quatuor.

De

DE ista materia disputant Doctores in 4. dist. 19. & Durand. quæst. 3. & 4.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm homo teneatur ad accusandum.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd homo nõ teneatur ad accusandum. Nullus enim excusatur ab impletione diuini præcepti propter peccatũ, quia iam ex suo peccato commodum reportaret: sed aliqui propter peccatum redduntur inhabiles ad accusandum, sicut excommunicati, infames, & illi qui sunt de maioribus criminibus accusati, priusquam innoxij demonstrentur: ergo homo non tenetur ex præcepto diuino ad accusandũ.

2. Præterea. Omne debitum ex charitate dependet, quæ est finis præcepti. Vnde dicitur Rom. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: sed illud quod est charitatis, homo debet omnibus maioribus & minoribus, subditis & prælatis. Cùm ergo subditi non debeant prælatos accusare, nec minores suos maiores, vt per plura capitula probatur, † 2. quæst. 7. videtur quod nullus ex debito teneatur accusare.

2. q. 7. per multa ca.

3. Præterea. Nullus tenetur contra fidelitatem agere, quam debet amico: quia non debet alteri facere quod sibi nõ vult fieri. Sed accusare aliquem quandoq; est contra fidelitatem, quam quis debet amico: dicitur enim Prouer. 11. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum: ergo homo non tenetur ad accusandum.

Sed contra est, quod dicitur Leuit. 5. Si peccauerit anima, & audiuerit uocem iurantis, testisq; fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est, n si indicauerit, portabit iniquitatem suam.

Respondeo dicendum, quòd sicut supra † dictum est, hæc est differẽtia inter denuntiationem & accusationem: quod in denuntiatione attenditur emendatio fratris, in accusatione autem attenditur punitio criminis. Pœnę autem præsentis vitę non per se expetuntur, quia non est hic vltimum retributionis tempus, sed inquantum sunt medicinales conferentes, uel ad emendationem personę peccantis, vel ad bonũ reipublicæ, cuius quies procuratur per punitionẽ peccantium. Quorũ primũ intenditur in denuntiatione, vt † dictũ est: secundum aũt propriè pertinet ad accusationem: & ideo si crimen fuerit tale, q̃ vergat in detrimentũ reipublicę, tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris putà cùm peccatũ alicuius vergit in multitudinis corruptelã corporalem, seu spiritualem: si autem nõ fuerit tale peccatum quod in multitudinẽ redundet, vel etiam si sufficiẽtem probationem adhibere non possit, non tenetur ad intentandum accusationem: quia ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere.

q. 23. arti. 6. & 7. & 9. præcepta. 3. ad 2.

Ad primum ergo dicendũ, q̃ nihil prohibet, per peccatum reddi aliquem impotentem ad ea, quę homines facere tenentur: sicut ad merendum uitã ęternam, & ad assumendum ecclesiastica sacramenta: nec tamen ex hoc homo reportat commodum: quinimo deficere ab eis, quæ tenetur facere, est grauissima pęna: quia virtuosi actus sunt quędã hominis perfectiones.

Ad secundũ dicẽdũ, q̃ subditi prelatos suos accusare prohibẽtur, qui nõ affectione charitatis, sed sua prauitate uitã eorũ diffamare & reprehendere quęrũt. Vel ẽt si subditi accusare volentes fuerint criminosi, vt habetur † 2. q. 7. alioquin si fuerint aliàs idonei ad accusandum, licet subditis ex charitate suos prelatos accusare.

Ad tertiũ dicẽdũ, q̃ reuelare secreta in malũ personę, est cõtra fidelitatẽ: non aũt si reuelẽtur p̃ p̃ bonum cõe, quod semper preferendũ est bono priuato. Et ideo contra bonũ cõe, nullũ secretum licet recipere. Nec tamen omnino est secretum quod per sufficientes testes potest probari.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Si crimen vergat in detrimentum reipublicę, & homo possit illud sufficienter probare: tenetur ad accusandũ. Secunda conclusio: Si autem non vergat crimen in detrimentum reipublicæ, vel homo non possit illud sufficienter probare: non tenetur accusare.

COM-

COMMENTARIVS.

CIrca istam materiam notandum est, triplicem esse viam ad abluenda crimina in iudicio, scilicet, viam inquisitionis, accusationis, & denũtiationis iudiciariæ, quæ deseruit ad inquisitionem & distinguitur à denuntiatione Euangelica: quia per istam intenditur bonum fratris denuntiati: per illã autem intenditur bonum reipublicę aut alterius innocentis. Cũ ergo D. Tho. in hoc art. loquitur de denuntiatione, intelligit de Euangelica. Cęterũ denuntiationẽ iudiciariã visus est cõprehendere sub accusatione, tãq; imperfectum sub perfecto. Nihil. n. aliud est denuntiatio, nisi quędam imperfecta accusatio.

Dubium primum est in hoc articulo, An prima conclusio D. Tho. sit uera, etiam quando homo sperat se posse corrigere delinquentem per correptionem fraternam: & an etiam tunc teneatur in conscientia accusare uel potius præmittere correptionẽ fraternam? Arguitur primò & probatur, quòd non sit præmittenda correptio fraterna. Pro tunc in foro exteriori non requiritur correptio fraterna, ergo neque in foro conscientiæ. Probatur consequentia. Quia leges concedunt ius in foro conscientiæ sicut in foro exteriori. Antecedens patet in titulo de accusationibus per multa capita.

Secundò. Quando quis accusat petendo satisfactionem propriæ iniuriæ, non tenetur prius corripere fratrem, ergo neque quando accusat propter bonum commune. Patet consequentia. Quia bonum commune præferendum est bono particulari.

Tertiò. Nullus est ordo per se, inter correptionem fraternam & accusationem: ergo non requiritur, vt præmittatur correptio fraterna ante accusationem. Antecedens probatur. Quia finis est diuersus, item principium est diuersum: nam alterius est misericordia, alterius vero iustitia legalis materia etiam diuersa est: Nam materia accusationis est peccatum probabile in iudicio. Materia verò correptionis est peccatum quomodolibet notum corripienti.

Quartò. In republica sunt leges iustæ quæ accusatoribus certam portionem decernunt, ergo licitum est homini statim accusare, ne amittat suum lucrum. Et confirmatur. Nam fiscales punirentur, nisi crimina sibi nota statim accusarent, ergo non necessaria est correptio fraterna. Similiter etiam iudices procedentes via inquisitionis non præmittunt correptionem fraternam: ergo non est necessaria. De ista quæstione D. Thom. in 4. dist. 19. quæst. 2. artic. 3. refert duas sententias contradictoriè oppositas: & ipse videtur sequi partem negatiuam, quam secundo loco refert. Tamen Syluester in verb. accusatio. §. 3. putat D. Thom. sequi partem affirmatiuam, sed fallitur. Nam D. Thom. in quodlibeto. 1. art. 16. & quodlibeto. 11. artic. 13. sequitur partem negatiuam, & in isto articulo videtur etiam hanc sententiam tenere, dum poneas præceptum de accusatione, nullã mentionem facit de præmissione correctionis fraternæ. Durandus in 4. Sentent. vbi supra, quæst. 4. sequitur partem negatiuam. Caietanus hic & supra in quest. 33. art. 7. dicit duo. Alterum est, quòd quando quis tenetur ad accusandum, non habet locum secreta admonitio. Alterum est, quòd quando accusatio non est in præcepto licet sit licitum accusare: tunc tenetur homo præmittere correctionem fraternam. Sotò in relictione de ratione tegendi, membro. 2. quest. 5. ait, quòd quoties quis habet ius ad accusandum, non tenetur præmittere correctionem fraternam. Sed tamen hoc videtur petere principium: quia nostra quæstio est, An habeat ius ad accusandum si non præmittat correctionem fraternam.

PRO decisione huius quæstionis, sit prima conclusio. Non est necessarium per se loquendo præmittere correctionem fraternam ante accusationem. Hanc conclusionem probant argumenta facta pro parte negatiua. Et sic intelligatur S. Thom. in 4. Sententiarum, supra.

Secunda conclusio. Si per correctionem fraternã corrigitur frater, vel speratur prudenter corrigendus, tunc non tenetur aliquis eum accusare: nisi crimen sit pernicioſum bono communi. Probatur prima pars. Quia accusatio ordinatur per se ad conseruationem boni communis, sed bono publico sufficienter prouidetur in illo casu per correctionem fraternam: ergo tunc non est procedendum ad accusationem. Probatur consequentia. Quia aliàs punitio per se intenderetur. Et confirmatur. Quia cum quis potest cum minimo detrimento proximi prouidere bono communi, tenetur non facere maius nocumentum, ergo si potest cũ nullo proximi detrimento succurrere bono communi: tenetur non accusare. Et confirmatur secundò. Ita se habet homo crimino sus in republica, sicut membrum infirmum in corpore: sed chirurgus, qui curat salutem corporis, tenetur cum minimo detrimento membri, prouidere saluti totius: ergo ille qui curat prouidere bono cõmuni: tenetur cum minimo detrimento partis. s. criminosi hominis, illi bono cõmuni prouidere. Hinc sequitur, q̃ si oppositum aliquis faciat. s. accusando illum, quem poterat per correctionem fraternã corrigere, ita vt bonum commune nihil pateretur: tenetur ad restitutionem totius damni, quod patitur accusatus. Probatur, quia ille peccat non solum cõtra charitatem, sed etiam contra iustitiam, inferendo damnum proximo sine causa.

Secundò probatur eadem pars. Præceptum de correctione fraterna est affirmatiuũ, quod obligat pro tempore quo proximus est corrigibilis absque detrimento corrigentis & boni publici, ergo in casu nostræ conclusionis magis obligat. Secunda pars conclusionis manifesta est. Nam cum bonum commune periclitatur, tunc publicè delicta puniendа sunt, etiam si criminosus coram Deo sit iam iustificatus.

Tertia conclusio. Quando homo per accusationẽ intendit recompensam propriæ iniuriæ, aut restitutionem rei familiaris, si non potest aliter recuperare licitum est illi, prætermissa correctione fraterna, accusare, etiam si sciat, quòd per suam correctionem corrigatur frater. Ratio est. Quia ille homo habet ius ad suum honorem & ad suum commodum recuperandum ordine iudicio: sed tunc non potest aliter recuperare, ergo licitum est illi suum honorem recuperare per accusationem. Sed hoc notãdum est, habendam esse rationem damni quod ego patior, & detrimenti quod patietur accusatus: & tunc si damnum accusati notabiliter excedit meum detrimentum, erit contra charitatem illum accusare.

Quarta conclusio. Quoties quis licitè potest accusare, si probabiliter sperat, quòd per suam correctionem corrigetur proximus, non excusatur à præcepto correctionis fraternæ, siue ante accusationem siue post accusationem prout sibi videbitur opportunè expedire. Probatur. Quia si homo non esset accusaturus fratrem suum, tenebatur corrigere illum in tali casu: sed accusatio non excusat illum à præcepto correctionis: ergo adhuc tenetur corripere.

Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum, quòd iudex in foro exteriori, non curat de his quæ per accidens se habent ad accusationem. Sed

inde non sequitur, quòd ille qui accusat non teneatur in aliquo casu prius corrigere. Ad secundum ne
A gatur consequentia propter rationem tertiæ conclusionis. Ad tertium respondetur quòd probat primã conclusionem. Ad quartum respondetur, quòd illa portio petunturæ quæ decernitur accusatoribus, eatenus decernitur, quatenus illi præsumuntur intendere bonum commune, & ideo si illi non prouideant bono communi, quia reliqua nihil perficiatur bonũ commune: non est illicitum accusare, quin potius peccant contra iustitiam. Et proportionabiliter dicimus de fiscalibus quod semper debent bono publico prouidere. Cui si alia via prouideri non potest, nisi per accusationem: non tamen ideo semper ex-
B cusantur à precepto correctionis fraternæ. Id ipsum dicimus de iudicibus qui possunt per viam inquisitionis procedere aduersum aliquem, de quo est publica infamia, aut clamorosa insinuatio, quia tunc semper præsumitur, quòd bonum commune peritur: dum crimina non puniuntur. Cæterum si in aliquo casu ipsemet iudex certus sit, quòd per suam correctionem malefactor corrigetur, ita ut bonum publicum nihil patiatur, tenetur illum corrigere & remittere uiam inquisitionis inquantum satisfuerit ad exemplum publicum. Ratio istius est, quia iudex tenetur præcepto correctionis fraternæ sicut & alij Christiani: ergo vbi officio iudicis non deest, tenetur corripere proximum. Sed heu quam pauci iudices induunt charitatis uiscera erga reos.

Dubitatur secundò, An accusatio sit in præcepto. Pro parte negatiua arguitur primò. Omne peccatũ est contra bonum commune aliquo modo, maxime si sit notorium, sed si homines tenerentur ex præcepto accusare, omnia crimina quæ sunt contra bonũ commune, sequeretur magna perturbatio in republica: dum ciues frequentissime inuicem accusarent.

Secundò. Per denuntiationem iudiciariam sufficienter prouidetur bono communi, ergo non necesse est accusare.

D Tertiò. Qui accusat, exponit se magno periculo si deferit in probatione: punietur enim pœna talionis, si testes noluerint testificari, ergo non est in præcepto accusatio.

Quartò. Consilium Euangelicum est de remittendis iniurijs proprijs, ergo saltem in propria causa nõ est præceptum accusandi. Caietanus in isto articulo refert sententiam asserentem accusationem neq; esse in præcepto neque licitam. Quam sententiam summa Angelica in uerbo accusatio, tribuit glossę in l. furti. ff. de his qui notantur infamia. Ipse autem Angelus inquit, esse licitam accusationem: negat tamen esse in præcepto. Caieta. in 2.2. quæst. 33. arti.
E 7. ait, nunquam esse in præcepto accusationem, nisi propter bonum commune fiat. Quam sententiam videtur tenere Soto lib. 5. de iustitia, quæst. 5. artic. 1. ait enim quod in causa propria nemo tenetur ad accusandum, nisi iniuria redundet in aliorum damnum. In causa vero publica tenetur homo ad accusandum, quando crimen immediate lædit bonum publicum. Vt est hæresis, conspiratio contra Regem.

PRO decisione sit prima conclusio. Accusare aliquem in iudicio licitum est, & oppositum est error in fide. Et probatur. Quia in veteri testamento. v. g. Leuitici. 5. & aliàs sæpe, approbantur accusationes in iudicio. Item in Concilijs antiquissimis & nouissimis acceptatę sunt accusationes etiam in scriptis cõtra aliquos peruersos. Deinde Summi Pontifices plurima decreta ediderunt de forma accusandi: ut patet in titulis de accusationibus. Imperatores etiam Christianissimi multas leges condiderunt de accusationibus faciendis, vt patet in iure Ciuili. Et denique conclusio est communis sententia Theologorum in 4. dist. 19. & Iurisperitorum in titulis de accusationibus. Sed & ratione naturali probatur conclusio. Nam quilibet homo tenetur omnem suam industriam impendere, cum opus fuerit pro bono publico: sed accusare est medium quoddam proportionatum ad defensionem reipublicę, ergo tenetur homo aliquando diligentiam adhibere ad accusandum.

Secunda conclusio. Accusatio aliquando est licita & non in præcepto. Hanc tenet Caietanus vbi supra. Et verificatur imprimis quando aliquis in causa propria potest accusare, ut sibi fiat satisfactio, & potest etiam remittere omnino iniuriam sibi factam. Secundò uerificatur respectu boni publici: quando v. g. ex criminis ultione, sequitur aliquod commodũ reipublicę, & nihilominus si crimen maneat inultũ non sequitur incommodum reipublicę. Tunc si aliquis non accuset, non peccat contra preceptum. Ratio huius est: quia nemo particularis tenetur ad omnem promotionem boni publici licet teneatur quilibet ad defensionem boni publici.

Tertia conclusio. Fiscalis quotiescunque potest licite accusare, tenetur ex precepto accusare. Ratio est, Quia ex officio & pacto & iuramento est obligatus ad accusandum quoties expedierit ad promotionẽ boni publici.

Quarta conclusio. Non solum tenetur ciuis particularis accusare crimina quæ immediate lædunt bonum publicum: sed etiam illa quę fiunt contra priuatas personas, quę redundant in malum publicum, & per punitionem prouidetur bono publico. Hęc conclusio probatur ratione D. Thomę in articulo, & uerificatur in casu quo in republica essent frequentia crimina perturbantia pacem illius & destruentia iustitiam Innocẽtum. Vt v. g. si in hac uniuersitate Salmantina suffragia pecunijs frequenter emerentur: tenetur qui poterit probare, accusare tale crimen cõ
D tra aliquem particularem propter bonum publicum, qd notabiliter detrimentũ patitur tali negotiatione.

Quinta conclusio. Si accusatio necessaria sit ad defensionem alicuius innocentis, tenetur homo accusare, protestando tamen si fuerit clericus, quòd non intẽdit punitionem malefactoris, sed defensionem innocentis. Ista conclusio probatur. Quia iure naturę tenemur defendere innocentem, iuxta illud Prouerb. capit. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Et Ecclesiastici. 17. Vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Vltimò probatur. Quia bonum innocentis præstat bono nocentis & iniqui, ergo in illo casu debemus eligere accusationem cum detrimento criminosi, ut defendamus bonum innocentis.

Sexta cõclusio. Multis titulis pót contingere ut aliquis teneatur accusare in propria causa. Primus titulus est propter bonũ reipublicę, ꝓ patitur aliq̃ detrimentum ex eo ꝓ aliquis particularis patiatur iniuriam. Alter titulus est: ut homo non sit prodigus & sine causa permittat perire censum suum aut honorem, quibus uti potest ad exercẽdas uirtutes. Sed nota ꝓ ille titulus nõ obligat ad peccatum mortale per se, quia homo est dns suę famę & census, ut supra diximus in tractatu de dominio. Tertius titulus est ex charitate propria sui ipsius. Vt v. g. si homo timet de sesp so ꝓ sine honore aut sine diuitijs facile incidet in peccata mortalia: tenebitur accusare ut ista bona recuperet. Et idẽ dicendũ in casu quo homo habeat familiã, quam tenetur alere: & quomodolibet habeat suum censum aut honorem obligatum alijs, tenebitur accusare.

Ad ar-

Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad
A primum respondetur, quòd sicut respublica permittit aliqua peccata publica, ut uitentur maiora: ita etiam non tenebitur homo accusare omnia peccata, ut uitentur maiora mala, scilicet, perturbatio reipublicæ & tranquillitatis eius. Id quod adnotauit Soto ubi supra.

Ad secundum argumentum concedimus non esse necessarium accusare, quando sufficit denunciare iudici, uel fiscali ipsum crimen. Pro cuius explicatione nota, quòd accusatio & denuntiatio iuridica, per quam intenditur punitio criminis, non differunt substantialiter. Sed differentia est accidentalis, quæ
B præcipit ut accusatio fiat in scriptis, & accusator obligetur ad probationem sub pœna talionis. Nihilominus dicimus, quòd si aliquando necessarium fuerit ad bonum reipublicæ ut fiat accusatio cum istis conditionibus tenetur accusare homo ex precepto. Et ad tertium argumentum respondetur, quòd homo debet esse certus moraliter, quòd poterit probare testibus crimen quod accusat: ut obligemus illum sub præcepto ad accusandum. Ad quartum respondetur, quòd consilium euangelicum intelligendum est quando non interuenerit aliqua circunstantia propter quam teneatur homo ad accusandum. Denique notandum est, esse aliam uiam in iure, quæ dicitur exceptio, quæ reducitur ad accusationem. Quia
C utuntur oppositores alicuius prebendæ uel cathedræ contra se inuicem objicientes sibi aliquod peccatum propter quod sunt inhabiles ad obtinendam prebendam. In qua exceptione non obligantur partes ad probationem. De ista uia habetur in cap. super his. de accusationibus. Ex dictis in ista quæstione sequuntur aliquot corollaria ualde notanda. Primum est, quòd qui non accusat cùm tenetur accusare tantum ex iustitia legali, non obligatur ad restitutionẽ aliquam, quia restitutio pertinet ad iustitiam commutatiuam. Secundum corollarium est, quòd fiscalis uel quilibet alius qui ex officio uel pacto tenetur
D accusare & denuntiare, ut sunt custodes montium & tributorum iustorum, tenentur ad restitutionem nisi accusauerint uel denuntiauerint quoties fuerit licitum accusare uel denuntiare. Ratio est, quia peccant contra iustitiam commutatiuam per quam obligantur ad facienda hæc officia fideliter. Tertium corollarium. Quoties prælati præcipiunt etiam sub excommunicationis pœna, ut qui cognouerit tale uel tale crimen, denuntiet uel accuset, tenebuntur accusare uel denuntiare omnes illi, qui ante præceptum poterant licitè accusare, uel denuntiare. Ratio
E est, quia præceptum superioris potest obligare ad actiones etiam indifferentes antequam poneretur præceptum, & hoc sub peccato mortali, ergo multo magis poterit obligare ad actiones licitas ex se ante quã præceptum poneretur. Quartum corollarium. Si ante præceptum superioris erat illicitum accusare aliquod crimen uel denuntiare, superueniente præcepto superioris, non est licitum accusare uel denuntiare tale crimen. Ratio est, quia præceptum humanum non debet esse contrarium præcepto naturali & diuino: sed præcepto naturali ego tenebar seruare secretum in aliquo crimine, ergo etiam superueniente præcepto superioris, illicitum erit reuelare tale secretum. Quintum corollarium est. Crimen hæresis semper est tutum & necessarium reuelare Inquisitoribus sancti Officij uel Episcopo. Ratio huius est: quia fides est fundamentum unitatis ecclesiæ
F ficæ, unde crimen hæresis ualde nocet communitati: neque poterit aliquis facile de se præsumere, quòd corriget hæreticum, qui decessit à totius Ecclesiæ autoritate. Item quia experientia compertum est, quantum damni sequutum fuerit sæpe in Ecclesia ex eo quòd aliquis non denuntiauerit de hæretico: eo quòd inquit Paulus 1. ad Timoth. 2. sermo eorum ut cancer serpit. Sed notandum est, quòd non negamus quin teneatur aliquis corripere fraternaliter hæreticum si sperat se posse corrigere: sed tamen dicemus, quòd simul debet etiam denuntiare de illo propter periculi magnitudinem. De qua re supra quæst. 33. piura diximus.

ARTICVLVS II.

B *Vtrùm sit necessarium accusationem in scriptis fieri.*

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd non sit necessariũ accusatione in scriptis fieri. Scriptura enim adinuenta est ad subueniendum humanæ memoriæ circa præterita. Sed accusatio in præsenti agitur: ergo accusatio scriptura non indiget. 4. dist. 19. q. 2. ar. 3. q. 1. ad 4. Et dist. 5. ar. 3. ad 6. & quæst. 11. ar. 2. 3. corp.

2. Præterea. † 2. quæst. 8. dicitur: Nullus absens accusare potest, nec ab aliquo accusari. Sed scriptura ad hoc uidetur esse utilis, ut absentibus aliquid significetur, ut patet per † August. 10. de Trinit. Ergo in accusatione non est necessaria scriptura, præsertim cùm canon dicat, quod per scripta nullius accusatio suscipiatur. 2. q. 8. ca. per scripta. † Lib. 10. c. 1. aliqui & tuium. à princi. to mo. 3.

3. Præterea. Sicut crimen alicuius manifestatur per accusationem ita per denũtiationem. Sed in denuntiatione non est scriptura necessaria. Ergo uidetur quòd neque etiam in accusatione.

Sed contra est, quod dicitur † 2. quæst. 8. Accusatorum personæ sine scripto nunquam recipiantur. † 2. q. 8. ca. accusatorum.

Respondeo dicendum, quòd sicut supra † dictum est quando in criminibus per
E modum accusationis agitur, accusator cõstituitur pars, ita quò iudex inter accusatorem, & eum qui accusatur, medius constituitur ad examen iustitiæ, in quo oportet, quantum possibile est, secundum certitudinem procedere. Quia uero ea, quæ uerbo tenus dicuntur, facilè labuntur à memoria, non posset iudici esse certum quid & qualiter dictum sit, cũ debet proferre sententiam, nisi esset in scriptis redactum. Et ideo rationabiliter institutũ est, ut accusatio, sicut & alia quæ in iudicio aguntur, redigatur in scriptis. † Art. præced. & q. præce. artic. 3.

Ad pri-

Ad primum ergo dicendum, quòd difficile eſt ſingula uerba (propter eorum multitudinem & uarietatem) retinere: cuius ſignum eſt, quòd multi eadem verba audientes ſi interrogarentur, non referrent ea ſimiliter, poſt modicum tempus: Et cum modica verborum diffeerẽtia ſenſum variet, ideo etiam ſi poſt modicum tempus debeat iudicis ſententia promulgari, expedit ad certitudinem iudicij, vt accuſatio redigatur in ſcriptis.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſcripturà non ſolum neceſſaria eſt propter abſentiam perſonæ quę ſignificat, vel cui eſt aliquid ſignificandum, ſed etiam propter dilationem temporis, vt† dictum eſt: & ideo cum dicit canon: Per ſcripta nullius accuſatio ſuſcipiatur: intelligendum eſt ab abſente qui per ſcripta accuſationẽ mittat: non tamen excluditur, quin cum præſens fuerit, neceſſaria ſit ſcriptura.

Ad primũ argumen.

Ad tertium dicendum, quòd denuntiator non obligat ſe ad probandum. Vnde nec punitur, ſi probare nequiuerit. Et propter hoc in denuntiatione non eſt neceſſaria ſcriptura, ſed ſufficit ſi aliquis verbo denuntiet Eccleſiæ, quæ ex officio ſuo procedet ad fratris emendationem.

ARTICVLVS III.

Vtrum accuſatio reddatur iniuſta propter calumniam, præuaricationem, & tergiuerſationem.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd accuſatio non reddatur iniuſta propter calumniam, præuaricationem, & tergiuerſationẽ: quia ſicut dicitur † 2. quæſt. 3. calumniari eſt falſa crimina intendere. Sed quandoq; aliquis alteri falſum crimẽ obijcit ex ignorantia facti, quę excuſat. Ergo videtur, ꝙ non ſemper reddatur iniuſta accuſatio, ſi ſit calumnioſa.

2. q. 3. c. Si quem pęnituerit.

2. Præterea. † Ibidem dicitur, ꝙ præuaricari eſt vera crimina abſcondere. Sed hoc non videtur eſſe illicitum: quia homo non tenetur ad omnia crimina detegẽda, vt † ſuprà dictũ eſt. Ergo videtur ꝙ accuſatio nõ reddatur iniuſta ex pręuaricatiõe.

2. q. 3. c. ſi quẽ pęnituerit.

Art. 1. & q. 33. ar. 7

3. Pręterea. Sicut † ibidem dicitur: tergiuerſari eſt in vniuerſo ab accuſatione deſiſtere. Sed hoc abſque iniuſtitia fieri poteſt. Dicitur enim † ibidem: Si quem pœnituerit, criminaliter accuſationem, & inſcriptionem feciſſe de eo quod probare non potuerit, ſi cum ei accuſato innocente conuenerit, inuicem ſe abſoluant. Ergo accuſatio non redditur iniuſta per tergiuerſationem.

2. q. 3 c. ſi quẽ pęnituerit.

Loco ſuprà dicto.

Sed contra eſt, quod † ibidem dicitur: Accuſatorum temeritas tribus modis detegitur. Aut enim calumniantur, aut pręuaricantur, aut tergiuerſantur.

2. q. 3. c. ſi quẽ pęnituerit.

Reſpondeo dicendum, quòd ſicut † dictum eſt, accuſatio ordinatur ad bonum commune, quod intenditur per cognitionem criminis. Nullus autem debet nocere alicui iniuſtè, vt bonum commune promoueat. Et ideo in accuſatione, duplici ratione contingit eſſe peccatum, vno modo ex eo, quod aliquis iniuſtè agit contra eum, qui accuſatur, crimina falſa ei imponẽdo, quod eſt calumniari: alio modo ex parte reipublicæ, cuius bonum principaliter intenditur in accuſatione, dum aliquis impedit malitioſè punitionem peccati. Quod iterum dupliciter contingit, vno modo fraudem in accuſatione adhibendo. Et hoc pertinet ad præuaricationem: nam pręuaricator dicitur quaſi varicator, quia aduerſam partem adiuuat, prodita cauſa ſua. Alio modo totaliter ab accuſatione deſiſtendo: quod eſt tergiuerſari. In hoc enim quòd deſiſtit ab hoc, quod cęperat, quaſi tergum vertere videtur.

Art. 1. huius quæſt.

Ad primum ergo dicendum, ꝙ homo non debet ab accuſationem procedere, niſi de re omnino ſibi certa, in qua ignorantia facti locum non habeat. Nec tamen qui falſum crimen alicui imponit, calumniatur: ſed ſolum qui ex malitia in falſam accuſationem prorumpit. Cõtingit enim quandoque ex animi leuitate ad accuſationem procedere: quia ſcilicet aliquis nimis faciliter credit quod audiuit: & hoc temeritatis eſt. Aliquando autem ex iuſto errore mouetur aliquis ad accuſandum, quæ omnia ſecundum prudentiam iudicis debent diſcerni, vt non prorumpat, eum calumniatum fuiſſe, qui vel ex leuitate animi, vel ex iuſto errore in falſam accuſationem prorupit.

Ad ſecundum dicendũ, quòd non quicunque abſcondit vera crimina, præuaricatur; ſed ſolum qui fraudulenter abſcondit ea, de quibus accuſationem proponit colludens cum reo, proprias probationes diſſimulando, & falſas excuſationes admittendo.

Ad tertium dicendum, quòd tergiuerſari eſt ab accuſatione deſiſtere omnino, animum accuſandi deponendo, non qualitercunque, ſed inordinatè. Contingit autem aliquem ab accuſatione deſiſtere ordinatè abſque vitio, dupliciter. Vno modo in ipſo accuſationis proceſſu, ſi cognouerit eſſe falſum id, de quo accuſauit; & ſi pari conſenſu ſe abſoluunt accuſator & reus. Alio modo ſi princeps, ad quem pertinet cura boni communis (quod per accuſationem intẽditur) accuſationem aboleuerit.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm accuſator qui in probatione defecerit, teneatur ad pœnam talionis.

4. diſt. 41. ar. 5. q. 2. ad primũ Et quolib. 11. ar. 14. corp.

AD Quartum ſic proceditur. Videtur, quòd accuſator, qui in probatione defecerit, non teneatur ad pœnã talionis. Contingit enim quandoque aliquem ex iuſto errore ad accuſationẽ procedere; in quo caſu iudex accuſatorem abſoluit, vt dicitur † 2. quæſt. 3. Non ergo accuſator, qui in probatione defecerit, tenetur ad pœnam talionis.

2. q. 3. ca. ſi quẽ pęnituerit.

2. Præterea. Si pœna talionis ei, qui iniuſtè accuſat, ſit iniungẽda, hoc erit propter iniuriam in aliquem commiſſam. Sed non propter iniuriam commiſſam in perſonam accuſati; quia ſic princeps non poſſet hanc pęnam remittere. Nec etiam propter iniuriam illatã in rempublicam, quia ſic accuſatus non poſſet eum abſoluere, Ergo pęna talionis non debetur ei, qui in accuſatione defecerit.

3. Præterea. Eidem peccato non debetur duplex pęna, ſecundum illud Naum. 1. Non iudicabit Deus bis in idipſum. Sed ille qui in probatione deficit, incurrit pœnam infamię, quam etiam Papa non videtur poſſe remittere, ſecundum illud † Gelaſij Papæ: Quanquam animas per pęnitentiam ſaluare poſſimus, infamiam tamen abolere non poſſumus: non ergo tenetur ad pęnam talionis.

Habetur 2. q. 3. ca. Euphemium.

Sed contra eſt, quod † Adrianus Papa dicit: Qui non probauerit quod obiecit, pęnam quam intulit, ipſe patiatur.

Habetur 2. q. 3. ca. qui nõ ꝓbauerit.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſuprà † dictum eſt, accuſator in cauſa accuſationis conſtituitur pars, intendens ad pęnam accuſati. Ad iudicem autẽ pertinet, vt inter eos iuſtitiæ æqualitatem conſtituat. Iuſtitiæ autem æqualitas hoc requirit, vt nocumẽtum quod quis alteri intentat, ipſe patiatur, ſecũdum illud Exod. 21. Oculum pro oculo, dentem pro dente. Et ideo iuſtum eſt, vt ille qui per accuſationem aliquem in periculum grauis pęnæ inducit, ipſe etiam ſimilem pęnam patiatur.

Articu. 1. & 2.

Ad primum ergo dicendũ, ꝙ ſicut † Philoſophus dicit in 5. Ethicorum. In iuſtitia non ſemper competit contrapaſſum ſimpliciter: quia multũ differt, an aliquis voluntariè vel inuoluntariè alium lædat. Voluntario autẽ debetur pęna, ſed inuoluntario debetur venia. Et ideo quãdo iudex cognouerit aliquem de falſo accuſaſſe nõ voluntate nocendi, ſed inuoluntariè propter ignorantiam ex iuſto errore, non imponit pęnam talionis.

Lib 5. ca. 9. to. 5.

Ad ſecundum dicendum, quòd ille qui male accuſat, peccat & contra perſonam accuſati, & contra rempublicam. Vnde propter vtrunq; punitur. Et hoc eſt quod dicitur Deuteronomio 19. Cumque diligentiſſimè perſcrutantes, inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit, quod pertinet ad iniuriam perſonæ. Et poſtea quantum ad iniuriam reipublicæ, ſubditur; Et auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri timorẽ habeant, & nequaquam talia audeant facere. Specialiter tamen perſonæ accuſati facit iniuriam, ſi de falſo accuſet. Et ideo accuſatus ſi innocens fuerit, poteſt ei iniuriam ſuam remittere, maximè ſi non calumnioſè accuſauerit, ſed ex animi leuitate; ſi verò ab accuſatione innocentis deſiſtat propter aliquã colluſionẽ cum aduerſario,

sario, facit iniuriam reipublicæ: Et hoc nõ potest ei remitti ab eo, qui accusatur: sed potest ei remitti per principem, qui curã reipublicæ gerit.

Ad tertium dicendum, q̃ pœnam talionis meretur accusator in recompensationem nocumẽti, quod proximo inferre intentat. Sed pęna infamiæ ei debetur propter malitiam ex qua calumniosè aliũ accusauit. Et quandoq; quidem princeps remittit pęnã, & non abolet infamiã. Quandoque autem etiam infamiam abolet. Vnde & Papa potest huiusmodi infamiã abolere. Et quod dicit † Papa Gelasius, Infamiam abolere non possumus, intelligendum est de infamia facti, vel quia eam abolere aliquando non expedit, uel etiam loquitur de infamia irrogata per iudicem ciuilem, sicut dicit † Gratianus.

Loco citato in argum.

Ibidem.

QVAESTIO LXIX.
De rei seu accusati iniustitia.

DEinde considerandum est de peccatis, quæ sunt contra iustitiã ex parte rei. Et circa hoc quærũtur quatuor.

DE ista materia agitur in iure in titulo de accusationibus. Et in titul. de quæstionibus. Et in titul. de confess. Et Theologi in 4. dist. 19. Summiste in uerbo, Inquisitio. & in uerbo, confessio criminalis. Soto in relect. citata, membro. 2. quæstio. 6. & in lib. 5. de Iustitia, quæst. 6.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm absque peccato mortali possit accusatus veritatem negare, per quam condemnaretur.



4. dist. 17. q. 3. ar. 1. q. 2. ad 1. & 3. & distin. 19. q. 2. ar. 3. q. 3. ad 5. & q. 2. cor.

AD Primũ sic proceditur. Videtur, q̃ absque peccato mortali possit accusatus veritatẽ negare, per quã condemnaretur. Dicit. n. † Chrysostomus. Nõ tibi dico ut te prodas in publicum, neq; apud alium accuses: sed si ueritatem confiteretur in iudicio accusatus, seipsum proderet, & accusaret. Non ergo tenetur ueritatem dicere, & ita non peccat mortaliter, si in iudicio mentiatur.

† Chrysostomus homi. 31. ad Heb. à pne. 10. 4.

2. Præterea. Sicut mendacium officiosum est, quando aliquis mẽtitur, ut alium à morte liberet; ita mendaciũ officiosum esse videtur, quando aliquis mentitur, ut se liberet à morte, quia plus sibi tenetur, quàm alteri. Mendacium autẽ officiosum nõ ponitur esse peccatum mortale, sed ueniale. Ergo si accusatus ueritatem in iudicio neget, vt se à morte liberet, non peccat mortaliter.

3. Præterea. Omne peccatũ mortale est contra charitatẽ, ut suprà † dictum est. Sed q̃ accusatus mentiatur, excusando se à peccato sibi imposito, non contrariatur charitati, neque quantum ad dilectionem Dei, neque quantum ad dilectionem proximi. Ergo huiusmodi mendacium non est peccatum mortale.

q. 24. ar. 12.

Sed contra. Omne quod est cõtrarium diuinæ gloriæ, est peccatũ mortale, quia ex præcepto tenemur omnia in gloriã Dei facere, ut patet 1. ad Cor. 10. Sed q̃ reus id quòd contra se est, confiteatur, pertinet ad gloriã Dei, vt patet per illud quod Iosue dixit ad Acham, Fili mi da gloriã Domino Deo Israel, & cõfitere atq; iudica mihi quid feceris, ne abscondas; ut habetur Iosue 7. Ergo mentiri ad excusandum peccatum, est peccatum mortale.

Respondeo dicendum, q̃ quicunq; facit cõtra debitum iustitiæ, mortaliter peccat, sicut supra † dictum est. Pertinet autẽ ad debitum iustitiæ q̃ aliquis obediat suo superiori in his, ad quæ ius prælationis se extendit. Iudex autẽ, vt suprà † dictum est, superior est respectu eius qui iudicatur. Et ideo ex debito tenetur accusatus iudici veritatẽ exponere, quã ab eo secundum formã iuris exigit. Et ideo si confiteri noluerit ueritatẽ, quam dicere tenetur, uel si eam mẽdaciter negauerit, mortaliter peccat. Si uerò iudex hoc exquirat, quod non potest, secundum ordinem iuris non tenetur ei accusatus respondere. Sed potest uel per appellationem, vel aliter licitè subterfugere; mendacium tamen dicere non licet.

q. 64. ar. 3. & 5.

Ad primum ergo dicendum, q̃ quãdo aliquis secundum ordinem iuris à iudice interrogatur, nõ ipse se prodit: sed ab alio proditur, dum ei necessitas respondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur.

Ad

Ad secundum dicendum, q̃ mentiri ad liberandum aliquem à morte cum iniuria alterius, nõ est mendacium simpliciter officiosum, sed habet aliquid de perniciosò admixtum. Cum autem aliquis mentitur in iudicio ad excusationem sui, iniuriam facit ei, cui obedire tenetur, dum sibi denegat quod ei debet, scilicet cõfessionem veritatis.

Ad tertium dicendum, q̃ ille, qui mentitur in iudicio, se excusando, facit & contra dilectionem Dei, cuius est iudicium; & contra dilectionem proximi, tum ex parte iudicis, cui debitum negat: tum ex parte accusatoris, qui punitur, si in probatione deficiat. Vnde & in Psal. 140. dicitur. Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Vbi dicit Gloss. Hæc est consuetudo impudentium, vt deprehensi, per aliqua falsa se excusent. Et † Greg. 22. Moral. exponens illud Iob 31. Si abscondi quasi homo peccatum meum, dicit: Vsitatum humani generis vitium est, & labendo peccatum cõmittere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare.

Li. 22. ca. 23. l. prin.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Quando accusatus interrogatur secundum ordinem iuris, peccat mortaliter si veritatem non fateatur. Secunda conclusio. Si iudex exquirit quod non potest, secundum ordinem iuris, accusatus non tenetur respondere. Tertia cõclusio. In tali casu accusatus poterit per appellationem subterfugere vel alio modo veritatem occultare: nunquam tamen mendacium dicere.

ARTICVLVS II.

Vtrùm accusato liceat calumniosè se defendere.

Infra art. 6. corp.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd accusato liceat calumniosè se defendere. Quia secũdum iura ciuilia in causa sanguinis licitum est cuilibet aduersariũ suũ corrumpere. Sed hoc maximè est calumniosè se defendere. Ergo non peccat accusatus in causa sanguinis, si calumniosè se defendat.

2. Præterea. Accusator cum accusato colludens, pœnam recipit à legibus constitutam, vt habetur. † 2. quæst. 3. Non autem imponitur pœna accusato per hoc, quòd cum accusatore colludit. Ergo videtur quòd liceat accusato calumniosè se defendere.

2. q. 3. ca. si quê pęnitu ent.

3. Prętterea. Prouer. 14. dicitur: Sapiens timet & declinat a malo: stultus autem transilit & confidit. Sed illud quod fit per sapientiam, non est peccatum. Ergo si aliquis qualitercunque se liberet à malo, nõ peccat.

Sed contra est, quod etiam in causa criminali iuramentum de calumnia est præstandũ, vt habetur † extra, de iuramẽto calumniæ, inhærentes. Quod non esset, si calumniosè se defendere liceret. Ergo non est licitum accusato calumniosè se defendere.

In decretali lib. 2. ti. 7. ca. 1.

Respondeo dicendum, q̃ aliud est veritatem tacere, aliud est falsitatem proponere. Quorum primum in aliquo casu licet; non. n. aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, sed illam solum, quam ab eo potest, & debet requirere iudex secundũ ordinem iuris: puta cum præcessit infamia super aliquo crimine, vel aliqua expressa indicia apparuerunt, uel ét cum præcessit probatio semiplena. Falsitatem tamẽ proponere in nullo casu licet alicui. Ad id autem quod licitum est, potest aliquis procedere, vel per uias licitas & fini intẽto accommodas, quod pertinet ad prudentiã: vel per aliquas uias illicitas & proposito fini incongruas, quod pertinet ad astutiam, quæ exercetur per fraudem & dolum, ut ex suprà † dictis patet. Quorum primum est laudabile, secundum uerò, uitiosum. Sic ergo reo qui accusatur, licet se defendere ueritatem occultando, quam confiteri non tenetur per aliquos conuenientes modos: puta quòd non respondeat; ad quæ respondere non tenetur: hoc autem non est calumniosè se defendere, sed magis prudenter euadere. Non autem licet ei uel falsitatem dicere, uel ueritatem tacere, quam confiteri tenetur. Neque etiam aliquam fraudem vel dolum adhibere, quia fraus & dolus vim mendacij habent. Et hoc est calumniosè se defendere.

q. 55. arti. 4. & 5.

Ad

Ad primum ergo dicendum, ꝙ multa secundum leges humanas impunita relinquuntur: quę secundum diuinum iudiciũ sunt peccata. Sicut patet in simplici fornicatione: quia lex humana nõ exigit ab homine omnimodam virtutem, quæ paucorum est, & non potest inueniri in tãta multitudine populi, quantum lex humana habet necesse sustinere. Quod autem aliquis non uelit aliquod peccatum committere, vt mortem corporalem euadat, cuius periculum in causa sanguinis imminet reo, est perfectæ uirtutis: quia omnium terribiliũ maximè terribile est mors, ut dicitur, in 3.
Lib 3.c2. 6.19.1. † Ethicorum. Et ideo si reus in causa sanguinis corrumpat aduersarium suum, peccat quidem inducendo eum ad illicitum: Non autem huic peccato lex ciuilis adhibet pœnam: & pro tanto licitum esse dicitur.

Ad secundum dicẽdum, ꝙ accusator si colludat cum reo, qui noxius est, pœnam incurrit: ex quo patet quòd peccat. Vnde cùm inducere aliquem ad peccandum, sit peccatum, vel qualitercunque peccati participem esse, cum Apostolus dicat dignos morte eos, qui peccantibus consentiunt: manifestum est quòd etiam reus peccat, cum aduersario colludẽdo, non tamen secũdum leges humanas impon tur sibi pę
In solutione ad 1. na, propter rationem iam † dictam.

Ad tertium dicendum, quòd sapiens non abscondit se calumniosè, sed prudenter.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Etiam si accusatus interrogetur contra ordinem iuris, non licet ei fraudẽ & dolum adhibere. Ratio est, quia hoc pertinet ad mendacium.

Secunda conclusio. Tunc iudex procedit secundũ ordinem iuris, quando præcesserit infamia super crimine, uel aliqua expressa indicia apparuerint: vel præcesserit semiplena probatio.

COMMENTARIVS.

CIrca materiam horum articulorum texendus est nobis tractatus de modo procedendi iudicũ licito uel illicito ad interrogandum reum. Et similiter de modo defensionis ipsius rei. Et diuidetur iste tractatus in quinque partes. Prima pars erit de his quæ fieri debent, ut iudex procedat secundam ordinem iuris. Pro cuius explicatione sit primum fundamentum. Via accusationis vel denuntiationis tunc iustè procedit iudex, quando præcessit semiplena probatio, vel indicia manifesta. Explicatur hoc fundamentum. Dicitur semiplena probatio testimonium vnius testis omni exceptione superioris. Item dicimus indicia in numero plurali: quia raro sufficit vnum indicium, nisi sit sufficientissimum & vrgentissimum. Diximus etiam expressa & manifesta: quia debent esse euidentia tam respectu criminis, quam respectu personæ. Item debent esse nota iuridicè, hoc est scripta in processu & notificata ipsi reo: ita vt constet illi, quòd talia indicia sunt sufficienter probata contra ipsum: alias non tenebitur respondere, neque credere iudici dicenti, quòd habet cõtra illum indicia manifesta. Hoc fundamentum sic explicatum est communis sententia Theologorum & Iurisperitorum in locis citatis. Vide Caietanum hic in artic. 2. Et Innocen. Quartum, cap. 2. de confessis. Secundum fundamentum sit quòd inquisitio generalis omnino potest fieri à iudice, nulla præcedente infamia, nulla probatione, nullis indicijs præcedentibus. Pro cuius explicatione nota, ꝙ inquisitio quædam est omnino generalis, quando, scilicet, non quærit iudex de aliquo delicto in particulari, vel de aliqua persona in particulari, sed tantũ in communi. An sint delicta in aliqua communitate vel republica. Alia est particularis inquisitio omnino, seu specialis. Quando .s. quærit iudex an Petrus sit adulter? Au occiderit Paulum? Alia est inquisitio mixta. Quãdo .s. iudex quærit de persona in particulari & de delicto in communi. An Petrus sit criminosus? vel è contra, de delicto in particulari, & de persona in communi. Vt v.g. An istum hominẽ quis occiderit, sciatur? Dicimus ergo quòd de primi generis inquisitione intelligitur hoc fundamentũ, & habetur expresè in c. relata, & cap. placuit. 1. q. 1. & in c. 1. de officio ordinarij. Et vsus communis iudicũ tam ecclesiasticorum quam secularium confirmat fundamentum positum.

Dubitatur primò. An quando iudex procedit per uiam inquisitionis omnino specialis vel mixtæ, particularis tamen ex parte personæ: sit necessarium, vt præcesserit infamia, uel clamorosa insinuatio contra illum reum qui interrogatur. Pro parte negatiua arguitur primo. Ex Diuo Grego. in libro. 5. epistolarum Epistola 30. & habetur 5. quæstione. 1. cap. quidam maligni. Vbi præcepit Grego. sub excommunicationis pœna, vt qui libellum infamatorium fecerat, se proderet. Cum tamen re vera ille esset occultus. Ergo non requiritur infamia præcedens. Et confirmatur. Nam D. Thom. in articu. 2. inquit, sufficere ad interrogandum & inquirendum semiplenã probationem, vel indicia uel infamiam. Ergo non est necessarium, ut præcedat infamia. Et confirmatur secundo. Nam Bartolus. in l. 2. ff. ad legem Iuliam de adult. & supra extrauagan. ad reprimendum numerat septem casus, in quibus licitum est inquirere speciali inquisitione absque infamia vel clamorosa insinuatione, vel indicijs uel probatione. Quos casus refert Soto in relect. de ratione tegendi, membro. 2. quæst. 6. conclu. 3. & Iurisperiti sequuntur Bartol. in cap. inquisitioni. cap. qualiter & quando. el. 2. de accusationibus. Arguitur secundo. Reus conuictus potest interrogari de socijs de quibus nulla est infamia, vt habet vsus omnium iudicum secularium ergo. Tertiò. Reus infamis de uno delicto & conuictus, potest interrogari de alijs delictis, de quibus non est infamis, ergo, &c. Quartò. Quando delictum est publicum. v. g. si appareat cadauer hominis occisi in foro, tunc iudex licitè interrogat quemlibet occurrẽtem, an sciat quis occiderit illum hominẽ: & tunc forte occurrit ipse reus, ergo nõ requiritur infamia, vt interrogetur ipse reus. Et confirmatur. Nam in visitationibus generalibus iustè proceditur à visitatore ad inquirendum crimina in particulari aliàs inutilis esset visitatio, ergo nulla præcedens infamia requiritur.

PRO decisione sit prima conclusio. Ad interrogandum reum de quouis delicto per viã inquisitionis, qui neque est denunciatus, nec accusatus, necessariò requiritur infamia vel clamorosa insinuatio. Pro cuius explicatione nota, quòd infamia est rumor de crimine contra aliquem, ortus non à maledicis & malignis, sed à probis & honestis viris: ꝙ sparsus est per maiorem partem vniuersitatis, aut vicinię aut collegij vbi aliquis commoratur. Hæc diffinitio habetur in capit. citatis de accusationibus. Cæterum arbitrio prudentis relinquitur iudicandum, quando rumor ille sit dicendus sparsus. Item etiam clamorosa insinuatio à quibusdam censetur esse idem cum infamia: vt à Soto vbi sup. & ab Innoc. & Panormit. in c. qualiter. vbi sup. Alij verò dicunt infamiam differre à clamorosa insinuatione, ꝙ infamia debeat esse scripta & probata coram iudice. Ita dicit Aretius in cap. inquisitionis. & in cap. qualiter. vbi sup. In quibus capitulis Innoc. 3. definit nostram cõclusionem, & etiam in c. cum oporteat. ibidem. Et probatur ratione. Iudex non potest procedere contra aliquos sine accusatore vel supplente vicem accusatoris: sed secundùm iura sola infamia suppler vicem accusatoris ad inquirendum, ergo, &c. Maior est demonstrata in quæst. 67. Item probatur. Magis nocet reipublicæ, qui occulta delicta reuelat, quam prosit ille qui punit iam reuelata. Nam qui reuelat, destruit honorem ciuium & profert in publicum malum exemplum: per punitionem autem omnia hæc incommoda nõ omnino reparantur, ergo vbi iam infamia non clamat contra aliquem, non est inquirendum contra illum: nisi forte iam sit accusatus vel denũciatus coram iudice. Hæc conclusio est contra glos. in cap. 2. de accusationibus, in 6. Decretal. & contra Ioan. Andr. in c. olim. de accusat. & contra Alciat. vbi sup. qui dicunt contra religiosos posse procedi à suis prælatis sine infamia. Videtur etiam esse contra Soto lib. 5. de iustit. quæst. 6. art. 2. & in relict. citata. q. 6. conclus. 3. vbi videtur asserere sufficere indicia sine infamia ad interrogandum ipsum reum. Et Caietanus videtur hic idipsum dicere. Nihilominus nostra conclusio absq; aliqua exceptione vera est. Et ostenditur ex diffinitione Innocent. in cap. inquisitionis, iam citato, vbi inquit, quòd etiam tres testes iurati & oculati non sufficiunt ad inquirendum contra aliquem: quia non præcesserat infamia, ergo multo minus sufficiet semiplena probatio vel indicia absque infamia ad procedendum per viam puræ inquisitionis. Fortassis autem prædicti doctores intelligendi sunt quando aliquis inquiritur vt testis. Tunc enim aliquando tenebitur ipse testis respondere: quando non tenebitur ipse reus: vt dicemus quæst. sequenti.

Secunda conclusio. Quando reus iustè interrogatur de aliquo crimine, nõ propterea statim interrogatur de complicibus, nisi quando ille aliàs tenebatur denunciare de illis propter bonum reipublicę, vel illi etiam laborant infamia. Ita conclusio definita est in cap. 1. de confessis. & cap. veniens. de testib. & 15. quæst. 3. in cap. nemini. & in l. fina. C. de accusationibus. & asseritur à Caiet. hic in opusculo. 17. quęstionum. responf. 5. & à Soto vbi sup. Et ratione probatur. Nam inquisitio non potest fieri contra aliquẽ, nisi qui laborat infamia: sed complices non laborant infamia, ergo non potest fieri inquisitio contra illos. Tertia conclusio. Reus interrogatus de vno crimine, & conuictus quantumlibet graui, non potest interrogari de alio de quo non est infamatus. Ista cõclusio est D. Tho. quæst. seq. ar. 1. & Caiet. & Soto vbi sup. & Adria. quodlib. 11. q. 1. Et probatur ratione sumpta ex capitulis citatis, in quibus exigitur infamia ad inquirendum reum in particulari de aliquo crimine: sed in casu posito reus non est infamatus de alio crimine, ergo, &c. Confirmatur. Nam aliàs de quolibet crimine posset interrogari. v. g. Iatro posset interrogari. An sit hæreticus.

Secundò. Iudicia occulta nõ subiacent hominum iudicio (sed Dei, ergo de illis non est aliquis inquirendus, si non sit infamatus. Ista conclusio habet duas exceptiones. Vna est, quando aliud delictum est conjunctũ realiter & manifestè cum illo, de quo est conuictus aut infamatus. v. g. inuenitur cadauer hominis occisi, & spoliati, poterit tunc reus qui cõuictus est & infamatus de occisione, interrogari etiam an ipse spoliauerit illum. Hæc conclusio sic explicata est contra Paludanum in 4. dist. 19. quæst. 4. circa finem. & contra Syluest. verbo, inquisitio. 1. quæst. 3. par. 4. & q. 4. par. 2. Deniq; nota, ꝙ ea quę diximus de inquisitione omnino speciali, verificantur etiam de inquisitione mixta, quando ex parte personæ est particularis. Nam tunc eadem est ratio atque de inquisitione omnino particulari. Cęterum quando inquisitio fuerit mixta, ita vt ex parte personæ fuerit generalis, tunc quia non interrogatur reus vt reus est, sed vt testis: pertinet ista disputatio ad quæst. sequentem septuagesimam.

Ad argumenta respondetur. Ad primum respondetur quantum attinet ad testimonium D. Greg. dicemus quæst. sequenti, quia pertinet ad inquisitionẽ generalem ex parte personæ. Ad D. Tho. respondetur, ꝙ numerauit disiunctiuè omnia quæ sufficere possunt ad interrogandum reum: non tamen voluit quod ad quamlibet viam procedendi, quodlibet illorum sufficeret, sed aliter & aliter secundùm varium modum procedendi, vt distinximus in ipsis conclusionibus. Ad Bartolum vero & sequaces dicemus q. 70. Nam casus illi quos excipiunt potius pertinẽt ad interrogandum testem quam reum: vel etiam quando est euidentia patrati sceleris. Tunc enim etiam nos fatemur, ꝙ reus potest puniri absque interrogatione. Nam illa euidentia supplet vices non solum accusatoris, sed etiam totius processus. Nos autem modo disputamus quãdo necesse est interrogare ipsum reum, vt post confessionem suam puniatur. Ad secundum argumentum patet ex secunda conclusione. Sed quia interdum reus interrogatur de complicibus vt testis: dicemus latius quæst. sequenti. Ad tertium patet ex tertia conclusione. Ad quartum vero & confirmationem dicemus quæst. sequenti, quia illæ interrogationes fiunt testibus.

Dubium secundum huic annexum est, an cum iudex dubitat procedat ne iuste vel iniuste ad inquirendum, possit interrogare reum, & an ipse reus in eodem dubio teneatur respondere? Probatur pars affirmatiua. Princeps iustè præcipit seruare suas leges, etiam si sit dubium, An sint iustæ vel iniustæ, ergo & iudex iustè præcipit, vt sibi obediatur interroganti, etiam si sit dubium, An iustè interroget vel non? Secundò. Testis in tali casu aliquando tenetur respondere, vt ostendetur quęst. sequen. ergo, &c. Tertiò. Miles tenetur quando dubium est, an bellum sit iustum vel iniustum, obedire Principi & bellare, ergo etiam quilibet homo reipublicæ, siue testis sit seu reus tenebit in dubio respõdere iudici interroganti.

Ad hoc dubium respondetur & sit prima conclusio. In casu posito non licet iudici interrogare: neque reus

reus tenetur respondere. Probatur ista secũda pars. In dubijs melior est cõditio possidentis, sed reus possidet honorem, vitam, &c. ergo in dubio non tenetur cedere iuri suo. Probatur vero prima pars. Omnis homo præsumitur bonus antequã probetur malus: sed antequam iudex ostendat reo se iuridicè interrogare, adhuc præsumitur reus bonus omnino, ergo iudex non potest illum interrogare tanquam suspectum de crimine. Item probatur. Nam si reus, vt diximus non tenetur respondere, ergo neque iudex potest illum interrogare cogendo eum. Probatur consequentia. Nam aliàs daretur bellum iustum ex vtraque parte. Ista ratio non omnino conuincit, quia supposita ignorantia aliqua, bene potest esse bellum iustum ex utraque parte.

Vnde sit secunda conclusio. Quando iudex dubitat, An possit interrogare vel non, &, an teneatur interrogare uel non, tunc si ex altera parte imminet periculum iniustitiæ contra reum, & ex altera periculum contra rempublicam: debet deponere dubiũ, & inclinare in fauorem reipublicæ. Probatur, quia iudex est custos boni publici ex officio, ergo in dubio debet potius fauere reipublicæ quam reo. Et confirmatur. Quia in dubijs tutior pars est eligenda, sed in illo casu tutior pars est cauere periculum reipublicæ, ergo poterit reum interrogare. Tertia conclusio. In eodem casu reus non tenebitur respondere. Ratio est, quia in dubijs melior est cõditio possidentis. Item si qua ratione teneretur reus respondere, esset propter periculum quod instat reipublicæ, sed huic periculo ipse reus aliter potest prouidere, scilicet, cessando à malo quod est in eius uoluntate positum, ergo non tenebitur respondere.

Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum respondetur nego consequentiam. Et ratio discriminis est: quia dum reus interrogatur à iudice, agitur de ipsius delicto, & consequenter de capite de honore vel de re familiari, quæ bona ille iusse possidet, donec iuridicè spolietur. Et ideo licitum est illi tacere & defendere suam possessionem in dubio. Item est alia ratio. Quia pertinet ad bonum reipublicæ ut leges principum seruentur, etiam si dubium sit de illarum iustitia. Cæterum non pertinet ad bonum reipublicæ, quòd præcepto particulari iudicis obediatur à reo, quando dubium est, an interroget iuridicè. Ad secundum nego consequentiam. Nam testis in aliquo casu non potest aliter prouidere bono reipublicæ, nisi respondendo. Reus autem poterit prouidere aliter, scilicet, cessando à malo. Cæterum si bonum commune non periclitatur, vel testis potest aliter prouidere, scilicet per correctionem fraternam: tunc in casu dubij non tenebitur respondere.

Ad tertium negatur consequentia. Et ratio discriminis est, quia miles est tantum instrumentalis causa, sicut minister executiuus iustitiæ, qui dicitur, *el verdugo*. At vero testis & reus non est causa instrumentalis sed principalis in genere moris ad faciendum processum. Vnde ad illos pertinet operari secundum propriam formam moralem. s. per iudicium de ipsa causa, An sit licita vel illicita. Hæc sententia est contra Palud. ubi supra.

In secunda parte tractatus agemus de reo dum legitimè interrogatur. Dubium primum est, An teneatur respondere quando ex ipsius confessione est occidendus. Pro parte negatiua arguitur primò. Omnia peccata quæ sunt contra iustitiam possunt fieri venialia ex paruitate materiæ: sed reus non respondendo, parum nocet reipublicæ aut iudici, ergo non tenetur respondere, saltem sub peccato morta-

A li. Secundò. Fateri veritatem cum periculo vitæ est actus heroicus, ergo non quilibet debet ad hoc obligari, ergo leges humanæ non debent neque possunt obligare ad dicendum ueritatem cum periculo vitæ. Tertiò sequeretur ex opposita sententia, quòd reus qui negauit ueritatem coram iudice interrogante iuridicè, non esset absoluendus in foro conscientiæ, nisi iterum compareret coram iudice, & diceret veritatem. Probatur sequela. Quia ille permanet in peccato mortali quamdiu non respondet, cum sit tempus respondendi.

PRO decisione quæstionis sit prima conclusio. In casu posito tenetur reus respondere ueritatem.

B Hæc est communis sententia. Et ratio est. Quia respublica habet potestatem ad punienda crimina secundùm leges: sed est necessarium ad talem punitionem, ut possit obligare reum iuridicè interrogatum ad respondendum ueritatem, ergo, &c. aliàs potestas illa uana esset & inefficax. Secunda conclusio. Non respondere iudici, uel falsum dicere etiam iuridicè interroganti potest esse peccatum ueniale ex leuitate materiæ: dummodo non interueniat iuramentũ. Hæc conclusio est contra Caiet. hic, & in uerbo, confessio, conditione. 4. qui tenet uniuersaliter, quòd omne mendacium in iudicio tam exteriori quam in foro conscientiæ est peccatum mortale, etiam circa

C illa ad quæ reus non tenetur respondere: sed si respondet debet dicere ueritatẽ sub pœna peccati mortalis. Ratio Caieta. est, quia sicut mendacium sub iuramento semper est peccatum mortale propter honorem diuini nominis, sicque materia grauis est ita mendacium si consideretur ut est in iudicio, grauis materia est, semperque iudex tenet locum Dei maxime in sacramento confessionis. Syluest. etiam in verbo, mendacium. §. 5. tenet fere eandem sententiam. Sed limitat illam de mendacio circa ea ad quæ quis tenetur respondere. Et citat Duran. in hanc sententiam. Sed certè Durand. in 4. dist. 38. quæst. 1. nihil amplius dicit quòd hic D. Thom. arti. 1. ad 3. scilicet,

D mendacium in iudicio, quantum est ex parte obiecti est peccatum mortale. Sic enim est intelligendus D. Thom. Sed nostra conclusio est communis aliorum sententia. De qua re uide Soto relect. de ratione tegendi. quæst. 7. Et probatur conclusio. Mendacium in iudicio, immediatè est contra iustitiam vel contra religionem: sed in uitijs contra iustitiam aut religionem potest inueniri leuis materia, ut patet si aliquis furatur etiam à loco sacro rem parui momenti, aut si quis con ecrando prætermittat particulam, enim, ergo non eo ipso quòd est mendacium in iudicio, erit peccatum mortale. Neque est eadem ratio de mendacio sub iuramento: quia iuramentum ha-

E bet specialem rationem, scilicet, quòd affertur Deus ipse ut testis & autor mendacij, quod est grauissimũ delictum contra honorem diuinum. Hæc autem ratio non inuenitur uniuersaliter in alijs peccatis contra religionem: sed tota deformitas alicuius mendacij etiam in confessione refunditur in ipsum confitentem, neque ipsum sacramentum grauiter uiolatur. Quia ille qui in re leui mentitur ministrat aliàs sufficientem materiam sacramento, dicendo alia peccata. Notandum est tamen, quòd grauitas aut leuitas materiæ in iudicijs ex duplici capite potest pensari. Primò quidem & per se ex parte iuris quod habet iudex ad interrogandum. Si enim iudex tenetur illo iure sub pœna peccati mortalis ad interrogandum aliquid, quicquid illud sit, tenebitur etiam reus sub pœna peccati mortalis respondere ueritatẽ. Si autem iudex licitè quidem interrogat, sed non tenebatur interrogare: quia non multum pertinebat ad causam

ad causam talis interrogatio: tunc reus non tenebi

A tur respondere veritatem sub pœna peccati mortalis. Hinc sequitur vnum corollarium, ꝙ religiosus tenetur respondere visitatori sub pœna peccati mortalis interroganti de obseruantia cæremoniarum: quia ipse visitator tenetur sub pœna peccati mortalis inquirere de huiusmodi cæremonijs, etiam si qui liber religiosus, in particulari non peccet venialiter frangendo silentium. Ex alia parte potest considerari grauitas aut leuitas materiæ mendacij in iudicio, tanquam ex circunstantia, scilicet, ex iniuria quam patitur ipse accusator aut testis, qui iuridicè vel accusabat vel testificabatur.

Tertia conclusio. Qui iuridicè interrogatus non

B respondet veritatem, non est absoluendus sacramentaliter quamdiu manet in iudicio: nisi prius cõfiteatur veritatem iudici. Ratio est, quia ille permanet in peccato quandiu interrogatur & non respondet, sed quandiu non ferur sententia absolutionis interrogatur virtualiter, & est tempus respondendi, ergo est in peccato mortali quandiu non respondet. Notandum est tamen, ꝙ si postquam reus negauit veritatẽ coram iudice, postea tamen si ex eo quòd confiteatur illam, incurrat in nouam pœnam conuictus de noua culpa periurij, non tenebitur iterum confiteri veritatem. Ratio est, quia in illo casu ille se prodit tã

C quam reum de noua culpa, quod nemo tenetur facere. Si autem non incurrit nouam pœnam quam antea incurreret, tenebitur confiteri veritatem quam negauit. Et hoc ipsum dicemus de teste qui noluit testificari veritatem, cum teneretur, scilicet, ꝙ tenetur illam testificari quandiu pendet sententia, nisi ex eo sequatur illi noua pœna. Item est notandum, ꝙ id quod dicimus in tertia conclusione, multò magis verificandum est, quando iam reus est condemnatus aliàs conuictus per testes: tunc enim nisi confiteatur veritatem, condemnat ipse suo silentio iudicem, vel testes tanquam iniquos. Quarta cõclusio. Postquam semel reus per sententiam est absolutus, ex eo ꝙ ipse negauit ueritatem quam tenebatur confiteri: non te

D netur vltra comparere coram iudice, & dicere ueritatem. Ratio est, quia ille tantum violauit iustitiam legalem, ergo non tenetur ad restitutionem prodendo seipsum. Notandum est tamen circa iltam cõclusionem, quòd si pars contraria læsa est ex delicto de quo accusabatur reus: & ex eius negatione maius incommodum incurrit: tunc tenebitur reus ad restitutionem totius damni respectu partis contrariæ, scilicet, ad restitutionem expensarum quas fecit in prosecutione litis. Ratio est, quia respectu partis cõtrariæ peccat reus contra iustitiam commutatiuam.

Ad primum in contrarium respondetur, nego minorem. Nam est grauis materia, quando iudex tenetur interrogare reum, & ita peccat mortaliter reus negando ueritatem. Ad secundum respondetur, ꝙ quando actus heroicus cadit sub concilio, non quilibet tenetur ad illum exercendũ: at quando opus heroicum cadit sub præcepto, vt v. g. martyrium tẽpore necessitatis, quilibet tenetur illud pati. Cæterum illa obligatio dicendi veritatem in illo casu, non oritur ex lege humana, sed ex lege naturali & diuina: quia talis confessio necessaria est ad bonum commune. Ad tertium patet ex tertia & quarta conclusione.

Dubium secundum est, An reus qui iuridicè interrogatus negauit veritatem, vnde factum est, ꝙ iudex eum absoluerit: teneatur ad restitutionem illius pœnæ pecuniariæ quę reddenda erat fisco. Vt v. g. an hæreticus in illo casu teneatur bona sua tradere fisco? Pro parte affirmatiua arguitur primo ex. ca. fi. de iniurijs & damno dato, vbi dicitur, si tua culpa dam

A num datum est aut iniuria irrogata, iure te super his satisfacere oportet. Sed in casu dicto ex culpa rei datum est damnũ ipsi fisco, ergo tenetur ad satisfactionem. Secundò. Si quis per mendacium aut fraudem impediat, ne aliquis faciat eleemosynam pauperi tenetur ad restitutionem faciendã pauperi, ergo ét in casu posito, reus qui per mendacium impediuit lucrum quod obueniret fisco: tenebitur ad restitutionem faciendã fisco. Tertiò. Si ex negatione iniqua rei sequitur aliquod nocumentum iudici, uel accusatori, uel testi in bonis quæ antea habebat, vt v. g. si incurrunt infamiam vel amittunt bona temporalia quæ habebant, tenetur reus ad restitutionem illius

B nocumenti, ergo eadem ratio est quando amittunt lucrum quod erant acquisituri, si reus diceret veritatem. Quartò. Hæres institutus per testamentum minus solenne, si requiratur in iudicio iuridicè ut dicat ueritatem & neget illam, tenebitur ad restituẽda bona testatoris hæredi succedenti ab intestato, ergo ét reus qui negat ueritatem in casu posito, tenebitur restituere fisco. Patet consequentia. Quia uterq; vt peccare immediatè contra iustitiam legalem: eo ꝙ non dicit ueritatem in iudicio, & ex consequenti contra iustitiam commutatiuam: quia ex eius negatione sequitur alteri damnum. Quintò. Testis qui in casu posito iuuaret reum, teneretur ad restitutionem

C faciendam fisco: ergo multo magis ipse reus qui est causa principalis. Vltimò. Leges pœnales obligant in conscientia ad soluendam pœnam pecuniariam post condemnationem, ergo qui per iniquitatẽ impedit condemnationem tenebitur ad restitutionem illius pœnę ipsi fisco faciendam. De hoc dubio extat sententia M. Soto lib. 1. de iust. & iure. q. 6. ar. 6. ante quintam cõclusionẽ, vbi expresè tenet partẽ affirmatiuã.

PRO decisione quæstionis est prima conclusio. Pars negatiua est multo probabilior. Probatur primò. Lex penalis respicit per se primò, & immediatè punitionem criminis, consequenter vero & per accidens commodũ accusatoris & fisci, quod sequitur ex cõdemnatione criminis, ergo ubi crimen non cõdemnatur, nõ tenebitur reus ad restitutionem illius pœnæ. Confirmatur. Reus qui per legem penalem solum obligatur ad sustinendã pœnam quæ infligitur in vltionem criminis de quo conuincitur & cõdemnatur, nulla ratione tenetur ante cõdẽnationem soluere pœnã illam pecuniariam, anteaquã condemnetur, ergo non tenetur. Secundò. Reus negando veritatem in casu posito, solũ peccat contra iustitiã legalẽ: ergo ad nullam restituuionẽ tenetur. Probatur antecedens. Quia si nõ esset lex penalis illa pecuniaria, solum peccaret cõtra iustitiã legalem, ergo & modo ét posita lege. Probatur consequentia. Quia lex penalis

E non obligat nouo vinculo virtutis ipsum reum ad dicendã ueritatẽ. Tertiò. Ex opposita sententia sequitur, ꝙ ipsemet reus sit executor suæ pœnæ, quod certe durissimum est: ut nullo postulante redd at omnia bona suo fisco. Item sequeretur quod beneficiatus negans ueritatem in iudicio interrogatus iuridice, propter quod spoliandus esset beneficio, teneretur postea renuntiare beneficio.

Ad argumẽta in cõtrariũ rndetur. Ad primũ rndetur, ꝙ nõ tenet reus rndere veritatẽ ut fiscus nõ amittat lucrũ, sed ex debito iustitiæ legalis. Vñ nõ oritur obligatio ad restituionẽ: qa nõ sua culpa damũ datũ est nisi p accidẽs. Ad fm negat cõsequentia. Differẽtia. n. est: qa ille qui impedit eleemosynã pauperi fieri per mendaciũ, peccat cõtra iustitiã cõmutatiuam: & ideo tenet ad restitutionẽ dãni, qd sequit ex actione iniuriosa. Ad tertiũ fortassis posset negari antecedẽs, eo ꝙ illa nocumẽta p accidẽs sequũt ad negatio

nem rei. Sed melius respondetur, concedo antecedens: eo quòd reuera vnusquisque tenetur ex iustitia commutatiua, vitare actionem ad quam non habet ius, si ex illa sequatur aliquod nocumentum proximo. Vt v.g. si ex uerbo iocoso uideo æqui homicidium: teneor non dicere illud verbum, alioquin ero homicida. Ita in casu argumenti, reus præuidens vel præuidere debens, quòd ex sua negatione iniqua sequitur nocumentum iudici, uel accusatori in bonis ad quæ habebant ius: tenetur ex iustitia commutatiua euitare negationem iniquam. Igitur ad argumentum in forma negatur consequentia. Differentia est: quia reus non tenetur ex iustitia commutatiua dare sua bona fisco antequam condemneturcat uero tenetur ex iustitia commutatiua, non auferre quæ fiscus habet.

Ad quartum negatur cõsequentia. Quia hæres institutus testamento minus solenni, negando in iudicio iuridice interrogatus: peccat contra iustitiã commutatiuam contrariæ partis, eo ꝙ hæres ab intestato habet ius immediatè ad bona testatoris, petenda in iudicio ab eo, qui successit per testamentum minus solenne.

Ad quintũ rñdetur primo, nego antecedens. Non enim tenetur testis ex iustitia commutatiua dicere crimen ipsius rei, sed solum ex legali. Cæterum si ex falso testimonio illius, damnificetur altera pars in iure quod postulat, vel iudex accipiat nocumentum in bonis quæ possidet, vel etiam accusator: tenebitur tunc testis ad restitutionem: quia iam peccat contra iustitiam commutatiuam, sicut ipse reus: nõ autem tenebitur ad restituendam pœnam ad quam condẽnaretur ipse reus si diceret veritatem. Secundò respõdetur, nego consequentiam: quia reus respectu pœnæ punitiuæ, passiuè se habet: testis vero in officio suo habet se actiuè testificando: quapropter suo mendacio impedit ne fiscus lucrum acquirat. Sed tñ prima solutio multo melior est: alias sequeretur quòd si reus testem rogauit, vt eum iuuaret testimonio suo: teneretur ad eandem restitutionem.

Ad sextum rñdetur negãdo cõsequentiã. Quia impedimentum quod præstat reus non est contra iustitiam commutatiuam, sed tantum contra iustitiam legalem, vt supra ostensum est. Hactenus de secunda parte.

In tertia parte dicendum est, quomodo reus se geret quando interrogatur contra ordinem iuris. Pro cuius explicatione supponenda sunt fundamẽta certissima. Primum fundamentum est, ꝙ reus in tali casu non tenetur respondere. Secundum est, si respondeat licitũ est illi vti ratione amphibologica in vno sensu: licet iudex accipiat eam in altero sensu: neq; hoc est fallere iudicem, sed tantum permittere, ut iudex fallatur: quia non tenetur reus explicare amphibologiam. Tertium fundamẽtum est, cum iudex interrogat contra ordinem iuris, siue reum siue testẽ, an sciat aliquid: licitum est respondere, nescio, & iurare quod nescit: etiam si secreto cognouerit. Ratio huius fundamenti est: quia iam apud omnes receptũ est, ut illud dicamus nos nescire quod secreto nouimus. Et habet hoc dictum fundamentum in Euãgelio Marci 17. De die illo nemo scit neq; filius hominis: quòd intelligitur vt reuelet Soto vbi supra dicit, ꝙ ratio huius locutionis est, quia scientia ordinatur ad dicendum, vnde infert, ꝙ pôt respondere nõ memini, quia memoria ordinatur etiam ad dicendum: sed non pôt dicere nõ uidi, quia uisio nõ ordinatur ad dicendũ, sed potest dicere nõ audiui, quia auditio ordinatur ad dicendum. Sed quantum ponderis habeat ista ratio, non est facile intelligere.

A Dubitatur ergo his suppositis, An cum reus interrogatur contra ordinem iuris, An fecerit aliquod delictum, quod reuera fecit: licitum sit illi respondere, non feci. Pro parte negatiua arguitur primò. Si reus respondeat ego feci, ego occidi, dicit uerum, ergo si dicit ego non feci, dicit falsum. Patet cõsequentia: quia sunt contradictoriæ. Secundò. Si respondet non ita est diceret falsum: ergo si dicit non feci dicit falsum. Patet consequentia: quia sunt æquipollentes. Tertiò. Si extra iudicium diceret ille, ego non occidi, falsum diceret, ergo etiam in iudicio. Patet cõsequentia, quia non mutat illa propositio suam significationem per hoc ꝙ dicatur in iudicio. Quartò. Si licitum esset responderei illo modo, sequeretur uanam esse admonitionem doctorum admonentium, non esse licitum mẽtiri, cum sic interrogatur reus. Sequela probatur: quia ille non potest mentiri. Nam si aliquo modo posset, maximè dicendo, Non feci, nõ occidi, ergo si isto modo non mentitur, uanum est admonere illi ne mentiatur. De hoc dubio solet citari Scotus ꝙ non solum in iudicio, sed etiam extra iudicium licitum est adulteræ si interrogetur à marito, an commiserit adulterium, respondere non commisi. Sed tamen hęc sniã non inuenietur in Scoto, ille nanq; in 4.d.15.q.4.membro.3.dicit, ꝙ saltem in iudicio licitum esset quantum vt, rñdere illo modo: sed tandem concludit, ꝙ qui ita respondet debet pœnitere in cõi & in confuso, si forte fuerit culpa illa mortalis & grauis. Soto in relectione citata, membro.2.q.7.inquit, ꝙ si reus prestito iuramento in cõmuni de dicenda veritate ad omnia quę fuerit interrogatus, postea interrogetur de aliquo particulari contra ordinem iuris: quod tunc poterit sine periculo respondere, Non feci, licet uenialiter peccat mentiendo. Ratio est, quia iuramentum præstitum in cõmuni, erat intelligendum de illis quæ iuridice essent interrogandus. Secundò dicit, quòd si reus interrogetur præstito iuramento in particulari de dicenda ueritate, an occiderit uel non occiderit, non potest respondere non occidi, erit enim periurus. Eandem sententiam tenet lib.5.de iustit.quæst.6.artic.2.& dicit, oppositam sententiam nullo modo esse sustentabilem.

PRO decisione sit prima conclusio. Probabilissima sententia est, quòd reus interrogatus contra ordinem iuris, potest respondere sine mendacio & sine periurio, Non feci, non occidi. Hanc sententiam tenet expresè Adrianus.in.4.in quæst.de sigillo cõfessionis, & putat esse communem sententiã, & fortassis illo tempore ita erat. Videtur etiam esse sententia Caietani in opusculo.17.responsionum, responsi.5.vbi expresè dicit, quòd interrogatus contra ordinem iuris an habeat complices, potest respondere, Non habeo, ergo similiter potest respondere, non feci. Hanc etiam sententiam docuit in hac schola Salmantina Peña. Hanc etiam tenent multi nostris temporibus, pro cuius probatione multa possent dici. Sed tamen arguitur primò. Si reus in casu posito diceret in hunc modum, Ego subditus tuæ interrogationi iuridice, non occidi hominem diceret verum: sed eundem sensum facit si tũc dicat, ego non occidi, ergo diceret uerũ. Cõsequentia est manifesta, & probatur maior: quia illa propositio est negatiua de subiecto non supponente. Minor uerò probatur. Quando in aliqua propositione possunt intelligi & suppleri aliquæ particulę ex circunstãtia loci & temporis & personarum, idem est, quòd ponantur expresè illæ particulæ in propositione, uel quod non ponantur quantum attinet ad veritatem uel falsitatem propositionis: sed in casu posito omnes illę particulæ

ticulæ intelliguntur ex circunstantia personarum, ergo vera est illa propositio, Ergo non feci. Maior explicatur, & probatur. Si aliquis uenditor publicè frumenti, uendiderit iam totum frumentum quod erat uenditurus, reseruato sibi necessario, & ueniat ad illum emptor frumenti interrogans illum, An habeat frumentum, verissime respondet, non habeo frumentum, etiam sub iuramento: quia sane ex circunstantia personarum intelligitur ad vendendum. Sic ergo in nostro proposito, Venit iudex in figura personæ publicæ, interrogaturus ex parte reipublicæ secundùm legem aliquem vt reum, uel ut testem de aliquo crimine: poterit ergo respondere reus, si non iuridicè interrogatur: non feci, non commisi crimen: quia intelligitur ex circunstantia personæ, Non commisi crimen de quo tu interrogas ut persona publica secundùm leges, vel aliter potest uerificari propositio, ex circunstantia personæ respondentis, scilicet, ego subditus tuæ interrogationi iuridice, Non occidi hominem. Præterea probatur illa maior, scilicet, quòd ex circunstantijs suppleantur aliquæ dictiones in locutione. Nam Christus Dominus Math.9. dixit, Non est mortua puella sed dormit: & tamen reuera puella illa erat defuncta per separationem animæ à corpore. Quod ergo dicit Dominus, Non est mortua, intelligitur scilicet respectu meæ potestatis atque uoluntatis respectu cuius perinde se habet atque si non esset mortua & dormiret, quæ omnia supplentur in illa locutione ex circunstantia personæ Christi, qui uocatus erat ad suscitãdam puellam. Præterea probatur conclusio principalis. Iuramentum præstitum de dicenda ueritate ad omnia interrogata, intelligendum est ad omnia interrogata iuridice: ergo etiam iuramentum præstitum de dicenda veritate circa aliquod negotium particulare intelligendum est quantum ad iuridicam interrogationem. Item probatur conclusio. Quãdo iudex sciens aliquem esse innocentem condemnat illum quia probatur nocens secũdùm allegata & probata, uere fert sententiam, dicendo, Condemno istũ homicidam vt occidatur, quia certè intelligitur ex circunstantijs, Condemno istum homicidam secundùm allegata & probata: ergo pari modo in casu nostro uerificatur nostra cõclusio. Item est aliud exemplum optimum. Quando aliquis iam est cõfessus in foro conscientiæ homicidium quod fecit, & postea in alia confessione interrogatur à confessore, An cõmiserit homicidium, verè respondet, ego non commisi homicidium, quia intelligitur ex circunstantijs quod pertineat ad tuum forum modo. Cęterum si idem confessor interrogaret illum extra sacramentum, An occiderit aliquem hominem, certè mentiretur si diceret nõ occidi, quia tunc ex circunstãtijs, non possunt intelligi illæ particulæ. Ex dictis sequitur, ꝙ si aliquis occidit hominem defendendo se cũ moderamine, & interrogetur iuridicè à iudice, An occiderit illum hominem, potest respondere ẽt cum iuramento, non occidi hominem istum: quia ex circunstãtia ẽt negotij de quo agitur, intelligitur de occisione criminosa: nam iudex non interrogat neque interrogare potest, nisi de crimine. Sed quid si adhuc iudex instet interrogare, An reus fecerit delictum secretum, quid possit dicere siue iuridice siue non iuridicè interrogatus?

Respondetur & sit secunda conclusio. Nihilominus respondere poterit ipse reus, Non feci. Ratio est. Quia semper intelliguntur dictæ particulæ ex circũstantijs. Confirmatur ista doctrina ex D. Tho.2.2.q.89.artic.7.ad quartum. vbi ait, quòd quando non est eadem intentio iurantis & eius cui fit iuramentum, si fuerit dolus ex parte iurantis, iuramentum debet seruari secundùm intentionem eius cui præstatur, si autem non sit dolus ex parte iurantis: tunc iuramentum debet seruari secundùm intentionem ipsius iurantis. Et nota obiter, quòd ista doctrina Diui Thomæ intelligitur, quando verba iurantis sunt amphibologica, ita ut possint accipi secundum intentiõnẽ vtriusque partis, uel ex vi uerborum, uel ex circunstantijs. Nunc ergo sic arguitur ex doctrina D.Tho. In casu proposito non est dolus ex parte iurantis, sed potius ex parte iudicis qui contra ordinem iuris, sub specie potestatis publicæ vult exigere crimen, & condemnare contra intentionem legis, ergo qui iurat non tenetur verificare iuramentum secundum intentionem iudicis, sed sufficit verificare secundum propriam intentionem, supposito quòd uerba ipsa possunt accipi in illo sensu ex circunstantijs.

Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum respondetur, distinguo antecedens. Nam si illa propositio, Ego occidi, accipiatur in eodem sensu ex parte subiecti, sicut accipitur negatiua, scilicet, cum eadem restrictione, ego subditus tuæ interrogationi, falsa est. Nam est affirmatiua de subiecto non supponente: si autem accipiatur talis propositio in alio sensu, ita vt subiectum illud stet sine restrictione, uera est propositio affirmatiua: sed non est contradictoria negatiuæ: quia non seruatur eadem restrictio.

Ad secundum negatur antecedens, quamquã Soto, tãquam verissimum supponat illud ubi supra. Ratio est, quia dicere, non ita est, habet hunc sensum ex circunstantijs personarum, scilicet, Non ita est quod ego subditus tuę interrogationi occidi.

Ad tertium respondetur nego consequentiam. Ratio est, quia extra iudicium non sunt illæ circunstantiæ quæ sunt in iudicio ad verificandum illam propositionem negatiuam.

Ad quartum respondetur, quòd prudẽter D.Tho. & doctores admonent, vt reus non mentiatur in iudicio: quia est magna occasio mentiendi ex timore pœnæ: sed simul admonet, vt vtatur amphibologica locutione, quę possit verificari secundum suam mentem. Nos ergo in fauorem innocentium, ostendimus modum verissimum, quomodo possit reus negare quod interrogatur contra ordinem iuris. Cæterum quomodo possit mentiri si uelit facile est explicare, scilicet, si habeat intentionẽ accipiendi subiectum absolute sine restrictione: tunc enim falsa est propositio, Ego non occidi. Iam uero ex definitis dubio præcedenti, erit facilis & breuis solutio ad secundum dubium.

Dubium secundum est, an reus qui interrogatur contra ordinem iuris, & negat se fecisse crimen: teneatur ad restitutionem famæ accusatoris, qui ex negatione rei infamatur? Pro parte affirmatiua est argumentum. Non est licitum reddere malum pro malo, ergo etiam si accusator faciat mihi iniuriam, nõ erit mihi licitum objicere illi peccatũ criminatoris. Et confirmatur. Secundum opinionem illorum qui dñt, ꝙ reus mentitur si respondeat, ego nõ feci. Est argumentum. Ille per mendacium aufert famam proximi, ergo tenetur restituere. Ad hoc dubium, Scotus, in 4.d.15.q.4.ar.3. Inquit, quòd tenetur reus restituere famam accusatori, non tamen reuocãdo quod dixerat, sed dicendo sic. Nõ habeatis accusatorem pro calũniatore, putabat.n. se posse probare & deceptus est. Hanc sniam sequitur Ioan.de Basolis in eadẽ d.q.2.& Gabriel, q.16.& D.Antoni.in 2.par.tit.2.c.2.§.3. Sed Caiet.in 2.2.q.62.artic.2.inquit, quòd si infamia accusatoris sequuta est ex eo, ꝙ reus negauit menda

citer crimen sibi imposito: tenetur ad restitutionē: si autē sequuta est ex eo, quod reus, dixit neq; nego, neque concedo probet ille: non tenetur ad restitutionem: sed Sylueister in verb. restitutio. 3. §. 3. tenet absolute partem negatiuam, quam sententiam sequitur Soto lib. 4. de Iustitia. q. 2. artic. 3. & Ricardus in 4. dist. 15. artic. 5. quæst. 3. quanquam communiter probetur contraria sententia à Magistro Soto, & Caietano, & hæc sententia est ferè communis & probatur secundum nostrum modum dicēdi in dubio precedenti. Quia ille reus non mentitur negando, ergo defendit se cum moderamine inculpatæ tutelæ. Secundo probatur etiam secundum opinionem illorū qui tenent quod mentitur, ut Soto: quia illud mendacium non est contra iustitiam in ordine ad accusatorem, respectu cuius non tenetur reus concedere, sed potest se defendere. Et confirmatur, si quis non posset effugere manus inuasoris, nisi dicendo vnum mendacium, non erit homicida, etiam si mediante mendacio occiderit hominem: quia ille habebat ius ad defensionem suam, mendacium autem ex sua natura non est contra iustitiam, nisi quando homo tenetur ex iustitia dicere veritatem. Cuius oppositum supponimus in casu. Vltimò, modus ille respondendi Scoti & Caietani, potius est confiteri crimen proprium, quam euadere accusationem iniquam. Ad argumentum in oppositum respondetur, quòd reus non reddit malum pro malo, sed iustè se defendit: per accidens autem sequitur infamia iniusti accusatoris, sicut sequitur mors iniqui inuasoris, ex defensione mea. Et hactenus de tertia parte. In quarta vero parte, disputanda erat quæstio. An iudex qui per iniuriam extorsit confessionē à reo, possit procedere ad illius punitionem. Sed quia similis quæstio tractabitur de teste in quæstione sequenti, simul definietur ista.

A latio non sit secundum se licita.

Sed contra est, quòd Paulus Cæsarem appellauit, vt habetur Act. 25.

Respondeo dicēdum, quòd duplici de causa contingit aliquem appellare. Vno quidem modo, confidentia iustæ causæ: quia videlicet iniustè à iudice grauatur. Et sic licitum est appellare. Hoc enim est prudenter euadere. Vnde † 2. quęst. 6. dicitur: Omnis oppressus, liberè sacerdotū, si voluerit, appellet iudicium, & à nullo prohibeatur. Alio modo aliquis appellat causa afferendæ moræ, ne contra eum iusta sententia proferatur. Et hoc est calumniosè se defendere; quod est illicitum, sicut † dictum est. Facit enim iniuriam & iudici, cuius officium impedit; & aduersario suo, cuius iustitiam quantum potest perturbat; ideo sicut dicitur 2. quæst. 6. omni modo puniendus est, cuius appellatio iniusta pronuntiatur.

2. q. 4. omnis qui pulsat.

An peccet.

Ad primum ergo dicendum, quòd potestati inferiori intātum aliquis subijci debet, inquātum ordinem superioris seruat, à quo si exorbitauerit, ei subijci non oportet; puta si aliud iusserit Procōsul, & aliud Imperator, ut patet per † Gloss. Roma. 13. Cum autem iudex aliquem iniuste grauat, quantum ad hoc relinquit ordinem superioris potestatis, secundum quam necessitas sibi iustè iudicandi imponitur. Et ideo licitum est ei, qui cōtra iustitiam grauatur, ad directionem superioris potestatis recurrere, appellando vel ante sententiam, vel post. Et quia non præsumitur esse rectitudo, vbi vera fides nō est, ideo nō licet catholico ad infidelem iudicem appellare, secundum illud 2. q. 6. † Catholicus qui causam suam siue iustam, siue iniustam ad iudicium alterius fidei iudicis prouocauerit, excommunicetur. Nam & Apostolus arguit eos, qui iudicio contendebant apud infideles.

Ad secundum dicēdū, q̄ ex proprio defectu vel negligētia procedit, q̄ aliquis sua sponte se alterius iudicio subijciat, de cuius iustitia non confidit. Leuis etiam animi esse videtur, vt non permaneat in eo quod semel approbauit. Et ideo rationabiliter denegatur subsidium appellationis à iudicibus arbitrarijs, qui non habent potestatem, nisi ex consensu litigantium.

2. q. 6. Catholicus.

2. q. 4. excipit à iudicibus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm reo liceat iudicium per appellationem declinare.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, q̄ reo non liceat iudicium declinare per appellationem. Dicit n. Apostolus Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Sed reus appellando, recusat subijci potestati superiori, scilicet iudici. Ergo peccat.

2. Præterea. Maius est vinculum ordinariæ potestatis, quā proprię electionis. Sed sicut legitur † 2. quęst. 6. A iudicibus quos communis consensus elegerit, non liceat prouocare. Ergo multo minus licet appellare à iudicibus ordinarijs.

3. Præterea. Illud quod semel est licitū, semper est licitum. Sed non est licitum appellare post decimum diem, neque tertio super eodem. Ergo videtur quòd appel-

tium. Sed potestas iudicis ordinarij nō dependet ex consensu illius, qui eius iudicio subditur, sed ex auctoritate Regis & principis, qui eum instituit. Et ideo contra eius iniustum grauamen lex tribuit appellationis subsidium. Ita q̄ etiam si sit simul ordinarius & arbitrarius iudex, potest ab eo appellari: quia videtur ordinaria potestas occasio fuisse, quòd arbiter eligeretur, nec debet ad defectum imputari eius, qui consensit in eum sicut in arbitrū, non ut in eum, quem princeps iudicem ordinarium dedit.

Ad tertium dicēdum quòd æquitas iuris ita subuenit vni parti, q̄ altera non grauetur. Et ideo tempus decem dierū concessit ad appellandum, quod sufficiens æstimauit ad deliberandum, an expediat appellare. Si verò non esset determinatū tempus, in quo appellare liceret, semper certitudo iudicij remaneret in suspenso: & ita pars altera damnificaretur. Ideo autē non est concessum vt tertiò aliquis appellet super eodem: quia non est probabile, totiēs iudices à recto iudice declinare.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Licitum est appellare ex confidentia iustæ causæ, quando aliquis grauatur à iure causa afferendæ moræ, ne contra ipsum sententia iusta proferatur.

COMMENTARIVS.

CONclusiones huius articuli habētur expresse. 2. quæst. 6. De materia huius articuli, extant tituli in vtroq; iure, de appellationibus, & Summistæ etiam tractant in verbo, appellatio. Nobis tamē pro foro conscientiæ pauca sufficient. Primò. Nota, differentiam esse inter appellationem & supplicationem: quòd appellatio est ad superiorem iudicem, supplicatio vero est ad eundem iudicem qui tulit sententiam: quæ quidem licita est, etiā si sententia fuerit iusta, quoniam finis illius est, vt iterum videatur causa, si forte sit locus misericordiæ aut mitigationis. Secundò. Nota, quòd licitum est appellare à sententia iusta secundum allegata & probata, quando reus habet nouam iuris aut facti probationem, quā non potuit in tempore coram iudice inferiore proponere. Ratio huius est, quia ille appellat, ex confidentia iustæ causæ, neque impedit officium iudicis neque perturbat iustitiam aduersarij. Tertiò. Nota, quòd qui appellat à sententia inferioris iudicis, quæ omni ex parte scitur esse iusta: peccat cōtra iustitiam commutatiuam contra iudicem ipsum, cuius officiū impedit, & contra partem contrariam cuius officiū perturbat: & tenebitur ad restitutionem totius damni quod patitur, & ipse iudex, & pars contraria. Poßnam autem quadrupli, quæ habetur in capit. omnino. 2. q. 6. non tenetur soluere, nisi condemnatus de iniusta appellatione.

Bañes de Iustitia.

Dubium est. An condemnatus à iudice inferiore secundum quandam opinionem probabilem circa ius, sciat q̄ iudex superior habet oppositam opinionem: an scit licitum appellare illum. Pro parte negatiua est argumentum. Quia sic appellans imponit falsum crimen inferiori iudici, scilicet quod fecerit sibi iniuriam: ergo non est licitum. Ad hoc dubium, aliqui respondent vniuersaliter, quod non est licitum. Sed nobis aliter videtur respondendum & sit prima conclusio. Si opinio quam sequutus est iudex inferior est minus probabilis, licitum est appellare. Ratio est: quia iudex inferior tenetur sequi opinionem probabiliorem circa ius, vt ostendimus supra, q. 63. artic. 3. Secundò probatur. Etiam supposita opinione illorum qui tenent, quòd iudex licite potest sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore. Arguitur sic. Reus in tali casu appellat ex confidentia iustæ causæ, neque imponit falsum crimen iudici inferiori, sed tantum objicit quod sequutus est opinionem minus probabilem circa ius, & quod vult hoc examinare in superiori tribunali. Item non perturbat iustitiam partis contrariæ, sed intendit, ut sua iustitia fiat clarior.

Secunda conclusio. Si iudex inferior iudicet secūdum opinionem probabiliorem, & hoc constet ipsi condemnato, non est ei licitum appellare. Ratio est, quia iniuriam facit iudice qui rectissimè facit suum officium, & perturbat iustitiam alterius partis.

Tertia conclusio. Si opiniones circa ius fuerint æquè probabiles, & nullus sit in possessione, poterit tunc condemnatus appellare superiorem iudicem. Primo, quia poterit allegare se pati iniuriam, nam in tali casu sententia iusta erat vt diuideretur iubitantia de qua litigabatur, ut nos probauimus supra quęstione 63. art. 3. Item poterit allegare absque iniuria iudicis, quod iudex tulit sententiam sibi contrariam secundum quādam opinionem iuris quam reputat falsam, & quòd intendit vt hoc examinetur à superiori tribunali. Notandum est etiam, quòd populares litigantes, bona fide appellant quādo sequuntur sententiam sui aduocati: quia illi non tenentur scire subtilitates iuris. Denique notandum est, religiosis omnibus interdictam esse appellationem à iuris prælatis iure communi, ut patet in cap. ad nostram, & in cap. reprehensibilis. & capit. cum speciali. de appellationibus. Sed tamen singuli religiosi seruabunt suas constitutiones. Ratio aut quare iure cōi denegata sit appellatio religiosis, sumitur ex bono cōi religionis, quod consistit in quadā simplicitate obedientiæ & tranquillitate: eo uel maximè, q̄ religiosi in sua professione renunciant iuri appellādi sicut renūtiāt possessionibus: relinquitur tamen illis locus querelę.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm liceat condemnato ad mortem se defendere, si possit.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, q̄ liceat condemnato ad mortem se defendere, si possit. Illud n. ad quod natura inclinat, semper est licitum, quasi de iure natu-

rali existens. Sed naturæ inclinatio est ad resistendum corrumpentibus, non solùm in hominibus & animalibus: sed etiam in sensibilibus rebus. Ergo licet reo cōdēnato resistere, si pōt, ne tradatur in mortē.

2. Præterea. Sicut aliquis sententiā mortis contra se latam subterfugit resistendo, ita etiam fugiendo, Sed licitum esse videtur, quòd aliquis se à morte per fugam liberet: secundum illud Eccl. 9. Longè esto ab homine potestatem habente occidēdi, & non viuificandi. Ergo etiam licitum est reo resistere.

3. Præterea. Prou. 24. dicitur: Erue eos qui ducuntur ad mortē, & eos qui trahuntur ad interitū, liberare ne cesses. Sed plus tenetur aliquis sibi, quā alteri. Ergo licitū est, q̄ aliquis cōdemnatus, seipsum defendat, ne in mortem tradatur.

Sed cōtra est, q̄d dicit Apost. Rom. 13. Qui ptāti resistit, Dei ordinationi resistit: & ipse sibi damnationē acq̄rit. Sed cōdēnatus, se defendendo, ptāti resistit, quantum ad hoc, in quo est diuinitus instituta ad uindictam malefactorum, laudem uerò bonorum. Ergo peccat se defendēdo.

Respondeo dicendum, q̄ aliquis damnatur ad mortem dupliciter. Vno modo iustè; & sic non licet cōdemnato se defendere. Licitum.n. est iudici eum resistētem impugnare. Vnde relinquitur, q̄ ex parte eius sit bellū iniustum. Vnde indubitāter peccat. Alio mō condēnatur aliquis iniustè, & tale iudicium simile est violentiæ latronum: secū̄m illud Ezech. 22. Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam, ad effundēdū sanguinē. Et ideo sicut licet resistere latronibus: ita licet resistere in tali casu malis principibus, nisi fortè propter scandalum vitandum, cùm ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur.

Ad primū ergo dicendū, q̄ ideo homini data est ratio, vt ea, ad quæ natura inclinat, non passim, sed secundum rationis ordinem exequatur. Et ideo non quælibet defensio sui est licita, sed solum quæ fit cū debito moderamine.

Ad secundū dicēdū, q̄ nullus ira cōdēnatur, q̄ ipse sibi inferat mortē sed q̄ ipse mortē patiatur. Et ideo nō tenetur facere id, vnde mors sequat: quod est manere in loco, vnde ducatur ad mortē. Tenetur tamen nō resistere agēti, q̄n patiatur q̄d iustū est eū pati. Sicut et si aliquis sit cōdemnatus, vt fame moriatur, nō peccat, si cibū sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere, esset seipsum occidere.

Ad tertium dicendū, q̄ per illud dictū Sapientis nō inducitur aliquis ad liberandum alium à morte contra ordinem iustitiæ, vnde nec seipsum contra iustitiam resistendo aliquis debet liberare à morte.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Si sententia est iusta non est licitum se defendere. Probatur. Nam alias daretur bellum iustum ex utraque parte. Secunda conclusio. Si sententia sit iniusta, licitum est se defendere, nisi graue scandalum sequeretur in republica. Ratio est, quia iure naturæ, unicuique datum est, uim vi repellere.

COMMENTARIVS.

DVbitatur circa istas conclusiones, An innocens damnatus ad mortem per sententiam secundum allegata & probata iustam, possit se ipsum defendere? Pro parte negatiua arguitur primo. Talis sententia est iusta: sed secundum doctrinam D. Thomæ in prima conclusione, quando sententia est iusta nemo potest se defendere: ergo, &c. Secundò. Iudex sciens innocentiam damnat. per scientiam particularem, potest, imo tenetur exequi sententiam data: ergo innocens non potest se defendere. Patet consequentia: quia alias dabitur bellum iustum ex vtraq; parte secluso omni ignorantia. Teruò. Si innocens ille defendendo se, percutiat iudicem, postea punietur, etiam si constet de illius innocentia, ergo. Quartò. In tali defensione, semper est scandalum & perturbatio reipublicæ: ergo nunquam est licita talis defensio. Pro parte uero affirmatiua arguitur primo. D. Thom. dicit in secunda conclusione, q̄ quādo sententia est iniusta, licitum est se defendere: sed in tali casu sententia secundum rem est iniusta, quia fundatur in falsa præsumptione: ergo, &c. Secundò. Licitum est vnicuique innocenti se defendere, etiam ab altero innocente, qui per ignorantiam inuadit: ergo in illo casu licitum erit innocenti condemnato se defendere à iudice, etiam innocenti. Tertio. Innocentes qui sunt in ciuitate, quæ bello iusto impetitur: possunt se defendere ab illis, qui iustè pugnant: ergo etiam in casu posito. Quartò. Si iudex sciat innocentiam damnati, tenetur adhibere omnē diligentiam ad liberandum illum secluso scandalo: ergo ubi non fuerit scandalum, iudex poterit dissimulare, & tenebitur, & non impugnare innocentē: alias erit bellum iniustum ex parte iudicis. Ad hoc dubium respondet Soto lib. 5. de Iustitia. q. 6. artic. 4. negatiuè, sed Victoria præceptor eiusdem, tenet partem affirmatiuam.

PRO decisione, sit prima conclusio. Nomine iniustæ sententiæ intelligit Diuus Thomas, sententiam quæ profertur contra ordinem iuris. Probatur, quia comparat illam violentiæ latronum, sententia autem quæ profertur secundum allegata & probata, non

ta, non potest comparari violentiæ latronum, etiam si detur contra innocentes. Vnde relinquitur, quòd nomine sententiæ iustæ, in prima conclusione, intelligit sententiam quæ profertur secundum allegata & probata, siue detur contra innocentem, siue contra nocentem.

Secunda conclusio. Damnatus innocens potest per se loquendo se defendere in casu dubij propositi. Probatur, quia talis sententia nulla est in foro cōscientiæ, neq; confert verum ius accusatori aut iudici, vt habet communis opinio: ergo per se loquendo poterit condemnatus ille se defendere, nisi obstet aliqua circunstantia boni vel mali publici. Secundò. Si per talem sententiam ille innocens esset condemnatus pœna pecuniaria, poterit adhibere omnem industriam, ne soluat pecunias, & abscondere bona sua: ergo in casu ubi agitur de periculo vitæ, poterit se defendere. Et confirmatur, quia si semel soluerit illas pecunias, & postea constiterit de illius Innocentia: tenebitur Fiscus restituere illi bona sua absq; noua sententia: ergo prior sententia nulla fuit, ac per consequens poterit se defendere. Tertiò, sententia excommunicationis, quæ profertur secundum allegata & probata, fundatur tamen in falsa presumptione, non obligat in foro conscientiæ, & sic excommunicatus poterit se gerere ut nō excommunicatus secluso scandalo, ergo. Eadem est ratio in casu posito. Ex quo sequitur corollarium, quod illum innocens poterit occidere iudicem in sui defensione, secluso scandalo: si vero fuerit scandalum, erit graue peccatum defendere se per uim, & quia semper est eiusmodi scandalum, quando aliquis se defendit in casu proposito: ideo D. Thom. non apposuit illam exceptionem in prima conclusione, sed apposuit illam in secunda conclusione: quia in illo casu multoties non erit scandalum defendere se ab iniquo iudice & tyranno.

Ad argumenta in contrarium. Ad primum distinguo maiorem: sententia illa est iusta secundum allegata & probata, quatenus fundatur in falsa præsumptione, concedo: sed secundum rem nego. Et ad minorem respondetur, q̄ D. Tho. loquutus est vniuersaliter, comprehendendo etiam sententiam iustam secundum allegata & probata: quia semper aut fere est scandalum, si quis se defendat contra huiusmodi sententiam.

Ad secundum, nego antecedens. Si iudex poterit sine scandalo sententiam non exequi: tunc enim erit bellum iniustum ex parte iudicis.

Ad tertium. Concedo antecedens, quia præsumitur culpa saltem scandali: sed negatur consequentia: quia vt habetur in regula, Sine culpa, de regulis iuris in sexto. licitè potest aliquis puniri sine culpa, non tamen sine causa.

Ad quartum respondetur, q̄ quando fuerit scandalum, non erit licitum se defendere.

Ad argumenta pro parte affirmatiua, concedimus intentum, quatenus probant nostram secundam cōclusionem. Sed tamen circa solutionem ad secundū, disputat Caietanus quæstionem circa condemnatū ad mortem, an possit fugere? Et circa condemnatum ad portionem veneni, an teneatur illam sumere: & an condemnatus ad mortem famis, possit licitè comedere.

Nos autem per propositiones dicemus ad singula. Prima propositio. Licitū est cuilibet fugere de carcere: etiam si ex fuga illius sequatur aliquod damnū custodibus carceris. Ratio est: quia illud damnum est effectus per accidens & præter intentionem fugientis, cum ipse vtatur iure suo.

Bañes de Iustitia.

Secunda propositio. Non est licitum fugere de carcere impugnando custodes. Ratio est, quia hoc esset repugnare iustitiæ legali in suis ministris.

Tertia propositio. Licitum est fugere de carcere rumpendo uincula & parietes. Ratio est, quia sic fugiens non facit vim alicui, eo quòd uis non fit nisi creaturæ rationali. Vnde quemadmodum damnatus ad bestias, potest feram occidere: ita etiam detentus in carcere poterit rumpere carcerem, absque illatione violentiæ. Ista conclusio est contra Gandauum quodlibeto. 9. artic. 25. Dicunt tamen Caietanus, & Soto, quòd ita fugiens tenebitur ad restitutionem damni in carcere illati: sed certè si ille erat condemnatus ad mortem, vel ad abscisionem membri, non tenetur ad aliquam restitutionem: quia erat in extrema necessitate: in qua omnia sunt communia, sicut non teneretur ad restitutionem equi quem fugiendo occidit.

Quarta propositio. Licitum est consulere incarcerato vt fugiat, & dare illi ad hoc industriam & instrumenta quibus carcerem frangat. Excipit Caietanus eos quibus incumbit ex officio & statu tueri publicam potestatem, ut sunt ministri iustitiæ, & in republica viri senatores. Ratio Caietani pro ista conclusione est: quia nullus prohibetur à cooperatione actus qui licitus est alteri, nisi per accidens ratione status aut officij: sicut non est licitum clerico cooperari ad causam sanguinis iustam. Et si quis obijciat cōtra Caietanum, quòd pari ratione sequeretur, licitū esse rumpere carcerem, vt incarceratus fugiat: negat consequentiam. Nam dicit magnam esse differentiam, quod aliquis intus existens rumpat carcerem, vel quòd aliquis extra existens rumpat domum carceris. Quia iste offendit publicam potestatem immediatè; ille autem utitur iure fugiendi, & per accidēs rumpit carcerem. Hanc sententiam quantum ad secundam partem, scilicet, quòd est licitum dare instrumenta incarcerato, reijcit Soto libr. 5. de Iustitia. q. 6. artic. 4. Dicit nanque quod quanuis sit licitum consulere: tamen non est licitum dare illi instrumenta: quia non est licitum rumpere carcerem cum illo: ergo neque instrumenta præstare. Nauarro in Manuali capit. 25. num. 38. refert vtranque opinionem, & dicit opinionem Caietani esse tolerabilem ex æquitate quadam: sed opinionem Soti esse ueriorem secundum iuris rigorem. Et ratio illius est, quia ab omnibus iudicantur peccare infringentes carcerem vt parent uiam fugientibus: ergo etiam dantes ad hoc instrumenta. Sed ex hoc statim sequitur, quod etiam peccant dantes consilium & industriam. Patet consequentia: quia magis influunt in effectum dantes consilium & industriam: quam dantes instrumenta. Quamobrem, nobis verior est sententia Caietani: sed eius ratio indiget expositione. Notandum ergo primo, quòd licet quædam opera si per se intenta sunt, siue vt finis, siue ut medium ad finem sint illicita: efficiuntur licita, quia sunt effectus per accidens alicuius bonæ actionis. Vt v. g. occidere hominem est illicitum vt intentum per se, nisi ab autoritate publica: at uero si quis occidit hominem, exercens defensionem suam cum moderamine inculpatæ tutelæ: non est illicitum. Similiter si quis fugiens feram, incurrit in hominem & præcipitat illum, non est homicida: quia exercet operationem fugiendi ad quam habebat ius: unde præcipitatio fuit effectus per accidens sequutus ex fuga. Si quis autem in eodem casu uidens amicum fugientem præcipitaret eundem hominem, ut pararet amico uiam: esset homicida, quia immediatè exercet operationem illicitam. Secundo notandum, quòd aliquando effectus

ille qui est per accidens respectu operãtis actionem sibi licitam efficitur per se intentus respectu alterius, qui intendit adiuuare ad illam actionem: vt in exemplo secundo immediatè posito. Ratio est, quia ista fuga in illo casu est tantum operatio vnius fugientis, vnde respectu illius, tãtum est effectus per accidens, præcipitatio hominis.

Tertio notandum, non esse verum vniuersaliter, vt si alicui est licita operatio, quòd cuilibet sit licitũ operari cum illo, eandem actionem vt cõcausa. Verbigratia, marito adulteræ condemnatæ per sententiam iudicis, licitum est illam occidere: & tamen nemini licitum est occidere illam simul cum illo: quãuis sit licitum consulere, vt occidatur & dare instrumenta. Ratio igitur Caietani, ita intelligenda est, quòd licitum sit adiuuare ad illam operationem, dãdo consilium aut instrumenta: non autem exercendo eandem actionem. Dicimus ergo, quòd cum ipsi incarcerato sit licitum fugere poterit quilibet consulere, vt fugiat, & dare illi instrumenta quibus possit parare viam fugæ, at nulli licebit rumpere carceres, vt incarceratus fugiat. Ratio est, quia ista operatio rumpendi carceres, solum erit licita quando fuerit effectus per accidens alterius bonæ actionis, ad quam homo habet ius.

Sed est argumentum contra tertiam & quartam conclusionem. Nam iure ciuili puniuntur pœna capitis effractores carcerum, vt patet in l. de his. ff. de effractoribus: ergo peccant mortaliter. Patet consequentia, nam tanta pœna non esset iusta, nisi pro peccato mortali. Ad hoc dicit Soto vbi supra, quòd forte legislatores sequuti sunt opinionem illorum qui dicunt esse illicitum carceres rumpere. Vel secundo potest responderi & melius, quòd leges aliquando præsumunt culpam, etiam si nulla sit, & ita lex illa præsumit violentiam factam esse custodibus, quod potest colligi ex eo, quod ibidem dicitur, qui conspiratione facta cum cæteris, carceres effregerint. Vbi insinuatur factam fuisse vim custodibus, & subditur ibidem, qui per negligentiam custodium euaserint, leuius puniuntur: quod tamen intelligit Soto, si ruperit vincula, alias inquit, iniqua esset punitio.

Quinta conclusio. Condemnatus per sententiam iudicis iustam ad pœnam carceris, non potest licitè fugere. Ratio est, quia sicut tenetur exulare qui condemnatur ad exilium, & qui condemnatur, vt non exeat de ciuitate tenetur non exire: ita etiã, qui condemnatur ad pœnam carceris, tenetur non exire. Ratio huius est, nam quilibet tenetur obedire iustitiæ legali, in illis actionibus quas potest licitè exercere, ergo etiam &c. Ex hac vniuersalitate excipit Soto contra Caietanum, quãdo aliquis condemnatur ad carcerem dum morte plectendus erit, tunc enim poterit fugere. Quod probat ratio D. Thomæ in solutione ad secundum. Vnde & nos fecimus aliam exceptionem scilicet, quando quis damnatur ad carcerem perpetuum, vel ad durissimam seruitutem: vt si damnatur ad triremes. Ratio est, quia carcer perpetuus comparatur morti, vt habetur. l. antepenultima. ff. de regulis iuris. Item condemnatio ad triremes est acerbissimum tormentum. Ergo licitum est fugere, si potest absque resistentia administrantium. Item probatur, quia capti in bello iusto possunt licitè fugere non obstãte, quòd sunt serui iure gentium. Ergo & illi qui numerantur in nostro casu.

Circa prædictas conclusiones. Notandum, quod religiosis non est licitum fugere de carcere, quia illi sponte sua se abdicauerunt libertate vagandi: quare non debent esse melioris conditionis quantum ad hoc, qui sunt in carcere: quam alij religiosi: sed isti non possunt fugere. Ergo neque illi. Hinc excipiunt aliqui, nisi forte ageretur de periculo vitæ ipsius religiosi: tunc enim licitum esset illi fugere. Et hoc probat ratio Diui Thomę in solutione ad secundum. Possumus etiam ponere, aliam exceptionem, quando religiosus est condemnatus ad perpetuum carcerem, vel ad durissimam pœnam; tunc enim fugere licebit non ad vagandum, neque ad dimittendum habitum: sed ad quærẽdum aliquod remedium à superiori prælato, vel à summo Pontifice. Ratio huius exceptionis est, quia videtur nimis asperum & inhumanum, priuare religiosos recursu ad supremum prælatum in tanta angustia constitutos: sanè enim erit in fauorem religionis & voti solennis, quod non concedamus illis licentiam vagandi, sed quòd teneantur repræsentare se superiori Prælato, aut Pontifici, vt dictum est.

Sexta conclusio. Non est licitum condemnare reum, vt ipsemet sumat potionem ferami. Probatur, quia nemini licet se occidere: at qui illam potionem sumit se occidit, ergo, &c. Quomodo autem vniuersaliter sit verum, nemini licere se ipsum occidere: explicuimus supra quæstione 64. artic. 5. Hæc sententia est Caietani in hoc loco & Soto libro 5. de Iustitia. quæstione 6. artic. 4. cuius oppositum tenuit Victoria in relectione de homicidio. num. 30. quia videbatur sibi quòd non magis se occidit qui bibit venenum: quam qui scandit scalas, vt se applicet ad actionem mortiferam, aut qui extendit collum ad ictum gladij. Item, quia si iudex potest condemnare reum, vt moriatur per venenum, & cogere illum vt aperiat os, & velit, nolit, deglutiat venenum: non videtur esse ratio sufficiens, quę ostendat non esse licitum, quod ipsemet hauriat. Nihilominus nobis probabilior videtur sententia Caietani, & est communior, & ratio non potest melior afferri, quam illa quæ adducta est: & ad argumentum in contrarium respondetur, quòd ascendere in scalas, non est actio occisiua, & extendere collũ potius est pati, aut parare se ad actionẽ mortis: at vero sumere venenum ex se actio occisiua est.

Ad secundum respondetur, quòd sicut iudex potest per vim decollare reum, ipse autem reus non potest se decollare. Ita non potest reus venenum bibere, nisi forte inuitus & coactus. Sed maior difficultas est, vtrum sit licitum condemnato ad mortem famis, non comedere cibos sibi oblatos? Videtur quod teneatur comedere. Primo, nam Diuus Thomas in solutione ad secundum, dicit, quòd non comedere esset seipsum occidere. Sed nemini licet seipsum occidere, quin potius tenetur quis propriam vitam tueri, ergo iste talis condemnatus ad mortem famis tenetur comedere oblatos sibi cibos, vt propriam vitam tueatur. Secundò. Omnis homo tenetur vitam seruare per sumptionem cibi non prohibiti: sed ipse iudex non prohibet per sententiam, vt ipse comedat, sed quod non dentur illi cibi; ergo, &c. Hæc sententia est Caietani in hoc loco, & Victoriæ vbi supra, numero 2. Oppositum tenet Soto loco citato: & ratio eius est, quia reus potest non fugere de carcere, etiamsi sit licitum ei fugere, ergo poterit non comedere, etiam si sit ei licitum comedere; Non enim videtur quòd magis se occidat iste quam ille.

Item, quia nõ comedere potius est nõ conseruare vitam quã se occidere: sed quando est causa iusta licitum est non conseruare vitam, ergo &c. Probatur consequentia. Quia satis iusta videtur causa obedire sententiæ ex virtute iustitiæ legalis.

Nihilominus probabilior & verior videtur opinio

nio domini Caietani: quãuis fortasse posset vtrũq; problematicè sustineri. Ratio autem nostra est, quia vix potest responderi ad verba D. Tho. allata. Item, quia secundum omnium sententiam, licitum est in illo casu comedere. At vero difficultas est inter Doctores, An sit peccatum mortale non comedere: ergo tutius est comedere, ergo hoc debet facere.

Ad primum in oppositum nego consequentiam, & est discrimen quod non fugere est expectare mortem ab intrinseco insigendam: at verò non comedere, est expectare mortem ab intrinseco efficiendam, absque aliqua causa virtutis iusta.

Ad secundum respõdetur, q̃ non est ibi causa virtutis obedientiæ ad iustitam legalẽ: quia sententia nõ præcipit, vt ego non comedam: esset enim iniqua talis sententia: sed tantum præcipit, vt nemo mihi cibos ministret. Sed contra, ergo alij tenentur dare illi cibũ. Patet sequela. Quia licitum est illi dare cibũ, & ille est in extrema necessitate, ergo tenẽtur. Respõdetur, nego sequelam & consequentiam: & ratio est, quia sententia prohibet dare cibos condemnato, & quamuis per se non obliget nisi ministros iustitiæ ad exequutionem sententiæ: tamen ipso facto deobligat omnes alios, ita vt non teneantur succurrere illi damnato, & liceat illis permittere, vt sententia exequutioni mandetur. De qua re vide D. Thom. 2. 2. quæst. 31. art. 2. ad tertium, vbi dicitur, quòd non tenemur dare cibum ei qui secundum iustitiam patitur famem.

Sed adhuc superest difficultas circa eandem solutionem ad secundũ, An teneatur fugere dãnatus ad mortem, si cõmodè potest? Videtur, quòd teneatur, Nam D. Tho. dicit, Nemo ita condemnatur, vt ipse sibi inferat mortem, sed vt mortem patiatur: & ideo non tenetur facere id vnde mors sequitur, quod est manere in loco vnde ducatur ad mortem. Hinc infertur, quod manere in illo loco esset seipsum interficere, ergo &c. Respondetur, quòd D. Tho. duo dicit, Alterum est, quòd nemo potest ita condemnari, vt seipsum interficiat: alterum est, quod potest obligari, vt patiatur mortem. Ex hoc secundo infert D. Tho. quod licitum est fugere, & quod non tenetur manere in carcere, quando potest fugere sine resistẽtia ad ministros iustitiæ. Et rõ est, quia tũc ipsum manere nõ est passio illata à ministro iustitię, vnde non tenebitur manere nisi quando per actualem actionem cogitur manere. Et hæc de ista quæstione.

QVAESTIO LXX.
De iniustitia testium.

DEinde considerandum est de iniustitia pertinente ad personam testis. Et circa hoc quæruntur quatuor.

ARTICVLVS I.
Vtrùm homo teneatur ad testimonium ferendum.

AD Primum sic proceditur. Vitur quòd homo non teneatur ad testimonium ferendum. Dicit enim Aug. in quæstionibus Genes. † q̃ Abraham dicens de vxore sua: Soror mea est, veritatem celari voluit, non mendacium dici. Sed veritatem celando, aliquis à testificando abstinet. Ergo non tenetur aliquis ad testificandum. Q. 26. ad h. 10. 4. Et h. 22. cõt Faustum. ca. 33.

2. Præterea. Nullus tenetur fraudulenter agere. Sed Prouerbiorum. 11. dicitur: Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum. Ergo non tenetur homo semper ad testificãdum, præsertim super his, quæ sunt sibi in secreto ab amico commissa.

3. Præterea. Ad ea quæ sunt de necessitate salutis, maximè tenentur clerici & sacerdotes. Sed clericis & sacerdotibus prohibetur ferre testimonium in causa sanguinis. Ergo testificari non est de necessitate salutis.

Sed contra est, quod August. dicit: Qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, vterque reus est. Ille, qui prodesse non vult: hic, quia nocere desiderat.

Respondeo dicendum, quòd in testimonio ferendo distinguendum est: quia aliquãdo requiritur testimoniũ alicuius, aliquando nõ requiritur. Si requiritur testimoniũ alicuius subditi autoritate superioris, cui in his, quę ad iustitiã pertinent, obedire tenetur: non est dubium, quin teneatur testimoniũ ferre in his in quibus secundum ordinem iuris testimonium ab eo exigitur, puta in manifestis, & in his de quibus infamia præcessit. Si autem exigitur ab eo testimonium in alijs, puta in occultis, & de quibus infamia non præcessit, nõ tenetur ad testificandum: si verò requiratur eius testimonium non autoritate superioris, cui obedire tenetur, tunc distinguẽdum est, quia si testimoniũ requiratur ad liberãdum hominẽ, vel ab iniusta morte seu pœna quacunq;, vel à falsa infamia, vel ab aliquo damno, tunc tenetur homo ad testificandum. Et si eius testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, vt veritatẽ denuntiet alicui qui ad hoc possit prodesse. Dicitur. n. in Psal. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Et Prouer. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortẽ: & Roman. 1. dicitur: Digni sunt morte non solùm qui faciunt, sed etiam qui cõsentiunt facientibus. Vbi

dicit

Est gloss. Ambrosij in isti locum, to. 5

dicit† Glos. Consentire, est tacere cùm possis redarguere. Super his verò quæ pertinent ad condemnationem alicuius, non tenetur aliquis ferre testimonium, nisi cũ à superiori compellitur secundum ordinem iuris. Quia si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur. Vel si imminet periculum accusatori, non est curandum, quia ipse in hoc periculum sponte se ingessit. Alia autem ratio est de reo, cui periculum imminet eo nolente.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus loquitur de occultatione veritatis in casu illo, quando aliquis non compellitur superioris autoritate veritatem propalare, & quando occultatio veritatis est nulli specialiter damnosa.

Ad secundum dicendum, quòd de illis quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet testimonium ferre quia huiusmodi non scit vt homo, sed tanquam Dei minister, & maius est vinculum sacramenti quolibet hominis præcepto. Circa ea verò quæ aliter homini sub secreto cõmittuntur, distinguendum est. Quandoque enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiã hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, putà si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in graue dãnum alicuius personæ, vel si quid aliud est huiusmodi, quod quis propalare tenetur vel testificando, vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia quæ quis prodere non tenetur, vnde potest obligari ex hoc, quòd sibi sub secreto committuntur, & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto superioris, quia seruare fidem est de iure naturali. Nihil autem potest præcipi homini contra id quod est de iure naturali.

Ad tertium dicendum, quòd operari vel cooperari ad occisionem hominis non competit ministris altaris, vt suprà† dictũ est. Et ideo secundum iuris ordinem compelli non possunt ad ferendum testimonium in causa sanguinis.

Quæst. 64. art. 4.

A

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Si secundum ordinem iuris requiritur testimonium à proprio iudice, tenetur ferre.

Secunda conclusio. Si requiratur contra ordinem iuris, non tenetur testificari.

Tertia conclusio. Si testimonium sit necessarium ad liberandum hominem ab iniuria, vel damno; tenetur testificari etiam non postulatus ab aliquo neque rogatus.

Quarta conclusio. Quando agitur tantum de cõdemnatione alicuius, non tenetur ferre testimonium, nisi compulsus à iudice secundum ordinem iuris, etiam si accusatori periculum imminet.

B

COMMENTARIVS.

DE hac materia extant tituli de testibus in vtroque iure, & in decreto causa 3. & 4. per multas quæstiones. Soto lib. 5. de iustitia, quæst. 7. & relectione de tegen. membro 2. q. 6. Nauarro in manuali, cap. 25. nu. 40. Nos verò hanc materiam in quinq; partes diuidemus. In prima differendum erit, quando iudex iustè interrogat testem.

C

Dubitatur primò ad quid teneatur testis? Pro cuius decisione sit prima conclusio. Quando iudex procedit per viam accusationis, aut denuntiationis: necessarium est, quòd præcesserit ipsa accusatio, vel denuntiatio iusta in foro exteriori. Hæc est communis sententia, & probatur ex definitione viæ accusationis, est enim via accusationis quando proceditur ab ipsa accusatione, tanquam à principio, ergo necesse est vt præcedat accusatio. Sed tamen explicatur illa propositio. Diximus enim, quòd præcedat accusatio in foro exteriori iusta, quia potest contingere, vt accusatio sit iniusta in foro conscientiæ, eo quòd accusator poterat & tenebatur corrigere delinquentem, & ita prouidere bono communi; & nihilominus illa accusatio erit iusta in foro exteriori, & iudex tenetur illam admittere, si accusator instat. Probatur, quia iudex est custos boni publici, & debet procedere secundum ius commune, ergo debet admittere & acceptare accusationem quam admittunt ipsa iura. Et confirmatur. Accusator habet in foro exteriori ius ad accusandum illud, quod probare promittit, ergo iudex debet admittere in eodem foro illam accusationem, aliàs merito puniretur ille iudex si non admitteret talem accusationem: quia non rectè fecit officium suum. Et notandum est, quòd iste est vnus de multis casibus, in quibus iudex potest interrogare testem specialiter de ipso reo, & tamen nõ potest interrogare ipsum reum, An fecerit crimen: donec iam habeat vnum testem saltem, vel habeat indicia certa, quæ suppleant vicem vnius testis.

D

E

Sed tamen contra propositionem & explicationem eius arguitur primò. Nam D. Tho. dicit in artic. quod tunc iudex interrogat secundum ordinem iuris, quando crimen est manifestum, & quãdo interrogat in his in quibus infamia præcessit: ergo non sufficit accusatio ad interrogandum testem iuridice, si crimen non est notorium, vel præcessit infamia de illo. Secundò. Si iudex sciat accusatorem iniquè agere in foro conscientiæ accusando, tenetur illum fraternaliter corrigere seorsum, ergo non tenetur admittere statim accusationẽ illam. Patet consequẽtia. Quia aliàs consentiret cũ iniquitate accusatoris.

Ad

Ad primum respondetur, ex eodem D. Thom. in q. 68. artic. 1. ad tertium, vbi ait, φ non est omnino secretum quod per sufficientes testes probari potest. Notãdum est enim quod manifestum habet gradus, quorum vnus est, quando aliquid potest probari, vel proponitur probandum in iudicio. Quod autem dicit D. Thom. in his de quibus infamia præcessit, non intelligatur, vtrumque simul esse necessarium, scilicet, quod sit crimen manifestum, & quòd sit infamia de illo: sed alterum sufficere ad interrogandum testem. Secundò respondetur, quòd accusatio legitimè facta in foro exteriori, sufficienter infamat ipsum reum, & nisi se purgauerit iuridicè de illo crimine, manebit infamatus. Ad secundum respondetur, cõcedo antecedens & nego consequentiam si accusator non corrigitur, sed adhuc instat accusare: tunc enim iudex tenebitur acceptare accusationem, vt persona publica, etiam si sciret testes esse falsos, & accusatum esse innocentem; non enim attinet ad iudicem quatenus est persona publica, considerare ea quæ sunt per accidens ad iudicium publicum: quia ipse est custos iuris communis & distributor illius secundùm allegata & probata.

A

Secunda conclusio. Quando iudex procedit per viam inquisitionis siue generalis, siue specialis: licitum est interrogare testem in omnibus casibus, in quibus diximus esse licitum interrogare reum, vt diximus in quæstione. 69. & multo magis militant rationes & testimonia quæ ibi adduximus pro ista propositione: quanto facilius est dicere peccatum alienum, quam proprium.

B

Tertia conclusio. Quando crimen vergit in detrimentum reipublicæ, vel etiam priuatæ personæ notabiliter, & adhuc est in fieri vel expectatur vt fiat: licitum est interrogare testem, vt dicat in particulari, Quis nam sit ille reus. Probatur. Quia iudex multo magis tenetur prouidere bono communi & defendere innocentem, quam quilibet alius particularis: sed quilibet alius tenetur in illo casu prouidere bono communi, aut defendere innocentem reuelando criminosum per accusationem, vel denuntiationem si aliter non potest: ergo multo magis iudex poterit inquirere de illo criminoso. Minor patet ex tertia conclusione Diui Thomæ in articulo. Sed notandum est, quòd iudex non potest in illo casu inquirere in particulari de Petro, vel Paulo, etiam si sciat vt persona particularis quod ille reus est Petrus vel Paulus. Ratio est, quia Petrus non est infamatus neque accusatus vel denuntiatus. Itaque poterit iudex interrogare, scis in particulari quis parat insidias ciuitati, aut intendit occidere innocentem? Quod si iudex habeat indicia particularia contra aliquem inquantum persona particularis, ipse iudex poterit & tenebitur admonere testem seorsum extra iudiciũ, vt si aliquid scit de illo particulari, quòd indicet illud in iudicio, non autem poterit in publico iudicio interrogare de Petro, qui non est infamatus neque accusatus neque denuntiatus. Ratio huius asserti est lex charitatis quæ vnumquemque obligat ad defensionem boni publici & innocentis.

C

D

E

Secundò nota, quòd crimen dupliciter potest dici esse in fieri: Vno modo secundùm se formaliter, vt v. g. cum aliquis actualiter furatur, uel inuadit hominem: Alio modo quando in suo effectu adhuc damnificatur respublica vel innocẽs, vt v. g. quando quis non vult restituere quod accepit, vel etiam ex eo, φ ille non proditur respublica perturbatur. Dicimus ergo, φ sufficit ad ueritatem nostræ propositionis, φ crimen sit in fieri illo secundo modo. Tale enim crimen est crimen læsæ maiestatis, vt habetur in communi sententia Iurisperitorum super Extrauagante, Ad reprimendum, quæ habetur in volumine iuris Ciuilis. Et nota, eandem esse sententiam communem de crimine læsæ maiestatis diuinæ, vt v. g. de hęresi, & de sacrilegijs quæ uehementer perturbant Christianam religionem. Vt si aliquis imaginem crucifixi confrigeret, aut incenderet domum sacram.

Quarta conclusio. Quando in processu inquisitionis quæ fit iuridicè, detegitur incidenter aliud crimen ipsius rei, etiam si sit disparatum: licitum est interrogare testem de illo crimine, & testis tenebitur respondere. Hæc conclusio est contra Soto relectione citata, membro. 2. quæst. 6. conclusione. 3. casu. 4. sed asseritur à Nauarro in relectione capitis interuerba. 11. quæst. 3. num. 676. & est communis sententia Iurisperitorum, & probatur ex. l. quod euitandi. C. de conditionibus ob turpem causam. & l. penult. C. si aduersus libertatem. & Doctores Canonistæ super cap. 2. de confess. & cap. 2. de ordine cognitionum, vniuersaliter dicuntur, quòd si crimen illud quod incidenter detegitur, est coniunctum cum illo crimine de quo fiebat iuridica inquisitio: potest in eodem iudicio puniri sine noua litis inchoatione: si autem illud crimen fuerit disparatum, non potest puniri in eodem iudicio sed poterit puniri per nouam inchoationem litis, inquirendo de illo crimine. Et hæc sententia omnino tenenda est, & est speciale argumentum ad hoc contra Soto. Nam ipse in relectione citata post primam conclusionem dubio. 2. tenet, quòd solum habetur ex iure positiuo, φ requiratur infamia ad inquirendũ contra reum per viam inquisitionis. Vnde sic arguitur. Ius positiuum potest derogari per contrarium vsum, & per contrariam sententiam Iurisperitorum: sed est vnus communis & communis sententia, quòd fiat id quod dicimus in quarta conclusione, ergo, &c. Et denique sic arguitur. Etiam si teneamus, (quòd ego uerũ existimo) infamiam debere præcedere ad interrogandum in particulari de aliquo reo, secundùm quòd infamia supplet uicem accusatoris: tunc sic arguitur. Infamia eatenus necessaria est, quatenus supplet uicem accusatoris: sed detectio criminis in iudicio, etiam si incidenter contingat, sufficienter infamat hominem: ergo licitum erit interrogare testem.

A

B

C

D

Dubitatur secundò, an cum crimen est manifestum & iam transactum, neq; est directè contra rem publicam neque est crimen læsæ maiestatis: sit licitum iudici inquirere testes, vt cognoscat reum de quo nulla præcessit infamia. V. g. inuenitur cadauer hominis in platea, An sit licitum iudici interrogare quemlibet, scis, quisnam occiderit hunc hominem? ita vt interrogatio sit generalis ex parte personæ, specialis autem ex parte delicti.

Pro parte negatiua arguitur primò. In illo casu nõ est licitum interrogare, scis an Petrus occiderit, ergo neque interrogare, scis quis occiderit. Antecedens patet ex dictis in tertia conclusione. Consequentia probatur. Nam responsio testis debet esse specialis, ergo idem est ac si iudex interroget in speciali.

Secundò. Iudex interrogans testem illo modo, exponit illum periculo reuelandi reum, de quo nulla præcessit infamia, ergo peccat, &c. Ad hoc dubium respondet Soto negatiue in relectione citata, quæst. 6. dubio. 4. post primam conclusionem, dicit tamen, quòd forte licitum est iudici interrogare de quibusdam indicijs & circunstantijs delicti, v. g. qua hora occisus est homo, aut quibus armis, quibus inuentis postea poterit interrogare de reo.

PRO

PRO decisione vero sit prima conclusio. Quando delictum est notorium, licitum est iudici inquirere reum generali inquisitione ex parte personæ. Hanc tenet Innocentius. 4. super cap. bonæ. de electione, quem sequuntur Iurisperiti. Hanc sententiam tenuit D. Thomas cum esset Bacchalaureus Parisius, vt refert Caiet. supra quæst. 69. ar. 2. Tenet eam Bartol. in l. 2. ff. ad l. Iuliam. de adult. & in l. fin. ff. de quibus. quem omnes legistæ sequuntur. Et probatur primò ex vsu communi omnium iudicum, quia ita faciunt, qui vsus sufficit derogare legem positiuam quæ præcepit, vt non nisi præcedente infamia inquiratur de reo, & hoc argumentum est efficax contra Soto, qui opinatur legem illam esse positiuam. Contra quem etiam arguitur secundò. Licitum est iudici quærere indicia, & postea ipsum reum, ergo iam sine infamia queritur reus. Consequentia patet. Quia illa indicia & circunstantiæ non magis infamant ipsum reum, quam delictum notorium.

Tertiò. Nam alias, si iudex sciens delicta notoria, non inquireret reos, sed expectaret infamiam alicuius personæ: perturbaretur pax & tranquillitas reipublicæ crebris facinoribus, nam pessimi quique auderent crimina perpetrare, ergo &c.

Quartò. Visitatoribus licitum est inquirere an subditi iciant aliqua delicta in communitate correctione digna, etiam vbi nulla præcessit infamia, ergo multo magis vbi delictum est notorium. Hanc conclusionem tenet Sylvest. verbo, inquisitio. §. 7. & Caiet. opusc. 17. responsionum, responsi. 5.

Secunda conclusio. Quando crimen non est notorium, est tamen fama de illo: hunc ordinem seruabit iudex. Primo inquiret, an sit certum illud crimẽ; deinde quisnam fecit potest interrogare in generali, sicut in prima conclusione dictum est.

Ad primum argumentum respondetur, nego cõsequentiam. Ad probationem respondetur, quòd si interrogatus sciat esse secretum quòd Petrus occidit, debet respondere se nescire. Neque enim iudex circa ordinem legis naturæ interrogat sed intendit ꝙ interrogatus faciat quod debet. Iudex enim facit suum officium pro bono communi.

Ad secundum aliqui dicunt, quòd iudex tenetur admonere interrogatum, ꝙ non intendit, vt reueleat quod non est licitum reuelare. Sed profectò non potest obligari iudex ex iustitia ad hãc admonitionem: quia exercet officium ministri reipub. pro bono cõmunitatis. Quod si interrogatus nescit respondere, sibi imputet, eo vel maxime quòd tali periculo se exposuit homicida, vnde illud inconueniens est per accidens respectu iudicis.

Dubitatur tertiò, An testis qui se abscondit sciens mandatum citatorium dimanasse à iudice quo vocatur ad iudicium teneatur ad restitutionem detrimẽti quod incurrit pars in cuius fauorem vocabatur.

Arguitur primo pro parte affirmatiua. Quando edictum est generale præcipiens, vt omnis qui sciuerit certum crimen manifestet illud: tunc secundùm communem sententiam, qui non manifestat, tenetur ad restitutionem, ergo multo magis in nostro casu.

Arguitur secundò. Iudex vt persona publica iuste applicat testimonium vnius ciuis alteri in cuius fauorem ferendum est, ergo talis ciuis tenetur ex iustitia testificari.

Arguitur tertiò. Si alicui præcipiatur, ꝙ exhibeat scripturam publicam, & occultauerit eam, tenetur restituere parti litiganti omnia damna, ergo. Ob hæc argumenta Soto lib. 5. q. 7. art. 1. tenet partem affirmatiuam: & Nauar. Manual. cap. 25. nu. 44. & est ferè communis sentẽtia. Alij aiunt ꝙ si notificatum est testi mandatum, tenetur restituere: sin autem, non tenetur.

PRO decisione huius difficultatis sit prima conclusio. In casu posito in principio dubij, testis qui se occultat de industria ante notificationem mandati, peccat contra charitatem & contra iustitiam legalem. Contra charitatem quidem, quoniam tenetur proximo fauere absque proprio damno. Contra iustitiam verò legalem, quia tenetur correspondere ipsi reipublicæ in rebus necessarijs gubernationi, quando fuerit interrogatus: sed ille se abscondit ne hoc faciat: ergo peccat contra iustitiam legalem. Erit autem peccatum mortale vel veniale pro gratitate materiæ.

Secunda conclusio. Testis ex eo solum, quòd non reddit testimonium occultando se postquã scit mandatum promanasse à iudice, siue etiam postquam intimatum est illi, nõ tenetur ad restitutionem faciendam parti in cuius fauorem petebatur testimonium. Ratio potissima est: quia ille non peccat contra iustitiam commutatiuam: ergo non tenetur ad restitutionem. Antecedens probatur, quia ille non tenetur ad reddendum testimonium nisi ex charitate vel ex iustitia legali: ergo non peccat contra iustitiam commutatiuam. Antecedens probatur. Ante mandatum iudicis non tenebatur nisi solum ex charitate reddere testimonium: sed mandatum iudicis solum inducit obligationem iustitiæ legalis, ergo post mandatum tenebitur solum ex charitate & ex iustitia legali.

Secundò probatur conclusio. Post mandatum iudicis si testis non testificetur, non tenebitur restituere fisco vel iudici lucrum quod impedit eis, quod acquisituri essent ex condemnatione alterius partis, ergo etiam neque ipsi parti læsæ. Antecedens est manifestum ex his quæ diximus sup. quæst. 69. Et probatur consequentia. Quia per mandatum iudicis per se primò & immediatè ordinatur testis ad rempublicam, scilicet, ad tribunal publicum, vt deseruiat illi & illi foueat, ergo si iniuria quæ fit tribunali non cõparendo non obligat ad restitutionem, multo minus tenebitur restituere parti respectu cuius secundariò se habet ipse testis per mandatum iudicis.

Tertiò. Si ex iustitia commutatiua teneretur reddere testimonium in fauorem partis: sequitur quòd cum æquali damno deberet reddere. Patet consequentia. Quia altera pars haberet ius ad meum testimonium sicut ad rem propriam, ergo secundum regulas restituendi cum æquali detrimento debet homo reddere illud testimonium. Denique probatur ex ratione qua D. Thomas probat primam conclusionem articuli, quæ quidem tantum inducit obligationem iustitiæ legalis: alit enim, quòd tenetur obedire homo superiori.

Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum nego antecedens, sed solum erit peccatum contra iustitiam legalem & contra charitatem proximi: quemadmodum si respublica præciperet edicto quoddam generali, vt omnes diuites singulos pauperes sustentarent, si quis diues non sustentaret pauperem, non peccaret contra iustitiam commutatiuam: sed tantum contra legalem, & contra charitatem proximi.

Ad secundum respondetur, quòd iudex applicat eo modo quo potest testimonium vnius ciuis in fauorem alterius, scilicet, præcipiendo & obligando illum secundùm iustitiam legalem.

Ad tertium argumentum negatur consequentia. Est enim differentia, quòd scriptura est instrumenti publi-

publicum, ad cuius manifestationem habet ius quicunque indiget illo testimonio: vnde qui occultat scripturam illam, aufert ius ab altero & tenebitur restituere. Cæterum testimonium ipsius testis non subiacet nisi dominio ipsiusmet, vnde si non reddit testimonium nulli facit iniuriam contra iustitiam commutatiuam.

Sed vt hoc magis explicetur est dubium quartum, An postquam testis comparet in iudicio & interrogaturi iuridicè: teneatur respondere, & si non respondeat veritatem quam nouerat, an teneatur restituere?

Pro parte negatiua arguitur primo ex secunda cõclusione dubij præcedentis. Antea quam compareat in iudicio non tenetur restituere, etiam si de industria se absconderit, ergo neque etiam existens in iudicio tenebitur ex iustitia commutatiua veritatem manifestare. Secundò. Sæpe ex testimonio veritatis imminet periculum ipsi testi: ergo tunc non tenebitur testificari. Tertiò. Continget sæpe, quòd testis interrogatus iuridicè peccasset ante interrogationem si deponeret crimen alicuius, ergo neq; postea tenebitur respondere. Antecedens patet. Sit enim casus quòd testis poterat per correctionem fraternam prouidere bono proximi & communitati, tunc sane tenebitur non reuelare crimen illud in iudicio, vt ostendimus supra quæst. 68. artic. 1. vbi diximus, quòd si denuntiet peccat & contra charitatẽ & contra iustitiam commutatiuam. Quartò. Sit casus quòd aliquis accusauit cum obligatione probandi duobus testibus aliquod crimen, sed tamen reuera non habet nisi vnicum testem, tunc iudex iuridicè interrogat testem, & ille non tenetur respondere sciens se esse vnicum testem, ergo &c. Quintò. In inquisitione generali, quantũ ad personam, speciali vero quantum ad delictum notorium, iudex iustè interrogat testem, vt paulo ante diximus: & tamen testis non teneatur respondere nisi præcesserit infamia, ergo.

Sextò. Doctores & consiliarij quos consulunt ipsi rei vt sibi prospiciant, non tenentur testificari quãtumlibet iudex iuridicè inquirat & interroget etiã præcedente infamia alicuius personæ, ergo &c.

PRO decisione huius, sit prima conclusio. Testis iuridicè interrogatus non tenetur ex iustitia cõmutatiua manifestare veritatẽ. Probatur. Quia præceptum iudicis addit præceptum obligans ex iustitia legali subditum ad respondendum: sed antea non tenebatur ex iustitia commutatiua respondere: ergo neque modo. Et confirmatur. Si Rex præciperet in aliqua necessitate vrgente reipublicæ, vt quilibet ciuis proficisceretur ad bellum, ille qui non proficiscetur ad bellum non peccaret contra iustitiam commutatiuam, nec enim teneretur restituere damnum quod sequutum est, ex eo quòd ipse non militauit, ergo iudex non potest amplius obligare ad testificandum testem quam Rex ad militandum. Præterea. Testis post mandatum iudicis se abscondens de industria, non tenetur restituere, ergo neque postea in iudicio tenetur restituere si occultat veritatem.

Secunda conclusio. Si testis respondeat semel interrogatus iuridicè, tenetur respondere veritatem ex iustitia commutatiua. Probatur. Quia suo mendacio factum est vt innocens condemnaretur, ergo tenebitur ad restitutionem damni. Patet consequentia. Quia ex iustitia commutatiua tenetur vnusquisq; non facere actionem ex qua sequitur damnum proximi, si tamen sine suo incommodo notabili possit vitare. Hinc sequitur eadem ratione quòd testis in isto casu tenebitur restituere iudici vel fisco bona ad quæ habebant ius ante sententiam, si ex eius falso testimonio forte amittunt illa: non tamen tenebitur restituere illa bona quæ essent lucraturi ex condemnatione rei. Ratio est, quia ad illa non habent ius nisi mediante cõdemnatione rei: & quia testis non tenebatur ex iustitia commutatiua cõcurrere ad condemnationem rei, non tenebitur restituere fisco pœnam quam reus esset solutturus: sicut etiam ipse reus non tenetur restituere illam pœnam, etiam si suo mendacio eripuerit à condemnatione. Itaque habemus, magnam esse differẽtiam inter occultationem & silẽtium testis, & inter falsum testimonium quod reddit. Per hoc enim tenetur restituere: per illud autem non tenetur, quia non peccat contra iustitiam commutatiuam. Quod enim supra diximus q. 62. art. 7. quòd tenetur restituere mutus siue non manifestans: explicauimus de non manifestante, qui tenetur ex iustitia commutatiua, siue ex officio manifestare: sicut est custos alicuius domus aut vineæ. Cęterum si aliquis videat furem intrantem in domum uicini & taceat, non tenetur loqui nisi ex charitate: vnde si taceat non tenetur restituere.

Ad primum argumentum in contrarium respondetur, quòd testis nõ magis tenetur manifestare ueritatem constitutus in iudicio, quam antea dum esset iam uocatus iuridicè: sed tamen tenetur si respondet respondere ueritatem: alioquin tenebitur restituere, si ex eius falso testimonio datum est damnum alicui. Si objiciat aliquis ex cap. qui cum fure, de furtis. ubi dicitur, ꝙ ille etiam est fur qui quærente possessore non indicat. Respondetur, quòd est intelligendum quantum ad culpam quæ includitur in peccato contrario charitati & misericordiæ: sicut explicatur etiam illud dictum Ambrosij. Pasce fame morientem, si non pauisti occidisti, hoc est imputabitur tibi ad culpam mors alterius, scilicet, contra charitatem non contra iustitiam.

Ad secundum respondetur, quòd non tenetur testis etiam iuridicè interrogatus reddere testimoniũ veritatis cum notabili damno aut periculo proprio, nisi forte bonum publicum id postulet, aut alias obligetur ex ordine charitatis subire aliquod detrimentum, ad euitandum maius damnum proximi, præsertim in rebus altioris ordinis. Quando autem teneatur: non est præsentis loci definire, sed pertinet ad quæstionem 26. in ista parte.

Ad tertium respondetur, quòd testis si adhuc potest corrigere fraternaliter proximum & prouidere boni communi, non tenetur respondere: imo tenetur respondere se non scire: neq; est inconueniens quòd iudex iuridicè interroget: quia potest esse bellum iustum ex vtraque parte supposita ignorantia. Iudex autem ignorat per correctionem fraternam sufficienter prouideri bono communi & bono partis alterius, quæ habet vicem actoris. Imo vero etiã si iudex sciat vt persona particularis, quòd per correctionem fraternam potest prouideri omni incommodo: si tamen ipse iudex fuerit postulatus ab accusatore, vel à parte cõtraria, vt iuridicè procedat: tenetur ex officio iuridicè procedere: quia per accidens se habet scientia illius particularis de correctione fraterna, in ordine ad iudicium publicum. Et ita possumus dicere, quòd adhuc iudex in illo casu ignorat in quantum iudex est, per correctionem fraternam posse corrigi sufficienter delinquentem: quemadmodũ etiam supra diximus, quæst. 62. art. vltimo, ꝙ non tenetur homo restituere rem alienã cum magno detrimento rerum eiusdem ordinis, & tamen iudex ipse tenetur cogere illum vt restituat, postulante parte contraria, vt fiat iudicium in foro exteriori: quia huiusmodi damnum quod patitur debitor, per accidens

dens se habet ad considerationem iudicij.

Ad quartum respondetur, ꝙ testis non tenetur respondere iudicum etiã iuridice interroganti, quando accusator non habet nisi vnicum teitem. Huius oppositum tenet Soto lib. 5. de Iustitia. quæst. 7. art. 1. Sed probatur nostrum dictum. Illa sententia est iniusta quæ non habet nisi vnicum testem, ergo testis ille non tenetur respondere, etiam si iudex ex ignorantia vel ex præsumptione iuris iustè interroget. Diximus ex præsumptione iuris: quia potest contingere ꝙ iudex sciat vt persona particularis, quod accusator non habet nisi vnicum testem; & nihilominus tenetur interrogare: quia ex præsumptione iuris cuius minister est præsumitur accusator habere duos testes & legitimè accusare: vnde compellitur ipse iudex interrogare. Ceterum si ipsemet iudex posset repellere illam accusationem circa scandalum, teneretur non admittere: quia vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo. Ergo tenetur defendere reum qui patitur iniuriam, si id potest sine detrimento boni communis.

Ad quintum. Iam diximus in precedentibus quòd iudex non potest interrogare de persona in speciali, via inquisitionis, nisi præcesserit infamia: vnde nec testis tenebitur respondere. Ad sextum respondetur, quòd nemo tenetur denuntiare vel testificari de crimine quod ipsius fidei commissum est sub secreto: nisi forte bonum commune periclitetur. Ratio huius est: quam ponit D. Tho. art. 1. ad 2. Quia seruare secretum commissum, est iuris naturalis. Ergo iudex non potest aliquid præcipere contra hoc ius naturale. Quãdo vero bonum commune periclitatur, tunc ius naturale seruandi secretum amici, non habet locum: quia est aliud ius vniuersalius & fortius. Quia vnusquisque tenetur defendere bonum commune dum periclitatur. Vnde tunc etiam non interrogante iudice, tenetur homo reuelare secretum illud particulare. Ea quæ diximus de secreto seruando, multò magis obligant eos quos consulunt homines ad salutem spiritualem & corporalem: vt sunt Theologi & Medici & Iurisperiti. Ratio est, quia aliàs tolleretur de medio vniuersalissimum quoddã refugium miserorum, quod est necessarium reipublicæ, scilicet consultatio ad medendum sibi in suis miserijs. Vnde sequitur, ꝙ non nisi pro vitando notabili reipublicæ detrimento debet reuelare eiusmodi secretum. Theologus verò si consulitur in ordine ad sacramentum pœnitentiæ, in nullo casu potest reuelare. Nam de confessarijs nihil hic definimus.

Constat enim quòd iure diuino tenentur seruare sigillum in omni euentu absque exceptione. Notandum denique quòd patres & filij & omnes qui sunt in recta linea non admittuntur in iure ad testimonium contra se ipsos, etiam si veniant voluntarij ad testificandum. Hoc habetur expresè. 4. quæst. 3. §. Itẽ parentes. & in l. parentes. C. de testibus. Preterea etiã fratres & sorores, gener & socerus, vitricus & nouerca, priuignus & priuigna, patruus & patruelis, auunculus vel nepos ex fratre vel sorore admittuntur quidem vt testes contra se inuicem, non tamen possunt compelli ad testificandum. Hoc patet vbi supra in l. Iulia. ff. de testibus, & communis sententia Iurisperitorum extendi hoc ipsum ad coniuges. Ratio horum omnium fundatur in iure naturali. Nam bonum patris & bonum filij est quasi idem bonum. Vnde sicut nemo est testis contra seipsum, ita nemo admittentes est testis contra patrem aut ecõuerso. Alij vero gradus recitati ita sunt inter se coniuncti etiam ad bonum reipublicę, vt nefas sit illos compellere ad testificandum contra se inuicem. Prædicta vero sunt

A intelligenda dummodo bonum commune non periclitetur. Tunc enim prædicti gradus tenentur testificari & possunt compelli, si non sint alij testes. Vt v. g. in casu hæresis, & in casu læsæ maiestatis: præsertim cum hæc crimina sunt in fieri. De qua re vide capit. si audieris. 23. q. 5. & Syluestrum in verb. testis. q. 1. atque hactenus de secunda parte.

In tertia parte dicendum est de teste. Dubium primum sit, an cum dubitat testis. An iudex interroget iustè vel non, teneatur respondere? Pro parte negatiua arguitur primo. In tali casu reus non tenetur respondere, vt diximus quæst. 69. ar. 1. & 2. in prima parte tractatus, ergo neque testis, Arguitur secundo.

B Dubiũ ipsius testis potest oriri ex varietate opinionum, & tunc non tenetur testis sequi opinionem iudicis, sed poterit sequi contrariam. Ergo non tenebitur respondere. Sed arguitur in oppositum pro parte affirmatiua. In dubijs melior est conditio possidentis, sed iudex est in possessione præcipiendi testi, vt respondeat: ergo testis tenebitur respõdere. Quẽadmodum mulier quæ dubitat an iste sit suus vir, tenetur reddere debitum petenti. Vt est definitum in c. Inquisitioni. de sent. ex com. De ista quęst. disputat Soto in relect. citata membr. 3. q. 2.

PRO decisione sit prima conclusio. Si in tali casu nullum detrimentum sequitur alicui ex tali testifi-

C catione, tenetur homo testificari. Probatur argumento facto pro parte affirmatiua.

Secunda conclusio. Si ex testificatione sequatur detrimento testi vel reo uel alicui testium, & ex silentio testis non sequitur aliquod detrimentum alicui, tenetur non respondere: & potest dicere se nescire. Probatur. Nã in dubijs tutior pars est eligenda.

Tertia conclusio. Si ex testificatione sequatur detrimentum reo, & ex silentio sequatur æquale detrimentum actori: tunc etiam debet tacere vel dicere se nescire. Ratio est ex illa regula iuris: cum partium iura sunt obscura, reo potius fauendum est quã actori. Eo vel maximè ꝙ reus est in possessione, ergo in

D dubio melior erit conditio possidentis. Quarta conclusio. Si detrimentum quòd sequitur actori ex eo ꝙ testis nõ testificatur est notabiliter grauius, quam detrimentum quod sequitur reo ex testificatione, tenebitur testis testificari in casu posito. Vt v. g. si honor vel vita actoris periclitatur: reus autem solum incurrit damnum rerum temporalium. Et rursus si omnia bona temporalia actoris, quę sunt magni momenti pereunt: reus verò mediocrem quandam iacturam facit rerum temporalium, tenebitur testis testificari. Ratio huius est, quia ex duobus malis minus est eligendum, vt habetur in capit. duo mala. 13. dist. decreti ex Cõcil. Toletano 8. Et est Arist. 2. Ethic.

E cap. 9. Sed aduertendum est opus esse prudentia ad iudicandum quod nam dãnum est notabiliter grauius in actore quam in reo. Ex hac quarta conclusione sequitur corollarium certissimum, quod si ex silentio testis bonum commune periclitatur; tenetur testificari in illo casu. Ad argumenta respondetur. Ad primum nego consequentiam. Quia multo durius est obligare aliquem, vt dicat contra se ipsum, quàm vt dicat contra alium. Item damnum quod sequitur actori ex silentio rei potest ipse reus restituere. At verò damnum quod sequitur actori ex silentio testis, non est in potestate eius restituere. Et propterea non est mirum ꝙ aliquando testis teneatur respondere, quando non tenetur ipse reus. Ad secundum respondetur, ꝙ ita verum est, ꝙ testis non tenetur sequi opinionem iudicis interrogantis: sed poterit sequi non solũ opinionẽ sibi probabiliorẽ, sed et æquè probabilem, dũmodo seruet documenta data in cõclusionib.

Ad

Ad argumentum pro parte affirmatiua respondetur, ꝙ simili ratione potest probari secunda & tertia conclusio. Nam & reus est in possessione, ergo in dubio fauendũ est illi. Cæterũ ad argumentum in forma respondetur nego minorẽ, non enim est in possessione iudex ad interrogandum in illo casu particulari. Soto vbi supra, plurima documenta profert, vt ostendat quando teneatur subditus obedire Prælato dubitans an Prælatus iustè præcipiat. Sed tamen nos breuiter præter documenta data in conclusionibus, vnum proferimus satis vtile. Quotiescunque subditus præcipitur facere aliquid in cuius exercitio se habet vt instrumentalis causa in ordine ad effectum principalis agentis, tenetur obedire: etiam si dubitet, ꝙ prælatus iustè præcipiat. Vt v. g. miles qui dubitat an bellum sit iustum vt procedit à Rege, tenetur nihilominus militare, si præcipitur à Rege vt militet: quia ad officium militandi non pertinet examinare causas iustitiæ belli: hoc enim est principalis agentis. Quapropter si miles non est certus, quòd bellum est iniustum, tenetur militare. At vero testis est causa principalis testificandi in ordine ad condemnationẽ rei vel absolutionem. Vnde ad illum pertinet examinare, an procedatur iuridice vel non. Et in casu dubij debet sequi documenta data. Aliud exemplum est huius doctrinæ. Prædicator est causa principalis prædicandi. Vnde si prælatus præcipiat illi, vt prædicet aliquam doctrinam de qua prædicator dubitat, an sit doctrina sana: tenetur non prædicare. At uero præco bene potest clamare edictum, etiam si dubitet, an sit sana doctrina uel non. Quia ad officium illius non pertinet examinare an sit doctrina sana vel non.

Dubium secundum est. An testis qui scit se non iuridice interrogari, possit sine mendacio & sine peccato respondere & iurare, se nescire, nõ uidisse, &c. Ad hoc facilis est responsio ex his quæ dicta sunt. quæst. 69. de reo interrogato contra ordinem iuris. Sit igitur conclusio. Omnia quæ licita sunt reo interrogato contra ordinem iuris, licita sunt etiam testi, præterquam quòd reo licitum est cedere iuri suo & respondere quòd fecit crimen, etiam interrogatus contra ordinem iuris. Sed hoc non erit licitum testi interrogato contra ordinem iuris: quia non est in eius arbitrio positum cedere iuri alieno atque hactenus de tertia parte sufficiat.

Dubium est in quarta parte, An quando per iniuriam factam reo vel testi, uenit crimen in notitiam iudicis publice, liceat iudici vltra procedere usque ad condemnationem. Pro parte negatiua est unicum argumentum ex regula iuris, scilicet ex iniuria non nascitur ius. Ergo iudex non habet ius ad proceden dum ultra ex iniuria facta. Pro parte affirmatiua est aliud argumentum. Ad bonum reipublicæ pertinet ut delicta semel publicata in iudicio, puniatur. Ergo etiam si ab aliquo iniuriosè publicata sint, puniri debent. De ista quæstione multi multa dicunt.

PRO decisione nota primò, ꝙ iudex potest dupliciter considerari. Vno modo ut persona particularis. Alio modo ut minister reipublicæ fungens ipsius autoritate. Secundo nota, quòd iniuria potest fieri uel à iudice uel ab alio. Tertio nota, quòd iniuria potest fieri uel in ipso foro exteriori, quia est contra leges considerabiles in illo foro. Altero modo potest fieri in foro conscientiæ: quia est contra leges diuinas non considerabiles in foro exteriori.

Sit ergo prima conclusio. Quotiescunque iudex scit ex iniuria, quomodoliber facta alicui, procedi contra ipsum, tenetur inquantum persona particularis impedire processum fieri, si id potest sine scan-

A dalo non frangendo leges iudicis, aut contrauenien do iuri alterius partis. Probatur prima pars. Quia iudex eo quòd iudex est, non deobligatur à lege communi singulis hominibus. Quia Deus unicuiq; mãdauit de proximo suo. Ergo ubi poterit sine aliquo impedimento & inconuenienti, tenebitur defendere innocentem. Secũda pars probatur. Nam bonum commune præferendum est bono particulari: ergo debet procedere iudex secundum allegata & probata, si aliter non potest defendere reum. Tertia pars probatur. Nam non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona, ergo non est facienda iniuria vni parti, vt altera ab illa eripiatur.

Secunda conclusio. In republica Christiana si iudex sciat iniuriam factam esse reo, ex reuelatione cõ

B fessionis sacramentalis, & hoc posse probari in iudicio, tunc iudex non potest vltra procedere: sed tenetur omnia acta reponere. Probatur ista conclusio. Quia maius scandalum est & magis perniciosum, vt ex tali fundamẽto sacrilego vltra procedatur, quã ex eo quòd reus non puniatur. Arcerentur enim homines à sacramento confessionis, si illa via licitum esset iudicibus condemnare peccatores. Item est alia ratio. Nam id quod confessarius scit in confessione, cognoscit secretissimè loco Dei, sed per ea quæ solus Deus scit, non potest condemnari aliquis in iudicio. Ergo neque per ea quæ confessarius scit. Tertia

C conclusio. Si iudex vt persona publica iniuriam facit reo vel testi, scilicet, quia non procedit iuridice & hac via accipit cognitionem alicuius criminis, tenetur non vltra procedere: sed debet reponere omnia acta ab actione iniuriosa. Hæc conclusio habetur in cap. qualiter & quando. 1. de actionib. Vbi Innoc. III. multis rationibus ostendit, ita faciendum esse. Quarum vna est, quia ex his quæ inordinatè sunt acta, non potest ordinabiliter agi. Vide Soto in relect. citata membr. 3. q. 1. conclus. 5. qui quidem tenet istã sententiam. Sed ait grauem iniuriam necessariam esse, vt iudex teneatur reponere acta. Sed tamen rationes Innocen. III. probant quamlibet iniuriam, quæ sit peccatum mortale, sufficere, vt vltra non procedat iudex. Alij vero Theologi moderni dicunt, ꝙ

D etiam si iniuria grauis sit facta à iudice, tamen si crimen est enorme quod manifestatum est in iudicio, potest & tenetur iudex vltra procedere ad vitãdum scandalum reipublicæ, Soto vbi supra ait, ꝙ forte ita licitum est. Nobis tamen oppositum uidetur certum. Ratio est, quia non est licitum occidere innocẽtem pro salute totius reipublicæ, sed ille reus est innocẽs, qui non probatur legitimè esse nocens. Ergo non debet occidi ad vitandum scandalum illud. Alij vero dicunt ꝙ postquam sua confessione reus conuincitur esse nocens, etiam si confessio sit iniustè extorta per tormenta: potest iudex procedere propter bonũ

E reipublicæ. Sed tamen ista sententia mihi non placet, quia confessio conuincens in iudicio debet esse legitima & uoluntaria, & nequaquam per uim extorta. Quemadmodum si latro minando mortem alicui, nisi dederit pecunias, non accipit dominium pecuniarium; etiam si alius dederit, sed tenetur restituere: ita etiam iudex, qui per iniquam comminationem tormentorum aut etiam per ipsa tormenta extorquet iniquè confessionẽ, non acquirit aliquod ius ex illa confessione contra ipsum reum, sed debet reponere omnia acta & constituere reum in sua immunitate, sicut erat ante iniuriam factam. Quia profecto est maius scandalũ & magis perniciosum reipublicæ, vt iudex autoritate publica abutens, iniuriã faciat in iudicio, quàm ꝙ reus per iniquitatem confessus dimittatur. Alij uero dicunt quod cum ordo

iuridi-

iuridice procedendi sit ex legibus humanis, possunt istæ leges per contrarium usum reuocari: præsertim incommodum ipsius reipublicæ. Ad hoc tamen respondetur, ꝙ iste non est usus sed abusus iudicũ peruersorum. Deinde respondetur, ꝙ est contra ius naturæ, vt quis condemnetur sine scientia publica legitimè habita, hoc est absque iniuria facta ipsi reo à re publica uel à ministro illius. Ex quo sequitur ꝙ si processus fiat per uiam inquisitionis, necesse est ut præcedat infamia iure naturæ, ut supra ostendimus. Si autẽ fiat processus per uiam accusatoris, necesse est ut adsint duo testes ad condemnationem rei uel semiplena probatio ad interrogationem & tormentum: & quamuis leges humanę multa disponãt circa huiusmodi processus, tamen quædam illarum nihil aliud sunt quàm explicationes iuris naturalis: & facere cõtra illas, est perinde atque frangere ius naturæ.

Quarta conclusio. Quando iudex ut persona priuata, scilicet extra actus iudiciarios, facit iniuriam reo, v. g. dando pecuniam testibus falsis, unde factum est ut secũdum allegata & probata reus sit condemnandus, tunc iudex tenetur omnibus medijs uti ad liberandum reum, etiam cum periculo proprio, proportionato tamen respectu detrimenti, quod patietur reus si iudicetur secundum allegata & probata. Dicimus autem cum proportionato periculo: quia non tenetur iudex cum detrimento bonorum altioris ordinis, restituere reo bona inferiora. V. g. cum periculo uitæ aut honoris, non tenetur restituere bona temporalia. Sed tamen tenebitur cum æquali periculo. Probatur ista conclusio sic explicata ex regulis restitutionis. Nam qui faciunt iniuriam, tenetur cũ æquali periculo satisfacere. Sed tamen est aduertendum, ꝙ si iudex non potest aliquo modo restituere damnum quod fecit, vel non potest sedare scandalum reipublicæ: bene potest sine peccato iudicare secundum allegata & probata. Ratio est quia iudicando secundum allegata & probata facit officium reipublicæ, ergo ex hac parte nõ peccat, licet maneat obnoxius restitutioni faciendæ totius damni quod patitur proximus ex eo quòd per præteritam iniuriam damnificatus est. Quinta conclusio. Quando iudex scit quod reus patitur iniuriam ab aliquo in foro exteriori, & in ipso processu iudiciali, siue qui facit iniuriam sit officialis reipublicæ, siue non, debet facere quod in se est inquantum est iudex, ut in iudicio manifestetur iniuria quæ fit reo, neq; ultra procedatur. Hæc conclusio probatur. Nam iudex est custos iudicij ex officio proprio, ergo ad eum pertinet prouidere, ne quis in iudicio patiatur iniuriam. Vnde tenebitur ad restitutionem si in hac parte fuerit negligens. Ad argumentum contra partem negatiuam quatenus militat contra quartam conclusionem respondetur, quod ex iniuria non nascitur ius, sic intelligitur: quod is qui facit iniuriam non acquirit sibi ius contra iniuriatũ. Non ergo iudex post iniuriam factam extra iudicium contra reum, acquirit sibi ius inquantum est persona particularis, sed potius reipublicæ, & sibi ut ministro illius. Quo fit ut nullum emolumentum sibi possit accipere ex bonis condemnati. Cæterum bene potest accidere, ut ex iniuriam quam quis facit uni, acquiratur ius ab alio. Vt v. g. si quis promittat Petro pecunias, ut occidat Paulum: si Petrus occidit illum acquirit ius ad illas. Similiter si quis accipit pecunias ut sit falsus testis, acquirit ius ad illas ex falso testimonio. Si autem accipiat illas ut sit uerus testis, non acquirit dominium ut habetur in capit. non sanè. 14. quæst. 5. Ad argumentum pro parte affirmatiua, quatenus militat contra secundam & tertiam conclusionem respondetur,

A quod magis pertinet ad bonum reipublicæ, ut nullus condemnetur ex reuelatione sacramentalis confessionis, aut contra ordinem iuris naturalis ab ipso iudice publicè prætermissum, quàm quod delicta sic cognita puniantur. Et hactenus de quarta parte. In quinta uero parte explicandum est quando teneatur testis non uocatus ex charitate testificari.

Dubitatur primo, An in causis ciuilibus in quibus agitur de bonis temporalibus teneatur testis etiã non uocatus ex charitate testificari propter commodum temporale proximi? Pro parte negatiua arguitur primò, Testis non uocatus non tenetur testificari nisi ex charitate: sed ad opera charitatis; nemo
B tenetur nisi in graui necessitate proximi: ergo non semper tenebitur in casu posito testificari. Probatur consequentia. Quia sæpe contingit, vt proximus maneat diues amisso bono aliquo temporali. Secundo, testis voluntarius, vt in plurimum incurrit aliquod damnum, conciliat enim odium aut inimicitias aliquorum. Ergo non tenebitur cum tanto detrimento testificari. Tertio, ad opera charitatis maximè obligantur Sacerdotes & Episcopi, sed isti sunt priuilegiati à ferendo testimonio. Ergo non est opus charitatis testificari aliquem non uocatum.

C PRO decisione sit prima conclusio. Quoties proximus graue detrimentum patitur in rebus temporalibus, tenetur homo vltro testificari, nisi excusetur aliqua rationabili causa. Ista conclusio asseritur à D. Tho. in artic. & probatur testimonijs ab ipso adductis. Sed est notandum, quòd alia necessitas requiritur in proximo, ut quis teneatur dare illi eleemosynam: & alia requiritur vt quis teneatur defendere bona quæ iam habet. Ad hoc enim non necesse est, quòd proximus sit pauper & egestate prematur: sed sufficit quòd mediocri quadam diligentia possit illum eripere ne patiatur detrimentum in bonis quæ iam habet. Ad illud autem aliud necesse
D est, quod egestate prematur. Ratio est, quia ad dandum eleemosynam debeo auferre de proprijs bonis non autem ad testificandum. Secunda conclusio. Quando homo testimonio huiusmodi vltroneo incurrit aliquod detrimentum notabile, non tenetur testificari. Probatur, quia etiam vocatus testis non tenetur cum tali detrimento testificari, ergo multo minus non vocatus. Sed nota quòd detrimentum illud iudicandum est esse notabile per comparationem & proportionem ad detrimentum, quod patietur proximus si testis non testificetur. Vnde sequitur, quòd si proximus est in periculo amittendi totam substantiam, tenebitur testis cum aliquali de
E trimento suorum bonorum temporalium testificari: non tamen cum periculo vitæ vel honoris: quæ proportio iudicanda semper est ex regula ordinis charitatis. Vnde patet ad primum & secundum argumentum. Ad tertium respondetur, quòd Episcopi & sacerdotes etiam si sint priuilegiati, vt patet in l. neque honore. C. de episc. & cleri. in capit. quamquam. 14. quæst. 2. tamen cum opus fuerit illorum testimonium, tenentur ex charitate testificari: dummodo sacerdotes id faciant de licentia sui episcopi.

Dubium secundum est. An in causis criminalibus teneatur quis testificari vltro. Prima conclusio. Quando testimonium est necessarium ad liberãdum innocentem aut eum qui iniustè patitur, tenetur homo ultro testificari. Ita conclusio est Diui Tho. & probatur eiusdem rationibus à fortiori, quibus probata fuit prima conclusio dubij præcedentis. Sed intelligẽda est conclusio si homo potest testificari absq; pericu-

periculo suo notabili: quod quidem periculum iudicandum est secundum prudentiam & regulas ordinis charitatis esse notabile uel non.

Secunda conclusio. Etiam si homo sciat, ꝙ ex testimonio suo cum defendit innocentem, condemnabitur iniquus accusator, aut falsus testis, tenetur nihilominus testificari. Probatur ista cõclusio. Nam ꝙ in illo casu iniquus accusator cõdemnetur, est effectus per accidens defensionis innocentis. Ergo propter illum effectũ per accidens, non tollitur obligatio defendendi innocentem. Quod si quis contra objiciat: quod si ipsemet innocens non tenetur se defendere cum periculo uitæ aggressoris. Ergo neq; testis tenebitur illum defendere cum tãto periculo. Negatur consequentia. Quia ipse innocens potest cedere iuri suo propter actum excellentissimum patiẽtiæ. At uero testis non potest cedere iuri alieno (ad quod defendendum obligatur ex charitate) propter effectum illum per accidens consequutum. Sed quæritur An testis manebit irregularis si accusator occiditur. Respondetur, ꝙ si ille fuit testis directè vel indirectè de crimine accusatoris, manebit irregularis: quia fuit testis in causa sanguinis. Si autem suo testimonio nihil aliud fecit, quàm ostendere innocentiã falsò accusati, non manebit irregularis: sicut neque ille de quo supra diximus in materia de homicidio, qui clamat vt defendatur pater suus, non manet irregularis: etiam si occidatur aggressor ab alijs qui tulerunt auxilium defensionis. Ratio istorum est. Quia ad incurrendam irregularitatem, necesse est vt amitatur mansuetudo ecclesiastica. Hęc autem non amittitur nisi quando aliquis vel consulit vel exhortatur vel quomodolibet concurrit directè vt causa moralis ad occisionem alicuius, vel propria operatione
C truculenta occidit aliquem, etiam si sit defendendo alium. Tertia conclusio. Quando accusator accusat ex præcepto. Vt verbi gratia, quia tenetur defendere innocentem, aut rempublicam. Tunc etiam testis tenetur vltro se offerre ad testificandum. Probatur quia quæ ratio obligationis obligat accusatorem ac
D accusandum, multò magis obligabit testem, quantò cum minori periculo potest testificari quàm accusator accusare. Hæc conclusio asseritur & explicatur hic à Caietano. Sed aliqui excipiunt ab hac vniuersali, quãdo accusator accusat in propria causa, etiam si teneatur ex præcepto accusare, dicunt ꝙ testis non tenetur vltro testificari. Ratio illorum est, quia tunc accusator habet rationem aggressoris non defensoris. Sed tamen nobis nulla ratione videtur hæc exceptio facienda. Quia in tali casu non sua sponte aggreditur accusator ipsum reum, sed ex obligatione præcepti: vt defendat suum honorem aut vitã. Quapropter accusatio illius habet rationem defensionis
E potius quàm aggressionis. Sed tamen intelligenda est conclusio, quando re ipsa accusator tenebatur accusare seclusa omni ignorantia etiam inuincibili. Alias enim si obligatio accusandi oritur in accusatore ex conscientia erronea, non tenebitur testis testificari: nisi habeat eandem ignorantiam.

Quarta cõclusio. Quando accusator non tenetur accusare: & tamen licitum est illi accusare: non tenetur testis ultrò se offerre ad testificandũ. Hæc conclusio est D. Tho. in artic. Vbi inquit, ꝙ cum agitur de condemnatione alicuius: nemo tenetur vltro testificari, etiam si periculum imminet accusatori. Et ratio D. Thom. est. Quia ipse accusator sponte se introduxit in hoc periculum: reus autem etiam inuitus patitur. Ergo in tali casu licitum est tenere ipsi reo non testificando. Item est alia ratio. Quia antequam accusator accusaret, non tenebatur testis re-

A uelare crimen proximi. Ergo nec post accusationem tenebitur vltro testificari. Patet consequentia: quia ipse accusator est omnino voluntarius aggressor. Ergo sua accusatione non obligat testem ad testificandum: sicut non obligat ad aggrediendum. Ista cõclusio est intelligenda, nisi forte testis promiserit accusatori se testificaturum: aut honor accusatoris sit magni momenti in ordine ad rempublicam: tunc enim tenetur testis reddere testimonium partim ex fidelitate, si promisit: partim ex charitate & pietate patriæ. Quinta conclusio. In eodem casu quando accusator licitè accusat, licitum etiam erit testi reddere testimo
B nium etiam si nõ sit vocatus à iudice. Probatur, quia eadem ratio quæ licitam facit accusationem, faciet licitam testificationem. Est enim accusatio odiosior quam testificatio. Ista conclusio est intelligenda per se loquendo & absolutè quantum est ex parte testificandi & accusandi. Cæterum possunt esse aliquæ circunstantiæ quæ obligent testem tacere, etiam si accusator licitè accuset. Vt v. g. si testis iurauerit se non testificaturum: nisi quando teneatur testificari. Item si reus accusatus sit coniunctus testi aliqua necessitudine amicitiæ: ita vt videatur ingratus, si cum posset non testificari contra amicũ, testificatus est. Vltimo in isto articulo. Nota circa solutionem ad secũdum,
C vbi docet D. Tho. quòd iure naturæ tenemur seruare secreta: quòd non est peccatum mortale ex genere suo reuelare secretum. Ratio est, quia reuelare secretum tantum est per se loquendo contra virtutem fidelitatis, contra quam nunquam peccatur mortaliter: nisi simul adiungatur alterius speciei obiectum mortale. Quemadmodum veracitas nunquam obligat ad mortale, nisi per hoc quod qui mentitur, frangit etiam præceptum alterius virtutis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sufficiat duorum vel trium testimonium.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd non sufficiat duorum vel triũ testimonium. Iudicium. n. certitudinẽ requirit. Sed non habetur certitudo veritatis per dictũ
E duorum testium. Legitur enim 3. Reg. 21. quòd Naboth ad dictum duorum testiũ falsò condemnatus est; ergo duorum vel trium testimonium non sufficit.

2. Præterea. Testimonium ad hoc, ꝙ sit credibile debet esse concors. Sed plerunque duorum vel trium testimonium in aliquo discordat: ergo non est efficax ad veritatem in iudicio probandam.

3. Præterea 1. Secunda quæstione quinta dicitur: Præsul non damnetur, nisi septuaginta duobus testibus: presbyter autem Cardinalis nisi quadraginta quatuor testibus non deponatur, diaconus Cardi- 2. q. 4 ca. Præsul. aliqui eo dices habent hoc c. in q. 5.

nalis vrbis Romæ nisi viginti octo testi- A
bus non cõdemnabitur, subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, ostiarius, nisi cum septem testibus non condemnabitur. Sed magis est periculosum peccatum eius, qui in maiori dignitate constitutus est, & ita minus est tolerandũ. Ergo nec in aliorum condemnatione sufficit duorum vel trium testimonium.

Sed contra est, quòd dicitur Deut. 17. In ore duorum vel trium testium peribit B
qui interficietur. Et infrà 19. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.

Respondeo dicendum, quòd secundum Philosophum in primo† Ethicorum. Certitudo non est similiter quærenda in omni materia. In actibus enim humanis, super quibus constituuntur iudicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi cer- C
titudo demonstratiua, eò quòd sunt circa contingentia & variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ vt in pluribus veritatem attingat, & si in pauciori-bus à veritate deficiat. Est autem probabile, quod magis veritatem contineat dictum multorum, quàm dictum vnius. Et ideo cum reus sit vnus, qui negat, sed multi testes asserunt idem cum actore, rationabiliter institutum est de iure diuino D
& humano, quòd dicto testium stetur. Omnis autem multitudo in tribus comprehenditur, scilicet principio, medio & fine. Vnde secundum Philosophum in primo † de Cœlo: Omne totum in tribus ponimus. Ternarius quidem constituitur asserentium, cum duo testes conueniunt cum actore. Et ideo requiritur binarius testium, vel ad maiorem certitudinem, vt si ternarius, qui est multitudo perfecta in ipsis testibus. Vnde & Eccles. 4. dicitur: Funiculus triplex difficilè rumpitur.† Augustinus autem super illud Ioan. 8. Duorum hominum testimonium verum est, dicit q̃ in hoc est trinitas secundum mysterium commendata, in qua est perpetua firmitas veritatis.

Ad primum ergo dicendum, quòd quantacunque multitudo testium determinaretur, posset quandoque testimonium esse iniquum, cùm scriptũ sit Exod. 23. Ne sequaris turbam ad faciendum malum: nec tamen, quia non potest in talibus infallibilis certitudo haberi, debet negligi certitudo, quæ probabiliter haberi potest per duos vel tres testes, vt † dictum est. In corp. articuli.

Ad secundum dicendum, quòd discordia testium in aliquibus principalibus circunstantijs, quæ variant substantiam facti (puta in tempore, vel in loco, vel in personis, de quibus principaliter agitur) aufert efficaciam testimonij, quia si discordant in talibus, videntur singulares esse in suis testimonijs, & de diuersis factis loqui. Puta si vnus dicat hoc factum esse tali tempore, vel loco, alius alio tempore vel loco, non videntur de eodem facto loqui. Non tamen præiudicatur testimonio, si vnus dicat se nõ recordari, & alius asserat determinatum tempus vel locum. Et si in talib. omnino discordauerint testes actoris & rei, si sint æquales numero & pares dignitate, statur pro reo, quia facilior debet esse iudex ad absoluendum, quàm ad condemnandum, nisi fortè in causis fauorabilibus, sicut est causa libertatis & huiusmodi. Si verò testes eiusdem partis dissenserint, debet iudex ex motu sui animi percipere cui parti sit stãdum, vel ex numero testium, vel ex dignitate eorum, vel ex fauorabilitate causæ, vel ex cõditione negotij & dictorum. Multò autem magis testimonium vnius repellitur, si sibiipsi diffideat, interrogatus de visu & scientia, non autem si diffideat, interrogatus de opinione & fama, quia potest secundum diuersa visa & audita, diuersimodè motus esse ad respondendum. Si verò sit discordia testimonij in aliquibus circunstantijs nõ pertinentibus ad substantiam facti, puta si tempus fuerit nubilosum vel serenum, vel si domus fuerit picta aut nõ, aut aliquid huiusmodi, talis discordia non præiudicat testimonio: quia homines non consueuerunt circa talia multum solicitari, vnde facilè à memoria elabuntur. Quinimò aliqua discordia in talibus facit testimoniũ credibilius, vt † Chrysostom. dicit super Matth. quia si in omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto eundem sermonem proferre, quod tamen prudentiæ iudicis relinquitur discernendum.

Ad

Ib. 1. c. 3. circa princ. & c. 7. circa fin. 10. 3.

Li. 1. tex. 2. tom. 2.

Trac. 36. in Ioa. in vlt. pagina ante fi nẽ. to. 9.

Ad tertium dicendum, quòd illud locum habet specialiter in episcopis, presbyteris, diaconis, & clericis ecclesiæ Romanæ, propter eius dignitatem. Et hoc tripli ci ratione. Primò quidem, quia in ea tales institui debẽt, quorum sanctitati plus credatur, quàm multis testibus. Secũdò, quia homines qui habent de alijs iudicare, sæpè propter iustitiam multos aduersarios habent. Vnde non est passim credendum testibus contra eos, nisi magna multitudo conueniat. Tertiò, quia ex condemnatione alicuius eorum derogaretur in opinione hominum dignitati illius Ecclesiæ & autoritati, quod est periculosius, quàm in ea tolerare aliquem peccatorẽ, nisi valde publicum, & manifestum, de quo graue scandalum oriretur.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Rationabiliter institutum est iure diuino & humano quòd dicto testiũ stetur in iudicio. Secunda conclusio. Requiritur binarius testium, vel ad maiorem certitudinem ternarius.

COMMENTARIVS.

DVbitatur in hoc articulo, An iure naturæ vel diuino requirantur vel sufficiant duo vel tres testes in iudicio. Pro parte negatiua arguitur primò. Nam in l. omniũ. C. de testamentis, dicitur: q̃ est sufficiens vnius eximiæ autoritatis testimonium. Vt v.g. Imperatoris. Et confirmatur ex communi vsu iudicum, qui solo testimonio custodis montium condemnant cædentes ligna in syluis vetitis. D

Secundò arguitur ex cap. paruulos. & c. cum itaque. de consecratione. dist. 4. vbi à Greg. 4. & à Leone 1. diffinitur paruulos à parentum cura subtractos baptizandos esse nisi aliquis testetur esse iam baptizatos. Ecce vnius testimonium sufficit vt non baptizentur paruuli.

Tertiò. In multis causis exigitur iure Ciuili & Canonico & Regio maior numerus testium quã binarius & ternarius, ergo iure naturæ non sufficit iste numerus. Consequentia patet, quia lex humana nõ potest derogare iuri naturali. Antecedens probatur ex c. præsul. & c. nulla. 2. q. 4. quorum canonum dicta refert D. Tho. in ar. 3. & assignat triplicem rationem illorum Decretorum in solutione ad tertium. Item etiã in l. hac consultissima. C. de testam. Et Instit. eod. tit. §. sed cum paulatim. & in l. 1. & 2. tit. 1. Part. 6. & in l. 3. Taur. exiguntur septem testes in testamento obsignato, ergo iure naturæ non sufficiunt duo vel tres. Et confirmatur. Nam Alexand. 3. in cap. cum esses. de testam. videtur reprobare prædictas leges, tamen ipse concludit tandem, quòd testamenta quæ parochiani cum suo presbytero, & alijs duabus vel tribus personis idoneis fecerit in extrema voluntate, firma esse decernimus. Ecce ipsemet Alexander ponit tres testes esse necessarios ad firmitatem testamenti signati, ergo non sufficiunt iure naturę duo vel tres.

Banes de Iustitia.

A Quartò. D. Tho. in artic. ait, rationabiliter institutum esse iure diuino & humano, ergo non est iure naturæ necessarius binarius testium. Patet consequentia. Quia quod iure naturæ necessarium est non est institutum aliqua lege, sed potius inditum & insitum.

PRO decisione sit prima conclusio. Quando non agitur de cõdemnatione alicuius, sufficit vnus testis: vt iudex disponat de aliquibus negotijs. Ratio est quia quilibet præsumitur verax quãdiu non probatur mendax, ergo vbi non est periculum alicuius tertij potest acceptari unius testimonium. Et isto modo dantur in Hispania prouisiones quædam quæ dicuntur, Reales. Secunda conclusio. In causis leuibus etiam si agatur de condemnatione alterius sufficit vnus testis: quando ita expedit bono communi. Et si aliquis objicit, ergo etiam in causis grauibus sufficiet vnus testis, quando ita expedit bono communi, Respondetur, quod non potest expedire bono communi, sed potius esset perturbatio boni communis, si in causis grauibus sufficeret unus testis. Nemo enim posset in republica esse tutus. B

Tertia conclusio. In causis grauibus quando agitur de condemnatione alicuius: iure naturæ requiritur binarius testium. Probatur ista conclusio. Nam ratio D. Tho. est naturalis discursus, & demõstratio moralis ex principio euidenti, ergo iure naturæ cõstat conclusio. Item etiam in dubio ratione naturali constat, quòd melior est cõditio possidentis: sed vno teste aiente & reo negante, res dubia est, ergo reus non debet condemnari, quia est in possessione bonorum suorum. Itẽ etiam iure & ratione naturali constat, quòd sicut potestas condemnandi debet esse publica: ita scientia & cognitio facti debet esse manifesta. Sed ubi unus affirmat & alius negat, res obscura est, ergo non potest aliquis per talem cognitionem condemnari iure naturæ. C

Quarta conclusio. Iure naturæ sufficiunt duo testes ad condemnationem alicuius. Ista conclusio probatur primò à posteriori, quia multæ respublicæ bene institutę condemnant reos ad mortem duobus testibus, ergo iure naturæ non requiritur maior numerus. Consequentia patet. Nam alias tales respublicæ peccarent contra ius naturæ. Antecedens probatur ex Deuteron. 17. In ore duorum uel trium peribit qui interficietur. Item cap. 19. In ore duorum uel trium testium stat omne uerbum, ergo non est contra ius naturæ. Sed valde notandum est quod dicit D. Thomas in 1. 2. quæst. 94. artic. 5. ad tertium, quòd dupliciter aliquid dicitur esse de iure naturæ. Vno modo quia ad hoc natura inclinat, vt non esse faciendam iniuriam alicui. Alio modo quia natura circa contrarium illius nihil determinat. Vt verbi gratia, dicimus quòd iure naturæ omnis homo est liber: & quòd iure naturæ omnia sunt communia: quia ius naturæ non determinauit quòd ista bona essent particularia huius: uel quod aliquis esset captiuus: sed hæc iure gentium introducta sunt. Dicimus ergo ad propositum, q̃ hæc quarta conclusio intelligenda est hoc secundo modo: sed tertia conclusio primo modo. E

Quinta conclusio. In l. noua nihil statutum est iure diuino circa numerũ testium præter id quod erat de lege naturæ. Probatur ex cõi proloquio Theologorum, q̃ in lege gratiæ nullum est præceptum diuinũ superadditum naturæ, præter præcepta uirtutum Theologicarũ & consequentia ad illa quæ pertinẽt ad esse gratiæ. Vt v.g. præceptum de inuocanda diuina misericordia; & præceptum pœnitentiæ virtutis & humilitatis: quæ omnia præcepta semper fuerunt

V 2 & in

& in lege naturali & in lege veteri necessaria ad sa-
A ptem testes. Nam in villulis non potest haberi facile tantus numerus testium, & ita sufficit ibi præsentia parochi cum duabus personis fide dignis. Et hoc vbique seruatur etiam secundum leges ciuiles.

Ad quartum negatur consequentia. Quia quædã instituuntur legibus humanis, etiam si iure naturæ constent apud sapientes, vt cõclusiones deductę per bonam consequentiam: eo quòd talis consequentia non est vsque ad eo euidens omnibus, vt non indigeat adiuuari statutis humanis.

Dubium secundum est, An licitum sit iudici per tormenta veritatem exigere à reo & testibus; &, An tale testimonium valeat ad condemnationem. Pro
B parte negatiua arguitur primò. Nemo potest condemnari in re graui, nisi duobus testibus: sed torquere hominem cruciatibus est res grauissima, ergo nemo potest condemnari ad tormenta, per semiplenam probationem, quæ fit unico teste & indicijs. Et confirmatur. Nam si sunt duo testes per quos conuincitur, reus iniqua est excruciatio per tormenta, ergo nullo modo licita est. Probatur antecedens. Nam tormenta ordinantur ad inquirẽdam veritatem criminis, ergo vbi iam constat de veritate perperam adhibentur tormenta.

Secundò. Testis non est in culpa, ergo nullo modo est torquendus. Cõfirmatur. Multi eligunt potius
C falsum testimonium contra se dicere: quã pati cruciatus immanissimos. Tertiò, alij sunt qui metu mortis patiuntur cruciatus, potius quam veritatẽ confitentur, ergo medium istud est incertum neq; conueniẽs ad iudiciũ. De hoc dubio Ludouicus Viuas in commentarijs super Augustinum in libro 19. de Ciuitate cap. 6. negat licita esse tormenta.

PRO decisione sit prima conclusio. Erroneum est, aut certè ualde temerarium in fide negare tormẽta esse licita. Probatur, quia aliàs iniqua essent omnia tribunalia Ecclesiæ catholicæ etiam Ecclesiastica in quibus est usus tormentorum ad inquirendam veritatem. Secundò probatur ex Eusebio Papa in
D epistola ad episcopos Galliæ: & habetur in capit. illi qui. 5. quæst. 5. ubi expressissimè approbat tormenta. Item etiam Gregorius 7. in regula in contemplatione de regulis iuris. Supponens tanquam rem certissimam tormenta esse licita, ait, quòd in ipso causæ initio non sunt adhibenda tormenta. Tertio probatur ex D. Ambrosio in lib. de Cain & Abel. & ex D. Hieron. tom. 1. epistolarum, epistol. ad Innocen. & ex D. August. vbi supra, & ex communi sententia Theologorum & Iurisperitorum. Et sunt tituli in corpore iuris de quæstionibus, hoc est tormentis. Et ex Arist. in Rhetoricis ad Alexandrum. cap. 14. Et ex Cicer. in lib. de Partitione Oratoria. Secunda conclusio. Quã
E do iudex intelligit expedire ad bonum commune, vt aliquod crimen statim puniatur: potest adhibere tormenta ad torquendum reum etiam duobus testibus conuictum. Pro cuius intelligentia nota, quòd reis crimina confessis negatur appellatio: alijs uero etiam conuictis per testes, conceditur appellatio. Vt patet in l. 2. C. quorum appellationes non recipiuntur. Dicimus ergo in ista conclusione, quod iudex prudenter in casu prædicto, quia est periculum in mora propter appellationem adhibet tormenta, vt reus confessus non possit appellare. Probatur ergo conclusio. Iudex habet ius ad torquẽdum hominem reum cum necesse fuerit ad bonum commune ut ẽt reus ipse confiteatur: sed in illo casu necessaria est eius confessio ad bonum commune, ergo licitũ erit iudici illum torquere; neque iniuriam facit illi impedimento hac uia appellationem, quia ille iniuste appellat, & cum damno boni publici. Tertia conclusio.

Non

Non est licitum torquere reum etiam conuictum te
A stibus, quando ipse affert nouas probationes & legitimas ad reprobandum processum. Probatur. Nam tunc iustissime appellat reus à iudicis sententia, ergo iudex iniquè agit impediendo appellationem eius per tormenta.

Quarta conclusio. Testis nunquam torquendus est, nisi in quantum habet rationem rei. Vt v.g. si aliqui testantur Petrum interfuisse alicui negotio, & posse testificari: tunc Petrus: nisi voluerit testificari poterit torqueri: vt dicat veritatem, quia merito presumitur ex malitia nolle testificari. Hanc conclusionem probat secundum argumentum, scilicet, ꝙ testis in quantum testis non debet torqueri, quia vt
B sic, non habet culpam. Cæterum quantum ad huiusmodi tormenta iudices debent attendere leges sibi præscriptas, & ita non peccabunt.

Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum respõdetur, distinguo maiorem: aut per sententiam diffinitiuam, & sic concedo: aut per sententiam inquisitiuam veritatis: & ita nego maiorem. Nam sufficit vnus testis cum accusatore ad interrogandum reum, & si opus fuerit ad torquendum illũ. Ad confirmationem respondetur, nego consequentiam. Et ratio est, quia aliquando confessio rei est necessaria bono communi: vt diximus in secunda con-
C clusione. Ad secundum patet ex quarta conclusione. Ad tertium nego consequentiam: quia in humanis iudicijs non potest haberi tãta certitudo sicut in sciẽtijs. Neque propterea negligi debet certitudo quæ potest haberi per testes & p tormenta: quando opus fuerit. Sed superest soluere vnum argumentum contra secundam conclusionem: quia Iurisconsulti Paulus & Marcellus in l. edictis. ff. de quæstionibus. & Eusebius vbi supra, aiunt tormenta esse adhibenda ad exquirendam veritatem, quæ nondum est propalata, ergo vbi iam est manifesta per testes, iniquè agitur torquendo ipsum reum. Propter hoc argumentum ali-
D qui Iurisperiti negant secundam cõclusionem. Sed ti & Pontifex intelligunt regulariter loquendo. At vero ubi ad bonum cõmune expedierit: vt cito reus puniatur, prudenter facit iudex adhibendo tormenta, ne post confessionem rei ante tormenta, locum habeat appellatio.

Dubitatur tertiò circa solutionem ad secũdum de concordia testium, An requiratur cõcordia testium circa factum singulare, vt reus condemnetur. Pro parte affirmatiua arguitur primò. Iudicium debet esse circa factum singulare, ergo testes debent testificari de eodem facto singulari. Sed pro parte negatiua arguitur. Concordia testium circa factum singula-
E re eatenus requiritur, quatenus crimen fiat manifestum sufficienter: sed non minus, imo magis aliquando manifestatur crimen per plures testes circa actus singulares, quam per duos circa vnum actum singularem, ergo. Probatur minor. Quia duo testes circa idem factum facilius possunt ex condicto falso conuenire, quam sex testes loco distãtes & inuicem incogniti circa singulos actus criminosos eiusdem speciei. Caiet. in comment. super istum artic. dicit primò, quòd regulariter loquendo requiruntur duo testes circa idem factum ad condemnandum reum. Secundò dicit, quòd inter religiosos sufficiet ad condemnandum aliquem de furto, quòd multi testes singulares singula furta testificentur. Ratio huius est. Quia licet hoc non est secundum iuris rigorem: tamen quia in religione proceditur non tam ad puniẽdum quam ad saluẽ animę & regularis obseruantię fauorem, ideo tolerabile videtur, vt talis probabilitas

Bañes de Iustitia.

A sufficiat ad certitudinẽ inter eos qui mortui sunt mũdo. Tertiò dicit, ꝙ ipse reus non tenetur acceptare talem sententiã, & propterea procedendũ erit per tormenta religiosa, vt exquiratur ab illo veritas. Soto lib. 5. de iust. q. 7. art. 2. videtur cum Caiet. sentire. Sed dicit ille vnum singulare, ꝙ illi testes singulares sufficient ad inquirendum. Sed hoc intelligendum est si proceditur per uiam accusationis uel denũtiationis. Alioquin si non præcessit infamia, non poterit procedi per viam inquisitionis.

PRO decisione sit prima conclusio. Primum dictum Caiet. uerissimum est, & probatur argumento
B facto pro parte affirmatiua, & ex usu communi omnium tribunalium.

Secunda conclusio. In quibusdam criminibus specialiter perniciosis reipublicæ, circa quorũ probationẽ ex natura facti nõ possunt moraliter loquẽdo inueniri duo testes circa idẽ factũ: iusta esset lex quę statueret sufficere testes singulares in maiori tñ numero, quã binario uel ternario. V.g. in uitio Sodomiæ aut Simoniæ uel usuræ, & multo magis in crimine hæresis. Hęc conclusio probatur argumento pro parte negatiua. Probatur ẽt, quia necesse est huiusmodi crimina perniciosa aliqñ puniri: sed moraliter est impossibile inueniri duos contestes eiusdẽ facti, ergo
C sufficiunt singulares, maximè si multitudine supplẽt quod deficit de contestatione circa idẽ factũ. Sed notandum, ꝙ circa hanc quæst. est magna concertatio inter Iurisperitos. Vide Couar. lib. 3. Variar. c. 3. nu. 5. ubi concludit iustã esse legem. & tit. 2. lib. 8. ordin. Regal. ad puniendũ usuratiũ ob crimẽ usuræ in cõi admittuntur testes singulares. Sed ille dicit nõ satis esse ad cõdemnandũ illum de aliqua usura certæ cuiusdã quantitatis. Dicit etiam ꝙ si testes sint in multo numero, erit sufficiens testimoniũ illorum: & ad hoc citat Bald. & alios. Anton. Gomez. tomo. 3. de delict. c. 12. nu. nu. 12. inquit sequens Bald. & alios, ꝙ testes singulares sufficiunt ad probandũ aliquẽ esse hęreticum, etiam si singuli testificentur distinctas hæreses.
D Idem dicit Hippolytus cons. 7. num. 27. Nobis tamen Theologis sufficit, non esse semper necessariam exactissimam copiam testium circa factũ singulare. Imo vero neque concordiã circa actum singularẽ, quando agitur de crimine uel depositione aliqua in cõi. Tunc enim certam fidem facient singulares testes quod attinet ad iudicium maxime fauente lege.

Ad argumentum pro parte affirmatiua quatenus facit contra secundã conclusionẽ respondetur, ꝙ aliquando potest aliquis condẽnari, quia probatur reus in aliqua specie delicti, etiam si non probetur in singulari. Itẽ etiã quãuis non sint duo testes vnius actus singularis: sed tñ illud factũ singulare cuius est vnus
E testis occultatus, sufficienter confirmatur multitudine testiũ circa alios actus singulares. Ad argumentũ pro parte negatiua quatenus est contra primã cõclusionem respondetur, ꝙ quamuis sit aliquando licitũ quod in secunda cõclusione dicitur, tamen est quasi exceptio quædam à regula uniuersali & communi iure: quæ fieri non debet, nisi magna ex causa & fauente lege uel supremo legislatore. Cæterum furta, homicidia, bene possunt ex natura rei pluribus testibus probari, & sufficiẽter prouidetur bono communi, si quando comprobantur ista delicta duobus testibus, puniantur, vt cæteri timorem habeam.

Denique nota in hoc articulo secundum dictum Caietani: quòd religiosus possit condemnari de furto per testes singulares, intelligendum esse, non per sententiam absolutam, sed per conditionalem si ipse uelit acceptare sententiam. Sin autem, poterit torqueri: & si negauerit manebit liber à pœna furti.

ARTICVLVS III.

Vtrùm alicuius testimoniũ sit absq; eius culpa repellendum.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quòd alicuius testimonium non sit repellẽdum, nisi propter culpam. Quibusdam enim in pœnam infligitur, quòd ad testimonium non admittãtur, sicut patet in his qui infamia notantur. Sed pœna non est inferenda nisi pro culpa. Ergo videt ꝙ nullius testimoniũ debeat repelli, nisi propter culpã.

2. Præterea. De quolibet præsumendum est bonum, nisi appareat cõtrarium. Sed ad bonitatẽ hominis pertinet, quòd verum testimonium dicat. Cùm ergo non possit constare de contrario nisi propter aliquã culpam, videtur quòd nullius testimoniũ debeat repelli nisi propter culpã.

3. Præterea. Ad ea quæ sunt de necessitate salutis, nullus redditur non idoneus nisi propter peccatum. Sed testificari veritatẽ est de necessitate salutis, vt suprà † dictum est: ergo nullus debet excludi à testificando nisi propter culpam.

Art. 1. huius quæst.

Sed contra est, quod † Gregor. dicit, & habetur 2. quæst. 4. Qui à seruis suis accusatus est episcopus, sciendum est quòd minimè audiri debuerunt.

Greg. in registro lib. 11. c. 54. à medio. Habetur. 2. q. 4. capi. Præsul. non procul à fine.

Respondeo dicendum, quòd testimonium sicut † dictum est, non habet infallibilem certitudinem, sed probabilem. Et ideo quicquid est quod probabilitatem afferat in contrarium, reddit testimoniũ inefficax. Redditur autem probabile, ꝙ aliquis in veritate testificanda non sit firmus, quandoq; quidem propter culpam, sicut infideles & infames, item illi qui publico crimine rei sunt, qui nec accusare possunt. Quandoque autem absque culpa, & hoc est vel ex defectu rationis (sicut patet in pueris, amentibus & mulieribus) vel ex affectu (sicut patet de inimicis & personis coniunctis & domesticis) vel etiã ex exteriori conditione, sicut sunt pauperes, serui, & illi, quibus imperari potest, de quibus probabile est quòd de facili possunt induci ad testimonium ferendũ contra veritatem. Et sic patet, quòd testimonium alicuius repellitur, & propter culpam & absque culpa.

Ad primum ergo dicendum, ꝙ repellere aliquem à testimonio, magis pertinet ad cautelam falsi testimonij vitandi quàm ad pœnam. Vnde ratio non sequitur.

Ad secundum dicẽdum, quòd de quolibet præsumendum est bonum, nisi appareat contrarium, dummodo non vergat in periculum alterius, quia tunc est adhibenda cautela, vt non de facili vnicuique credatur, secundùm illud 1. Ioan. 4. Nolite credere omni spiritui.

Ad tertium dicendum, quòd testificari est de necessitate salutis, supposita testis idoneitate & ordine iuris. Vnde nihil prohibet, aliquos excusari à testimonio ferẽdo, si nõ reputẽtur idonei secũdũ iura.

SVMMA ARTICVLI.

CONclusio est. Iure aliquorum testimonium repellitur, aliquando quidem cum culpa, aliquando sine culpa.

COMMENTARIVS.

DVbitatur, An licitum sit reo obijcere crimen testi ad repellendum eius testimonium. Pro cuius decisione sit prima conclusio. Obijceret testi crimen falsum nunquam est licitum. Ista conclusio patet, quia mentiri est intrinsecè malum, ergo nunquam est licitum. An uero aliquando sit tantum peccatum veniale dicemus dubio secundo.

Secunda conclusio. Obijcere testi crimen uerum, quando hoc non conducit ad repellendum eius testimonium, semper est peccatum contra charitatem & iustitiam. Ratio est, quia talis obiectio habet rationem uindictæ tantùm, & non defensionis.

Tertia conclusio. Quando testis falsum testificatur: licitum est obijcere illi uera crimina ad refutandum eius testimonium, siue criminalint publica siue secreta. Probatur conclusio. Nam talis obiectio habet propriè rationem defensionis cum moderamine inculpatæ tutelę; quemadmodum quãdo quis occidit hominem cum moderamine inculpatæ tutelæ in sui defensionem. Ex quo sequitur, quòd ista cõclusio habet etiam uerum quando testis ex ignorantia inuincibili dicit falsum testimonium contra me: eo quòd licitum est me defendere ab inuasore qui ex ignorantia inuincibili me inuadit.

Quarta conclusio. Idipsum etiam est licitũ, quando testis dicit testimonium uerum contra me: sed tamen contra ordinem iuris uel in foro exteriori uel in foro conscientiæ. Probatur. Nam ille testis dicẽdo uerum facit mihi iniuriam, ergo licitũ est me defendere. Sed quęret aliquis, An sit licitum in eodem casu dicere testi, quod dicit falsum uel mentitur. Quidam moderni dicunt licitum esse utrumque, eo quòd distinguunt dupliciter dici falsum, & dupliciter aliquẽ mẽtiri. Vno modo speculatiuè: alio modo practicè. Speculatiuè quidem, quando aliquis dicit contra mentem speculatiuam aliter quam est à parte rei.

Practi-

Practicè uero, quando dicit aliquid contra mentem practicam veram, quæ dictabat non esse aliquid dicendum; etiam si esset verum speculatiuum. Dicunt ergo quòd in casu posito testis ille dicit falsum practicè, & mentitur practicè. Alij uero dicunt, quòd ille testis in casu posito dicit falsum, scilicet practicè; sed nullo modo mentitur. Nos autem breuiter dicimus, quòd eadem est ratio dicendi falsum & mentiendi quantum ad hoc, quòd sicut falsum dicitur practicè & speculatiuè: ita etiam mendacium. Sed dicimus quòd siuè ista distinctio sit vera siue non, nunquam erit peccatũ mortale dicere testi in casu posito quòd dicit falsum & mentitur dummodo verbum mentitur non significet iniuriam specialem, vt apud Hispanos. Tunc enim erit peccatum mortale: si sufficienter refutetur testimonium iniqui testis, dicendo illi; non ita est, falsum dicis; & dicatur illi, mentiris.

Quinta conclusio. Licitum est obijcere testibus uerum testificantibus etiam secundum ordinem iuris uera crimina etiam occulta, si tamẽ probari possunt, & probata testem refutare. Probatur. Quia iure conceditur reo illa obiectio, vt se defendat, ergo licita est.

Secundò. Ille testis non tenebatur testificari. Si timebat obiectionem illam sibi opponendam, tum quoniam eius testimonium erat inutile, tum etiam quoniam cum tanto detrimento sui honoris, non tenebatur testificari, ergo sibi imputet si talis obiectio sibi fiat ab ipso reo defendente se iuridicè.

Tertiò. Reus in tali casu non tenetur respondere iudici suum crimen, ergo pari ratione poterit refutare testem. Antecedens probatur. Quia interrogatio iudicis ad ipsum reum facta, non est legitima, nisi ex falsa præsumptione, scilicet, quòd iudex putat testes esse legitimos. Notan tum tamen est, quòd non pro quolibet detrimento quod reus patitur, licitum erit illi quodlibet crimen etiam iniame obijcere testi, sed seruato ordine charitatis intelligenda est conclusio quinta.

Dubium secundum est, An semper sit mortale peccatum obijcere falsum testimonium testificanti falsum crimen, uel testificanti contra ordinem iuris. Pro parte affirmatiua arguitur primò. Peccatũ mortale est reddere malum pro malo, maledictum pro maledicto. Et confirmatur. Peccatum mortale est repercutere eum qui percussit, & cessat iam à percussione, ergo erit peccatum mortale dicere falsum crimen aduersus criminatorem. Secundò. Peccatum mortale est omne mendacium perniciosum: sed illud mendacium est tale, ergo &c. Soto lib. 5. de iustit. quæst. 7. art. 3. ait mendacium esse perniciosum, obijcere falsum crimen testi. Sed tamen non satis se explicat, an cum testis iniuriam facit reo sit licitũ aut saltem non sit mortale obijcere illi falsum crimen. Quia potius videtur loqui in casu quando testis facit iuum officium: & aduocati nihilominus obijciũt ei falsa crimina fictitia.

PRO decisione sit prima conclusio. Moraliter loquendo & de facto semper est peccatum mortale obijcere falsum crimen testi. Probatur, quia vel talis obiectio potest probari vel non potest. Si non potest probari, est nullius momenti, neque habet rationem defensionis, ergo est mortale peccatum, siquidem laditur proximus absque causa. Rursus si potest probari: hoc erit falsis testibus periurantibus ergo erit peccatum mortale illos adducere ad probationem.

Secunda conclusio. Verosimilis est sententia, quæ ait, ꝙ per se loquendo est peccatum mortale & contra iustitiam obijcere falsum crimẽ iniquo teiti. Probatur argumentis factis pro parte affirmatiua.

Tertia conclusio. Nobis verosimilior est sententia, quæ ait, quòd per se loquẽdo, hoc est seclusis alijs circunstantijs, est solum peccatum ueniale mendacij obijcere crimen falsum testi iniquo, quando talis obiectio prodest ad refutandum eius testimonium. Probatur ista conclusio. Qui occideret inuasorem à quo non potest se defendere nisi mentiendo contra illum: non peccaret mortaliter, ergo neque in nostro casu.

Secundò. In casu posito reus potest negare testimonium testis, etiam si accusetur de uero crimine. Et quamuis secundum sentẽtiam quorundam reus mentiatur, tamen non peccat contra iustitiam. Tũc ergo sic arguitur. Perinde est imponere falsum crimen testi, & negare quod dicit esse uerum: sed negando non peccat contra iustitiam, ergo neque imponendo crimen falsum.

Tertiò probatur. Imponere falsum crimen alicui, eatenus est peccatum mortale quatenus proximo nocumentum infertur contra iustitiam, non quia falsum dicitur: ut docet D. Thom. in art. 4. ergo si licitum est absque peccato ueniali obijcere uerum crimen testi quantumlibet secretum: non erit peccatum mortale obijcere falsum. Patet consequentia. Quia illæ duæ obiectiones non differunt nisi per uerum & falsum: quæ differentia solum facit peccatum ueniale. Confirmatur. Quia reus habet ius defendendi se etiam cum destructione famæ ipsius testis; reuelando crimen secretum, ergo si destruat imponendo falsum, nihil amplius nocet: sed solum mentitur.

Ad primum argumentum in contrarium respondetur, quòd reddere malum pro malo importat rationem uindictæ. Vnde qui se defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, infert nocumentũ proximo, non reddit malum pro malo. Ad confirmationem respondetur; nego consequentiam. Nam qui percussit & fugit, iam cessat ab inferenda iniuria. Vnde non esset defensio repercutere illum: sed uindicta. At uero qui testificatur, tandiu iniuriam facit: quandiu iudicis sententia pendet. Vnde non est eadem ratio.

Ad secundum nego antecedens. Nam nocumentum non est perniciosum, quando non est contra iustitiam aut charitatem: sed erit mendacium officiosum, cum sit ad defensionem propriam ordinatum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm falsum testimonium semper sit peccatum mortale.

AD Quartũ sic proceditur. Videtur, quòd falsum testimonium nõ semper sit peccatum mortale. Contingit enim aliquem falsum testimoniũ ferre ex ignorantia facti, & talis ignorãtia excusat à peccato mortali. Ergo testimonium falsum non semper est peccatum mortale.

2. Præterea. Mendaciũ ꝙ alicui prodest, & nulli nocet, est officiosum, quod non est peccatum mortale. Sed quandoque in falso testimonio est tale mendacium, puta

cum aliquis falsum testimoniũ perhibet, vt aliquem è morte liberet, vel ab iniusta sententia, quæ intentatur per aliquos falsos testes vel per iudicis peruersitatem: ergo tale falsum testimonium, non est peccatum mortale.

3. Præterea. Iuramentum à teste requiritur, vt timeat peccare mortaliter peierãdo. Hoc autem non esset necessarium, si ipsum falsum testimonium esset peccatum mortale. Ergo falsum testimonium non semper est peccatum mortale.

Sed contra est, quod dicitur Prou. 19. Falsus testis non erit impunitus.

Respondeo dicendum, quòd falsum testimonium habet triplicem deformationẽ. Vno modo ex periurio, quia testes non admittuntur nisi iurati, & ex hoc semper est peccatum mortale. Alio modo ex violatione iustitiæ, & hoc modo est peccatũ mortale in suo genere, sicut & quælibet iniustitia. Et ideo in præcepto decalogi sub hac forma interdicitur falsum testimoniũ, cum dicitur Exod. 20. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non enim contra aliquem facit, qui eum ab iniuria facienda impedit, sed solum qui ei suam iustitiam tollit. Tertiò ex ipsa falsitate, secundum quod omne mendacium est peccatum, & ex hoc non habet falsum testimonium, quòd semper sit peccatum mortale.

Ad primum ergo dicendum, q̃ in testimonio ferendo non debet homo pro certo asserere, quasi sciens, id de quo certus non est, sed dubium debet sub dubio proferre, & id de quo certus est pro certo asserere. Sed quia cõtingit ex habilitate humanę memorię, quòd reputat se homo quandoque certum esse de eo quod falsum est, si aliquis cum debita solicitudine recogitans, æstimet se certum esse de eo quod falsum est, nõ peccat mortaliter, hoc asserẽs, quia non dicit falsum testimonium per se & ex intentione, sed per accidens contra id quod intendit.

Ad secundum dicendum, q̃ iniustum iudicium non est iudicium. Et ideo ex vi iudicij falsum testimoniũ in iniusto iudicio prolatum; ad iniustitiam impediendam, non habet rationem peccati mortalis, sed solum ex iuramento violato.

A Ad tertium dicendum, quòd homines maximè abhorrent peccata, quæ sunt cõtra Deum, quasi grauissima, inter quæ est periurium. Non autem ita abhorrent peccata quę sunt contra proximum. Et ideo ad maiorem certitudinem testimonij, requiritur testis iuramentum.

SVMMA ARTICVLI.

B Prima conclusio. Falsum testimonium ex parte iuramenti semper est peccatum mortale. Secunda conclusio. Falsum testimonium ex parte violatæ iustitiæ est peccatum mortale ex suo genere. Tertia conclusio. Falsum testimonium non est peccatũ mortale ex falsitate. Quarta conclusio ad primum. Testis pro certo debet asserere id de quo certus est, & sub dubio id de quo dubitat. Quinta conclusio ibidem. Si aliquis cum debita solicitudine recogitans, existimet se certum esse de eo quod falsum est, non peccat mortaliter illud asserens. Potuisset certè S. Tho. addere nec venialiter. Sexta conclusio ad secundum. Falsum testimonium in iniusto iudicio prolatum ad iniustitiam impediendam, non habet rationem pec
C cati mortalis: sed solum ex iuramento violato.

COMMENTARIVS.

Circa primam & secundam conclusionẽ. Notandum quomodo S. Tho. Primam conclusionem simpliciter & vniuersaliter assetuit. Secundam vero cum illo addito. s. ex suo genere: sicut quelibet alia iniustitia. Vbi planè insinuatur falsum testimonium et in iudicio posse peccatũ veniale esse ex parvitate materiæ: contra Caietanum sup. q. 69. art. 2. Et in idipsum confirmatur ex sexta conclusione posita.

D Circa quintam conclusionem. Notandum, quòd ille qui ex ignorantia invincibili dixit falsum testimonium, non tenetur ad aliquam restitutionem faciendam parti damnificatæ ex eius testimonio, etiã si postea reperiat se falsum dixisse. Ratio est, quia ille non tenetur ratione rei acceptæ: supponimus enim quod nihil lucratus est ex falso testimonio. Neq; etiã tenetur ratione iniustæ acceptationis vel iniuriosæ actionis, ergo &c. Sed notandum, quòd tenetur ille testis reuocare dictum suum si per suam reuocationem potest prodesse proximo suo, & si ipse nõ patitur notabile detrimentum. Vt v. g. si propterea incidat in infamiam: ratio huius est, quia cum ille non
E teneatur ex iustitia restituere, tenetur reuocare suũ testimonium ex charitate, sicut & alij tenentur ad opera charitatis sine notabili suo detrimento. Vide Caietanum hic, & Iurisperitos in cap. præterea. de teste cogendo.

Dubium est, an testis possit pretium accipere pro testimonio ferendo. De hoc dictum est supra q. 62. art. 5. ad secundum. Sed hic per modum documenti tres erunt conclusiones.

Prima conclusio. Non licet pro testimonio pretium recipere: bene tũ expensas pro testimonij labore. Ita dicit Aug. epist. 54. Et habet 14. q. 5. c. nõ lanè.

Secunda conclusio. Quando datio pretij est illicita ex vtraq; parte. Verbi gratia, quando datur pro falso testimonio, tunc neutri datur actio in iudicio, vel repetitio. Sed nihilominus non est obligatio ad restituendum in eo qui accepit.

Tertia

Tertia conclusio. Quando quis recipit pretium, vt ferat testimonium verum, quod tenetur proferre ex iustitia legali vel commutatiua, v. g. si recipiat
A pretium ne dicat falsum testimonium, conceditur repetitio in foro exteriori ei qui dedit: nõ tamen quando ex sola charitate tenebatur testificari. Tunc enim nec dabitur actio in iudicio ad repetendum pretium neque ipse tenebitur in foro conscientiæ restituere.

Vltima conclusio. Quando aliquis accipit pretiũ ab aliquo ne dicat falsum crimen contra eundem, tenebitur ante iudicis condemnationem ad restitutionem in foro conscientiæ: si autem accepit pretium ab vno, ne dicat falsum crimen contra alium, non tenebitur restituere in foro conscientiæ ante iudicis sententiam. Ratio huius differentiæ est. Quia quando accipit pretium ab eodem contra quem vult falso
B testificari, non acquirit dominium ex eo quòd tenebatur ex iustitia commutatiua non dicere falsum testimonium contra illum. At vero quando accipit pretium ab aliquo tertio, nullam facit illi iniuriam, neque debet illi ex iustitia commutatiua non dicere falsum testimonium contra alterum. Quapropter potest illi uendere ex pacto, quòd non faciat iniuriam alteri. De conclusionibus prædictis multa sunt certa iure naturæ: alia vero iure humano, sed quoniam non est præsentis loci disputatio supersedemus ab illarum ampliatione.

QVAESTIO LXXI.
De Aduocatis.

Postea considerandum est, de iniustitia, quæ fit in iudicio ex parte aduocatorum. Et circa hoc quæruntur quatuor.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm aduocatus teneatur præstare patrocinium causæ pauperum.

Inf. ar. 4. cor. & ad primum.

AD Primum sic proceditur. Videtur, q̃ aduocatus teneatur prestare patrociniũ causæ pauperum. Dicitur. n. Exod. 23. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cũ eo. Sed non minus periculum imminet pauperi, si eius causa contra iustitiam opprimatur, quàm si eius asinus iaceat sub onere. Ergo aduocatus tenetur præstare patrocinium causæ pauperum.

Homil. 9. in Euãg. non procul à fin.

2. Pretereat. Gregorius dicit in quadã homil. Habens intellectum, curet omnino, ne taceat, habens rerum affluentiam, à misericordia non torpescat, habens ar-
A tem qua regitur, vsum illius cum proximo partiatur, habens loquendi locum apud diuitem, pro pauperibus intercedat. Talenti enim nomine cuilibet reputabitur quod vel minimum accepit. Sed talẽtum commissum non abscondere, sed fideliter dispensare quilibet tenetur, quod patet ex pena serui abscondentis talentum, Matthæi. 25. Ergo aduocatus tenetur pro pau
B peribus loqui.

3. Præterea. Preceptum de misericordiæ operibus adimplẽdis, cùm sit affirmatiuum, obligat pro loco & tempore, quod est maximè in necessitate. Sed tempus necessitatis videtur esse, quãdo alicuius pauperis causa opprimitur. Ergo in tali casu videtur quòd aduocatus teneatur pauperibus patrocinium prestare.

Sed contra, Non minor necessitas est
C indigentis cibo, quàm indigentis aduocato. Sed ille qui habet potestatem cibandi, non semper tenetur pauperem cibare. Ergò nec aduocatus semper tenetur causæ pauperum patrocinium præstare.

Respondeo dicendum, q̃ cùm prestare patrocinium causæ pauperum, ad opus misericordiæ pertineat, idem est hic dicẽdum quod & supra de alijs operibus misericordiæ † dictum est. Nullus autem suffi- Q. 32. artic. 5.
D cit omnibus indigentibus, misericordiæ opus impendere. Et ideo, sicut † August. dicit, in 1. de doctrina Christia. Cum omnibus prodesse non possis, his potissimè consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur. Dicit pro locorum op- Li. 1. c. 28 in princi. tom. 3.
E portunitatibus, quia non tenetur homo per totum mundum quærere indigentes, quibus subueniat, sed sufficit, si eis qui sibi occurrunt, misericordiæ opus impendat. Vnde dicitur Exod. 23. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eũ. Addit autem, & temporum, quia non tenetur homo futuræ necessitati alterius prouidere, sed sufficit si præsenti necessitati succurrat. Vnde dicitur 1. Ioan. 3. Qui viderit fratrem suum necessitatem habentem, & clauserit viscera sua ab eo, &c. Subdit autem. Vel quarumlibet rerum, quia homo sibi coniunctis quacunque necessitudine maximè debet curam impendere,

secundum

secundum illud primæ ad Timotheum 5. Si quis suorum, & maximè domesticorũ curam non habet, fidem negauit. Quibus tamen concurrentibus considerandũ restat, vtrum aliquis tantam necessitatẽ patiatur, quòd non in promptu appareat, quomodo ei possit aliter subueniri, & in tali casu tenetur ei opus misericordiæ impendere. Si autem in promptu appareat, quomodo aliter ei subueniri possit, vel per se ipsum, vel per aliam personã magis coniunctam, aut maiorem facultatem habentem, non tenetur ex necessitate indigenti subuenire, ita q̃ non faciendo peccet, quamuis si subuenerit absque tali necessitate, laudabiliter faciat. Vnde aduocatus non tenetur semper causæ pauperum patrocinium præstare, sed solum concurrentibus conditionibus prædictis, alioquin oportet eũ omnia alia negotia prætermittere, & solis causis pauperũ iuuandis intendere. Et idem dicendum est de medico, quantũ ad curationem pauperũ.

Ad primum ergo dicendum, q̃ quãdo asinus iacet sub onere, non potest ei aliter subueniri in casu isto, nisi per aduenientes subueniatur. Et ideo tenentur iuuare. Non autem tenerentur, si posset aliunde remedium afferri.

Ad secundum dicendum, quòd homo talentum sibi creditum tenetur utiliter dispensare, seruata opportunitate locorũ, & tẽporum, & aliarum rerũ, vt † dictũ est. In corp. articuli.

Ad tertium dicendum, q̃ non quelibet necessitas causat debitum subueniendi, sed solum illa quæ est dicta †. In corp. articuli.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conuenienter aliqui secundum iura arceantur ab officio aduocandi.

Inf. quæst. 338. artic. 3. ad 2.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, q̃ inconuenienter aliqui secundum iura arceantur ab officio aduocandi. Ab operibus n. misericordiæ nullus debet arceri. Sed patrocinium præstare in causis, ad opera misericordiæ pertinet, vt † dictum est. Ergo nullus debet ab hoc officio arceri. Art. præcedenti.

2. Præterea. Contrariarum causarũ nõ videtur esse idem effectus. Sed esse deditũ rebus diuinis, & esse deditum peccatis, est contrariũ. Inconuenienter ergo excluduntur ab officio aduocati quidã propter religionem, ut monachi & clerici. Quidã autem propter culpã, vt infames & hæretici.

3. Præterea. Homo debet diligere proximum sicut seipsum. Sed ad officiũ dilectionis pertinet, q̃ aliquis aduocatus, causę alicuius patrocinetur. Inconuenienter ergo aliqui, quibus conceditur pro seipsis auctoritas aduocationis, prohibentur patrocinari causis aliorum.

Sed contra est, quod † tertia quæstione septima multę personę arcentur ab officio postulandi. † 2. q. 7. ca. Infamis.

Respondeo dicendum, q̃ aliquis impeditur ab aliquo actu duplici ratione. Vno modo propter impotentiam, alio modo propter indecentiã. Sed impotentia simpliciter excludit aliquem ab actu. Indecentia aũt non excludit omnino, quia necessitas indecentiã tollere potest. Sic ergo ab officio aduocatorũ prohibentur quidam propter impotentiã, eò q̃ deficiunt sensu, vel interiori, sicut furiosi & impuberes, vel exteriori, sicut surdi & muti. Est n. necessaria aduocato & interior petitia, qua possit conuenienter iustitiã assumptę causę ostendere: & iterũ loquela est audituꝫ, ut possit pronuntiare & audire quod ei dicitur. Vnde qui in his defectum patiuntur, omnino prohibẽtur ne sint aduocati nec pro se, nec pro alijs. Decentia autẽ huiusmodi officij exercendi tollitur dupliciter. Vno modo ex hoc, q̃ aliquis est rebus maioribus obligatus. Vnde monachos & presbyteros non decet in quacunque causa aduocatos esse neque clericos in iudicio seculari, quia huiusmodi personę sunt rebus diuinis astrictę. Alio modo propter personę defectum, uel corporalem (ut patet de cęcis, qui conuenienter iudicio astare non possent) vel spiritualẽ: non enim decet, ut alterius iustitię patronus existat, qui in seipso iustitiã contempsit. Et ideo infames, infideles, & damnati de grauibus criminibus non decẽter sunt aduocati tamen huiusmodi indecentię necessitas præfertur. Et propter hoc huiusmodi personę possunt pro seipsis uel pro personis sibi con-

coniunctis vti officio aduocati. Vnde & clerici pro ecclesijs suis, possunt esse aduocati, & monachi pro causa monasterij sui, si abbas præceperit.

Ad primum ergo dicendum, quòd ab operibus misericordię interdum propter indecentiam impediũtur aliqui, & aliqui propter impotentiam. Non enim omnia opera misericordiæ omnes decent, sicut stultos non decet consilium dare, neque ignorantes docere.

Ad secundum dicendũ, quòd sicut uirtus corrumpitur per superabundantiam & defectum, ita aliquis sit indecens & per maius & per minus. Et propter hoc quidam arcentur à patrocinio præstando in causis, quia sunt maiores tali officio, sicut religiosi & clerici. Quidam vero quia sunt minores, quàm vt eis hoc officium competat, sicut infames & infideles.

Ad tertium dicendum, q̃ non ita immi net homini necessitas patrocinari causis aliorum sicut proprijs, quia alij possunt sibi aliter subuenire. Vnde non est similis ratio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm aduocatus peccet, si iniustam causam defendat.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, q̃ aduocatus nõ peccet si iniustã causam defendat. Sicut n. ostenditur peritia medici, si infirmitatem desperatam sanet, ita ẽt ostenditur peritia aduocati, si etiam iniustam causam defendere possit. Sed medicus laudatur, si infirmitatem desperatam sanet. Ergo etiam aduocatus non peccat, sed magis laudandus est, si iniustam causam defendat.

2. Præterea. A quolibet peccato licet desistere. Sed aduocatus punitur, si causam suam perdiderit, ut habetur secunda quæstione 3. † Ergo aduocatus non peccat, iniustam causam defendendo, si eam defendendam susceperit. 2. q. 3. si quis præstiterit.

3. Præterea. Maius videtur esse peccatum, si iniustitia vtatur ad iustam causam defendendam (puta producendo falsos testes, vel allegando falsas leges) quam iniustam causam defendẽdo, quia hoc est peccatum in forma, illud in materia. Sed videtur aduocato licere talibus astutijs vti, sicut militi licet ex insidijs pugnare. Ergo videtur quòd aduocatus non peccat, si iniustam causam defendat.

Sed contra est, quod dicitur secũdi Paralipomenõ decimonono, Impio præbes auxilium, & idcirco iram Domini mereberis. Sed aduocatus defendens causam iniustam, impio præbet auxilium. Ergo peccando, iram Domini meretur.

Respondeo dicendum, q̃ illicitum est alicui cooperari ad malum faciendum, siue consulendo, siue adiuuando, siue qualitercunque consentiendo, quia consiliãs & coadiuuans quodammodo est faciens. Et Apostolus dicit ad Roma. 1. quòd digni sunt morte non solum qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus, vnde & suprà dictum est †, quòd omnes tales ad restitutionem tenentur. Manifestum est autem, quod aduocatus & auxilium & consilium prestat ei cuius causę patrocinatur. Vnde si scienter in ustã causam defendit, absque dubio grauiter peccat, & ad restitutionem tenetur eius damni, quod contra iustitiam per eius auxiliũ altera pars incurrit. Si autem ignoranter iniustam causam defendit, putans esse iustam, excusatur secundum modum quo ignorantia excusare potest. q. 62. artic. 7.

Ad primum ergo dicendum, quòd Medicus accipiens in cura infirmitatem desperatam, nulli facit iniuriam. Aduocatus autem suscipiens causam iniustam, iniustè lædit eum, contra quẽ iniustè patrociniũ præstat. Et ideo nõ est similis ratio. Quanuis enim laudabilis uideatur quantum ad peritiam artis, tamen peccat, quãtum ad iniustitiam voluntatis, qua abutitur arte ad malum.

Ad secundum dicendum, q̃ aduocatus si in principio credidit causam iustam esse, & postea in processu appareat eam esse iniustam, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem iuuet, vel secreta suę causæ alteri parti reuelet, potest tamen & debet causam deserere, uel eũ cuius causam agit ad cedendum inducere, siue ad componendum sine aduersarij damno.

Ad tertium dicẽdum, quòd sicut suprà dictum

q. 40. 27 tic. 8. dictum est†, militi vel duci exercitus licet in bello iusto ex insidijs agere ea, quæ facere debet, prudenter occultando, non autem falsitatem fraudulenter faciẽdo, quia etiam hosti fidem seruare oportet, sicut Tullius dicit in primo de Officijs. Vnde & aduocato defendenti causam iustam, licet prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus eius, non autem licet ei aliqua falsitate vti.

In ca. vlti. qd de iustitię agit à medio.

ARTICVLVS IIII.

Utrùm aduocato liceat pro suo patrocinio pecuniam accipere.

Opusc. 19 ca. 7. cor. AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd aduocato non liceat pro suo patrocinio pecuniam accipere. Opera enim misericordiæ non sunt intuitu humanæ remunerationis facienda, secundum illud Lucæ 14. Cum facis prandium aut cenã, noli vocare amicos tuos, neque vicinos diuites, ne fortè & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed præstare patrocinium causæ alicuius, pertinet ad opera misericordiæ, vt dictum est†. Ergo non licet aduocato accipere retributionem pecunię pro patrocinio præstito.

Ar. 1. huius quæst.

2. Præterea, Spirituale non est pro temporali commutandum. Sed patrocinium præstitum, videtur esse quoddam spirituale, cum sit vsus scientiæ iuris. Ergo non licet aduocato pro patrocinio præstito pecuniam accipere.

3. Præterea, Sicut ad iudicium concurrit persona aduocati, ita etiam persona iudicis, & persona testis. Sed secundum Augustinum ad Macedonium†, non debet iudex vendere iustum iudicium, nec testis verum testimoniũ. Ergo nec aduocatus poterit uendere iustum patrocinium.

Epist. 54. in 2. pag. ante finẽ illius tomo 2.

Sed contra est, quod Aug.† dicit ibidẽ, q̃ aduocatus licitè vendit iustum patrocinium, & Inrisperitus verum consilium.

Eodẽ loco nunc proximè dicto.

Respondeo dicendum, quòd ea quæ quis non tenetur alteri exhibere, iustè potest pro eorum exhibitione recompensationem accipere. Manifestum est autem

A quòd aduocatus non semper tenetur patrocinium præstare, aut consiliũ dare causis aliorum. Et ideo si uendat tuum patrocinium, siue consilium, non agit contra iustitiam. Et eadem ratio est de medico opẽ ferente ad sanandum, & de omnibus alijs huiusmodi personis, dum tamen moderatè accipiant, considerata conditione personarum, & negotiorum, & laboris, & cõsuetudine patriæ. Si autem per improbitatem aliquid immoderatè extorqueant, peccant contra iustitiam. Vnde Augustinus† dicit ad Macedonium, quòd ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent, data per tolerabilẽ consuetudinem non solent.

B

Epist. 54. non mul tò remotè ante fi nẽ tom. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd nõ semper quæ homo potest misericorditer facere, tenetur facere gratis, alioquin nulli liceret aliquam rem uendere, quia quãlibet rem potest homo misericorditer impendere. Sed quando eam misericorditer impendit, non humanam, sed diuinã remunerationem quærere debet. Et similiter aduocatus, quando causæ pauperum misericorditer patrocinatur, non debet intendere remunerationem humanam, sed diuinam, non tamen semper tenetur gratis patrocinium impendere.

C

Ad secundum dicendum, q̃ etsi scientia iuris sit quoddam spirituale, tamen usus eius fit opere corporali. Et ideo pro eius recompensatione licet pecuniam accipere, alioquin nulli artifici liceret de arte sua lucrari.

D

Ad tertium dicendum, quòd iudex & testis communes sunt vtrique parti, quia iudex tenetur iustam sententiam dare, & testis tenetur verum testimonium dicere. Iustitia autem & ueritas non declinant in vnam partem magis, quàm in aliam. Et ideo iudicibus de publico sunt stipendia laboris statuta, & testes accipiunt, non quasi pretium testimonij, sed quasi stipendium laboris expensas, uel ab vtraque parte, vel ab ea, à qua inducuntur, quia nemo militat stipendijs suis vnquam, ut dicitur primę ad Corinthios nono. Sed aduocatus alteram partem tantum defendit. Et ideo licitè potest pretium accipere à parte, quam adiuuat.

E

SVM-

SVMMA ARTICVLI.

EX tota hac quæstione colliguntur octo conclusiones. Prima est in artic. 1. aduocatus tenetur patrocinari pauperibus occurrentibus, attentis circunstantijs loci & temporis & personarum & quando non in promptu apparet, quomodo eius aliter possit succurri.

Secunda conclusio in artic. 2. conuenienter arcentur ab officio aduocandi quidam propter impotentiam, quidam propter indecentiam.

Tertia cõclusio in eodem articulo. Illis quibus interdicitur aduocandi officium propter impotentiã, nunquam admittuntur ad illud: ij vero qui non admittuntur propter indecentiam, aliquando in casu necessitatis admittuntur.

Quarta conclusio in artic. 3. Aduocatus qui scienter iniustam causam defendit, grauiter peccat: & tenetur ad restitutionem damni contrariæ partis.

Quinta conclusio. Aduocatus qui ex ignorãtia defendit iniustam causam, excusatur à peccato & restitutione pro modo ignorantiæ.

Sexta cõclusio ad secundum. Aduocatus si à principio credidit causam esse iustam, & postea cognoscat esse iniustam debet causam deserere: sed non potest prodere parti contrariæ defectum causæ.

Septima conclusio in arti. 4. Licitum est aduocato pro patrocinio suo pretium accipere moderatũ, considerata conditione personæ, & negotiorum & laboris & consuetudine patriæ.

Vltima conclusio ibidem. Si per improbitatem aliquid extorqueat aduocatus, peccat contra iustitiam.

COMMENTARIVS.

CIrca istam quæstionem notandum est, quòd extant tituli de postulando, hoc est de petendo iudicio, quod est aduocati munus. in ff. in C. in Decretalibus. In Recopilatione antiqua legum regalium Hispaniæ. in l. 40. de Prætorio Regio de cancellaria. & in l. 54. de aduocatis. Item in Recopilatione facta, sub Philippo Secundo Rege Catholico lib. 2. titul. 16. de aduocatis. Extant etiam tituli in vtroque iure de procuratoribus. De quibus etiam procuratoribus est dicendum, eo quòd in Hispania omnes aduocati sunt etiam procuratores. De quibus est titulus. 24. lib. 2. In Recopilat. citata.

Dubium primum est circa primam conclusionẽ D. Thomæ, An aduocatus teneatur citra extremam necessitatem patrocinari pauperibus. Pro parte negatiua arguitur primò. Nemo tenetur ad eleemosynã faciendam nisi existenti in extrema necessitate. Ergo, &c. Confirmatur, alij diuites non tenentur dare pauperi pecunias, vt conducat aduocatum: nisi existenti in extrema necessitate. Ergo neque ipse aduocatus patrocinari. Secundo raro vel nunquam contingit, ut quis teneatur in casu dubio fauere uni parti contra alteram, maximè si illa pars est aggrediens: sed causæ in quibus pauperes ægent patrocinio sunt eiusmodi, ergo, &c. Tertiò. In quibusdam ciuitatibus sunt quidam aduocati stipendiati, vt suscipiant causas pauperum. Ergo ibi alij aduocati non tenebuntur pauperibus patrocinari. Sed pro parte affirmatiua arguitur primo. Ex Diuo Tho. in prima conclusione. Vbi non facit mentionem extremę necessitatis, sed neque grauis: sed solum ait q̃ cum non apparet in promptu quomodo pauperi aliter subuenia

A

B

C

D

E

tur, tenetur aduocatus patrocinari. Secundò. Testis tenetur ex charitate ferre testimonium in fauorem innocentis etiam citra extremam necessitatem, vt diximus in quæst. 70. artic. 1. Ergo aduocatus idem tenetur facere pro paupere. Patet consequentia, quia vterque solo uerbo absq; suo detrimento potest proximo succurrere. De hoc dubio, Caietanus in hoc loco ait, Nunquam obligari aduocatum ad patrocinandum pauperibus, nisi in extrema necessitate: idẽ dicit Nauarrus in Manuali cap. 25. num. 29.

PRO decisione huius dubij supponendum est, ex quæst. 32. artic. 5. & 6. quòd necessitas est triplex in proximo: quædam communis, quales solent esse in republica. Alia est grauis. Vt v. g. q̃ aliquis decidat à suo statu uel est in periculo illum amittendi. Alia est extrema. v. g. quando aliquis moriretur nisi ei succurratur. Similiter etiam triplex est superfluum. Quodam est superfluum ad decentiam status, quodã uero est superfluum ad statum: aliud est superfluum ad personam ipsam.

His suppositis, sit prima conclusio. Solus titulus superflui, qui se tenet ex parte aduocati, obligat ipsum vt in cõmunibus necessitatibus pauperum suscipiat causas. Probatur, quia solus iste titulus sufficit ad obligandum diuites ad faciendam eleemosynam de superfluis. Ergo sufficiet ad obligandum aduocatũ. Antecedens asseritur supra quæst. 32. artic. 5. & 6. à D. Thom. & eius discipulis, & oppositum esset tollere de medio humanitatem & misericordiam à republica. Et certè Caietanus ita sentit ibidem, & in opusculo de præcepto eleemosynæ. Vnde oblitus videtur suimet in hoc loco aut existimasse non eandẽ esse rationem de aduocationis patrocinio & eleemosyna: quod tamen falsum videtur.

Secunda conclusio. Grauis necessitas ex parte indigetis sufficit obligare aduocatum vt patrocinetur, etiam si patrocinium non sit superfluum aduocato ad decentiam status. Et notandum est quod necessarium ad decentiam status distinguitur à necessario ad statum: ita vt possit quis non amittere statum suum, amissis necessarijs ad decentiam status. Sit itaque casus ad verificandam conclusionem, quòd pauper est in periculo amittendi statum suum, uel ut detrudatur in carcerem, ubi duram uitam aget. Tunc verificatur nostra conclusio: quod aduocatus tenetur amittere lucrum necessarium sibi ad decentiam status, ut patrocinetur pauperi.

Probatur conclusio. In extrema necessitate tenetur aduocatus patrocinari pauperi cum detrimento necessariorum ad suum statum; ergo in graui necessitate tenebitur cum detrimento necessariorum ad decentiam status. Probatur consequentia. Nam eadem est proportio necessariorum ad statum respectu extremæ necessitatis: & necessariorum ad decẽtiam status respectu grauis necessitatis proximi. Secundò probatur. Amicitia humana grauiter lederetur in illo casu, si amicus non succurreret de superfluis ad statum, quamuis necessarijs ad decentiam status: ergo & charitas læditur in illo casu nisi aduocatus succurrat patrocinio suo non necessario ad statum, quamuis necessario ad decentiam status. Soto lib. 5. de iustitia. quæstione. 8. artic. 1. ait, non esse præceptum aduocato subueniendi indigentibus in grauibus necessitatibus nisi de superfluo. Sed hæc sentẽtia si vera est debet intelligi de superfluo ad statum: non de superfluo ad decentiam status. Hoc enim modo etsam obligantur diuites facere eleemosynam de superfluo ad statum in grauibus necessitatibus. Sed rogat aliquis an sit maior obligatio in aduocatis ad patrocinadum pro indigentibus quam in diuitibus ad fa-

ad faciendam eleemosynam de suis diuitijs? communis sententia est negatiua. Alia sententia est, q̃ aduocatus tenetur patrocinari ex charitate tanta obligatione quanta tenetur testis testificari ex charitate.

Sit igitur tertia conclusio. Non tenetur aduocatus ex charitate patrocinari indigentibus patrocinio quoties testis tenetur testificari ex eadem charitate. Probatur, nam testis tenetur testificari ex charitate, quando si non testificatur: proximus amittit aliquod bonum vtile votabile, etiam si alias sit diues. Cæterum aduocatus in illo casu non tenetur gratis patrocinari, sed potest pretium pro patrocinio exigere. Et confirmatur. Res quæ nullius prætij sunt habenti, sunt autem magni commodi ad impediendũ damnum alterius, teneur homo illas impendere ex charitate in vtilitatem alterius: sed huiusmodi est testificatio, ergo testis tunc tenetur testificari. Cæterũ aduocatus vtilitatem accipit & pretium pro suo patrocinio, ergo non tenebitur patrocinari quoties testis tenebitur testificari.

Denique probatur conclusio. Nam testimonium semper est superfluum etiam ad decentiam status respectu testis: at vero patrocinium non semper est superfluum ad statum vel ad decentiam status aduocati. Ergo plures tenebitur testis testificari, quam aduocatus patrocinari.

Quarta cõclusio. Aliquoties tenebitur aduocatus patrocinari indigentibus, quando neque ipse neque alij diuites tenentur dare illis pecunias vt conducat aduocatum. Vt v.g. sit casus: quòd patiatur aliquis magnam iacturam si sua causa careat patrocinio, sed tamen non incidet in tantam inopiam, vt careat necessarijs ad statum suum: quanuis non habeat vnde solua̅t pretium aduocato. Tunc aduocatus tenetur ex charitate gratis ferre patrocinium: & tamen nemo tenetur dare illi eleemosynam de bonis temporalibus. Ratio est, quia ille non indiget bonis temporalibus ad sustentationem sui status: indiget tamen patrocinio, vt non amittat quod antea habebat. Alter casus est: vbi hæc differentia ueritcatur. Sit aliquis, cuius causa si careat patrocinio conijciet ipsum in communem necessitatem. Sint etiam multi alij pauperes in simili necessitate: qui tamen non egent patrocinio. Tunc alij diuites non tenentur dare eleemosynam illi pauperi, etiam de superfluo: satisfacient enim si illam tribuant alijs pauperibus. At vero aduocatus tenetur illi patrocinari, si habet patrocinium superfluum ad decentiam sui status. Ratio est: quia solus ille pauper inter omnes alios indiget patrocinio: quod potest præstare solus aduocatus.

Quinta conclusio. Ad eundem modum proportionabiliter dicendum est de alijs officialibus iustitiæ. v.g. de procuratoribus & tabellionibus: & etiam de medicis, qui tenentur pauperes curare proportionabiliter, vt dictum est de aduocatis.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum negatur antecedens. Immo in communibus necessitatibus tenetur homo de superfluis ad decentiam status & in grauibus de superfluis ad statum in extremis autem necessitatibus tenetur dare eleemosynam de superfluis ad sustentationem personæ. Ad confirmationem patet ex quarta conclusione.

Ad secundum respondetur, quòd quanuis non ita teneatur aduocatus suscipere causam dubiam pauperis, sicut tenetur suscipere causam certam & licitam certò tamen tenebitur suscipere aliquando causam dubiam pauperis, vt declaretur eius iustitia: etiam si ipse pauper sit actor: quia in iudicijs ille qui habet vicem actoris intendit etiam se defendere ab iniuria quam patitur ab altera parte.

Ad tertium nego consequentiam. Nam quanuis aduocati stipendiati teneantur ex iustitia patrocinari pauperibus: tamen continget vel propter illorum iniquitatem, vel quia sunt valde impediti, ut non possint patrocinari. Et tunc alij aduocati tenebuntur patrocinari pauperibus.

Dubium secũdum est, An aduocatus qui ex ignorantia vel negligentia non rectè facit officium, teneatur restituere.

Respondetur & sit prima conclusio. Aduocatus qui propter ignorantiam perdit causam sui clientis, peccat contra iustitiam, & tenetur restituere totum damnum, quod inde euenit clienti. Probatur primò quia non præstat quod promisit ex pacto, accepto pretio pro patrocinio.

Secundò. Aduocatus qui caret peritia sufficienti ad suscipiendas causas peccat mortaliter contra iustitiam se obligando ad patrocinium, ergo tenetur restituere ratione iniuriosæ actionis, etiam si gratis patrocinetur.

Secunda conclusio. Si procurator sit negligens in procuranda causa peccat mortaliter & tenetur restituere de leui culpa. Prima pars huius conclusionis patet ex dictis. Secunda vero pars probatur ex ijs quæ dicta sunt supra quæst. 62. artic. 7. ubi obligauimus iudices negligentes & omnes officiales qui tenentur ex officio aliquid custodire & non custodiunt, restituere de leui culpa: & non solum de lata & ampla. Et ratio erat, quia talis custodia vergit in vtilitatem vtriusque partis, sicut ille qui conducit domum tenetur illam custodire, & restituere damna de leui culpa, & non solum de lata & ampla. Ex hac conclusione sequitur corollarium, quòd sunt in peccatò mortali omnes aduocati, qui parati sunt recipere omnes causas etiam iustas absque termino. Probatur, quia industria humana finita est, ergo deficiet sæpe in necessarijs pro singulis causis, si recipiat quotquot occurrerint.

Dubium tertium est circa quartam cõclusionem, An aduocatus suscipiens scienter causam iniustam, teneatur ad restitutionem si vincit litem, nõ solum parti contrariæ: sed etiam fisco & accusatori.

Respondetur & sit prima conclusio. Aduocatus tenetur in casu posito restituere parti contrariæ, nõ solum principale, sed etiam expensas. Hæc conclusio patet. Nam actio aduocati est iniuriosa parti contrariæ, ergo tenetur ad restitutionem totius damni.

Secunda conclusio. In eodem casu, si aduocatus non admonet clientem suum de iniustitia causæ, tenetur illi restituere expensas quas facit. Patet, quia suo mendacio vel dissimulatione perniciosa patitur cliens detrimentum illud. Si autem admonuerit illum de iniustitia causæ, nõ tenebitur restituere quicquam: quia scienti & volenti nulla fit iniuria.

Tertia conclusio. Aduocatus in casu posito, non tenetur restituere fisco vel accusatori commodum quod erant habituri, si contraria pars vinceret. Probatur. Testis falsus in eadem causa iniusta non tenetur, ut diximus quæst. 70. artic. 1. restituere fisco, ergo neque aduocatus. Patet cõsequentia à fortiori, quia vt habetur in cap. non sanè, 14. quæst. 5. & in D. Tho. artic. 4. ad tertium. Hæc est differentia inter testem & aduocatum, quòd testis adhibetur ad manifestationem veritatis inter utramque partem æqualiter: sed aduocatus adhibetur in fauorem unius partis, ergo si testis non tenetur restituere fisco: multo minus aduocatus.

Circa

Circa quartam conclusionem aduertendum est etiam, quòd aduocatus suscipiens causam iniustam, semper est periurus: quia secũdum leges Regni præstat iuramentum in initio causæ, quòd non sit defensurus causam iniustam.

Dubium quartum est circa sextam cõclusionem, ad quid teneatur aduocatus qui processu litis cognoscit susceptã causam esse iniustam. Et arguitur contra conclusionem D. Thomæ, in eo quòd dicit quòd non tenetur prodere causam parti contrariæ. Testis etiam non rogatus tenetur ferre testimonium quãdo necessarium est ad liberãdum proximum ab iniquo damno: sed aduocatus in casu posito scit aliquid per quod contraria pars liberabitur à damno iniquo v.g. à morte, ab infamia, ab amissione bonorum, ergo tenebitur suo testimonio contrariam partem adiuuare, etiam si non debeat patrocinari pro illa.

Ad hoc dubium respondetur & sit prima conclusio. In causis criminalibus concludit argumentum.

Secunda cõclusio. In ciuilibus causis rarò aut nunquam tenetur aduocatus ferre testimonium pro cõtraria parte. Probatur. Nam officium aduocati est defendere causam suæ partis quantum in se fuerit, & propterea reuelantur illi secreta quædam, quæ nõ reuelarentur nisi esset patronus, ergo valde indeces esset & scandalosum, reuelare huiusmodi secreta, nisi magna & euidenti necessitate vrgente.

Nihilominus sit tertia conclusio. Potest contingere casus in ciuilib̃ causis vbi aduocatus teneatur testificari pro parte contraria. Vt v.g. si pars contraria amissura est totum censum suum aut magnam pecuniæ summam, vnde decidet à suo statu. Tunc aduocatus tenetur meliore modo quo poterit admonere partem contrariam de iniustitia suæ partis: & si opus fuerit testificari. Hanc probat etiam argumẽtum factum. Et confirmatur. Nam secretum huiusmodi non obligat cum tanto detrimento partis contrariæ: sed satis fuerit, quòd in multis casibus teneantur alij testificari in quibus aduocatus neque debet neque potest testificari.

Dubium quintum est, An aduocatus suscipiens causam euidenter iustam peccet contra iustitiam, si vtatur cautelis & mendacijs præsentando scripturas falsas, & alia huiusmodi faciendo. Respondetur & sit vnica conclusio. Talis aduocatus non peccat cõtra iustitiam, ac proinde nec tenetur ad restitutionem. Probatur, quia nullam iniuriam facit parti contrariæ: quin potius impedit eam ab iniuria facienda. Et rursus non peccat contra iustitiam iudicis aut iudicij. Probatur, quia iudicium contrarium suæ parti esset iniustum, ergo simpliciter non esset iudicium, ac per consequens non peccat contra iustitiam si quis faciat contra tale iudicium. Sed nihilominus aduocatus peccabit peccatum mendacij aut periurij, si ipse iurat falsum aut alios iurare facit. Itẽ probatur conclusio. Quia testis non peccat contra iustitiam si testificatur falsum in eadem causa, ergo neque aduocatus. Patet consequentia. Nam testis, vt diximus, est communis vtrique parti, aduocatus verò tãtum tenetur respicere ius suæ partis & illud defendere. Sed maxime aduertendum est, q̃ hæc conclusio non habet verum ex eo q̃ alicui Iurisperito aduocato videatur sua causa iusta: sed habebit verum quando causa iudicio omnium aut fere omniũ Iurisperitorum iusta est.

Dubium sextum est, An liceat aduocato utramlibet partem causæ dubiæ suscipere? Pro cuius expositione nota, quòd est triplex gradus causæ dubiæ. Primus gradus est, quando vtraque pars habet pro se æquales rationes, doctores pares, authoritate & numero, aut ferè pares. Secundus gradus est, quando altera pars est verosimilior, & habet plures Iurisperitos & maioris autoritatis fautores: nihilominus altera pars est probabilis, & habet pro se Iurisperitos non contemnendæ autoritatis. Tertius gradus est, quando altera pars vsque adeò probabilior & verosimilior est, quòd altera pars reputetur parum probabilis, etiam si aliquando & raro aliqui iudices sequantur illam propter rationes sophisticas & apparentes, quas habet. Arguitur primo pro parte negatiua, quòd non sit licitum in primo gradu suscipere causam alterius partis. Nam ipse actor peccat contra iustitiam agendo contra alteram partem, ergo aduocatus similiter peccat fauendo illi. Antecedens probatur. Nam in dubijs melior est conditio possidentis, ergo actor qui vult & intendit deturbare à possessione alteram partem, peccat contra iustitiam.

Secundò. Iudex in simili causa dubia tenetur ferre sententiam in fauorem possidentis, ergo actor & aduocatus peccat contra iustitiam agendo contra possessorem.

Tertiò. Si ille aduocatus in casu dubio admoneret Regem, vt inferret bellum alteri Regi qui est in possessione, peccaret contra iustitiam, ergo in casu posito peccat. Antecedens probatur. Quia bellum non potest inferri contra possessorem in casu dubio. Hæc tria argumenta probare intendunt quòd non possit aduocatus suscipere causam actoris in casu dubio.

Sed arguitur quartò, quòd non possit suscipere causam rei maxime in secundo gradu dubietatis. Nam aduocatus iudicat contrariam partem esse probabiliorem, ergo agit contra scientiam & conscientiam suscipiendo partem minus probabilem. Et confirmatur. Si aduocatus doceret in cathedra opinionem minus probabilem contra probabiliorem peccaret, ergo multo magis peccat illam defendendo in iudicio contra probabiliorem.

Quintò. Si ille aduocatus constitueretur iudex in eadem causa: peccaret contra iustitiam ferendo sententiam in fauorem illius partis, similiter peccat patrocinando. Patet consequentia. Quia tam iudex quam aduocatus debent procedere secundum iura.

PRO decisione dubij sit prima conclusio. In tertio gradu dubietatis peccatum est contra iustitiam defendere causam minus verosimilem. Ratio est, quia illa pars moraliter loquendo ferè ab omnibus reputatur falsa: & eius contraria ferè demonstrata, ergo aduocatus ille iniuriam facit parti contrariæ.

Secunda conclusio. In primo gradu dubietatis licitum est aduocato vtramlibet partem defendendã suscipere, etiam in fauorem actoris. Probatur primo ex communi omnium consensu. Nam taliscausæ reputantur ab omnibus propria materia litis: & omnes confugiunt ad iudicem tanquam ad iustũ animatum, vt constituat medium inter actorem & reum in huiusmodi causis. Item etiam quia in casu dubio vnusquisque potest magis sibi prospicere quã alteri per media proportionata: est autem proportionatissimum medium confugere ad iudicem qui habet publicam autoritatem dicendi ius vnicuique. Tertia conclusio. Non est peccatum contra iustitiã, quòd aduocatus suscipiat actoris partem minus probabilem in secundo gradu. Probatur primo argumentis factis pro conclusione. 2. Item etiam probatur, quia contingit sæpe, quòd causa quæ in initio litis videbatur minus probabilis, postea in processu euadat magis probabilis, facta examinatione diligenti,

gentl, ergo prudentia est, talem causam suscipere, dummodo habeat probabilitatem. Confirmatur. Iu dices probi & recti solent aliquando iudicare secun dum illam partem probabilem, vel quia sibi probabi lior videtur, vel quia tenent opinionem dicentium quòd potest practicari opinio probabilis, relicta pro babiliore, ergo aduocatus iuste & prudenter suscipit talem causam: quia ad illum non spectat ferre senten tiam, sed tantum explicare ius suæ partis. Sed adu erte quod in huiusmodi causis tenetur aduocatus admonere clientem suum de minore probabilitate suæ causæ, si forte nolit facere expensas litigando, aut velit se componere cum parte contraria, possit hoc libere facere. Alias si non admonuerit tenebi tur restituere clienti suo expensas suas & omne de trimentum.

Quarta conclusio. Aduocatus qui in causis crimi nalibus aut in ciuilibus, vbi agitur de periculo rei ali cuius, ita vt incidat in grauem aut in extremam ne cessitatem, peccat contra charitatem, si suscipiat par tem actoris minus probabilem. Probatur. Quia qui libet tenetur succurrere proximo existenti in graui aut in extrema necessitate, ergo, &c. Et confirma tur. Aduocatus tenetur in tali casu ex charitate pa trocinari, reo existenti in extrema vel graui necessi tate, ergo multo minus licitum erit adiuuare actorem contra reum. Et denique ipse actor peccat mor taliter contra charitatem agendo contra reum, ergo & aduocatus illi fauendo. Et per hanc conclusionē oportet explicare quod dicit Soto lib. 5. de iustitia, q. 8. articulo 3. vbi habetur non esse licitum quod dici mus in tertia conclusione. Probant etiam hanc con clusionem argumenta quæ fecimus in principio pro parte negatiua. Superest tamen respondere ad ipsa met quatenus aduersantur alijs conclusionibus.

Ad primum negatur antecedens. Ad probationē respondetur, quòd non propterea dicitur esse melio ris conditionis qui possidet: quia nemo potest liti gare contra illum. Sed iudex facta examinatione, si adhuc causa fuerit dubia in primo gradu dubietatis debet ferre sententiam in fauorem possidentis.

Vnde ad secundum respondetur, nego consequē tiam. Et ratio discriminis est, quia officium iudicis est distinctum ab officio aduocati: etenim iudicis est dicere ius inter vtramque partem: aduocati verò ex plicare & defendere ius vnius partis.

Ad tertium negatur consequentia. Et ratio discri minis est, quia inferre bellum est executio sentētiæ. Vnde non est licitum inferre bellum in causa dubia, in primo gradu dubietatis contra possidentem. At verò litigium licitum est, quia est inuestigatio verita tis & iustitiæ inter vtranque partem. Quapropter, si Rex ille possidens nollet, vt per litem ueritas pate fieret, tunc posset alius Rex mouere bellum. Et no tandum est in hac parte, quòd hæc est differentia in ter bellum & litem, quòd bellum nunquam potest dari iustum ex vtraque parte, nisi supposita ignoran tia, etiam quando res dubia est, & hoc dubium scī tur ab utraque parte. Cæterum lis bene potest esse iusta inter vtramque partem in causa dubia, non sup posita ignorantia huius dubietatis. Ad quartum re spondetur ex tertia conclusione.

Ad confirmationem negatur consequentia, quia officium doctoris est docere quamlibet opinionem in eo gradu probabilitatis quem habet: officium ve ro aduocati est sui clientis ius ostendere & defende re. Ad quintum iam patet ratio discriminis ex solu tione ad secundum.

Iam vero disputandum nobis est circa pretium iu stum pro patrocinio aduocatorum. De qua re di-

A cit Diuus Thomas in 7. & 8. conclusione.

Dubium primum sit, an lex illa. 21. quæ habetur titul. 16. lib. 2. Recopilationis factæ sub Philippo II. sit lex iusta & obligans in foro conscientiæ. Pro par te negatiua arguitur primò. Lex illa statuit, vt aduo catus non accipiat plus pretij pro petitionibus ordi narijs quam duos argenteos pro singulis: sed ipsi nō possunt sustentare suum statum, nisi amplius acci piant, ergo, &c.

Secundò. Illa lex non est in vsu, quin potius ipsi aduocati sæpe supplicauerunt Regem vt legem il lam mitiorem faceret, ergo non obligat in con scientia.

B Respondetur ad hoc & sit prima conclusio. Illa lex est obseruanda in foro conscientiæ: & aduocati tenentur ad restitutionem si amplius acceperint. Pro batur. Quia illud pretium est iustum legitimum, er go iniquum est amplius accipere. Respondetur ve ro ad primam obiectionem, quòd aduocati bene pos sunt sustentare suum statum decentem etiam si non accipiant pro petitionibus ordinarijs ni si duos ar genteos. Cæterum si volunt sustentare statum suum vt illustrissimi in republica, non licet tantum alienis bonis triumphare.

Ad secundum respondetur, quòd ille vsus est abu sus ipsorum. Nam Rex respondit ipsorum petitio-

C ni sæpe numero, *que su peticion non ha lugar, sino que se guarde la ley.*

Secunda conclusio. Quando pretia non sunt lege taxata, possunt aduocati pacisci cum suis clientibus de pretio, habita ratione causę & sufficientiæ aduo cati & aliarum circunstantiarū sicut in contractu emptionis & venditionis solent obseruari. Ista con clusio habet sex legitimas moderationes. Prima mo deratio, quòd conuentio de pretio fiat initio litis an tequam aduocatus legat scripturas suæ partis. Hæc habetur in l. 7. vbi supra. quæ moderatio est in fauo rem clientis: vt libere possit pacisci de pretio iusto. Nam si semel aduocatus legerit scripturas, iam ipse

D cliens deprehensus est, & timebit ne prodat aduoca tus suam causam. Sed notandum est, quòd defectus huius moderationis non inducit obligationem re stituendi in foro conscientiæ: si tamen pretium fuit iustum. Secunda moderatio est. Non potest aduoca tus conuenire cum cliente de parte aliquota ipsius valoris de quo litigatur, scilicet, de tertia parte vel quinta, &c. Hæc moderatio habetur. in l. 8. vbi su pra. Item in l. litem. C. de procuratoribus. & in l. si qui. C. de postulando. & in l. sumptus. ff. de pactis. Ité 3. quæst. 7. cap. infamatus. & nota quòd ista modera tio potius respicit bonum commune & legale, quā bonum clientis. Si enim aduocatus non haberet

E aliud pretium certum, nisi partem aliquotam eius quod per litem exigeretur, acciperet occasionem ca lumniosè litigandi & perturbandi tribunalia. Si au tem iam certus est de suo pretio, siue vincat siue non vincat litem: non habebit occasionem huiusmodi iniquitatis. Ex hac moderatione sequitur, quod nō tenebitur aduocatus ad restitutionem faciendam ali cui in foro conscientiæ: si tamen pars aliquota de qua fecit pactum fuerit iustum pretium aliàs sui la boris. Probatur. Quia nulli fecit iniuriam contra iustitiam commutatiuam: sed legitime litigauit. Ter tia moderatio est. Non potest pacisci aduocatus, vt detur sibi certa summa pecuniæ & determinata, si vicerit litem, vel in pretium vel etiam vltra pretium. Hæc habetur vbi supra. in l. 8. & habet eandem ratio nem quam secunda moderatio. Quod si vltra iusti pretium aliquid acceperit pro victoria, tenetur resti tuere. Verum est tamen, quòd Alexander & Salice-

tus.

tus, in l. litem. C. supra aiunt, quòd aduocatus potest suscipere modicum quid pro victoria. Idem sentit Nauarrus in Manuali. cap. 25. numero. 30. Nihilo minus quāuis stando in solo iure communi, verum habeat hæc opinio: tamen in Hispania non est licī tum quicquām accipere pro victoria: quia est con tra leges Regni expressas. Quarta moderatio non potest aduocatus assecurare victoriam litis, postula to pretio pro assecuratione. Hæc habetur. in l. 8. vbi suprà. & ibidem habetur quinta moderatio. Non po test aduocatus pacisci cum cliēte quòd ipse proprijs expensis litem aget & finiet: si dederit sibi certū pre tium. Sexta & vltima moderatio. Quòd non exce dat stipendium aduocati vigesimam partem ipsius

B quod per litem intenditur: dummodo talis vigesī ma pars non excedat summam triginta mille dipon diorum, & hoc pro aduocatis in consilio Regio aut in Cancellaria. Pro alijs vero aduocatis, statuitur vt vigesima pars nō excedat summam quindecim mil le dipondiorum. Ista moderatio habetur expressè. in l. 18. 19. & 20. vbi supra.

Tertia conclusio. Aduocatus qui pro taxatione pretij debiti pro petitionibus maioris momenti nō adit iudicem, vt taxet pretium: non tenetur ad resti tutionem, si tamen pretium quod accipit iustum sit, quale etiam iudex taxaret. Probatur, quia non dam nificat clientem in aliquo: sed tantum peccat contra

C iustitiam legalem: nisi forte ipse iudex remittat ad uocato, vt conueniat de pretio cum cliente. Et hic est frequentissimus vsus in nostra republica. Sed ta men aduersus illam legem citatam argumentantur vehementius aduocati. Nam iustum rerum pre tium variatur pro loco & tempore, sed lex illa quæ taxat duos argenteos pro singulis petitionibus ordi narijs facta est anno 1495. vt patet in l. 54. in Copi latione antiquarum pragmaticarum sub Ferdinan do & Isabella, quo tempore pretium duorum argen teorum erat maximum, ergo modo non est iustum pretium. Patet consequentia. Quia nunc rerum pretia multo maiora sunt. Et confirmatur. Nam

D omnium artificum pretia creuerunt, ergo cum ad uocati officium non sit minus vtile reipublicæ, nec minus honorificum, siquidem proficit ad pacem reipublicæ, debet etiam esse maius pro tempore.

Ad hoc argumentum respondetur, quòd iustum pretium rerum auget inopia rerum seu mercium: si cut minuit multa copia mercium. Dicimus ergo, quòd non est mirum vt pretium aduocatorum iu stum pro petitionibus ordinarijs modo sint duo ar gentei: quia sunt plurimi & ferè infiniti aduocati: olim autem vnus Bachalaureus in legibus digito si gnabatur. Secundò respondetur, quòd olim erant pauciores lites quam nunc, & ex consequenti peti

E tiones pauciores: vnde necessum fuit quòd pretium petitionis ordinariæ esset olim sufficiens ad susten tationem aduocati, quia vix optimus aduocatus po terat obtinere vnam petitionem pro singulis diebus. Nunc autem vel mediocris aduocatus obtinet qua tuor vel quinq; petitiones pro singulis diebus. Vn de bene potest sustentari. Eo vel maximè possunt adiuuari aduocati petitionibus extraordinarijs & stipendijs annuis ad suam sustentationem. Ad con firmationem respondetur, quòd aduocati officium habet nunc etiam maius stipendium si collectiuè cō sideretur: eo quòd sunt plurimæ petitiones ordina riæ & extraordinariæ.

Secundò argumentantur aduocati. Petitiones or dinariæ non sunt omnes æquales, ergo non debet es se æquale pretium illarum.

Ad hoc argumentum respondetur alio exemplo.

A Triticum omne non est æqualis bonitatis, & tamē idem est pretium taxatum lege. Ita etiam lex cum non posset prouidere pro singulis petitionibus ordi natiis maius & minus pretium, taxauit maximum pretium pro maxima petitione ordinaria. Pro extra ordinariis vero remisit pretium taxandum iudici, in cuius tribunali causa agebatur.

Tertiò argumentantur aduocati. Lex illa non ha bet maiorem vim obligandi, propterea quòd in no ua Copilatione sit collecta, quam ante copilationē. Sed antea non obligabat, ergo neque modo obli gat. Et confirmatur. Nam in illa copilatione sunt multæ leges quæ non obligant: vt leges duelli, quæ

B omnino sunt iniquæ, & leges de synagogis ædifi candis. Ad hoc respondetur, quòd post latam legem illam, nūquam fuit licitum exigere plusquam duos argenteos pro ordinaria petitione. Cæterum illæ leges duelli iniquæ sunt & iam omnino abrogatæ: aliæ verò cessauerunt, quia cessauit materia: vt le ges de synagogis Iudæorum.

Dubium secundum est, An pro stipendio annuo, quod dicitur, *partido*, teneatur aduocatus omnes causas clientis occurrentes suscipere. Videtur quòd sic. Primò. Medicus tenetur curare omnes infir mitates pro tali stipendio in domo vel communita te, ergo similiter aduocatus. Confirmatur. Scienti

C & volenti non fit iniuria, sed aduocatus sciens facit tale pactum, ergo tenetur.

Secundò arguitur ex. l. 18. titul 16. lib. 2. nouę Co pilationis. vbi dicitur, quòd aduocatus ratione sti pendij accepti tenetur suscipere causam clientis, & præstare omnia, quæ fidelis aduocatus debet præ stare.

In oppositum est, quòd talia annua stipendia sunt minimi valoris. Nam ad summam attingunt tria vel quatuor millia dipondiorum, ergo iniquum est obligare aduocatum pro talibus stipendiis ad causas magnas & magni momenti. Notandum est quòd in l. 10. vbi supra. Cautum est vt huiusmodi annua stipendia non sint palliationes frangendi leges Re gni, quæ de stipendiis aduocatorum loquuntur. Sed iudices habita ratione litium & pretii earum, determinent, vt quod legibus taxatum est seruetur paulò plus minusve, & ideo cauēdum est, ne annua stipendia sint magna.

Sit igitur conclusio. Non tenentur aduocati pro huiusmodi stipendiis annuis minimis, quæ sunt in vsu, lites magni momenti suscipere. Ratio est, quia illud stipendium debitum est illis alio titulo: vel quia se obligant ad patrocinandum quando opus fuerit in causis iustis, & ad non suscipiendas causas contrariæ partis. Item obligant ad quasdam commu

E nes diligentias faciendas. v. g. ad faciendas commu nes petitiones.

Dubium tertium, An aduocatus pro lite & patro cinio iniquo possit accipere pretium. Prima con clusio. Peccatum mortale est iniustitiæ contra par tem contrariam recipere tale pretium: non tamen contra clientem. Secunda conclusio. Cliens qui de dit tale pretium non potest repetere in foro exterio ri. Tertia conclusio. Stando in solo iure naturæ ad uocatus non tenetur restituere tale pretium: imò probabilius est, quòd neq; de iure positiuo tenetur restituere. Similes conclusiones proposuimus quęst. præcedenti, artic. vlt. de falso teste: & eisdem ratio nibus probabuntur istæ.

Dubium quartū est, An liceat aduocatis recipere dona & munera: & simul etiam definiemus de reli quis officialibus iudicii. De qua re sunt aliquot leges Regni iustissimæ. In primis enim est lex 16. titu. 5.

lib. 2. Copilationis citatæ: vbi dicitur de omnibus iudicibus supremi Senatus, Cancellariæ, & de iudicibus Cantabriæ, & de iudicibus nobilium, de notarijs & relatoribus, de tabellionibus, procuratoribus, & fiscalibus: quòd non possunt accipere munus aliquod, neque donum neq; esculenta neque poculenta ab eo qui litem habet, vel habiturus creditur breui, vel de proximo habuerit: ita ut neque per se neque per aliam personam, nec directè, nec indirectè, aliquid recipiant. Præterea in lib. 3. titu. 9. in l. 5. omnes iudices prohibentur accipere munera quælibet ab eis qui coram eis lites habent vel habituri existimantur. Et nota quòd ibidem. l. 6. definitur, quòd ad condemnationem iudicum qui munera accipiunt sufficiant tres testes singulares. De aduocatis verò titu. 16. lib. 2. ubi supra dicitur: quòd non recipiant ali quid nisi forte aliqua esculenta & poculenta in parua quantitate. Imo. l. 19. & 21. eiusdem tituli dicitur, quòd non recipiant amplius pretium quam quæ fuerit taxatum secundum leges: *aunque la parte se lo de de su voluntad*. De tabellionibus autem est in lib. 4. tit. 27. lex vnica, quæ habet titulum, *El aranzel de los escriuanos*, vbi singula pretia pro singulis scripturis taxantur generaliter omnibus tabellionibus. Et ibidem dicitur. *Y mandamos que no puedan lleuar ni lleuen los dichos escriuanos en lo judicial ni en lo no judicial mas de lo que de suso esta declarado, quanto quier que la parte se lo de graciosamente*. Vbi notandum est, quòd quanuis donatio libera stando in solo iure naturæ transferat dominium, potest tamen impediri translatio lege positiua. Dubium ergo nostrum est, An de facto per leges citatas impediatur translatio dominii per tales donationes in ipsos officiales, An potius sint tantum leges pœnales.

Arguitur primò, quòd transferatur dominium. Quando leges humanæ volunt impedire huiusmodi translationem & irritare contractus: vtuntur verbis specialibus, v. g. quòd sint incapaces & inhabiles ad sic recipiendum, sed leges citatæ solum prohibẽt ne fiant tales donationes sub certis pœnis, ergo transfertur dominium. Et confirmatur à simili. Per ludũ alearum lege prohibitum transfertur dominium, ergo per huiusmodi donationes. Secundò. Leges prohibentes tales donationes, partim sunt pœnales, partim fundantur in præsumptione, ergo non obligãt in foro conscientiæ ad restituendum acceptum, maxime cessante veritate præsumptionis. Antecedens probatur referendo rationes propter quas interdicuntur istæ donationes. Quarum prima est ad puniendam auaritiam officialium. Quæ ratio efficit legem pœnalem. Secunda ratio est, vt tollatur à tribunalibus suspicio corrupti iudicii. Istæ duę rationes insinuant satis, quòd quando reuera iudex nõ corrumpitur per munera, non teneatur illa restituere. Tertiam rationem possumus adhibere. Quoniam talis donatio licet videatur specie & facie tenus libera: tamen reuera libera non est, sed inuoluntaria: & talis præsumitur in iure.

Tertiò. Authores qui negant validas esse istas donationes & transferre dominium, idcirco negant quia officiales accipiunt stipendia, à republica, ergo saltim officiales, qui nõ sunt stipendiati, poterunt recipere eiusmodi munera.

Sed in oppositum est, quòd lib. 2. *de las ordenanças Reales*, titul. 3. l. vlt. dicitur. *Otrosi juren los de nuestro consejo que guardaran estas ordenanças, &c. de suerte que el que lo contrario hiziere, sea obligado desde luego en el fuero de la consciencia a pagar la dicha pena, sin que espere otra condenacion: quantoquier que la culpa sea occulta*. Et Soto in lib. 1. de iustitia, quæst. 6. artic. 6. ad tertium membrum quarti argumenti principalis, inquit, quòd ipsi officiales tenentur soluere pœnam suorum delictorum ante iudicis sententiam: quia isti acceptauerunt & iurauerunt tales leges. Est enim illa pœna conuentionalis ex pacto iusto.

PRO decisione huius dubii notandum est: quòd donationes quæ fiunt officialibus secundum apparentiam liberæ, sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt quæ vulgo dicuntur, *presentes y dadiuas*. Et huiusmodi habent totaliter apparentiam liberæ donationes. Aliæ verò sunt, quæ fiunt per modum pretij aut quasi pars pretij. Vt v. g. quando tabellionibus soluitur amplius pretium, quàm sit taxatum pro labore. Et quanuis officialis ipse dicat, sibi non deberi tantum pretij. Respondet pars: ꝙ ipsa liberè vult donare.

Sit ergo prima conclusio. Donatio primi generis est omnino nulla: neque transfert dominium, sed potius recipiens tenetur restituere ei, qui dedit ante iudicis sententiam: etiam si dicat se liberaliter dedisse. Probatur. Nam leges citatæ continent pacta quædam conuentionalia quę obligant in foro conscientiæ: vt seruetur pactum, ergo talis donatio nulla est. Et confirmatur. Nam si aliquis maritus reliquit uxori legatum, ea conditione ut non nubat: si nupserit tenetur in foro conscientię restituere legatum hæredibus, qui succedunt ab intestato, ergo similiter in casu. Secundò probatur. Quia fuit valde necessum in Hispania pro bono communi litigantium: vt huiusmodi donationes essent nullæ, quia Hispanica natio hoc habet peculiare præ cæteris nationibus quę appetit videri magnifica in donationibus suis, ergo necessarium fuit ne litigantes maximum impedimentum & detrimentum parerentur, quòd huiusmodi donationes essent nullæ. Et confirmatur. Quia etiam si liberaliter aliqui munera alij tamen litigãtes inuoluntariè dabunt, ne uideantur parci & miseri: & ne eorum negotia negligenter tractentur ab officialibus.

Secunda conclusio. Donatio secũdi generis quanuis sit prohibita, non tamen irrita iure Hispanicũ, neque officialis tenebitur ad restitutionem ante iudicis sententiam. Hanc conclusionem possunt probare argumenta facta pro parte affirmatiua. Itẽ quia leges illæ, quæ vnr esse conuentionales, loquuntur de donationibus, quas vulgo dicimus, *presentes y dadiuas*, sed donatio secundi generis non dicitur, *presente o dadiua*, ergo non tanto rigore loquendum est de huiusmodi donationibus. Item etiam confirmatur. Nam illud inconueniens ad quod uitandũ necessaria fuit lex propter cõditionem nationis Hispanicæ, non habet locum in huiusmodi donationibus: quando enim damus aliquid amplius per modum pretij, contenti sumus dare parum amplius: neque ibi affectamus magnificentiam, sicut in donationibus, quæ purè sunt donationes.

Tertia conclusio. Vtraque donatio prædicta vt in plurimum de facto est nulla. Probatur, quia de facto & vt in plurimum est inuoluntaria, ergo non transfert dominium. Probatur antecedens, nam ferè omnes soluunt amplius pretium officialibus: quia alias non rectè illi faciunt suum officium, ergo hoc potius est redimere uexationem, quam liberalem esse. Et confirmatur, quia finita lite, pauci aut nulli sunt, qui huiusmodi donationes faciant: nisi expectent se cito habituros litem aliam. Quod si aliqui fecerint donationem lite omnino finita, valida erit.

Vltima conclusio. Pœnam quadrupli aut decupli non

non tenetur aduocatus vel alius officialis soluere ante condemnationem iudicis. Probatur, quia illæ leges sunt pœnales, ergo non obligant ad soluendam pœnam legis ante condemnationem iudicis.

Ad argumenta verò pro parte affirmatiua respondetur. Ad primum dico, ꝙ sufficiens ratio est ad irritandas illas donationes primi generis, quòd illæ leges includunt pacta conuentionalia.

Ad secundum respõdetur, quòd illę leges qua parte sunt pœnales, non obligant in foro conscientiæ ad soluendam pœnam, vt dicit quarta conclusio. Qua verò parte fundantur in præsumptione, ordinantur ad bonum commune ad quod, vt ostendimus necessarium est, ut donationes sint irritæ: etiã si sint voluntariæ. Vnde impertinens est, quòd ipsa præsumptio sit vera aut falsa in casu particulari: non enim fundatur in sola præsumptione.

Ad tertium respondetur, quòd probat iudices & fiscales magis obligari ad non recipienda munera: quia cum illis est magis expressum pactum: eo quòd recipiunt stipendium. Sed nihilominus etiam alij officiales obligantur eisdem legibus, eo ꝙ cum illis est pactum, quando admittuntur ad huiusmodi officia publica honorifica & vtilia ea conditione, vt non recipiant munera: sed contenti sint stipendiis à lege taxatis.

Ad argumentum verò pro parte negatiua respondetur, quòd illa lex ordinamenti nunquam fuit in vsu, & si aliquando fuit in vsu, iam non est in vsu: quia nisa est difficilis & quasi impossibilis ad seruandum. Quare merito exclusa est à noua Copilatione legum sub Philippo Secundo. Denique attendant omnes confessarii, ut interrogent eiusmodi officiales. An sciant omnia statuta sua, & an fecerint contra statuta quæ specialiter iurant seruare. Nam si fecerint contra: sunt periurij. Si autem fecerint contra alia statuta: quæ iurant in communi, nõ sunt periurij: quia iuramentum intelligitur ferri in omnes ordinationes in communi iuxta vniuscuiusque materiam. Si autem aliquis officialis nullam habet rationem suorum statutorum, non solum peccat mortaliter, sed etiam est periurus, etiam si nullum statutum iurauerit in particulari. Pertinebit autem ad confessorem, scire quando officialis teneatur restituere, vel saltem scire dubitare: vt interroget doctiorem se: qui si non fuerit in promptu: poterit absoluere pœnitentem, obligando illum, vt postea stet sententiæ alicuius magistri aut doctoris sufficientis. Atque hactenus de iniurijs quę fiunt in iudicio.

QVAESTIO LXXII.

De Contumelia.

Deinde considerandum est de iniurijs verborum, quæ inferuntur extra iudicium. Et primò, de contumelia, secundò, de detractione: tertiò, de susurratione: quartò, de maledictione. Circa primum queruntur quatuor.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm contumelia consistat in verbis.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd contumelia non cõsistat in verbis. Contumelia .n. importat quoddã nocumentũ proximo illatum, cùm pertineat ad iniustitiam. Sed verba nullũ nocumentum videntur inferre proximo nec in persona, nec in rebus. Ergo contumelia non consistit in verbis. Q. 57. art. 1. Et psal. 43. col. 6. Et Rom. 1. lect. 8. corp. 4.

2. Præterea. Cõtumelia videtur ad quãdam dehonorationem pertinere. Sed magis aliquis potest inhonorari, seu vituperari factis, quàm verbis. Ergo videtur, ꝙ cõtumelia non consistat in verbis, sed magis in factis.

3. Præterea. Dehonoratio, quæ fit verbis dicitur cõuitium vel improperiũ. Sed contumelia videtur differre à conuitio & ab improperio. Ergo contumelia non cõsistit in verbis.

Sed contra. Nihil auditu percipitur nisi verbum. Sed contumelia auditu percipitur, secundum illud Ieremiæ 20. Audiui contumelias in circuitu. Ergo contumelia est in verbis.

Respondeo dicendũ, ꝙ contumelia importat dehonorationẽ alicuius. Quod quidem contingit dupliciter. Cum .n. honor aliquã excellentiã cõsequatur, vno modo aliquis aliũ dehonorat, cũ priuat eum excellentia, propter quã habebat honorem, quod quidẽ fit per peccata factorum, de quibus suprà dictũ est †. Alio modo cũ aliquis id quod est contra honorẽ alicuius, deducit in notitiã eius & aliorum. Et hoc propriè pertinet ad cõtumeliã, quod quidem fit per aliqua signa. Sed sicut † Augu. dicit in 2. de doctrina Christ. omnia signa verbis cõparata, pauciſſimã sunt. Verba .n. inter homines obtinuerunt principatũ significãdi quæcunq; animo concipiuntur. Et ideo contumelia, propriè loquẽdo, in verbis cõsistit. Vnde Isidor. † dicit in libro Etymo. ꝙ contumeliosus dicitur aliquis, quia velox est, & tumet verbis iniuriæ. Tamen Q. 64. 65. & 66. Lib. 2. ca. 5. cit. me. tom. 3. Lib. 10. c. 3. incipit. Clatus: parũ ante medium.

men quia etiam per facta aliqua significatur aliquid, quæ in hoc ꝙ significant, habent vim verborum significantiũ, inde est ꝙ contumelia extenso nomine, etiam in factis dicitur: Vnde Rom. 1. super illud, Cõtumeliosos, superbos, dicit gl. † ꝙ contumeliosi sunt, qui dictis vel factis contumelias & turpia inferunt.

Gl. interinea. ibi.

Ad primum ergo dicendũ, ꝙ verba secundum suam essentiam, id est, inquantũ sunt quidam soni au dibiles, nullum nocumentum alteri inferunt, nisi fortè grauando auditum, puta cum aliquis nimis altè loquitur. Inquantum verò sunt signa repræsentantia aliquid in notitia aliorũ, sic possunt damna multa inferre, inter quę vnum est, ꝙ homo damnificatur quantũ ad detrimentum honoris sui, vel reuerentiæ sibi ab alijs exhibendæ. Et ideo maior est contumelia, si aliquis alicui defectũ suum dicat coram multis, & tamen si sibi soli dicat, potest esse contumelia, in quantum ipse qui loquitur iniustè, contra reuerentiã audientis agit.

Ad secundum dicendum, ꝙ in tantum aliquis aliquem factis dehonorat, in quãtum illa facta vel faciunt, vel significant illud quod est contra honorẽ alicuius, quorum primum nõ pertinet ad contumeliã, sed ad alias iniustitię species, de quibus supra dictum est †, secundum verò pertinet ad contumeliam, inquantum facta habent uim uerborum in significando.

Q. 64. 65. & 66.

Ad tertium dicendum, ꝙ conuitium & improperium cõsistunt in uerbis, sicut & contumelia, quia per hæc omnia repręsentatur aliquis defectus alicuius in detrimẽtum honoris ipsius. Huiusmodi autem defectus est triplex. s. defectus culpę, qui repręsentatur per uerba cõtumeliosa. Et defectus generaliter culpę & pœnę, qui repręsentatur per conuitium, quia vitiũ cõsueuit dici non solũ animę, sed etiã corporis. Vnde si quis alicui iniuriosè dicat eũ esse cæcum, conuitium quidem dicit, sed non contumeliã. Si quis autem dicat alteri: quod sit fur, non solum conuitium, sed etiam contumeliã infert. Quandoq; verò præsentat aliquis alicui defectum minorationis, siue indigentiæ, qui etiam derogat honori consequenti quamcunq; excellentiã & hoc fit per verbũ improperij. Quod propriè est, quando aliquis iniuriosè alteri ad memoriã reducit auxilium, quod cõtulit ei necessitatem patienti. Vnde dicitur Eccles. vicesimo, Exigua dabit, & multa improperabit. Quandoq; tamen vnum istorum pro alio ponitur.

Conclusio est affirmatiua.

COMMENTARIVS.

IN hoc articu. est primo aduertendum, ꝙ D. Thom. à q. 72. vsq; ad 77. agit de quinq; speciebus iniuriarum quæ cõsistunt in verbis extra iudicium, quæ sunt contumelia, detractio, irrisio, susurratio, & maledictio, de quibus agunt Summistæ in eisdem verbis. Soto lib. 5. de Iustitia, à q. 9. vsq; in finem. Secundo est notandum, ꝙ contumelia propriè loquendo consistit in verbis. Nam cõtumelia est deducere peccatum alterius in notitiam eius & aliorũ. Hoc aũt propriè loquendo fit signis & verbis, quæ habent rationem significandi & explicandi, consistit vero in factis, nõ quatenus facta sunt: sed quatenus induunt rationem verbi & signi: qua ratione, facta etiam in diuini s literis, aliquando uerba appellãtur. V. g. effregit quis domum non vt inferret contumeliam, sed vt furaretur, fur est nõ contumelio sus. Verum si id effecisset in vilipẽdium alterius, illud factũ induit rationem verbi, & significat se alterũ vilipendere, & sub hac consideratione induit rationem cõtumeliæ. Item si quis alterum percutiat fuste, non vt vilipendat, percussore est nõ contumelio sus: si vero id faciat in contemptũ alterius, principalius & formalius hẽt rõnem contumeliæ. Verum est, ꝙ pñt reperiri in eodem facto duæ malitiæ & duæ rationes formales, quod eleganter aduertit Caiet. in hoc arti. Vna tñ se habet veluti materialiter respectu alterius. Tertiò est aduertendum, cũ D. Tho. in solut. ad 3. ꝙ conuitium differt à cõtumelia: nã contumelia est, qn objicitur aliquod crimen seu peccatum, vt si quis dicat alteri ꝙ est fur: cõuitium vero est, qñ objicitur alteri quicunq; defectus, siue culpæ siue pœnæ. Vltimo est aduertendum, ꝙ cõtumelia differt à detractione quantũ ad obiectũ. Cõtumelia. n. versatur circa honorem, est. n. per se loquendo ablatio honoris: detractio vero versatur circa famã, & per se loquendo est denigratio famæ: honor vero est reuerẽtia quę exhibetur alicui propter aliquam excellentiam, fama aũt vt definiunt Theologi ex Ambrosio, est clara cũ laude notitia vel illustris dignitatis status, moribus & vita comprobatus, vt definiuit gl. in ca. super vestra. de cohabi. cleric. & mulierum. Ex quo sequitur, ꝙ aliqũ potest esse honor sine fama, vt patet in eo qui habet aliquam excellentiã, & dignitatẽ rõne cuius ei exhibetur honor, sinistra tñ de illo habetur ęstimatio. Põt ẽt esse aliqñ fama sine honore, vt patet in aliquibus viris qui hnt optimam ęstimationem in populo, qui tñ nullam habent dignitatem neq; excellentiam. Ex quo concluditur definitio contumelię. Contumelia est iniuria qua objicitur peccatum aliquod, coram & in præsentia eius cui irrogatur iniuria, ut cum dicitur alicui, fur.

Dubium est circa istam diffinitionem an cõtumelia sit grauius peccatum quam detractio. Soto lib. 5. de Iustitia. quæst. 10. artic. 2. dicit contumeliam per se loquendo esse grauius peccatum detractione, quæ sententia probatur his argumẽtis. Primo autoritate D. Tho.

D. Tho. infra. q. 73. art. 3. ad 2. Vbi expresè dicit contumeliam esse grauius peccatum. Simpliciter & secundum se quam furtum: ergo contumelia secundũ se, est grauius peccatum detractione. Secundò arguitur. Sicut se habet rapina ad furtum, sic se habet contumelia ad detractionem, sicuti enim raptor per vim aufert bona alterius, fur uero per fraudem: ita contumeliosus per vim aufert honorem: detractor vero per fraudem aufert famam, sed rapina maius & grauius peccatum est quam furtum: ergo similiter contumelia. Minor argumenti asseritur à D. Tho. supra, q. 66. artic. 4.

Tertiò arguitur. Honor & fama sunt obiecta materialia cõtumeliæ & detractionis, obiecta vero formalia sunt rationes inuoluntarij vnde sumitur iniustitia: sed maior ratio inuoluntarij, est in contumelia, quam in detractione: ergo grauior iniuria. Minor probatur. Nam in contumelia est violentia, in detractione vero fraus & dolus. Et confirmatur. In eadem re materiali, scilicet in acceptione eiusdem rei, potest esse diuersa ratio formalis, vt patet in furto & rapina, quæ quidem non oritur nisi ex diuersa ratione inuoluntarij: ergo ratio inuoluntarij est ratio formalis iniustitiæ. In huius rei expositione, sit conclusio. Contumelia & detractio secundum se habent se sicut excedens & excessum. Quantum ad modum excedit contumelia, & exceditur detractio: quantum ad obiectum excedit secundum se detractio simpliciter tamen & absolutè loquendo, grauius peccatum est detractio quam contumelia.

Explicatur conclusio. In quolibet habitu possumus duo considerare, & rem ipsam in quam tendit habitus, & modum. Dicimus ergo, quòd si consideretur res in quam tendit detractio & contumelia, detractio grauius peccatum est quam contumelia, destruit enim famam, quę excellentius bonum est, quã honor & reuerẽtia quæ destruitur per contumeliã. Et hoc patet etiam exemplis in scientijs naturalibus, v. g. Logica perfectior scientia est quantum ad modum quam Theologia pro isto statu: Theologia vero perfectior scientia est ex parte obiecti & simpliciter & absolutè. Hæc conclusio habet tres partes. Prima pars probatur. Contumelia est læsio honoris, detractio vero est læsio famæ: sed læsio honoris per se fit per apertam violentiam, læsio vero famæ fit per se occultè & secretè: ergo peiorem modum habet contumelia quam detractio. Patet consequentia. Nam in iniurijs inferendis grauior modus est uiolentia quam fraus & dolus. Et confirmatur. Nam D. Thom. 1. 2. q. 6. dicit, quòd magis repugnat voluntario violentia quam fraus & dolus: quoniam magis repugnat principio voluntarij, scilicet voluntati: sed in contumelia est manifesta violentia, in detractione vero est fraus & dolus: ergo quantum ad modum excedit contumelia. Secundo. Maior contemptus est in contumelia quam in detractione: ergo contumelia excedit detractionem quantum ad modum. Secunda pars conclusionis probatur. Nam detractio versatur circa nobilius & principalius obiectum, versatur enim circa famam, contumelia vero circa honorem: ergo detractio excedit contumeliam ex parte obiecti: quod vero fama melius bonũ sit quam honor non indiget probatione. Tertia pars probatur. Illud peccatum contra proximum est grauius, quod aufert maius bonum & infert maius damnum: sed detractio aufert maius bonum, & infert maius damnum quam contumelia: est ergo grauiùs peccatum. Minor patet, ex eo quòd fama quæ per detractionem aufertur, maius bonum est quam honor qui per contumeliam aufertur.

Secundò D. Tho. inf. q. 74. art. 2. probat susurrationem esse grauius peccatum quam detractionem & contumeliam: quoniam aufert amicitiam quæ maius bonum est, quam fama & honor quæ auferũtur per detractionem & contumeliam: licet contumelia per se habeat adiunctam violentiam.

Vltimo. Homicidium est grauius peccatũ quantumuis fiat occultè & per fraudem quam contumelia: quoniam aufert vitam quæ maius bonũ est quã honor, licet contumelia habeat adiunctum peiorẽ modum, & maiorem contemptum & violentiam: ergo, &c. Ad argumenta in contrarium. Ad primum respondetur, quòd D. Tho. est intelligendus, quòd contumelia est grauius peccatum quantum ad modum. Hæc vero intelligentia colligitur manifestè ex eius verbis, subdit enim statim, inquantum fit cum maiori contemptu. Hinc fit quòd si idem peccatum objiciatur in præsentia & proferatur in absentia, cæteris paribus, grauius peccatum est objicere illi peccatum in præsentia, quoniam idem est detrimentum, & in præsentia fit cum maiori contemptu & violentia.

Ad secundum respondetur, argumentum conuincere, quòd contumelia excedit detractionem, quantum ad modum, non tamen simpliciter & absolutè.

Secundò respondetur nego cõsequentiam & differentia est: quoniam in rapina & furto idem damnum est, neq; est aliquis excessus specificus ex parte damni, qui possit maiorem grauitatem specificã tribuere, sed solum est excessus ex parte modi: at in contumelia m detractione, excessus specificus est ex parte damni, damnificat enim in maiori & nobiliori bono detractor quam contumeliosus, quia iste in honore ille uero in fama quę maius bonum est damnificat.

Ad tertium respondetur, ꝙ iniustitia specificatur tanquam à ratione formali ab iniusto, quod est obiectum formale iniustitiæ, sicuti iustitia specificatur à iusto, non tamen à voluntario. Vnde vbi fuerit maior ratio iniusti, maior iniustitia erit, non vero vbi fuerit maior ratio inuoluntarij. Secundo respondetur, ꝙ in virtutibus & habitibus nõ solum debemus attendere ad rationem formalem, verum etiam ad rationem materialem, quoniam ex his duabus rationibus conflatur veluti vnica integra ratio obiecti, à qua sumitur perfectio habitus. V. g. Logica, vel metaphysica habent eãdem rationem formalem sub qua, scilicet eandem abstractionem: differunt tamen in rationibus, quæ sunt veluti materiales respectu alterius rationis. Nihilominus perfectior est simpliciter & absolutè metaphysica & physica quam logica: quoniam ratio integra obiecti, perfectior est. Ita dicendũ est in præsenti, ꝙ licet cõtumelia excederet quãtum ad rationem formalem detractionem. Detractio tamen excedit contumeliam quantum ad rationem integram & perfectam, quæ conflatur ex ratione inuoluntarij, cum detrimento in fama: in contumelia vero conflatur ex ratione inuoluntarii cum damno in honore. Ad confirmationem respondetur, ꝙ ratio iniustitiæ in contumelia & detractione desumitur ex ratione formali iniusti sicuti iam diximus.

Aliud dubium est, an de ratione contumeliæ sit, ꝙ fiat coram & in præsentia? Et videtur, ꝙ sic. Primo. Nam de ratione contumeliæ est, ꝙ sit aperta & manifesta iniuria: non potest autẽ esse aperta & manifesta iniuria, nisi fiat coram & in præsentia, ergo. Secundo, hoc differt inter contumeliã & detractionem, ꝙ contumelia fit per manifestã violentiam, detractio vero per fraudem. Item detractio fit secretè & in

& in occulto, contumelia vero manifestè & in præsentia: ergo contumelia in sua ratione formali importat, q̃ fiat coram & in præsentia. In contrarium est, quòd multi contumelias faciunt in absentia.

In huius rei expositione notandum est primò, q̃ bonitas vel malitia in actibus moralibus considerãda est ex intentione, quæ est radix bonitatis vel malitiæ quæ est in ipsis actibus, vt docet D. Tho. in 1.2. q. 16. art. 4. Secundo est notandum, q̃ contumelia directè machinatur contra honorem alterius, vnde illa sola iniuria meretur nomen contumeliæ, quę per se & directè tendit contra honorem alterius.

His positis ad quæstionem respondetur hac conclusione. Contumelia per se & ex intentione fit in præsentia. Probatur, nam qui ex intentione & per se profert peccatum in absentia, non audens proferre in præsentia reueretur personam illius, & nõ tendit directè contra eius honorem: qui vero profert peccatum per se ex intentione in præsentia, non reuerè tur personã illius, & directè tendit contra honorẽ: ergo iste talis solum est contumeliosus. Vñ D. Tho. in arti. dicit, contumeliam esse, deducere peccatum alicuius in notitiam sui & aliorum. Notandum tñ est, q̃ deducere peccatum alicuius in præsentia, contingit tripliciter. Primo personaliter videntes vel audientes contumeliam. Secundo modo literis vel libello, deducendo in eius notitiam. Tertio modo signis vel verbis, in absentia quidem per accidens: ex intentione tamen & per se in præsentia.

Secundo est notandum cum Caietano hic, q̃ cum contumeliosus importet manifestum conuitiatorẽ, hinc est, q̃ cum contumelia fit coram & in præsentia personaliter, tunc habet veram & perfectam rationem contumeliæ: cum vero fit in absentia per accidens, habet veram rationem contumeliæ non tñ ita perfectam. Ex hoc infertur, q̃ autor libelli infamatorij non solum peccat peccatum iniustitiæ contra famam: verùm sæpe numero peccatum contumeliæ contra honorem. Nam deducit peccatum in notitiam sui & aliorum. Quomodo vero sit faciendа restitutio. Vide supra, c. 62. ar. 2. circa solutionem ad secundum & tertium. Ex his patet ad argumenta in contrarium.

ARTICVLVS II.

Vtrùm contumelia, seu conuitium, sit peccatum mortale.

Infra q. 158. ar. 1. ad 1. & 1. Cor. 15. lec. 7. co. 2. fin. Et Galat. 3. princ.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, q̃ contumelia vel conuitium, non sit peccatum mortale. Nullum.n. peccatum mortale est actus alicuius virtutis. Sed conuitiari est actus alicuius virtutis .s. eutrapeliæ, ad quam pertinet bene conuitiari, secundum Philosophum in 4. Ethic. † Ergo conuitium, siue cõtumelia, non est peccatum mortale.

L. 4. c. 8. tom. 5.

2. Præterea. Peccatũ mortale nõ inuenitur in viris perfectis, qui tamen conuitia vel contumelias aliquando dicũt, sicut patet de Apostolo qui ad Galatas 3. dixit, O insensati Galatæ. Et Dominus dicit Luc. vltimo, ò stulti & tardi corde ad credendum. Ergo conuitium siue contumelia non est peccatum mortale.

3 Præterea. Quãuis illud quod est peccatum veniale ex genere, possit fieri mortale: non tamen peccatum quod est ex genere mortale, potest esse veniale, vt supra habitum est †. Si ergo dicere conuitiũ vel contumeliam esset peccatum mortale ex genere suo, sequeretur q̃ semper esset peccatũ mortale. Quod videtur esse falsum, vt patet in eo qui leuiter ex surreptione, vel ex leui ira dicit aliquod verbum contumeliosum. Non ergo contumelia vel conuitium ex genere suo est peccatũ mortale.

1. 2. q. 88. arti. 5. & q. 88. arti. 4. & 5.

Sed contra. Nihil meretur pœnam æternam inferni nisi peccatũ mortale. Sed conuitium vel contumelia meretur pœnam inferni, secundum illud Matt. 5. Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Ergo conuitium vel contumelia est peccatum mortale.

Respondeo dicendum, q̃ sicut suprà dictum est †, verba inquantum sunt soni quidam, non sunt in nocumentum aliorum, sed inquantum significãt aliquid, quę quidem significatio ex interiori affectu procedit. Et ideo in peccatis verborum maximè considerãdum videtur, ex quo affectu aliquis verba proferat. Cùm ergo conuitium vel contumelia de sui ratione importet quãdam dehonorationem, si intentio proferentis ad hoc feratur, vt aliquis per verba quæ profert, honorem alterius auferat, hoc propriè & per se est dicere conuitium vel contumeliã, & hoc est peccatum mortale non minus, quã furtum vel rapina. Non.n. homo minus amat suum honorẽ, quã rem possessam. Si verò aliquis verbum conuitij vel contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo dehonorãdi, sed fortè propter correctionem, uel propter aliquid huiusmodi, nõ dicit conuitiũ vel contumeliam formaliter & per se, sed per accidens & materialiter, inquantum .s. dicitur id, quod potest esse conuitiũ, uel cõtumelia. Vnde hoc põt esse quãdoq; peccatum veniale, quãdoq; aũt absq; omni peccato. In quo tamen necessaria est discretio, ut moderatè homo talibus uerbis utatur, quia

Art. 3. huius.

quia posset esse ita graue cõuitium, quod per incautelam prolatum auferret honorem eius, contra quem proferretur, & tũc posset homo peccare mortaliter, etiam si non intẽderet dehonorationem alterius. Sicut etiam si aliquis incautè alium ex ludo percutiens grauiter lædat, culpa non caret.

Ad primum ergo dicendum, q̃ ad eutrapeliã pertinet dicere aliquod leue conuitium, non ad dehonorationem, vel ad contristationem eius, in quem dicitur, sed magis causa delectationis & ioci. Et hoc potest esse sine peccato, si debitæ circunstantiæ obseruentur. Si verò aliquis non reformidet contristare eũ, in quem proferetur huiusmodi iocosum conuitium, dummodo alijs risũ excitet, hoc est vitiosum, vt ibidem dicitur. †

L. 4. Eth. c. 8. to. 5.

Ad secundum dicendum, quòd sicut licitum est aliquem verberare vel in rebus damnificare causa disciplinæ, ita etiã causa disciplinæ potest aliquis alteri quem debet corrigere, verbum aliquod conuitiosum dicere. Et hoc modo Dominus discipulos vocauit stultos, & Apostolus Galatas insensatos. Tamen sicut dicit Augustinus † in libro de sermone Domini in monte, rarò & ex magna necessitate obiurgationes sunt adhibendæ, in quibus non nobis, sed vt Domino seruiatur instemus.

Lib. 2. ca. 20. nõ remorè à fine, to. 4.

Ad tertium dicendum, quòd cùm peccatum conuitij vel contumeliæ ex animo dicentis dependeat, potest contingere, quod sit peccatum veniale, si sit leue conuitium, non multum hominem dehonestans, & proferatur ex aliqua animi leuitate, vel ex leui ira absque firmo proposito aliquem dehonestandi, puta cùm aliquis intendit aliquem per huiusmodi verbum leuiter contristare.

SVMMA ARTICVLI.

CONclusio est. Cõtumelia est peccatum mortale ex genere suo: quoniam lædit in bono honoris.

COMMENTARIVS.

NOtandum est primo: quòd licet contumelia ex genere suo sit peccatum mortale: potest tamen esse veniale, vel ex imperfectione actus & libertatis, vel ex leuitate materiæ, eo quòd est in minimo, vel quia est contumelia materialiter. Contubanes de Iustitia.

melia materialis vocatur, quando dicitur non dehonestandi gratia, nisi sit crassa ignorantia, vel negligentia, vel notabiliter lædat proximum. Tunc enim erit peccatum mortale.

Secundò notãdum est, quòd contumeliæ iudicandæ sunt ex intentione sicut omnia alia peccata quæ consistunt in verbis, verba enim non habent rationem contumeliæ quatenus soni quidam: sed quatenus exprimunt conceptum. Habent autem virtutem significandi ex intentione: ergo ex intentione iudicandæ sunt.

Tertiò notandum est, quòd omnes contumeliæ sunt eiusdem speciei: quoniam honores sunt eiusdẽ speciei: explicare tamen oportet in confessione contumeliam in particulari. Nam vt constat ex materia de pœnitentia, non solum sunt confitendæ circunstantiæ variantes speciem: sed etiam aggrauantes notabiliter intra eandem speciem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm aliquis debeat contumelias sibi illatas sustinere.

AD tertium sic proceditur. Videtur, q̃ aliquis nõ debeat contumelias sibi illatas sustinere. Qui enim sustinet contumeliam sibi illatam, audaciam nutrit conuitiantis. Sed hoc non est faciendum. Ergo homo non debet sustinere contumeliam sibi illatam, sed magis conuitianti respondere.

Inf. q. 73. arti. 4. ad 3. & opusc. 19. c. 16.

2. Præterea. Homo debet plus se diligere, quàm alium. Sed aliquis non debet sustinere, quòd alteri conuitium inferatur. Vnde dicitur Prouer. 26 Qui imponit stulto silentiũ, iras mitigat, ergo ẽt aliquis nõ debet sustinere contumelias sibi illatas.

3. Præterea. Non licet alicui vindicare seipsum, secundum illud, Mihi vindictam, & ego retribuam, sed aliquis non resistendo contumeliæ, se vindicat, secundum illud Chrysostomi, † Si vindicari vis, sile, & funestam ei dedisti plagam. Ergo aliquis non debet silendo sustinere verba contumeliosa, sed magis respondere.

Hom. 45. in Matt. circa medi. habetur ad sẽsum. Et hom. 25. à med. tomo 2.

Sed contra est, quod dicitur in Psal. 37. Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates. Et postea subdit. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

Respondeo dicendum, q̃ sicut patiẽtia necessaria est in his, quę contra nos fiunt, ita etiam in his quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his quæ contra nos fiunt, sunt in præparatione animi

habēda, sicut ait Augustinus † in libro de sermone Domini in monte, exponens illud præceptum Domini. Si quis percusserit te in vna maxilla præbe ei, & aliam, vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit. Non tamen hoc semper tenetur facere actu, qa nec ipse Dominus hoc fecit, sed cum suscepit alapam, dixit, Quid me cædis? vt habetur Ioannis 18. Et ideo etiam circa verba contumeliosa, quę contra nos dicuntur, est idem intelligendum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet, vt contumeliam illatā repellamus, maximè propter duo. Primò quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet, secundum illud Prouerbiorum 26. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Alio modo propter bonum multorum, quorū profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Vnde Gregorius † dicit super Ezechiel. Homil. 9. Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debēt, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes, bene viuere contemnant.

Lib. 1. capi. 34. 35. & 36. to. 4.

Homi. 9. I Ezechi. circa medium.

Ad primum ergo dicendum, quòd audaciam conuitiantis contumeliosè, debet aliquis moderatè reprimere, scilicet propter officium charitatis, non propter cupiditatem priuati honoris. Vnde dicitur Prouerb. 26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.

Ad secundum dicendum, quòd in hoc, quod aliquis alienas contumelias reprimit, non ita timetur cupiditas priuati honoris, sicut cum aliquis repellit contumelias proprias. Magis autem videtur hoc prouenire ex charitatis affectu.

Ad tertium dicendum, quòd si aliquis hoc animo tacere, vt tacendo contumeliantem ad iracundiam prouocaret, pertineret hoc ad vindictā. Sed si aliqs taceat, volens dare locum irę, hoc est laudabile. Vnde dicitur Ecclesiast. 8. Non litiges cū homine linguato, & non struas in ignem illius ligna.

A *SVMMA ARTICVLI.*

Conclusio est. Vnusquisque debet habere animū paratum ad contumelias sustinendas, quando fuerit expediens.

COMMENTARIVS.

DVbium est in hoc articulo. An liceat offenso aliam contumeliam objicere cōtumelianti ad repellendam priorē contumeliam? Supponendum est in primis, quòd objicere contumeliam ei, qui prius intulit, animo impatienti, & vindictę gratia, non est licitum, sicuti non est licitum percutere eum qui prius percussit. Ratio est. Nam illud est vindicta, nulli autem est licitum vindicari propria auctoritate.

B

In hac parte est certa conclusio. Licitum est verbis defendere proprium honorem, siue crimen, quod objicitur sit verum, siue falsum, etiam si crimē, quod ego objicio occultum sit. Probatur conclusio. Licet factis defendere propriam vitam, famam, honorē, imò censum, etiam si inde sequatur mors aggressoris, vt dictum est supra quæst. 64. art. 7. ergo licet verbis defendere proprium honorem, etiam si inde sequatur dehonoratio alterius. Item probatur omnibus argumentis, quibus supra quæst. 70. art. 3. probatum est, esse licitum objicere verum crimen licet occultum testi testificanti falsum, vel verum contra ordinem iuris.

C

Difficilius tamen dubitatur, An objicere falsum crimen ad infirmādam fidem illius, qui me dehonestauit, sit peccatum mortale ex genere suo contra iustitiam, an verò tantum veniale mendacij? Soto libro 5. de iustitia, quæst. 9. ar. 3. expresè tenet esse peccatum mortale ex genere suo cōtra iustitiam, & esse mendacium perniciosum. Probatur hæc sententia his argumētis. Primò. Mendacium perniciosum est peccatum mortale ex genere suo cōtra iustitiam, & in materia graui est peccatum mortale actu: sed objicere falsum crimen est mendacium perniciosum, lædit enim famam proximi, ergo. Secundò, Qui objicit falsum crimen non se defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ, ergo peccat mortaliter contra iustitiam. Antecedens probatur. Nam mendacium cum intrinsecè sit malum, non potest esse medium proportionatum ad defensionem proprij honoris. Item hæc sententia probatur omnibus argumentis, quibus supra probatum est esse peccatum contra iustitiam, objicere falsum crimen testi testificanti falsum, vel contra ordinem iuris.

D

PRO explicatione est prima conclusio. Probabile est & verosimile, quòd objicere falsum crimen in tali casu sit mendacium perniciosum, & peccatum mortale contra iustitiam ex genere suo. Hæc conclusio probatur, tū argumentis factis, tum etiā auctoritate Magistri Soto. Secunda conclusio. Probabilius, & verosimilius est, quòd objicere falsum crimen in tali casu est peccatum veniale mendacij, non tamen est peccatū mortale contra iustitiam, neque est mendacium perniciosum. Prima pars est clara, & manifesta: mendacium enim habet intrinsecam malitiam à qua neque per diuinam potentiam separari potest, neque aliqua causa honestari. Secunda pars probatur omnibus argumentis, quibus supra in quæst. 70. artic. 3. probatum est tanquam probabilius, & verosimilius, quòd objicere falsum crimē ad repellendam iniuriam testis testificātis falsum, vel contra ordinē iuris, tantum est peccatum mēdacij, neque aliquam continet iniuriam, & est tantum mendacium officiosum.

E

cioſum. Ex illis. n. argumētis manifestè sequitur nostra cōclusio. Nam ille testis, qui objicit contumeliā, vel objicit falsum crimen, vel verum contra ordinē iuris, facit iniuriā reo: nemo enim habet ius ad inferendam contumeliam alteri: ergo tunc reus defendendo se illo modo non peccat mortaliter. Item oēs doctores conueniunt in hoc, q interrogatus contra ordinem iuris, non peccat contra iustitiam, si neget veritatem, sed solum contra veracitatem, & est mendacium officiosum non perniciosum, etiam si inde sequatur aliquando infamia accusatoris: ergo idem omnino erit in nostro casu.

Ad argumenta in contrarium. Ad primum respōdetur, tale mendacium non esse perniciosum, sed tātum officiosum, quod declaratum est supra loco allegato, & patet manifestè: quoniam per tale mendacium ego non lædo famam alterius, sed tantum defendo proprium honorem.

Ad secundum respondetur, q hic tantum asserimus, q iste talis non peccat contra iustitiam, & in ordine ad iustitiam nullam malitiam continet: continet tamen malitiam mendacij, quæ veluti per accidens se habet respectu iustitiæ.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum contumelia oriatur ex ira.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd contumelia non oriatur ex ira, qa dicitur Prouerb. 11. Vbi superbia, ibi contumelia. Sed ira est vitium distinctum à superbia. Ergo cōtumelia non oritur ex ira.

Inf. q. 73. ar. 8. ad 3 & q. 158. ar. 7. corr.

2. Præterea. Prouerb. 20. dicitur, Omnes stulti miscentur contumeliis. Sed stultitia est vitium oppositum sapientię, vt suprà habitum est. † Ira autem opponitur mansuetudini. Ergo contumelia non oritur ex ira.

Quæst. 40 art. 1.

3. Præterea. Nullum peccatū diminuitur ex sua causa. Sed peccatum contumeliæ diminuitur, si ex ira proferatur. Grauius enim peccat, qui ex odio contumeliā infert, quam qui ex ira. Ergo contumelia non oritur ex ira.

Sed contra est, quod Grego. 31. Moralium † dicit, q ex ira oriuntur contumeliæ.

Libr. 31. cap. 31. à med.

Respondeo dicendum, q cùm vnū peccatum possit ex diuersis oriri, ex illo tamē dicitur principalius habere originem, ex quo frequentius procedere cōsueuit propter propinquitatem ad finē ipsius. Contumelia autem magnā habet propinquitatem ad finem iræ, qui est vindicta. Nulla enim vindicta est irato magis in prōptu, quàm inferre contumeliam alteri. Et ideo contumelia maximè oritur ex ira.

Ad primum ergo dicendum, q contumelia non ordinatur ad finem superbiæ, qui est celsitudo: & ideo non directè contumelia oritur ex superbia. Disponit tamē superbia ad contumeliam, inquantum illi, qui se superiores estimant, facilius alios contemnunt, & iniurias eis irrogant. Facilius enim irascuntur, vtpotè reputantes indignum quicquid contra eorum voluntatem agitur.

Ad secundum dicendum, q secundum Philosophum in 7. Ethic. † ira nō perfectè audit rationē. Et sic iratus patitur rationis defectum, in quo conuenit cum stultitia. Et propter hoc ex stultitia oritur contumelia secundum affinitatem, quam habet cum ira.

Li. 7. c. 6. in princ. tom. 5.

Ad tertium dicendum, q secundū Philosophum in 2. Rhet. † iratus intendit manifestā offensam, quod non curat odiens. Et ideo contumelia, quæ importat manifestam iniuriam, magis pertinet ad iram, quàm ad odium.

Li. 2. c. 4. declinando ad fin. tom. 6.

Conclusio est affirmatiua.

QVAESTIO LXXIII. De Detractione.

POstea considerādum est de detractione. Et circa hoc quæruntur quatuor.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm detractio conuenienter diffiniatur, quod est denigratio alienæ famæ per verba.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd detractio, non sit denigratio alienæ famæ per occulta verba, vt à quibusdam diffinitur. Occultum enim, & manifestum sunt circunstantiæ, non constituentes speciem peccati. Accidit enim peccato, quòd à multis sciatur, vel à paucis. Sed illud quod non constituit speciem peccati, non pertinet ad rationem ipsius, nec debet poni in eius diffinitione. Ergo ad rationem detractionis nō pertinet, quòd fiat per occulta verba.

Inf. q. 74. ar. 1. & q. 75. art. 1. co. Et Roma. 1. lec. 7. co. 4.

2. Præ-

2. Præterea. Ad rationem famæ pertinet publica notitia. Si ergo per detractionem denigretur fama alicuius, non poterit hoc fieri per verba occulta, sed per verba in manifesto dicta.

3. Præterea. Ille detrahit, qui aliquid subtrahit, vel diminuit de eo, quod est. Sed quandoq; denigratur fama alicuius, etiam si nihil subtrahatur de veritate, puta cùm aliquis vera crimina alicuius pandit: ergo non omnis denigratio famæ, est detractio.

Sed contra est, quòd dicitur Eccl. 10. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit. Ergo occultè mordere famam alicuius, est detrahere.

Respondeo dicendum, quòd sicut facto aliquis nocet alteri dupliciter, manifestè quidem, sicut in rapina, vel quacunque violentia illata: occultè autem, sicut in furto & dolosa percussione: ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem lædit. Vno modo in manifesto: & hoc fit per cõtumeliam, vt suprà dictum est.† Alio modo occultè; & hoc fit per detractionem. Ex hoc autem, quòd aliquis manifestè verba contra alium profert, videtur eum parvipendere: vnde ex hoc ipso dehonoratur. Et ideo contumelia detrimentum affert honori eius, in quem profertur. Sed qui verba cõtra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis, quam parvipendere. Vnde non directè infert detrimentum honori, sed famę, inquantum huiusmodi verba occultè proferens, quantũ in ipso est, eos qui audiunt, facit malã opinionem habere de eo, cõtra quem loquitur. Hoc enim intẽdere videtur, & ad hoc conatur detrahẽs, vt eius verbis credatur. Vnde patet, quòd detractio differt à contumelia dupliciter. Vno modo quantum ad modum proponendi verba, quia scilicet contumeliosus manifestè contra aliquem loquitur, detractor autem occultè. Alio modo quantum ad finem intentum, siue, quantum ad nocumentum illatum: quia scilicet contumeliosus derogat honori, detractor famæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd in inuoluntarijs commutationibus, ad quas reducuntur omnia nocumenta proximo illata verbo, vel facto, diuersificant rationem peccati occultum, & manifestum: quia alia est ratio inuoluntarij per violentiam, & per ignorantiam, vt supra dictum est.†

Ad secundum dicendum, quòd verba detractionis dicuntur occulta nõ simpliciter, sed per comparationem ad eum, de quo dicuntur: quia eo absente & ignorante dicuntur. Sed contumeliosus in faciem cõtra hominem loquitur. Vnde si aliquis de alio malè loquatur corã multis eo absente, detractio est: si autẽ eo solo præsente, cõtumelia est, quamuis etiam si vni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam eius non in toto, sed in parte.

Ad tertium dicendum, quòd aliquis dicitur detrahere, non quia diminuat de veritate, sed quia diminuit famã eius. Quod quidem fit, quandoque directè, quandoque indirectè. Directè quidem quadruplicitèr. Vno modo, quando falsum imponit alteri: secundò, quando peccatum adauget suis verbis: tertiò, quando occultum reuelat: quartò, quando id quod est bonum, dicit mala intentione factum. Indirectè autem, vel negãdo bonum alterius, vel malitiosè reticendo, vel minuendo.

Conclusio est affirmatiua.

ARTICVLVS II.

Vtrùm detractio sit peccatum mortale.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd detractio non sit peccatũ mortale. Nullus enim actus virtutis est peccatũ mortale. Sed reuelare peccatum occultum, quod sicut dictum est,† ad detractionem pertinet, est actus virtutis, vel charitatis, dum aliquis fratris peccatum denuntiat, eius emendationem intendens, vel etiam est actus iustitiæ, dum aliquis fratrem accusat. Ergo detractio non est peccatum mortale.

2. Præterea. Super illud Prou. 24. Cum detractoribus non cõmiscearis, dicit glossa. Hoc specialiter vitio periclitatur totum genus humanum. Sed nullum peccatum mortale in toto humano genere inuenitur: quia multi abstinẽt à peccato mortali. Peccata aũt venialia sunt q̃ in oĩbus inueniunt: ergo detractio est peccatũ veniale.

3. Præterea. August. in homil.† de igne purgatorio, inter peccata minuta ponit, quando cum omni facilitate vel temerita te maledicimus: qd̃ pertinet ad detractionem. Ergo detractio est peccatũ veniale.

Sed contra est, quod Roman. 1. dicitur, Detractores, Deo odibiles. Quod ideo additur, vt dicit† gloss. ne leue putetur propter hoc, quòd consistit in verbis.

Respondeo dicendum, q̃ sicut supra dictum† est, peccata verborũ maximè sunt ex intentione dicentis dijudicanda. Detractio autem secundùm suam rationem ordinatur ad denigrandam famam alicuius. Vnde ille, per se loquẽdo, detrahit qui ad hoc de aliquo obloquitur eo absente, vt eius famam denigret. Auferre autem alicui famam valde graue est, quia inter res tempo rales videtur fama esse pretiosior, per cuius defectũ impeditur homo à multis bene agendis: propter quod dicitur Ecclesiast. 41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quã mille thesauri magni, & pretiosi. Et ideo detractio, per se loquẽdo, est peccatum mortale. Contingit tamen quandoque quòd aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicuius, non hoc intendens, sed aliquid aliud. Hoc autem non est detrahere per se, & formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per accidens. Et si quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum vel necessarium debitis circunstantijs obseruatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi leuitate vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatũ mortale, nisi fortè verbum quod dicitur, sit adeo graue, quòd notabiliter famã alicuius lædat: & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et tenetur aliquis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionẽ cuiuslibet rei subtractę, eo modo, quo suprà dictum est†, cum de restitutione ageretur.

Ad primum ergo dicẽdum, q̃ reuelare peccatũ occultum alicuius propter eius emendationem denuntiando, vel propter bonum iustitiæ publicæ accusando, non est detrahere, vt dictum † est.

Ad secundum dicendũ, q̃ glossa illa nõ dicit q̃ detractio in toto genere humano inueniatur, sed addit, penè. Tum qnia stultorum infinitus est numerus: & pauci sunt qui ambulãt per viam salutis. Tum etiam quia pauci uel nulli sunt, qui non aliquando ex animi leuitate aliquid dicant, unde in aliquo uel leuiter alterius fama minoratur: quia ut dicitur Iacobi. 3. Si quis in uerbo non offendit, hic perfectus est uir.

Ad tertium dicendum, quòd Augu. loquitur in casu illo quo aliquis dicit aliquod leue malum de alio, non ex intentione nocendi, sed ex animi leuitate uel ex lapsu linguæ.

Conclusio est affirmatiua.

COMMENTARIVS.

DVbitatur in hoc articulo primò, An reuelare crimen occultum vni viro graui & cordato qui retinebit secretum, sit peccatum mortale cõtra iustitiam? Prima sententia est Caiet. hic, quòd nõ est peccatum mortale, & adhibet exemplum de colloquijs quę habentur inter virum & vxorem de peccatis filiorum: item de colloquijs quæ fiunt cum cõfessoribus reuelando crimen complicis. Hæc sententia Caietani probatur his argumentis. Primò. Iste talis non lædit famam proximi, ergo non peccat mortaliter. Antecedens probatur. Nam fama est publica notitia, vnde infamia quæ illi contrariatur est publica notitia, quare non dicitur aliquis infamis, ex eo quòd eius crimen sciatur ab vno vel à duobus: sed ille talis non lędit famam publicè, ergo non infamat illum. Item etiam si læderetur in fama, læditur leuiter & non impeditur à bonis iustè consequendis, ergo non est peccatum mortale. Patet consequentia. Nam lęsio famę leuis, est tantum peccatum veniale. Vltimò. Si reuelare crimen occultum in tali casu esset peccatum, semper esset peccatum, quod manifestè falsum est, aliquando enim iusta de causa vxor reuelat crimen filiorum suo viro. Antecedẽs vero probatur. Nam quod est intrinsece malum, nulla de causa honestari potest. Secunda sententia est Magistri Soto lib. 5. de iustitia, quæst. 10. art. 2. vbi expresse oppositum sentit.

In huius rei expositionem est prima conclusio. Peccatum mortale ex genere suo, reuelare crimen secretum etiam viro quãtumuis graui & taciturno, etiam si inde nulla sequatur infamia circa alios, neque aliquod detrimentum. Hæc est expressa sententia D. Tho. art. 1. ad secundum. vbi dicit, quòd qui reuelat crimen occultum vni tãtum, lædit famam proximi, licet non in toto in parte. Item iudicium temerarium est peccatum mortale, licet illud iudiciũ exterius nõ dicatur: quoniam læditur fama proximi in vno in particulari: sed in isto casu læditur fama proximi in vno: ergo est peccatum mortale. Item, aliquando mallem crimen meum esse notũ tribus vel qua-

quatuor, quam vni viro graui. Et reuera magis lædi-
tur fama per hoc, quòd crimen occultum ſciatur ab
vno viro graui, quàm à multis hominibus de media
plebe, ſed ſi reuelarem crimen occultum multis ho-
minibus de media plebe, eſſet peccatum mortale, er-
go etiam in iſto caſu cum ſit maior læſio famæ.

Secunda concluſio. Præcedens intelligenda eſt ni-
ſi adſit neceſſitas eius qui narrat crimen occultum,
vel eius cuius crimen narratur. Itaque narratio cri-
minis occulti non eſt intrinſecè mala, ſed honeſtari
poteſt iuſtis de cauſis. V.g. ſi virgo cõmiſit ſtuprum
in domo patris, mater vero nõ poteſt proſpicere ſuis
commodis & filiæ, niſi reuelet crimen occultum
marito, vel conſanguineo, vel cõfeſſori: non eſt pec-
catum mortale illud crimen reuelare. Et ſic eſt in-
telligendus Caiet. in hoc artic. Probatur hæc con-
cluſio. Narrare crimen occultum quantumuis gra-
ue, honeſtatur aliquando, vel propter vtilitatem rei-
publicæ, vt quando manifeſtatur crimen hæreſis, vel
propter vtilitatẽ eius cuius crimen narratur, vt quan
do adhibẽtur teſtes in correctione fraterna: vel pro-
pter vtilitatem tertiæ perſonæ, veluti quando reue-
latur alicui, quòd parantur ei inſidiæ: ergo idem om
nino erit in noſtro caſu propter vtilitatem & neceſ-
ſitatem eius qui narrat crimen, vel cuius crimen nar
ratur. Et confirmatur. Aliquando licitum eſt reue-
lare crimen occultum viro graui, ſi enim ego intelli-
go quòd ex mea correctione non emendabitur fra-
ter, emendabitur autem ſi corripiatur ab aliquo vi-
ro graui amico ſuo: tunc licitum eſt reuelare crimen
illud viro graui vel amico: ergo idem omnino erit
in noſtro caſu. Vltimò. Bonum famæ eſt medium
quodam maius quidem bono diuitiarum, inferius
autem ad bona naturæ. Item, fama circa vnam vir-
tutem eſt excellentius bonum, quam fama circa alte
ram, ergo quando expediens fuerit ad bona excellen
tioris ordinis amittere bona inferioris ordinis, tũc
licitum erit, & conſequenter aliquãdo licitum erit,
propter bona excellẽtioris ordinis, reuelare crimen
occultum. Itaque talis narratio criminis occulti non
diſinit eſſe peccatum mortale, ex eo quòd narratio
fiat vni viro graui, qui retinebit ſecretum, vt vult Ca
ietanus: ſed ex fine intento.

Ad argumenta in cõtrarium. Ad primum reſpon-
detur cum D. Thom. artic. 1. ad ſecundum. quòd in
tali caſu, eſt læſio famæ licet non in toto, in parte
tamen.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd qui narrat cri-
men occultum viro graui, magis lædit famam quam
qui narrat tribus vel quatuor de media plebe, ac ſub-
inde lædit grauiter & non leuiter.

Ad vltimum reſpondetur, quòd narratio crimi-
nis occulti non eſt intrinſecè mala, ſed honeſtari põt
iuſtis de cauſis, vt dictum eſt in ſecũda concluſione.

Dubitatur ſecundò. An narrare aliquod crimen
ſecretum, etiam multis ex audicu & hæſitãdo, ſit pec-
catum mortale contra iuſtitiam. In huius rei expo-
ſitionem eſt prima ſententia Caietani, quòd ſolus
aſſertor peccat mortaliter contra iuſtitiam, & tene-
tur reſtituere. Et probat hanc ſententiam, quoniam
tunc non lædit fama ex vi dicentis, ſed ex leuitate
audientis, verba enim illius non habent vim ad red-
dendum illum infamem: ergo nõ eſt peccatum mor
tale contra iuſtitiam. Soto loco ſupra allegato op-
poſitum ſentit.

Prima concluſio. Semper vt minimum, eſt pec-
catum veniale, ad hunc modum referre crimina
occulta.

Secunda concluſio. Si crimina quæ ad hunc mo-
dum referuntur ſint grauiſſima, peccatum eſt mor-
tale contra iuſtitiam ſic referre, imo ſi referens ſi vir
magni nominis & maximæ autoritatis: peccatum
eſt mortale contra iuſtitiam, referre crimina etiam
ſi non ſint grauiſſima, dum tamen adiuncta habeant
infamiam. Exemplum primæ partis eſt. in crimine
hæreſis & in crimine nefando. Exemplum ſecundæ,
in alijs criminibus grauibus. Prima pars probatur.
Narratio criminis ad hunc modum facta, ad minus
generat ſuſpicionem & dubitationem, ſed ſuſpicio
& dubitatio in criminibus grauiſſimis magis reddit
hominem infamem, quam certa ſcientia in alijs cri-
minibus: ergo &c. & ad hunc modum ſup. quæſt. 60.
artic. 3. & 4. definitur contra Caiet. quòd dubitatio
de criminibus grauiſſimis ex leuibus indicijs eſt pec
catum mortale. Secunda pars probatur. Si aliquis
de media plebe referat crimen aſſertiuè, peccat mor-
taliter contra iuſtitiam, ſed tanti momenti eſt huiuſ-
modi narratio quę fit à viro graui: ergo dat idem de-
trimentum & damnum, ac ſubinde erit peccatum
mortale contra iuſtitiam.

Ad argumentum Caietani reſpondetur, quòd de-
trimentum ſequitur ex vi dicentis non ex leuitate
audientis: quoniam vir grauis magnam vim & au-
toritatem habet in ſuis verbis, etiam ſi eum dubita-
tione narret.

Dubitatur ſecundò. An infamare ſeipſum ſit pec-
catum mortale ex genere ſuo contra iuſtitiam. Vide
ſupra tract. de dominio quæſt. 2. Et quę dixi quæſt. 62.
art. 2. dub. 8. & 11. In hac quæſtione eſt prima ſenten-
tia Caiet. in hoc artic. & in ſumma verbo, detractio.
vbi expreſsè tenet, quòd qui infamat ſeipſum peccat
mortaliter contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutio-
nem: neque excuſatur vi tormentorum. Huius ſen-
tentiæ fundamentum eſt, quòd homo non eſt domi
nus propriæ famæ magis quam vitæ, vnde ſicut occi-
dere ſeipſum eſt peccatum mortale contra iuſtitiam:
ita ſeipſum infamare. Econtra vero Soto vbi ſupra,
& in relectione de ratione tegendi ſecretum, mem-
bro 1. quæſt. 3. & memb. 3. quæſt. 4. concluſ. 10. fiatuit
oppoſitum fundamentum, quòd homo eſt dominus
propriæ famæ, & ex hoc fundamento colligit, quòd
qui infamat ſeipſum non peccat contra iuſtitiam,
imo neque contra charitatem, neque eſt contra cha
ritatem ex genere ſuo, imo aliquando poteſt eſſe offi
cium virtutis in priuata perſona infamare ſeipſum,
in perſona vero quæ obligatam habet ſuam famam
alijs, vt prælatus ſemper eſt peccatum mortale con-
tra iuſtitiam.

In hac quæſtione media via incedendum eſt. Pri-
mo certum eſſe debet fundamentum, quòd homo
eſt dominus propriæ famæ, quoniam eam acquirit
ſuis actibus, quod fundamentum explicatum ex ſu-
pra quæſtione 62. in materia de dominio. Ex quo
colligitur, quòd qui infamat ſeipſum nõ peccat con-
tra iuſtitiam.

Prima concluſio. Infamare ſe & cooperando ad
infamiam, poteſt eſſe aliquando officium virtutis: ita
quòd non eſt intrinſecè malum. Ponit enim differ-
entiam Caiet. in hoc quod eſt pati infamiam, & im
ponere ſibi infamiam. Hæc concluſio probatur. Li-
cet aliquando ſubire minus detrimentum ad euitan
dum maius, quando detrimentum inferius per ſe or
dinatur ad euitandum maius, ſed detrimentum in fa
ma per ſe poteſt ordinari ad euitandum detrimen-
tum in vita: ergo tunc erit officium virtutis. Minor
probatur & explicatur concluſio. Nam fama bonum
quodam eſt medium inter cenſum & vitam, & detri
mentum in fama malum quodam eſt medium inter
detrimentum in cenſu, & detrimentum in vita: er-
go licitum eſt detrimentum in fama per ſe ordinare
ad eui-

ad euitandum detrimentum in vita. Confirmatur
hæc ſententia exemplis Sanctorum qui ſe aliquan-
do infamauerunt. Hæc cõcluſio habet verum, etiam
ſi homo non ſit dominus propriæ famæ. Probatur.
Nam D. Thom. ſupra q. 64. & 65. definit, quòd homo
poteſt abſcindere membrum etiam ſanum, quando
fuerit per ſe neceſſarium ad conſiſtentiam totius, li-
cet homo non ſit dominus membrorum: quoniam
detrimentum in parte per ſe poteſt ordinari ad eui-
tandum detrimentum totius quod eſt maius. Confir
matur hæc ſententia ex doctrina D. Tho. ſup. q. 64.
art. 5. ad tertium, vbi D. Tho. ait, ꝙ occidere ſeipſum
eſt intrinſecè malum: quoniam vita eſt ſupremum
bonum quod per ſe non poteſt ordinari ad aliquid
maius, & mors eſt ſupremum maiũ quod per ſe non
poteſt ordinari ad euitandum aliquod maius ma-
lum cum non ſit aliud ſupremum malum neque fa
ma ſupremum bonum: ergo.

Secunda concluſio. Tantum eſt peccatum venia-
le ex genere infamare ſeipſum citra cauſam, vt ſup.
quæſt. 62. art. 2. oſtendimus.

Sed eſt argumentum contra concluſionem. Om-
nis actus qui in indiuiduo eſt peccatum mortale ex
ſola grauitate materiæ, eſt peccatum mortale ex ge-
nere, ſed infamare ſeipſum citra cauſam, in graui ma
teria eſt peccatum mortale, ergo &c. Minor proba-
tur. Quoniam & ipſe Soto expreſse aſſerit, quòd in-
famare ſeipſum in grauiſſima materia, vt in crimine
hæreſis & in crimine nefando, eſt peccatum morta
le. Maior probatur. Quoniam grauitas vel leuitas
materiæ ſolum deſeruit ad hoc, quòd forma & mali-
tia peccati recipiatur perfectè vel imperfectè in ipſa
materia ſecundùm diſpoſitionem materiæ. Vnde
quando forma & malitia peccati nõ eſt mortalis ex
ſpecie ſua in qualibet recipiatur materia & quantun
uis diſpoſita. nunquam ſit mortalis. Et hoc patet in-
ductiuè in omnibus peccatis venialibus ex genere
ſuo. Mendacium enim intra ſpeciem mendacij
in qualibet grauiſſima materia non eſt niſi venia-
le peccatum.

Arguitur ſecundò. Qui infamat ſeipſum citra
cauſam peccat contra charitatem proximi & contra
charitatem propriam, ergo peccat mortaliter. Ante-
cedens probatur quo ad primam partem. Primò au-
toritate D. Auguſt. in cap. non ſunt audiendi. 11. q. 3.
Secũdò probatur ratione eiuſdem Auguſtini in eo-
dem loco. Non minus ſcandalizatur proximus ex
eo quòd audit crimen perpetratum eſſe à fratre, quã
ex eo quòd videt: ſed ſi aliquis coram oculis fratris
feciſſet crimen cui adiũcta eſt infamia, peccaret pec-
catum ſcandali contra charitatem proximi: ergo ſi
narret proprium crimen, idem ſcandalum ſequitur,
ac ſubinde erit peccatum mortale. Reſpondetur, ꝙ
nunquam eſt mortale infamare ſeipſum niſi ex cir-
cunſtantia ſcandali, vel quia diuinus honor pericli-
tatur, vel quia homo infamis exponit ſe alijs pericu-
lis peccandi, vel ex alia circunſtantia. Vnde ad pri-
mum reſpondetur, ꝙ hæreſis eſt contra honorem
Dei: quia deſtruit fundamentum religionis, & cri-
men nefandum eſt ſcandaloſum: & idcirco mutatur
iam materia ad aliam ſpeciem peccati. Ad ſecũdum
patet, quia ob ſcandalum fit mortale peccatum.

Tertia concluſio. Aliquando eſt actus ſtudioſus
reuelare crimen proprium occultum in iudicio, in
quo interrogatur aliquis cõtra ordinẽ iuris aliquan
do vero erit peccatum, & aliquãdo mortale. Imò im
ponere ſibi falſum crimen ſemper eſt peccatum, &
aliquando mortale. Hęc concluſio colligitur euiden
ter ex præcedentibus, nam fama eſt quoddam bonũ
medium inter bona tempo ralia: & infamia medium
quodam maliũ, ergo pati detrimentum in fama pro-
pter ſuperiora bona nullum erit peccatum, cum infe
rius ordinetur ad id quod ſuperius eſt. Pati verò de-
trimentum in fama propter inferiora bona, erit pec-
catum, cùm ſuperius bonum ordinetur ad id quod
inferius eſt. Quòd verò imponere ſibi falſum crimen
ſit peccatum, patet nam eſt mendacium.

Dubitatur deinde, an infamare in vno loco eum
qui non eſt infamis in illo loco ſed in alio: ſit pecca-
tum mortale contra iuſtitiam obligans ad reſtitutio
nem? Caietanus opuſculo 27. Reſponſionum, reſpõ
ſione 9. tenet, ꝙ non eſt peccatum mortale contra iu
ſtitiam neque obligat ad reſtitutionem. Probatur pri
mo. Iſte talis qui condemnatus eſt propter aliquod
delictum, eſt priuatus iure famæ: ergo non fit ei iniu
ria tollendo ab illo famã. Cõfirmatur. Præcipua pars
pœnæ illius hominis eſt, ꝙ ſit priuatus fama, ergo nõ
fit illi iniuria. Confirmatur ſecundò. Licet iudici ex-
pectare diem ſolennem quando eſt concurſus popu
lorum ad puniendum hominem: ergo præcipua pars
pœnæ illius hominis eſt infamia. Secundò probatur.
Hæc ſententia ex vſu omnium proborum hominũ,
qui quando aliquod delictum cõmittitur in preſen-
tia populi, ſine aliquo ſcrupulo narrãt illud omnibus
abſentibus. Vltimò. Dupliciter aliquis poteſt homi-
nem infamare, vel narrando crimẽ falſum, vel reue-
lando crimen verum ſed occultum: ſed in tali caſu
non narratur crimen falſum, ita enim ſupponimus,
nec occultum reuelatur cum ſit infamis in vno lo-
co: ergo. Adrianus quodlibeto. 11. oppoſitum ſentit,
& probat ſuam ſententiam his argumentis. Primo,
iſte talis qui infamis eſt Valliſoleti habet famam Sal-
manticæ, & illa fama eſt ſua & eſt dominus illius fa-
mæ: ergo illam auferre ab illo Salmanticæ, eſt pecca
tum contra iuſtitiã. Patet conſequentia. Auferitur ab
illo quod ſuum eſt, ergo eſt peccatum contra iuſti-
tiam. Secundò, etiam ſi homo ſit infamis in omni lo
co non licet coram & in præſentia obijcere crimen:
ergo ſi eſt infamis in vno loco non licet illum infa-
mare in alio. Soto vbi ſup. refert has duas ſententias
& eas conciliat ad hunc modum. Dicit enim, ꝙ ſi ta
lis homo in vno loco ſit priuatus fama ſecundum or
dinem iuris & iuſtitiæ, tunc non erit peccatum mor
tale contra iuſtitiam ad reſtitutionem obligans, infa
mare illum in altero erit, tamen aliquando pecca-
tum mortale contra charitatem. Si vero talis ho-
mo non ſit priuatus ſecundum ordinem iuris fama
ſed priuatim, erit peccatum mortale non ſolum con
tra charitatem, verum contra iuſtitiam in alio loco
infamare.

In hac re eſt prima concluſio. Si vero ſimile eſt, ꝙ
infamia illius hominis moraliter loquendo proma-
nabit ab eo loco in quo eſt infamis ad alium locum
in quo non eſt infamis: non eſt peccatũ mortale con
tra iuſtitiam neq; contra charitatem eum in alio lo-
co infamare, ſiue ſit priuatus fama ſecundũ ordinem
iuris & iuſtitiæ, ſiue priuatim. Hæc concluſio proba
tur primo. Ex vſu omnium proborum hominũ qui
ita facient. Secundò. Iſte talis moraliter loquendo
non infamat alterum neque aufert illius famam: er-
go non peccat mortaliter. Probatur antecedens. Mo
raliter loquendo certiſſimè infamia illa & notitia
deberet peruenire ad illum locum: ergo moraliter
loquendo ego non infamo illum neque illi aliquod
detrimentum do. Confirmatur: ſi quis vapulet per
vnum vicũ ciuitatis non eſt peccatum mortale con-
tra charitatem neque contra iuſtitiam id in alio vico
narrare. Quoniam moraliter loquendo illa notitia
certiſſimè ad alium vicum deberet peruenire: ſed
eadem ratio omnino eſt in noſtro caſu: ergo &c.

Secun-

Secunda conclusio. Insignia quædam crimina & illustria. Item pœnas illis impositas licet narrare vbiq; locorum, etiam si verosimiliter credatur quòd eorum notitia ad illa loca non peruenit, siue qui delinquunt, iure priuati sint fama siue non. Exempla sint acta quæ fiunt ab inquisitoribus. Hæc enim licet diuulgare vsque ad Indos. Item omnia illa quæ merito in historicis scripturis referuntur. Probatur hæc conclusio primò. Narrare in alio loco huiusmodi peccata ideo est malum, quia ex hac narratione nullum sequitur emolumentum, vel reipublicæ, vel particulari personæ: sed ex narratione horum criminũ de quibus loquitur conclusio, sequitur magnũ emolumentum reipublicæ & particularibus personis ergo. Probatur minor. Nam respublica quando audit talia crimina & pœnas illis impositas sibi consulit, & similibus pœnis similia peccata punit. Item ciues particulares timore pœnæ deterrentur ab huiusmodi vitijs: ergo.

Secundò. Huiusmodi crimina licet referre in historicis scripturis propter vtilitates quæ inde proueniunt reipublicæ & particularibus personis: at ex narratione horum criminum eædem vtilitates proueniunt: ergo, &c. Ex dictis patet solutio ad argumenta in contrarium. Argumenta enim Caietani videntur conuincere, quòd quando aliquis iure priuatus est fama in uno loco, non est peccatum contra iustitiam eum in alio loco infamare: erit tamen aliquando contra charitatem. Ad argumenta Adriani ad primum respondetur, quod fama quam habet Sal manticæ non est sua, iure enim priuatus est illa: præcipuè si verosimiliter creditur, quòd eius infamia ad ipsum locum perueniet. Ad secundum negatur consequentiam. Nam contumelia habet peculiarem rationem iniuriæ distinctam à detractione.

ARTICVLVS III.

Vtrùm detractio sit grauior omnibus peccatis, quæ in proximum committuntur.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quòd detractio sit grauior omnibus peccatis, quę in proximum committũtur. Quia super illud Psal. 108. Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi, dicit gloss. Plus nocent in membris detrahentes Christo (quia animas creditorum interficiunt) quàm qui eius carnem mox resurrecturam peremerunt. Ex quo videtur, quòd detractio sit grauius peccatum, quàm homicidiũ, quãto grauius est occidere animam, quàm occidere corpus. Sed homicidiũ est grauius inter cętera peccata, quæ in proximum cõmittuntur: ergo & detractio est simpliciter inter omnia grauior.

2. Præterea. Detractio videtur esse grauius peccatum, quàm cõtumelia: quia contumeliam potest homo repellere, non autem detractionem latentem. Sed contumelia videtur esse maius peccatum quã adulterium, per hoc, quòd adulterium vnit duos in vnam carnem, contumelia autem vnitos in multa diuidit. Ergo detractio est maius peccatum, quã adulterium: quòd tamẽ inter alia peccata, quæ sunt in proximum, magnam grauitatem habet.

3. Præterea. Contumelia oritur ex ira, detractio autem ex inuidia: vt patet per † Gregor. 13. Moral. Sed inuidia est maius peccatum, quàm ira. Ergo & detractio est maius peccatum, quàm contumelia. Et sic idem quod prius. † Libro 13. cap. 11. à med.

4. Præterea. Tanto aliquod peccatum est grauius, quanto inducit grauiorem defectum. Sed detractio inducit grauissimũ defectum, scilicet excæcationem mentis. Dicit enim † Gregorius. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quòd in puluerem suffiant, & in oculos suos terram excitant: vt vnde plus detractionis perflant, inde minus veritatis videant, ergo detractio est grauissimum peccatum inter ea, quæ committuntur in proximum. † In epist. Pastor. 3. p. c. 43. circ. med.

Sed contra, Grauius est peccare facto, quàm verbo. Sed detractio est peccatum verbi: adulterium autem & homicidiũ, & furtum, sunt peccata in factis: ergo detractio non est grauius cæteris peccatis, quæ sunt in proximum.

Respondeo dicendum, q̃ peccata, quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per se quidem secundum nocumenta, quæ proximo inferuntur: quia ex hoc habent rationem culpæ. Tanto autẽ est maius nocumentum, quanto maius bonum demitur. Cum autem sit triplex bonum hominis, scilicet bonum animæ, & bonum corporis, & bonum exteriorem rerum. Bonum animæ, quod est maximum, non potest aliter ab alio tolli, nisi occasionaliter, puta per malam persuasionẽ, quæ necessitatem non infert. Sed alia duo bona, scilicet corporis & exteriorum rerum, possunt ab alio violẽter auferri. Sed quia bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum, grauiora sunt peccata quibus infertur nocumentum corpori, quàm ea quibus infertur nocumentum exterioribus rebus. Vnde inter cætera peccata, quæ committuntur in proximum, homicidiũ grauius est, per quod tollitur vita proximi iam actu existens: consequenter autẽ adulterium, quod est contra debitum ordinem generationis humanæ: per quã est introitus ad vitã. Consequenter aũt sunt exteriora bona, inter quę fama pręeminet diuitijs, eò quòd propinquior est spiritualibus bonis. Vnde dicitur Prouerb. 22. Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Et ideo detractio secundum suum genus est maius peccatũ, quàm furtum: minus tamen, quàm homicidium, vel adulterium. Potest tamẽ esse alius ordo propter circunstantias aggrauantes, vel diminuentes, per accidẽs autem grauitas peccati attenditur ex parte peccantis, qui grauius peccat si ex deliberatione peccet, quàm si peccet ex infirmitate vel incautela. Et secundum hoc peccata locutionis habẽt aliquam leuitatem, inquantum de facili ex lapsu linguæ proueniunt absque magna præmeditatione.

Ad primum ergo dicendum, q̃ illi qui detrahunt Christo, impedientes fidem membrorum ipsius, derogant diuinitati eius, cui fides innititur: vnde non est simplex detractio, sed blasphemia.

Ad secundum dicẽdum, quòd grauius peccatum est cõtumelia, quàm detractoi, inquantum habet maiorem contemptum proximi: sicut & rapina est grauius peccatum, quàm furtum, vt suprà † dictum est. Contumelia tamen non est grauius peccatum, quàm adulterium: nõ enim grauitas adulterij pensatur ex cõiunctione corporum, sed ex deordinatione generationis humanæ. Contumeliosus autem non sufficienter causat inimicitiam in alio, sed occasionaliter tantũ diuidit vnitos, inquantum, scilicet per hoc, quòd mala alterius promit, alios quãtum in se est, ab eius amicitia separat, licet ad hoc per eius verba non cogantur. Sic ergo & detractor occasionaliter est homicida; inquantum, scilicet per sua verba dat alteri occasionem, vt proximum odiat vel contemnat. Propter quod in epistola Clementis † dicitur, detractores esse homicidas, scilicet occasionaliter, quia qui odit fratrem suum, homicida est, vt dicitur primæ Ioan. tertio. Q. 66. artic. 9. Habetur de pœnitẽtia dist. 1. c. homicidiorum.

Ad tertium dicendum, quòd ira quęrit in manifesto vindictam inferre, vt Philosoph. dicit in 2. † Rhetor. Ideo detractio, quę est in occulto, non est filia iræ sicut contumelia: sed magis inuidiæ, quæ nititur quacunque minuere gloriam proximi. Nec tamen sequitur propter hoc, q̃ detractio sit grauior, quàm cõtumelia: quia ex minori vitio potest oriri maius peccatum, sicut ex ira nascitur homicidium & blasphemia. Origo enim peccatorum attendi tur secundum inclinationem ad finem, quod est ex parte conuersionis. Grauitas autem peccati magis attenditur ex parte auersionis. † Lib. 2. ca. 4. declinando ad fin. to. 6.

Ad quartum dicendum, q̃ quia homo lætatur in sententia oris sui, vt dicitur Prouerb. 15. inde est q̃ ille qui detrahit, incipit magis amare, & credere quod dicit: & per consequens proximum magis odire, & sic magis recedere à cognitione veritatis. Iste tamen effectus potest sequi etiam ex alijs peccatis, quæ pertinent ad odium proximi.

SVMMA ARTICVLI.

CONclusio est. Detractio est grauius peccatum quam furtum, minus autem quã homicidium & adulterium. De articulo videte supra quæstione præcedenti. Vbi disputatum est, quod nam sit grauius peccatum, detractio an contumelia.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm audiens, qui tolerat detrahentem, grauiter peccet.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd audiẽs qui tolerat detrahentem, non grauiter peccet. Non enim aliquis magis tenetur alteri, quàm sibiipsi. Sed laudabile est si patienter homo suos detractores toleret. Dicit enim † Gregorius super Ezechiel homilia nona, Linguas detrahentiũ, sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant: ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat. Ergo non peccat aliquis, si detractionibus aliorum non resistat. † Homil. 9. in Ezech. parũ ante medium.

2. Pręterea. Eccles. quarto dicitur, Non con-

cõtradicas verbo veritatis vllo modo. Sed quandoque aliquis detrahit, verba veritatis dicendo, vt suprà dictum † est. Ergo videtur, quòd non semper teneatur homo detractoribus resistere.

Arter. hoc ius est ad tertium.

3. Præterea. Nullus debet impedire id quod est in vtilitatem aliorum. Sed detractio frequenter est in vtilitatem aliorum, contra quos detrahitur. Dicit enim † Pius Papa, Nonnunquam detractio aduersus bonos concitatur: vt quos vel domestica adulatio, vel aliorum fauor in altum extulerat, detractio humiliet, ergo aliquis non debet detractores impedire.

6. q. 1. ca. oues pastorem.

Sed contra est, quod Hieronymus † dicit, Caue ne linguam aut aures habeas prurientes, aut alijs detrahas, aut alios audias detrahentes.

In epist. ad Nepotianũ, in vlti. pag. ante finẽ epistol. tomo 1.

Respondeo dicendum, quòd secũdum Apostolũ ad Romanos primo, Digni sunt morte non solùm qui peccata faciunt, sed etiam qui facientibus peccata consentiũt. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo directè, quando scilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum. Alio modo indirectè, quãdo scilicet non resistit, cùm resistere possit. Et hoc contingit quandoq; non quia peccatum placeat, sed propter aliquem humanum timorem. Dicendum est ergo, quòd si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire: vnde fit particeps peccati eius. Et si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio propter odium eius, cui detrahitur, non minus peccat, quàm detrahens, & quandoque magis. Vnde Bernardus † dicit, Detrahere aut detrahẽtem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim. Si verò non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahẽtem, peccat quidem, sed multominus quàm detrahens, & plerunque venialiter. Quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc, q̃ alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum consequens, vel propter radicem, quà timor humanus quandoq; potest esse peccatum mortale, vt suprà habitum † est.

Lib. 2. de cõsideratione ad Eugeniũ circa finem.

Quæst. 19. art. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd detractiones suas nullus audit: quia scilicet mala quæ dicuntur de aliquo, eo audiente, non sunt detractiones, propriè loquẽdo, sed contumeliæ, vt dictũ † est. Possunt tamen ad notitiam alicuius detractiones contra ipsum factæ aliorum relationibus peruenire. Et tunc sui arbitrij est detrimẽtum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum, vt suprà dictum † est. Et ideo in hoc potest cõmendari eius patientia, quòd patiẽter proprias detractiones sustinet: non autem est sui arbitrij, quòd patiatur detrimentum famæ alterius. Et ideo in culpam ei vertitur, si non resistit, cum possit resistere, eadem ratione qua tenetur aliquis subleuare asinum alterius iacentem sub onere, vt præcipitur Deuteron. 22.

Ad secundum dicendũ, quòd non semper aliquis debet resistere detractori, arguendo eum de falsitate, maximè si quis sciat verum esse quod dicitur: sed debet eum verbis redarguere de hoc, quòd peccat fratri detrahendo, vel saltem ostendere, quòd ei detractio displiceat per tristitiam faciei: quia, vt dicitur Prouerb. 25. Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.

Ad tertium dicendum, quòd vtilitas quæ ex detractione prouenit, non est ex intentione detrahentis, sed ex Dei ordinatione, qui ex quolibet malo elicit bonum. Et ideo nihilominus est detractoribus resistendum, sicut & raptoribus, vel oppressoribus aliorum, quamuis ex hoc oppressis vel spoliatis, per patientiam meritum crescat.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio est in expositione huius articuli. Non solum qui inducit alterum ad detrahendum, verum etiam ei qui paratus est animum addit gestu, vel applausu, verbis vel factis peccat mortaliter contra iustitiam: & tenetur restituere. Hæc conclusio patet ex supradictis quæst. 62. artic. 7. Vbi definitur quòd qui est concausa iniustæ actionis peccat mortaliter & tenetur restituere. Sed iste talis est concausa iniustę actionis: ergo tenetur restituere.

Secunda conclusio. Qui non inducit alterum ad detrahendum, neq; auget animum, sed tantum gaudet & complacet in detractione, peccat mortaliter ex genere suo contra charitatem & non contra iustitiam. Probatur. Nam iste talis tantum habet complacentiam de malo proximi, neque aufert ab illo aliquod bonum: ergo non peccat ex genere contra iustitiam, sed contra charitatem.

Tertia

Tertia conclusio. Prælatus eius qui infamauit, si non resistat detrahenti & infamanti; peccat mortaliter contra iustitiam. Probatur. Nam Prælatus ex officio & iustitia tenetur premouere bonum spirituale subditorum, ac subinde tenetur corrigere & emẽdare subditos: ergo si non faciat peccat mortaliter contra iustitiam.

Quarta conclusio. Prælatus eius qui infamatus est, si non resistat detrahenti & infamanti, peccat mortaliter contra iustitiam: & tenetur ad restitutionem faciendam infamato. Hæc conclusio probatur. Nam non obstans qui obstare tenetur ex iustitia, si non obstet peccat mortaliter contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, vt dictum est suprà quæst. 62. artic. 7. sed prælatus tenetur obstare ex officio & iustitia: ergo si non obstet peccat contra iustitiam & tenetur restituere. Minor probatur. Nam prælatus ex officio & iustitia tenetur procurare omnia necessaria ad virtutem: sed fama est maximè necessaria ad virtutem in subditis, sicuti diximus artic. 2. ergo &c.

In corp. art. & 72. art. 2.

COMMENTARIVS.

DVbitatur in hoc articulo. An Prelatus qui non resistit subdito detrahenti & infamanti nõ subditum sed extraneũ, teneatur ad restitutionem faciendam ipsi extraneo. Et videtur quòd sic. Nam iste Prelatus peccat contra iustitiam, vt patet ex tertia conclusione: ergo tenetur restituere: esse enim peccatum contra iustitiam obligat ad restitutionem.

Secundò. Si princeps secularis non resistat furanti & expoliãti non subditum, tenetur ad restitutionem: ergo eadem ratio est omnino de prælato. Antecedens probatur. Nam si verbi gratia. Rex Hispaniæ non resistat ciui Hispaniensi expoliati Gallum, iustè Rex Galliæ posset conqueri & bellum inijcere contra Regem Hispaniensem: ergo Rex Hispaniæ tenetur restituere ex iustitia.

His non obstantibus sit quinta conclusio. Talis prælatus non tenetur restituere ex iustitia, detrimẽta data non subditorum. Probatur conclusio. Nam hac ratione diximus in quarta conclusione quod tenetur restituere famam subdito ex iustitia quoniam tenetur promouere bonũ spirituale subditi ad quod maximè necessaria est fama, sed prælatus non tenetur promouere bonum spirituale non subditi, ergo. Ad argumenta in contrarium ad primum respondetur, quòd iste non peccat contra iustitiam in ordine ad non subditum, vnde non tenetur ei ex iustitia aliquid restituere: peccat autem mortaliter contra iustitiam in ordine ad subditum, vnde aliquam restitutionem tenetur ei facere ex iustitia, scilicet corrigere illum & compellere, vt restituat famam nõ subdito, & ita se debet habere, ac si prælatus non adesset detrahenti, & infamanti, sed postea detractio ad eius notitiam peruenisset.

Ad secundum respondetur, quòd princeps secularis ad eundem modum se debet gerere: itaq; tenetur ex iustitia compellere illum vt restituat omnia detrimenta quæ dedit non subdito, non ex obligatione aliqua iustitiæ in ordine ad non subditum: sed in ordine ad subditum.

Contra quartam conclusionem, & hoc vltimum, est argumentum. Nam prælatus, tantum tenetur procurare bonum spirituale suorum subditorum: sed fama nõ est bonum spirituale, annumeratur enim inter bona temporalia: ergo. Et confirmatur. Nam prelatus tantum tenetur procurare, quòd subditi non peccent, vel quòd studiose viuant: sed qui infamatus est non peccat, sed qui infamauit: ergo. Confirmatur secundo. Nam aliquando sanctissimum est, quòd infamatus non resistat detrahenti, sed prelatus tenetur procurare bonum spirituale subditi: ergo in tali casu non tenetur resistere detrahenti.

Ad hoc argumentum respondetur, quòd prelatus non solum tenetur procurare bonum spirituale, verum etiam omnia bona temporalia, quæ necessaria sunt ad bonum spirituale: fama vero vt iam diximus, valde necessaria est ad virtutem colendam. Ad primam confirmationem patet ex solutione ad argumentum.

Ad secundam confirmationẽ respondetur, q̃ subditus potest cedere iuri suo, prelatus vero non potest cedere iuri subditorum: vnde casus potest contingere, vt subditus sanctissimè faciat non resistendo detrahenti: in quo prælatus peccet contra iustitiam & teneatur ad restitutionem, si non resistat.

Secundò respondetur, q̃ subditus non resistendo maiorem gloriam & famam acquirit, & fit illustrior apud viros studiosos & prudentes: ex eo vero quod prælatus non resistat detrahenti & infamanti subditum, subditus non acquirit maiorem gloriam & famam: sed potius alij confirmantur in infamia.

Vltima conclusio. Persona particularis quæ non complacet in detractione, vt plurimum peccat venialiter si non resistat detrahenti. Nam vt plurimum potest facile resistere, vel ostendendo tristem faciem, vel miscendo alia colloquia: vnde Diuus Thomas in fine articuli, dicit, quòd si non complacet in detractione, sed non resultit ex timore humano, vel ex negligentia, vel ex verecundia: vt plurimum peccat venialiter, ipse tamen excipit duos casus: vt patet in articulo.

QVAESTIO LXXIIII.
De Susurratione.

DEinde considerandum est de susurratione. Et circa hoc quæruntur duo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm susurratio sit peccatum distinctum à detractione.

AD Primum sic procedi- tur. Videtur, quòd susurratio non sit peccatum distinctum à detractione. Dicit enim Isidorus, in libro † Etymologiarum, Susurro de sono locutionis appellatur, quia non in facie alicuius, sed in aure loquitur detrahendo. Sed loqui de altero detrahendo, ad detractionem pertinet. Ergo susurratio non est peccatum distinctum à detractione.

Inf. q. 75. ar. 1. cor. Et Rom. 1. lect. 8. col. 4.

Lib. 10. c. 18, sincip. Sæpiẽ dictus, paulum ante medium.

2. Præterea. Leuit. 19. dicitur, Non eris criminator, nec susurro in populis. Sed criminator idē videtur esse quod detractor. Ergo etiam susurratio à detractione non differt.

3. Præterea. Eccles. 28. dicitur, Susurro & bilinguis maledictus erit. Sed bilinguis videtur idem esse quod detractor, quia detractorum est duplici lingua loqui: aliter scilicet in absentia, & aliter in præsentia: ergo susurro idem est quod detractor.

Sed contra est, quod Rom. 1. super illud. Susurrones, detractores, dicit † glo. Susurrones inter amicos discordiā seminantes, detractores, qui aliorum bona negāt vel minuunt. (Gl. inter. lin. ibid.)

Respondeo dicendum, ꝙ susurro & detractor in materia conueniunt, & etiam in forma, siue in modo loquēdo: quia vterq; malum occultè de proximo dicit, propter quam similitudinem interdum vnum pro alio ponitur. Vnde Eccles. quinto, super illud, Non appellaberis susurro: dicit † glos. idest, detractor. Differunt autem in fine, quia detractor intendit denigrare famam proximi. Vnde illa mala de proximo præcipuè profert, ex quibus proximus infamari possit, vel saltem diminui eius fama; susurro autem intendit amicitiam separare, vt patet per † glo inductam, & per illud quod dicitur Prouerb 26. Susurrone subtracto, iurgia conquiescunt. Et ideo susurro talia mala profert de proximo, quę possunt contra ipsum commouere animum audientis, secundum illud Eccles. 28. Vir peccator cōturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiam. (Gl. inter. lin. ibid. — Indectā in argu. Sed cont.)

Ad primum ergo dicendum, quòd susurro, inquantum dicit malum de alio, dicitur detrahere. In hoc tamen differt à detractore, quia non intendit simpliciter malum dicere; sed quicquid sit illud quod possit animum vnius turbare contra aliū, etiam si sit simpliciter bonum, & tamen apparens malum, inquantum displicet ei, cui dicitur.

Ad secundum dicendum, quòd criminator differt & à susurrone & à detractore, quia criminator est qui publicè crimina alijs imponit, vel accusando, vel conuitiando, quod non pertinet ad detractorem & susurronem.

Ad tertium dicendum, quòd bilinguis propriè dicitur susurro. Cum enim amicitia sit inter duos, nititur susurro ex vtraque parte amicitiam rumpere, & ideo duabus linguis vtitur ad duos, vni dicens malum de alio. Propter quod dicitur Eccles. 28. Susurro & bilinguis maledictus. Et subditur, Multos enim turbauit pacem habentes.

SVMMA ARTICVLI.

Conclusio est affirmatiua. In hoc articulo. Notandum est primo, cum D. Thō. quòd detractor & susurro conueniunt quidem in materia, & in forma & modo loquutionis: qua ratione in diuinis litteris propter istam similitudinem susurro appellatur detractor & è contra. Ecclesiastes capit. 1. Non appelaberis, susurro in populis. Hoc est detractor secundum glossam. Differunt autem hæc vitia ex diuerso fine intento. Nam detractor intendit denigrare famam proximi, & ex hoc nocumēto sumit speciem; susurro vero intendit dirimere amicitiam inter amicos & ex hoc fine sumit speciem. Vnde Prouerbiorum 26. Detracto susurrone iurgia quiescunt. Vnde vterque ea verba accommodat quæ proprio fini suo sunt necessaria.

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo est dubium Caietani. An omnes susurrationes sint eiusdem speciei athomæ? Et videtur, quòd non. Sicut detractio est iniuria cōtra amicitiam, sicut detractio contra famam, & contumelia contra honorem: sed amicitiæ sunt diuersæ speciei inter se: alia enim est amicitia honesti, alia vtilis, alia delectabilis: ergo susurrationes nō sunt eiusdem speciei. Et cōfirmatur. Furtum & detractio sunt vitia differentia specie: quoniā bona quæ destruunt differunt specie: sed bona quę destruuntur per susurrationem differunt specie, amicitiæ enim differunt specie vt diximus: ergo &c. In oppositum est, quòd D. Tho. in hoc articulo cōstituit susurrationem tanquam vitium vnius speciei athomæ.

In huius dubij expositionem sit conclusio. Susurratio est vnicum vitium vnius speciei specialissimæ. Probatur. Vnitas specifica habitus siue vitij, siue virtutis, desumitur ex vnitate formali specifica obiecti: sed susurratio habet vnicam specifica rationem formalem obiecti: ergo est vnicum vitium specie. Minor probatur. Quoniam eius obiectum formale est destruere & dirimere amicitiam.

Ad argumentum in contrarium respondetur, ꝙ non est inconueniens, quòd obiectum vnius speciei in ratione obiecti contineat sub se multa differentia specie in ratione rei. v.g. visibile quod est obiectum potentiæ visuę, continet sub se album, & nigrum & medium colorem, quæ differunt inter se specie in ratione rei. Item obiectum metaphysicæ quod est ens inquantum ens, habet vnicam rationem specificam formalem obiecti, tamen sub se continet multa differentia specie & genere in ratione rei. Præterea odiū tendit tāquam in rationem formalem specificam in rationem mali; in nullam enim rem tendit nisi sub hac ratione. Nihilominus tamē, sub hac ratione formali continentur multa mala differentia genere & specie

specie in ratione rei. Item susurratio tendit in hanc communem rationem inimicitiæ, & vult destruere amicitiam: sub hac vero ratione continentur diuersæ amicitiæ specie in genere rei.

Ad confirmationem respondetur, quòd furtum & detractio habent diuersas rationes formales obiectorum, susurrationes vero semper habent eādem. Notandum tamen est, quòd licet omnes susurrationes sint eiusdem speciei, in confessione tamen explicanda est susurratio in particulari: quoniam vt diximus quæst. 72. in confessione non solum sunt explicandæ circunstantiæ quæ variant speciem, verum etiam quæ notabiliter aggrauant intra eandē speciē.

Secundò notandum est cum Caietano in hoc articulo, quòd licet susurratio sit vitium vnius speciei possunt tamen ei aduenire diuersæ circunstantiæ accidentales, & potest hoc vitium ordinari ad diuersos fines extrinsecos. Nam aliquando vnum vitium vtitur alio ad suum finem, sicut qui furatur propter mœchiam, vbi męchia trahit furtum ad suum finem. Ita susurratio aliquando trahitur ad finem extrinsecum: si enim quis intēdat susurratione dirimere amicitiam propter bonum delectabile, verbi gratia, si intendat dirimere amicitiam inter coniuges, vt abutatur vxore: vitium susurrationis trahitur ad finem extrinsecum adulterij. Hoc autem non impedit quòd vitium sit vnius speciei: nam quælibet res potest habere vnam formam substantialem, & alteram accidentalem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm detractio sit grauius peccatum, quam susurratio.

Malo. q. 20. art. 3. ad 3.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd detractio sit grauius peccatum, quàm susurratio. Peccata enim oris cōsistunt in hoc, quòd aliquis mala dicit. Sed detractor dicit de proximo ea quæ sunt mala simpliciter, quia ex talibus oritur infamia, vel diminuitur fama. Susurro autem non curat dicere nisi mala apparentia, quæ scilicet displiceant audienti, ergo grauius peccatum est detractio, quàm susurratio.

2. Præterea. Quicunque aufert alicui famam, aufert ei non solum vnum amicum, sed multos: quia intellectus vniuscuiusq; refugit amicitiam infamium personarum. Vnde contra quendam dicitur. 2. Paralipomenon. 19. His qui oderunt Dominū, amicitia iungeris. Susurratio autē aufert vnum solum amicum. Grauius ergo peccatum est detractio, quàm susurratio.

3. Præterea. Iacobi. 4. dicitur, Qui detrahit fratri suo, detrahit legi, & per cōsequēs Deo qui est legislator. Et sic peccatum de detractionis videtur esse peccatum in Deū, quod est grauissimū, vt sup. habitum † est. Peccatum autem susurrationis est in proximum, ergo peccatum detractionis est grauius quam peccatum susurrationis. (q. 20. art. & 1. 2. q. 73. art. 3. & 6.)

Sed contra est, quod dicitur Eccles. 5. Denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium & inimicitia & contumelia.

Respondeo dicendum, ꝙ sicut suprà dictum † est, peccatum in proximum tanto est grauius, quāto per ipsum maius nocumentum proximo infertur. Nocumentum autem tanto maius est, quāto maius est bonum quod tollitur. Inter cætera verò exteriora bona prœeminet amicus; quia sine amicis nullus viuere posset, vt patet per philosophum in † 8. Ethicor. Vnde dicitur Eccles. 6. Amico fideli nulla est comparatio: fama autē ipsa quæ per detractionem tollitur, ad hoc maximè necessaria est, vt homo idoneus ad amicitiam habeatur. Et ideo susurratio est maius peccatū, quàm detractio, & etiam quàm contumelia: quia amicus est melior, quàm honor: & amari, quàm honorari, vt in † 8. Ethic. philosophus dicit. (Art. 3. & 1. 2. q. 73. art. 8. — Li. 8. Eth. capit. 1. in prin. to. 3 — Li. 8. c. 8. tom. 5.)

Ad primum ergo dicendum, ꝙ species & grauitas peccati magis attenditur ex fine, quàm ex materiali obiecto. Et ideo ratione finis susurratio est grauior; quanuis etiam detractor quandoque peiora dicat.

Ad secundum dicendum, ꝙ fama est dispositio ad amicitiam, & infamia ad inimicitiam. Dispositio autem deficit ab eo ad quod disponit, & ideo ille qui operatur ad aliquid, quod est dispositio ad inimicitiam, minus peccat, quā ille qui directè operatur ad inimicitiam inducēdam.

Ad tertium dicendum, ꝙ ille qui detrahit fratri, intantum videtur detrahere legi, inquantum contemnit præceptum de dilectione proximi: contra quod directius agit qui amicitiā disrumpere nititur. Vnde hoc peccatū maximè contra Deum est: quia Deus dilectio est, vt dicitur 1. Ioan. 4. Et propter hoc dicitur Prouer. 6. Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius: & hoc septimum ponit, eum qui seminat inter fratres discordiam.

Conclusio est negatiua.

COMMENTARIVS.

Circa istum articulum primo notandum est, quòd susurratio non solum excedit cõtumeliam, verum etiam detractionem: nam peccatum in proximum tanto est grauius, quanto nocumentum illatum est grauius. Sed vitium susurrationis infert maius nocumentum, ergo. Minor probatur. Nam per cõtumeliam destruitur honor, per detractionem fama, per susurrationẽ vero dirimitur amicitia quæ maius bonum est: ergo grauius peccatum est. Et confirmatur. Nam totum detrimentum quod infertur per detractionem infertur per susurrationem, & vltra hoc dirimit amicitiam: ergo grauius peccatum est susurratio. Secundò probatur hoc. Amicitia est maxima omnium virtutum, vel aliquid virtute excellentius, quod dicit D. Tho. sup. quæst. 23. art. 3. ad primum. sed fama non est tantum bonum sicuti virtus, imo sequitur virtutem sicuti vmbra corpus: ergo iniuria quæ destruit amicitiam qualis est susurratio, grauior iniuria est quam quæ destruit famam. Ex his infertur, quòd vitium susurrationis sit peccatum mortale ex genere suo. Nam dat graue damnum proximo. Verum est, quòd susurratio est duplex: alia formalis, alia vero materialis: sicuti diximus de contumelia.

Contra istud corollarium est argumentum. In beneficijs gratuitis nulla fit iniuria, sed amicitia est beneficium gratuitum, ergo. Ad hoc argumentum primo respondetur, quòd in beneficijs gratuitis iam habitis, locum habet iniuria, amicitia vero est beneficium gratuitum iam habitum. Secundò respõdetur, quòd in beneficijs gratuitis, etiam si adhuc habeantur, locum habet iniuria, si auferãtur per fraudem & dolum: vt patet in impedientẽ eleemosynam per fraudem & dolum. Per susurrationem vero aufertur amicitia per fraudem & dolum.

QVAESTIO LXXV. De Derisione.

Deinde cõsiderandum est de derisione. Et circa hoc quæruntur duo.

ARTICVLVS I.

Vtrùm derisio sit speciale peccatum, ab alijs præmissis distinctum.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd derisio nõ sit speciale peccatum, ab alijs præmissis distinctum. Subsãnatio enim videtur idem esse quòd derisio. Sed subsannatio ad contumeliam videtur pertinere. Ergo derisio non videtur distingui à contumelia.

2. Præterea. Nullus irridetur nisi de aliquo turpi, ex quo homo erubescit. Huiusmodi autem sunt peccata, quæ si manifestè de aliquo dicuntur, pertinent ad contumeliam: si autem occultè, pertinent ad detractionem, siue susurrationem. Ergo derisio non est vitiũ à præmissis distinctũ.

3. Præterea. Huiusmodi peccata distinguuntur secundum nocumenta quæ proximo inferuntur. Sed per derisionem non infertur aliud nocumẽtum proximo, quã in honore, vel fama, vel detrimento amicitiæ. Ergo derisio non est peccatum distinctum à præmissis.

Sed contra est, quòd derisio fit ludo. Vnde & illusio nominatur. Nullum autem præmissorum ludo agitur, sed seriò. Ergo derisio ab omnibus prædictis differt.

Respondeo dicendum, quòd sicut suprà dictũ est, peccata verborum præcipuè pensanda sunt secundùm intentionẽ proferentis. Et ideo secundùm diuersa, quæ quis intendit, contra alium loquens, huiusmodi peccata distinguuntur. Sicut autem aliquis conuiciando intendit conuitiati honorem deprimere, & detrahendo diminuere famam, & susurrando tollere amicitiam: ita etiã irridendo aliquis intendit, q̃ ille qui irridetur, erubescat. Et quia hic finis est distinctus ab alijs, ideo etiam peccatum derisionis distinguitur à præmissis peccatis.

Ad primum ergo dicendum, quòd subsannatio & irrisio conueniunt in fine: sed differunt in modo: quia irrisio fit ore, id est, verbo & cahinnis: subsannatio autem naso rugato, vt dicit glo. super illud † Psal. 2. Qui habitat in cęlis, irridebit eos. Talis autem differentia non diuersificat speciẽ. Vtrunq; tamen differt à contumelia, sicut erubescentia à dehonoratione. Est enim erubescentia timor dehonorationis † sicut Damasc. dicit.

Ad secundum dicendum, quòd de opere virtuoso aliquis apud alios & reuerentiam meretur & famam, & apud seipsum bonę cõscientię gloriam, secundum illud 2. ad Corinth. 1. Gloria nostra hęc est, testimonium conscientię nostrę. Vnde econuerso de actu turpi, idest, vitioso, apud alios quidem tollitur hominis honor & fama: & ad hoc contumeliosus & detractor turpia de alio dicunt. Apud seipsum autẽ per turpia, quæ dicuntur, aliquis perdit conscientiæ gloriam per quandam confusionem & erubescentiam: & ad hoc turpia dicit derisor. Et sic patet q̃ derisor communicat cum prædictis vitijs in materia: differt autem in fine.

Ad tertium dicendum, q̃ securitas conscientiæ & quies illius magnum bonũ est, secundùm illud Prouer. 15. Secura mens quasi iuge conuiuiũ, & ideo qui conscientiam alicuius inquietat, confundendo ipsum, aliquod speciale nocumentum ei infert. Vnde derisio est peccatum speciale.

ARTICVLVS II.

Vtrùm derisio possit esse peccatum mortale.

AD Secundum sic proceditur. Videtur quòd derisio non possit esse peccatum mortale. Omne enim peccatum mortale cõtrariatur charitati. Sed derisio non videtur cõtrariari charitati, agitur enim ludo quandoq; inter amicos, vnde & delusio nominatur. Ergo derisio non potest esse peccatum mortale.

2. Præterea. Derisio illa videtur esse maxima, quæ fit in iniuriam Dei. Sed non omnis derisio quæ vergit in iniuriam Dei est peccatum mortale: alioquin quicunq; recidiuaret in aliquod peccatum ueniale, de quo pœnituit, peccaret mortaliter. Dicit enim Isidorus † quòd irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. Similiter etiam sequeretur, quòd omnis simulatio esset peccatum mortale: quia sicut † Grego. dicit in Moral. Per struthionem significatur simulator, qui deridet equum, idest, hominem iustũ, & ascensorem, id est, Deum: ergo derisio non est peccatum mortale.

Lib. 2. de summo bono. ca. 16. in princ.

Lib. 31. c. 8. & 12. simul.

3. Præterea. Contumelia & detractio videntur esse grauiora peccata, quàm derisio: quia maius est facere aliquid seriò, quàm ioco. Sed non omnis detractio vel contumelia est peccatũ mortale, ergo multo minus derisio.

Sed contra est, quod dicitur Prouerbiorum. 3. Ipse deridet illusores. Sed deridere Dei, est æternaliter punire pro peccato mortali, vt patet per id quod dicitur in Psalmo 2. Qui habitat in cœlis, irridebit eos: ergo derisio est peccatum mortale.

Respondeo dicendum, quòd irrisio nõ fit nisi de aliquo malo, vel defectu. Malum autem si sit magnum, non pro ludo accipitur, sed seriosè. Vnde si in ludum vel risum vertatur, ex quo irrisionis vel illusionis nomen sumitur: hoc est quia accipitur, vt paruum. Potest autem aliquod malum accipi, vt paruum, dupliciter. Vno modo secundum se: alio modo ratione personæ. Cum autem aliquis alterius personæ malum, vel defectum in ludum, vel risum ponit: quia secundum se paruum malum est, est veniale & leue peccatum secundum suum genus. Cum autem accipitur quasi paruum ratione personæ, sicut defectus puerorum & stultorum, parum ponderare solemus: sic aliquem illudere, uel irridere, est eum omnino paruipendere, & eum tam vilem æstimarè, vt de eius malo nõ sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum. Et sic derisio est peccatum mortale, & grauius quàm contumelia, quæ similiter est in manifesto. Quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriosè, illusor autem in ludum: & ita videtur esse maior cõtemptus & dehonoratio. Et secundum hoc illusio est graue peccatum, & tanto grauius quanto maior reuerentia debetur personæ, quæ illuditur. Vnde grauissimum est irridere Deum, & ea quę Dei sunt: secundum illud Isaiæ 37. Cui exprobrasti? & quem blasphemasti? & super quem exaltasti uocem tuam? Et postea subditur; Ad sanctum Israel. Deinde secundum locum tenet irrisio parentum. Vnde dicitur Prouerb. 30. Oculum, qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. Deinde iustorum derisio grauis est: quia honor est uirtutis premium. Et contra hoc dicitur Iob. 12. Deridetur iusti simplicitas. Quę quidem derisio valde nociua est, quia per hoc homines à bene agendo impediuntur, secundum illud Gregor. Qui in aliorũ actibus exorir bona respiciunt, mox

mox ea manu pestiferæ exprobrationis euellunt.

Ad primum ergo dicendum, quòd ludus non importat aliquid contrarium charitati, respectu eius, cum quo luditur. Potest tamen importare aliquid contrarium charitati, respectu eius, de quo luditur, propter contemptum, ut dictum † est.

In corp. art.

Ad secundum dicendum, quòd ille qui recidiuat in peccatum de quo pœnituit, & ille qui simulat, non expressè Deum irridet, sed quasi interpretatiuè: inquantum scilicet ad modum deridentis se habet. Nec tamen uenialiter peccando aliquis simpliciter recidiuat, uel simulat, sed dispositiuè, uel interpretatiuè.

Ad tertium dicendum, quòd derisio secundum suam rationem leuius aliquid est, quàm detractio, uel contumelia: quia non importat contemptum, sed ludum. Quandoque tamen habet maiorem contemptum, quàm contumelia, ut supra dictum † est, & tunc est graue peccatum.

In corp. art.

COMMENTARIVS.

IN expositione huius quæstionis tria aduertenda sunt. Primum est, quòd huiusmodi peccata quæ cõsistunt in uerbis, ex intentione iudicanda sunt: quoniam uerba habent uim significandi ex intentione: unde ex diuersis finibus intentis, diuersa peccata constituuntur: & sicut contumeliosus intendit auferre honorem, & detractor famam, susurro uero dirimere amicitiam: ita qui alterum irridet, intendit quòd confundatur & erubescat. Et quoniam hic finis distinctam malitiam habet ab omnibus dictis: ideo a D. Tho. distincta iniuria constituitur.

Secundò est notandum, quòd omnes irrisiones sunt eiusdem speciei: habent enim eandem rationẽ formalem, unde desumitur unitas. Explicanda tamẽ est in confessione irrisio in particulari: sicuti diximus de alijs uitijs.

Tertiò est notandũ, quòd irrisio uirtutis est pestilentissimum uitium, & ut in plurimum est peccatũ mortale, etiam si irrisio fiat materialiter & non formaliter, & etiam si fiat sine animo faciendi quod alius erubescat & confundatur. Probatur hoc. Talis irrisio est uilipendium uirtutis adeo magnum, ut reputet uirtutem non solum indignam cum qua homines confabulentur: uerum etiam cum qua certent & contendant, ergo ut in plurimum est peccatum mortale.

Secundò. Irridere uirtutem, causat in anima iusti tristitiam spiritualem de bono uirtutis, & erubescẽtiam de exercitio uirtutis, & facit hominem iustum & sanctum tardum ad uirtutem, & facit ut reputet bonum malum, & malum bonum, ut dicitur Isaiæ cap. 5. ergo est peccatum mortale ut plurimum. Vnde Psal. 1. ubi Septuaginta habent, Et in cathedra pestilentiæ non sedit. In textu Hebræo habetur, in sede derisorum non sedit, ubi uocat cathedram pestilentiæ uitium irrisionis.

Vltimò. In hac quæstione sunt duo breuissima dubia. Primum est, An irrisio sit grauius peccatum quã alia peccata, quæ consistunt in uerbis. Ad hoc dubiũ respondetur unica conclusione. Irrisio est grauius peccatum quam contumelia, leuius autem quam detractio & susurratio. Prima pars probatur. Irrisio includit omnem malitiam contumeliæ, quoniam per se fit coram, & ultra hoc addit, quòd alius erubescat: ergo est grauius peccatum quam contumelia. Et cõfirmatur. Nam irrisio fit cum maiori despectu, ergo. Secunda pars probatur. Per detractionem & susurrationem auferuntur maiora bona, quam per irrisionem, nam auferitur fama & amicitia, ergo grauiora peccata sunt.

DVBITATVR secundò. Quare Diuus Thomas non posuerit peccatum murmurationis, cum consistat in uerbis extra iudicium? Respondetur, Q murmuratio reducitur tanquam aliquid imperfectũ ad has quatuor species iniuriarum. Si fiat coram, intendendo dehonorare, Ad contumeliam: si autem intendendo facere quod alius erubescat ad irrisionem, si fiat in absentia & intẽdat denigrare famam, ad detractionem. Si intendat dirimere amicitiam ad susurrationem. Ita Caietanus opusculo 17. responsionum, responsione 13. dubio 6. & in Summa uerbo, murmuratio. Ratio est clarissima, quoniam murmuratio, ut notio nominis præ se fert, dicit iniuriam quæ potius in sono uocis, quàm in uerbis consistit, unde comparatur ad alias iniurias, sicut aliquid imperfectum, & inarticulatum, ad aliquid perfectum & articulatum, ergo ad alias iniurias reducenda est.

QVAESTIO LXXVI.

De Maledictione.

DOstea considerandum est de maledictione. Et circa hoc quærunt tur quatuor.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm liceat maledicere aliquem.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd non liceat maledicere aliquem. Non est enim licitum præterire mandatum Apostoli, in quo Christus loquebatur, ut dicitur 2. ad Corint. 13. Sed ipse præcepit Rom. 12. Benedicite & nolite maledicere, ergo non licet aliquem maledicere.

2. Præterea. Omnes tenentur Deum benedicere, secundum illud Dan. 3. Benedicite filij hominum domino. Sed non potest ex eodem ore procedere benedictio Dei & maledictio hominis, ut probatur Iacobi 3. Ergo nulli licet aliquem maledicere.

3. Præterea.

3. Præterea. Ille qui aliquem maledicit, uidetur optare eius malum, culpæ uel pœnæ: quia maledictio uidetur esse imprecatio quædam. Sed non licet desiderare malũ alterius: quinimò orare oportet pro omnibus, ut liberentur à malo. Ergo nulli licet maledicere.

4. Præterea. Diabolus per obstinationem maximè subiectus est malitiæ. Sed non licet alicui maledicere diabolum, sicut nec seipsum. Dicitur enim Ecclesiast. uigesimoprimo. Cum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animã suam, ergo multo minus licet maledicere hominem.

5. Præterea. Numer. 23. super illud, Quo modo maledicam, cui non maledixit Dominus? dicit* gloss. Nõ potest esse iusta maledicendi causa, ubi peccantis ignoratur affectus. Sed homo non potest scire affectum alterius hominis, nec etiam utrum sit maledictus a Deo, ergo nulli licet aliquem hominem maledicere,

* Est Origenis hom. 15. in Numeros, Parum a medio, to. 1.

Sed contra est, quod Deuteronom. uigesimoseptimo, dicitur: Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius. Eliseus etiam pueris sibi illudentibus maledixit, ut habetur quarto Regum secundo.

Respondeo dicendum, quòd maledicere idem est, quod malum dicere. Dicere autem tripliciter se habet ad id quod dicitur.

Vno modo per modum enuntiationis, sicut aliquid exprimitur modo indicatiuo. Et sic maledicere nihil aliud est quàm malum alterius referre, quod pertinet ad detractionem: unde quandoque maledici detractores dicuntur.

Alio modo dicere se habet ad id quod dicitur per modum causæ. Et hoc quidem primò & principaliter competit. Deo, qui omnia suo uerbo fecit, secundùm illud Psalm. 32. Dixit & facta sunt. Consequenter autem competit hominibus, qui uerbo suo alios monent per imperium ad aliquid faciendum. Et ad hoc instituta sunt uerba imperatiui modi.

Tertio modo ipsum dicere se habet ad id quod dicitur, quasi expressio quædam affectus desiderantis id quod uerbo exprimitur. Et ad hoc instituta sunt uerba optatiui modi. Prætermisso ergo primo modo maledictionis, qui est per simplicem enuntiationem mali, considerandum est de alijs duobus: ubi scire oportet, quòd facere aliquid, & uelle illud, se consequuntur in bonitate & malitia, ut ex supradictis* patet. Vnde in istis duobus modis, quibus malum dicitur per modum imperantis, uel per modum optantis, eadem ratione est aliquid licitum & illicitum. Si enim aliquis imperet uel optet malum alterius, in quantum est malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere utroque modo erit illicitum: & hoc est maledicere, per se loquendo. Si autem aliquis imperet uel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec erit maledictio, per se loquendo, sed per accidens: quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquod dici imperando, uel optando sub ratione duplicis boni. Quandoque quidem sub ratione iusti. Et sic iudex licitè maledicit illum, cui præcipit iustam pœnam inferri. Et sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando, sicut etiam prophetæ in scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes uoluntatem suam diuinæ iustitiæ: licet hæ imprecationes possint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quandoque uerò dicitur aliquod malum sub ratione utilis, pura cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, uel ut ipse melior efficiatur, uel ut saltem ab aliorum nocumento cesset.

* 1. 2. q. 20. art. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd Apostolus prohibet maledicere, per se loquendo cum intentione mali. Et similiter dicendum est ad Secundum.

Ad tertium dicendum, quòd optare alicui malum sub ratione boni, non contrariatur affectui quo quis simpliciter alicui optat bonum, sed magis habet conformitatem ad ipsum.

Ad quartum dicendum, quòd in diabolo est considerare naturam & culpam. Natura quidem eius bona est, & à Deo, nec eam maledicere licet. Culpa autem eius est maledicenda, secundùm illud Iob. 3. Maledicant ei qui maledicunt diei. Cùm autem peccator maledicit diabolum propter culpam, seipsum simili ratione iudicat maledictione dignum: & secundùm hoc dicitur maledicere animam suam.

Ad quintum dicendum, quòd affectus peccantis, etsi in se non uideatur, potest tamen percipi ex aliquo manifesto peccato pro quo pœna est infligenda. Similiter etiã quamuis

quamuis sciri non possit quem Deus maledicat secũdum finalem reprobationem, potest tamẽ sciri quis sit maledictus à Deo secundum reatum præsentis culpæ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm liceat creaturam irrationalem maledicere.

Inf. ar. 4. ad 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd non liceat creaturam irrationalem maledicere. Maledictio enim præcipuè uidetur esse licita, inquantum respicit pœnam. Sed creatura irrationalis non est susceptiua nec culpæ, nec pœnæ: ergo eam maledicere non licet.

2. Præterea. In creatura irrationali nihil inuenitur nisi natura, quam Deus fecit. Hanc autem maledicere non licet, etiam in diabolo, ut dictum * est, ergo creaturam irrationalem nullo modo licet maledicere.

Art. præced. ad 4

3. Præterea. Creatura irrationalis, aut est permanens, sicut corpora: aut est transiens, sicut tempora. Sed sicut Gregor. dicit in * 4. Moral. Otiosum est maledicere non existenti: vitiosum uerò, si existeret: ergo nullo modo licet maledicere creaturæ irrationali.

Li 4. c. 3. paulo princ.

Sed contra est, quòd Dominus maledixit ficulneæ, ut habetur Matth. uigesimo primo. Et Iob maledixit diei suo, ut habetur Iob 3.

Respondeo dicẽdum, quòd benedictio uel maledictio propriè ad illam rem pertinet, cui potest aliquid bene uel male contingere, scilicet rationali creaturæ. Creaturis autem irrationalibus bonum uel malum dicitur contingere in ordine ad creaturam rationalem, propter quam sunt. Ordinantur autem ad eam multipliciter. Vno quidem modo per modum subuentionis: inquãtum scilicet ex creaturis irrationalibus subuenitur humanæ necessitati. Et hoc modo Dominus homini dixit Genes. tertio. Maledicta terra in opere tuo: ut scilicet per eius sterilitatem homo puniretur. Et ita etiam intelligitur quod habetur Deuteronom. uigesimo octauo. Benedicta horrea tua. Et infra, Maledictum horreum tuum. Sic etiam Dauid maledixit montes Gelboe: secundum * Gregor. expositionem. Alio modo creatura irrationalis ordinatur ad rationalem per modum significationis. Et sic Dominus maledixit ficulneam in significationem Iudeæ. Tertiò modo ordinatur creatura irrationalis ad rationalem per modũ continentis, scilicet temporis, uel loci. Et sic maledixit Iob diei natiuitatis suæ propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates. Et propter hoc etiam potest intelligi Dauid maledixisse montibus Gelboe: ut legitur secundo Reg. primo. scilicet propter cædem populi, quæ in eis contigerat. Maledicere autem rebus irrationalibus, inquantum sunt creaturæ Dei, est peccatũ blasphemiæ: maledicere autem eis secundum se cõsideratis, est otiosum & uanum, & per consequens illicitum. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Li 4. Moral. cap. in fine.

ARTICVLVS III.

Vtrum maledicere sit peccatum mortale.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quòd maledicere non sit peccatum mortale. August. enim in homilia de igne purgatorio, numerat maledictionem inter leuia peccata. Hæc autem sunt uenialia. Ergo maledictio non est peccatum mortale, sed ueniale.

2. Præterea. Ea quæ ex leui motu mentis procedunt, non uidentur esse peccata mortalia. Sed interdum maledictio ex leui motu procedit. Ergo maledictio non est peccatum mortale.

3. Præterea. Grauius est malefacere, quã maledicere. Sed malefacere non semper est peccatum mortale. Ergo multo minus maledicere.

Sed contra. Nihil excludit a regno Dei nisi peccatum mortale. Sed maledictio excludit a regno Dei, secundum illud primæ ad Corinthio. sexto. Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Ergo maledictio est peccatum mortale.

Respondeo dicẽdum, quòd maledictio, de quo nunc loquimur, est, per quam pronuntiatur malum contra aliquem, uel imperando, vel optando. Velle autem, vel imperio mouere ad malum alterius, secũdum se repugnat charitati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius: & ita secundum suum genus est peccatum mortale, & tanto grauius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare & reuereri tenemur. Vnde dicitur Leuit. 20. Qui maledixerit patri suo & matri, morte moriatur. Contingit tamen verbum maledictionis prolatum, esse peccatum veniale, vel propter paruitatem mali, quod quis alteri maledicendo, imprecatur: uel etiã propter affectum eius, qui profert maledictionis verba, dum ex leui motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua, talia verba profert, quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur, ut suprà dictũ † est. Et per hoc patet respõsio ad obiecta.

Q. 72 art. 8.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm maledicere sit grauius peccatum, quam detractio.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd maledictio sit grauius peccatum, quàm detractio. Maledictio enim videtur esse blasphemia quædam, ut patet per id quod dicitur in Canonica Iudæ, ꝙ cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ. Et accipitur ibi blasphemia pro maledictione, secundum † glossam, Blasphemia autem est grauius peccatũ, quàm detractio. Ergo maledictio est grauior detractione.

Glo. inter lin. ibid.

2. Præterea, Homicidiũ est detractione grauius, ut suprà dictum † est. Sed maledictio est par peccato homicidi. Dicit † enim Chrysost. super Matthæum. Cum dixeris, Maledici, & domum euerte, & oia perire fac: nihil ab homicida differs. Ergo maledictio est grauior quam detractio.

Q. 73 art. 3. Homilia 20 i Matthæ inter mediũ & fine to. 2

3. Præterea, Causa præeminet signo. Sed ille qui maledicit, causat malum suo imperio. Ille autem qui detrahit, solũ significat malum iam existens. Grauius ergo peccat maledicus, quam detractor.

Sed contra est, ꝙ detractio non potest benefieri. Maledictio autem fit bene & male, ut ex dictis † patet. Ergo grauior est detractio, quam maledictio.

Art. 1 huius quæst.

Respondeo dicẽdum, ꝙ sicut in primo habitũ † est, duplex est malum, scilicet culpæ & pœnæ. Malum autem culpæ peius est, ut ibidem ostensum † est: vnde dicere malum culpæ, peius est, quàm dicere malum pœnę, dummodo sit idem modus dicendi. Ad contumeliosum, ergo & susurronem & detractorem, & etiam deriforẽ pertinet dicere malum culpæ. Sed ad maledicentem, prout nunc loquimur, pertinet dicere malũ pœnæ, non autem malũ culpę, nisi fortè sub ratione pœnæ. Non tamen est idem modus dicendi. Nam ad prędicta quatuor vitia pertinet dicere malum culpę, solũ enuntiando. Per maledictionem verò dicitur malum pęnę: vel causando per modum imperij, uel optando. Ipsa autẽ enunciatio culpę, peccatum est, inquantũ aliquod nocumẽtũ ex hoc proximo infertur. Grauius autẽ est nocumentum inferre, quàm nocumentũ desiderare, cæteris paribus. Vnde detractio secundum cõmunem rationem grauius peccatũ est, quã maledictio, simplex desideriũ exprimens. Maledictio uerò quæ fit per modũ imperij, cũ habeat rationem causæ, potest esse detractione grauior, si maius nocumentũ inferat, quàm sit denigratio famæ: vel leuior, si minus. Et hæc quidẽ accipienda sunt secundum ea, quę per se pertinent ad rationem horum uitiorum. Possunt autem & alia per accidens considerari, quæ prædicta uitia, uel augent, vel minuunt.

1 p. q. 48. arti 5.

1 p. q. 48. art. 6.

Ad primũ ergo dicendũ, ꝙ maledictio creaturę, inquantũ creatura est, redundat in Deũ: & sic per accidens habet rationem blasphemiæ: non autẽ si maledicatur creaturę propter culpam. Et eadem ratio est de detractione.

Ad secundum dicendũ, ꝙ sicut dictum † est, maledictio vno modo includit desiderium mali. Vnde si ille qui maledicit, uelit malum occisionis alterius, desiderio non differt ab homicida. Differt tamẽ, inquantũ actus exterior aliquid adijcit uolũtati.

Art. præcedenti.

Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de maledictione, secundũ quod importat imperium.

SVM-

SVMMA ARTICVLI.

IN expositionem huius quæstionis est prima conclusio. Maledictio qua alteri malũ imprecamur, est peccatum mortale ex genere suo. Verum est, ꝙ Diuus Thomas arti. 1. dicit, quòd maledictio potest accipi optatiuè & imperatiuè. In communi tamen sermone accipitur optatiuè. Probatur hoc dictum. Optare alteri malum est contra charitatem: ergo est peccatum mortale ex genere suo.

Secunda conclusio. Imprecari alteri malum propter bonum vtile & honestum, non est peccatum: vel imprecari alteri malum, vt impleatur diuina iustitia, vel vt peccator resipiscat. Et ita Prophetæ aliquãdo imprecantur malum. Psal. 118. Confundantur superbi qui iniustè iniquitatem fecerunt in me. Et Psalmo 108. Constitue super eum peccatorem & diabolus stet à dextris eius. Has imprecationes Prophetarum explicat quadrupliciter Diuus Tho. infra quæst. 83. artic. 8. ad primum. Ex hoc sequitur, quòd maledictio est imprecari alteri malum, nihil aliud curando, quod est velle alteri malum formaliter. Contra secundam conclusionem sunt aliqua argumenta. Primum est, quod licet desiderare licet facere: sed licet alteri desiderare malum, ut impleatur diuina iustitia: ergo licet facere.

Secundò. Ex præcepto diuino tenemur diligere inimicos & illis benefacere: ergo non possumus illis optare malum.

Ad primum argumentum respondetur primo, negando maiorem. Nam priuata persona potest desiderare, vt sit puniatur à iudice: non tñ pôt punire.

Secundo respondetur, quòd eo modo quo possumus desiderare possumus facere, ita quòd propositio maior faciat istum sensum, quod si obiectum facibile à nobis est licitum in ipso facto, tunc desiderium talis obiecti est licitum. In hoc vero casu licet desiderare, quòd Deus hominem puniat, & ita Deo est licitum punire, non vero licet priuatæ personæ punire hominem: vnde neque ipsi priuatæ personæ licet desiderare. Ad secundum respondetur, ꝙ tale desiderium non procedit ex malevolẽtia, sed potius ex charitate: nam desiderare alteri malum sub ratione boni melioris, non est absolutè desiderare malũ.

Vltima conclusio. Filij valde debent timere execrationes parentũ, parentes item impijssimè faciũt, execrando filios, non quia verba parentum vim aliquam habeant: sed quia Deus aliquando id permittit propter peccata parentum, vel filiorũ. De quo D. Aug. lib. 22. de ciuitate. cap. 8.

QVAESTIO LXXVII.
De fraudulentia emptionis & venditionis.

DEINDE considerandũ est de peccatis, quæ sunt circa voluntarias commutationes. Et primò de fraudulẽtia, quę cõmittitur in emptionibus & vẽditionibus. Secundò, de vsura, quæ fit in mutuis. Circa alias. n. commutationes voluntarias nõ inuenitur aliqua species peccati, quæ distinguatur à rapina, vel furto. Circa primum quæruntur quatuor.

CIRCA hunc titulum. Nota, ex D. Tho. supra q. 55. artic. 5. quod fraudulẽtia est vitium speciale contrarium prudentię, quod consistit in hoc, quòd aliquis id quod astutè cogitauit in ordine ad aliquem finem, simulatis factis exequatur. Et in hoc differt à dolo, ꝙ dolus fit etiam verbis simulatis, iuxta illud, linguis suis dolose agebant: at vero fraudulentia tantum in factis simulatis inuenitur.

Dubitamus ergo statim pro intelligentia articuli, quare D. Tho. tractaturus de iniustitia quæ committitur in emptionibus & venditionibus, apposuerit titulum de fraudulentia quæ ibidem cõmittitur: cum tamen in alijs vitijs iniustitiæ pertractandis non apposuerit talem titulum. V. g. de fraudulentia furti vel rapinæ, &c. Sed absolutè dicit de furto, de rapina, de vsura. Respondetur primo, quòd ratio est: quia cõmuniter iniustitia quæ committitur in emptione & venditione est cum fraude. Respondetur secundo, ꝙ alia vitia contraria iustitiæ habent speciem nominatam, v. g. furtum &c. Iniustitia vero quæ committitur in emptionibus & venditionibus nõ habet speciem nominatam, & idcirco nominatur & circunscribitur fraudulentia, quæ communiter inuenitur in tali iniustitia. Sed contra, videtur, quòd non differat specie ista iniustitia emptionis & venditionis à furto vel rapina. Probatur, quia si ista iniustitia fiat ignorante domino patiente, erit furtum, si autẽ fiat illo sciente, erit rapina: ergo non est differentia. Respondetur, ꝙ iniustitia emptionis & venditionis, neque est species furti neque rapinæ. Probatur primò, quia huiusmodi iniustitia partim fit volente domino, partim inuito. In furto verò vel rapina omnino fit iniustitia inuito domino. Secundò. Quia iniustitia emptionis & uenditionis abstrahit ab ignoratia, vel scientia patientis, hoc est, communiter se habet ad ignorantiam, vel scientiam patientis. At vero iniustitia furti determinata est ad ignorantiã patientis. Iniustitia vero rapinæ determinata est ad scientiam ipsius patientis. Cum igitur inuoluntarium in moralibus, diuidatur in inuoluntarium ex ignorantia, & in inuoluntarium ex scientia, & propterea distinguantur specie furtum & rapinæ: sequitur, ꝙ iniustitia emptionis & venditionis, quæ abstrahit ab ignorantia, & scientia patientis, differat specie à furto vel rapina.

ARTICVLVS I.

Vtrùm licitè aliquis possit vendere rem, plus quàm valeat.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd aliquis licitè possit vẽdere rem, plus quam valeat. Iustum enim in commutationibus humanę vitę secundum leges ciuiles determinatur. Sed secundum eas licitum est emptori & venditori, vt se inuicem decipiant. Quod quidem fit, inquantum venditor plus vendit rem, quàm valeat, emptor autem minus, quàm valeat.

Ergo

Ergo licitum est quòd aliquis vendat rem plus quàm valeat.

2. Præterea. Illud quod est omnib. cõmune, videtur esse naturale, & non esse peccatũ. Sed sicut Augustinus refert. 13. † de Trinita. Dictum cuiusdam Mimi fuit ab omnibus acceptum, Vili vultis emere, & carè vendere. Cui etiam consonat quod dicitur Prouerb. 20. Malum est, malum est, dicit omnis emptor: & cùm recesserit, gloriatur. Ergo licitum est aliquid cariùs vendere, & vilius emere, quàm valeat. (Lib. 13. c. 2 paulo à principio. to. 3.)

3. Præterea. Non videtur esse illicitum, si ex conuẽtione agatur id, quod fieri debet ex debito honestatis. Sed secundũ Philosophum in † 8. Ethicorum in amicitia vtilis recompensatio fieri debet secundũ utilitatem, quam consecutus est ille, qui beneficium suscepit, quæ quidem quandoque excedit valorem rei datæ; sicut contingit cum aliquis multum re aliqua indiget, vel ad periculum euitandum, vel ad aliquod commodum consequendum. Ergo licet in contractu emptionis & venditionis aliquid dare pro maiore pretio, quàm valeat. (Lib. 8. Ethi. c. 13. non longè à fine, tomo 5.)

SED contra est, quod dicitur Matth. 7. Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Sed nullus vult sibi rem vendi carius, quàm valeat. Ergo nullus debet alteri vẽdere rem carius, quàm valeat.

Respondeo dicendum, quòd fraudem adhibere ad hoc quòd aliquid plus iusto pretio vendatur, omnino peccatum est, inquantum aliquis decipit proximum in damnũ ipsius. Vnde & Tullius dicit in libro † de Officijs. Tollendum est ex rebus contrahendis omne mendacium, non licitatorem venditor, nec qui contra se licetur, emptor opponet. Si autem fraus deficit, tunc de emptione & venditione dupliciter loqui possumus. Vno modo secundum se, & secundum hoc emptio & venditio videtur esse introducta pro communi vtilitate vtriusque, dum scilicet vnus indiget re alterius, & econuerso, sicut patet per Philosophum in primo † Politicorum. Quod autem pro communi vtilitate inductum est, non debet esse magis in grauamen vnius, quàm alterius. Et ideo debet secundum æqualitatem rei inter eos contractus institui. Quantitas autem rei, quæ in vsum hominis uenit, mensuratur secundum pretium datum ad quod est inuentum numisma, vt dicitur in † quinto Ethicorum. Et ideo si vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel econuerso res excedat pretium, tolletur iustitiæ æqualitas. Et ideo carius vendere, vel vilius emere rem, quàm valeat, est secundum se iniustum & illicitum. Alio modo possumus loqui de emptione & venditione, secundum quod per accidens cedit in vtilitatem vnius & detrimentum alterius, puta cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, & alius læditur, si ea careat. Et in tali casu iustum pretium erit, vt non solum respiciatur ad rem, quæ venditur, sed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit. Et sic licitè poterit aliquid vendi plus quàm valeat secundum se, quamuis non vendatur plus quàm ualeat habenti. Si verò aliquis multum iuuetur ex re alterius, quam accepit, ille uerò qui vendit, non damnificatur ca rendo re illa: non debet eam superuendere: quia utilitas quæ alteri accrescit, non est ex uenditione, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet uendere alteri quod non est suum licet possit ei uendere damnum quod patitur: ille tamen qui ex re alterius accepta multum iuuatur, potest propria sponte aliquid uendenti supererogare: quod pertinet ad eius honestatem. (Lib. 5. ca. 5. com. 5.)

AD primum ergo dicendum, quòd sicut suprà dictum † est, lex humana populo datur, in quo sunt multi à uirtute deficientes, non autem datur solum uirtuosis. Et ideo lex humana non potuit prohibere quicquid est contra uirtutem, sed ei sufficit, ut prohibeat ea quæ destruunt hominum conuictum, alia uerò habeat quasi licita: non quia ea approbet, sed quia ea non punit. Sic ergo habet quasi licitum, pœnam non inducens, si absq; fraude uẽditor rẽ suã superuẽdat, aut emptor uilius emat, nisi sit nimius (1. 2. q. 96. artic. 2.)

mius excessus quia tunc etiam lex humana cogit ad restituendum: puta si aliquis fit deceptus vltra dimidiã iusti preti, quantitatem. Sed lex diuina nihil impunitum relinquit, quod sit uirtuti contrarium: vnde secundum diuinam legem illicitum reputatur, si in emptione & venditione non sit æqualitas iustitiæ obseruata. Et tenetur ille qui plus habet, recõpensare ei qui damnificatus est, si sit notabile damnum. Quod ideo dico: quia iustum pretium rerum non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam estimatione cõsistit: ita quòd modica additio vel minutio non videtur tollere æqualitatem iustitiæ.

Ad secundum dicendũ, quòd sicut August. ibidẽ† dicit: Minus ille vel seipsum in tuendo, vel alios experiẽdo, vili velle emere, & carẽ uẽdere, omnibus id credidit esse commune. Sed quoniam re vera uitiũ est, potest quisque adipisci huiusmodi iustitiã, qua huic resistat & uincat. Et ponit exemplum de quodam, qui modicum pretium de quodã libro propter ignorantiã postulanti iustũ pretium dedit. Vnde patet quòd illud commune desiderium non est naturæ, sed vitij. Et ideo commune est multis, qui per latam viam vitiorum incedunt.

Loco cita. in arg.

Ad tertium dicẽdum, quòd in iustitia cõmutatiua consideratur principaliter æqualitas rei. Sed in amicitia utilis, consideratur æqualitas vtilitatis. Et ideo recõpensatio fieri debet secundũ vtilitatem perceptam. In emptione verò secundum æqualitatem rei.

SVMMA ARTICVLI.

VTrum licitè possit aliquis vendere rem plus quã valeat? Prima conclusio. Adhibere fraudem vt aliquid plus iusto vendatur, est peccatum inquantũ aliquis decipit proximum in damnum ipsius.

Secunda conclusio. Etiam deficiente fraude, vendere carius aut emere vilius quam res ualeat, est secundum se iniustum. Ratio est, quia secundum se in illo contractu committitur inæqualitas.

Tertia conclusio. Per accidens aliquando licet vendere rem carius quàm secũdum se ualeat, propterea quòd fit ualde vtilis ementi. Ratio est, quia hoc est uẽdere quod non est proprium sed alienum.

COMMENTARIVS.

DE hac materia disputant Doctores in 4. dist. 15, extant etiam tituli in vtroq; iure de contractibus. Quoniam autem de omni cõtractu agendum est, necesse erit tradere definitionem, & diuisionem contractus: vt cognoscamus quæ nam sit differentia huius contractus emptionis & venditionis, & quomodo differat ab alijs contractibus. Nota ergo primo, quòd contractus definitur ab Vlpiano, in l. Labeo. 2. ff. de verborum signif. Contractus est vtro citroque obligatio. Quæ diffinitio datur per effectum, ac si diceret, Contractus est actio humana inter duos, ex qua in utroque oritur obligatio ad alterum. Hæc autem actio humana necesse est, vt explicetur aliquo signo sensibili sufficienti ad explicãdum animum contrahendi. Et ratio est, quia homo componitur ex corpore & anima, & idcirco actio humana quæ debet esse ad alterum necesse est, quòd sit sensibilis, eo quòd omnis nostra cognitio ortum habet à sensu. Sunt autem quatuor figuræ contractuum, siue quatuor modi qui referuntur. in l. naturalis. ff. de præscriptis uerbis. Primus modus explicatur sic, Do vt des. Secundus facio vt facias. Tertius, do vt facias. Quartus, facio vt des. Hinc sequitur, ꝙ simplex promissio non est contractus eo ꝙ nec; habet figuram contractus neq; definitionem cum nulla oriatur obligatio in vtroque.

Secundò nota, quòd contractus propriè dictus, diuiditur in septem differentias siue species. Prima dicitur cambium, in qua permutatur res pro re. Secunda est emptio, vbi intelligitur correlatiuum uenditio. Tertia species est mutuatio. Quarta est emphyteusis, idest melioratio, verbi gratia. Dat aliquis alteri uineam vt colat illam & reparet & fructus capiat & soluat aliquam pensionem & reddat. Quinta ipe cies est commodatio quando debet reddi idem numero datum. Sexta species est permutata commodatio. Septima est locatio. Sed tamen pro huius diuisionis intelligentia: nota, quòd hic non diuidimus cõtractum in tota sua generalitate, sed quod attinet ad rem præsentem diuidimus contractum circa res ipsas, non circa personas: & idcirco non annumeramus matrimonium neque votum solenne: eo quòd sunt traditiones personarum.

HIS suppositis. Probatur sufficientia præfatæ diuisionis. Etenim per contractum pôt trãsferri vel dominiũ rei, uel usufructus illius aut tantum vsus. Siquidem transferatur dominium rei, constituuntur tres species. s. cambium, quod fit qñ res pro re commutatur, vt vinum pro frumento: & emptio, qñ trãsfertur dominium rei pro pecunia, & mutuatio qñ transfertur dominium rei cum obligatione vt reddatur tantumdem in alio indiuiduo. Quibusdam aũt visum est, ꝙ mutuatio nõ sit propriè cõtractus, eo ꝙ nulla obligatio oritur in mutuatore, sed tm̃ in mutuatario. Nihilominus falluntur in hoc, quia mutuator ipse, eo ipso ꝙ mutuat, manet obligatus ad nõ statim repetendũ, donec mutuatarius aliquod commodũ acceperit, uel accipere potuerit moraliter loquendo ex ipsa re mutuata: & eadem rõ est de commodatore, manet. n. obligatus vt mutuator, imò vero aliqñ statuitur aliquod certũ tẽpus, intra quod ipse cõmodator uel mutuator nõ pôt repetere. Præterea. Si p contractũ nõ transferatur dñium rei, sed vsusfructus pro aliquo pretio, vel pensioue tpali, vel perpetua, & tunc talis cõtractus dr emphyteusis. Dicimus aũt nõ transferri dominium per emphiteusim: quia quanuis transferatur & tradatur ipsa res, tamen directum dominium rei manet apud dominum, qui rem transtulit ad usumfructum alterius: quanuis dominium vtile maneat in illo, qui rem accepit per talem contractum. Denique si per contractum transferatur tantum vsus rei, oriri possunt tres species. Nam si transferatur gratis res sine pretio, siue vsus vsus ille, est quidem commodatio cum conditione, vt rei substantia restituatur domino. v. g si aliquis cõmodet equum ad iter faciendum alteri, si autem nõ transferatur gratis, sed pro vsu alterius rei: dicitur permutata commodatio. Si autem sit pro pretio, dicetur locatio.

Ad has septem species possunt reduci omnes alij contractus, siue nominati, siue innominati. Præsertim contractus assecurationis & societatis: nam per assecurationem non transfertur dominium rei, neque vsus: sed tantum per assecurationem conseruatur dominium, vel vsusfructus, vel vsus, iuxta rationem assecurationis & obligationem assecurantis. Societas autem poterit reduci ad quandam locationem. Similiter impignoratio, vel fideiussio, non pertinet ad speciem distinctam, sed tantum est confirmatio aliorum contractuum & ad illos reducetur. Magister Soto lib. 6. de Iustitia. q. 2. art. 1. dicit, ꝙ sufficit numerare quinque contractuum species. Nam cambium in quo transfertur res pro re, reducit ad emptionem. Permutata verò commodatio reducitur ab illo ad locationem. Sed nobis non videtur verum, quòd cambium reducatur ad emptionem. Primò quia cambium antiquior contractus est, quàm emptio. Item emptio & venditio inuenta est ad supplendum, id quod per cambium commodè heri non poterat. Ergo si aliqua istarum specierum ad aliam erat reducenda, potius emptio ad cambium quàm cambium ad emptionem reduci oportebat. Præterea permutata commodatio nõ exigit æqualitatem, qualem requirit locatio. Ergo non rectè ad illam reducitur. Probatur antecedens. Possunt enim duo homines conuenire, vt adinuicem commodent res inæqualis commoditatis.

Nota præterea ad maiorem intelligentiam prædictæ diuisionis, non multum interesse ad mores uel ad rationem iustitiæ, vel iniustitiæ dignoscendam, quæ in huiusmodi contractibus reperitur, curiose distinguere, an isti contractus distinguantur specie metaphysica & differentia essentiali, dummodo cognoscamus differentes modos qui requirunt differentem considerationem in istis contractibus. Hæc autem differentia qualiscunque sit, desumenda est ex diuerso modo tradendi rem ipsam, scilicet transferendo cum illa dominium, uel usum fructum, uel vsum tantum, & ex diuersa obligatione quæ oritur in ipsis contrahentibus, videlicet ad reddendam rem ipsam, vel non reddendam, uel ad conseruandam illam vel aliquid aliud faciendum pro re ipsa. Et idcirco visum est viris doctis & prudentibus, illa septem capita contractuum distinguere, ad quæ alij contractus reducerentur.

Ex dictis colligitur definitio emptionis & venditionis, emptio nanque est contractio rei pro pretio: venditio autem distractio rei pro pretio. Nomine vero pretij, intelligimus pecuniam, per quam æstimatur valor omnium rerum venalium: est enim pecunia ipsa mensura communis ipsarum rerum venalium. Hæc autem definitio, desumitur ex modo loquendi Iuri peritorum, qui venditionem vocant distractionem rei, & emptionem ipsam vocant contractionem rei ipsius.

Iam vero pro intelligentia conclusionis articuli

Diui Thomæ, obseruanda quidem sunt à Theologo tria principia siue regulæ, ad constituendum pretiũ iustum in rebus uenalibus. Prima regula sit, autoritas reipublicæ, quæ suo beneplacito potest constituere iustum pretium in huiusmodi rebus propter bonum commune.

Secunda regula est, communis æstimatio fori & bonorum hominum. Tertia regula est, conuentio inter emptorem & uenditorem ipsum. Quod autẽ istæ regulæ sint sufficienter enumeratæ. Probatur, quia pretium iustum non est ab ipsa natura determinatum: etenim iustum naturale, autore Aristot. 5. Ethicorum, cap. 7. est idem apud omnes, at uero pretium rerum multipliciter uariatur pro temporis & loci uarietate, & etiam pro ipsarum rerum uarietate: ergo necesse est, quòd pretium determinetur per beneplacitum hominum: non potest autem excogitari aliquod aliud beneplacitum per quod constituatur istud iustum pretium, quod non contineatur in prædictis: ergo sufficienter enumeratæ sunt istæ tres regulæ.

Circa primam regulã aduerte, quòd nomine reipublicæ, intelliguntur omnes, qui habent autoritatem ab ipsa republica: inter quos primum locũ obtinet princeps, deinde prætores, & alij iudices & ediles, qui vulgo dicuntur (*Regidores y Fieles*) qui habent autoritatem à republica taxandi pretium in aliquibus mercibus, minoris momenti. Vbi obseruandum est, quòd nisi sit error intolerabilis & euidens, standum est taxationi pretij factæ à republica & officialibus eius, semper enim præsumendum est tale pretium esse iustum & in casu dubij standũ est illi.

Secundò notandum est, quòd taxatio pretij potest fieri tripliciter. Vno modo penes terminum magnitudinis in fauorem emptoris: altero modo penes terminum paruitatis in fauorem uenditoris. Tertio modo penes vtrunque terminum in fauorẽ vtriusque. Exemplum primi est in pragmatica frumentaria, ubi taxatur pretium penes terminum magnitudinis, non enim potest esse maius pretium iustum frumenti, quàm sit taxatum à republica. Potest autem esse iustum pretium multo minus, quàm sit taxatum à republica: propterea quòd ex abundantia tritici communis æstimatio fori deprimit taxatũ pretium. Exemplum secundi habetur in censibus temporalibus uel uitalitijs, ubi taxatur pretium penes terminum paruitatis, non enim possunt emi minoris pretij: at vero possunt emi maiori pretio. Exẽplum tertij est in taxatione quæ communiter fit in pretio uini.

Circa secundam regulam, uide Diuum Thomã supra, q. 57. ar. 2. & in l. pretia. ff. ad legem Falcidiam. & l. si seruum. ff. ad legem Aquiliam. & in capit. 1. de emptione & uenditione.

Circa omnes tres regulas in communi. Nota, ꝙ est maxima differentia inter pretium constitutũ per primam regulam & constitutum per alias regulas: quia constitutum per primam regulam consistit in indiuisibili, eo modo quo constitutum est: pretium vero constitutum per alias regulas uariari potest eodem loco & tempore in parua quantitate, quia non consistit in indiuisibili, ut dicit D. Thomas supra in solutione ad primum. Et idcirco à doctoribus assignatur triplex iustum pretium eodem loco & tempore quod reputatur quasi vnum pretium. Aliud quidem dicetur rigidum penes terminum magnitudinis: aliud uero dicitur mite penes terminum paruitatis: aliud denique dicitur mediocre penes recessum ab vtroque extremo.

Secuuda

Secunda differentia est, quòd pretium taxatum à republica, ordinatur immediatè ad bonum communitatis per iustitiam legalem, quæ principaliter residet in Principe, & ministris reipublicæ: pretium vero constitutum per alias regulas ordinatur immediatè ad bonum ipsorum contrahentium.

Tertia differentia est inter pretium constitutum per secundam regulam & pretium constitutum per tertiam regulam: quòd stante taxatione per secundam regulam, non habet locũ tertia regula. Si enim pretium communi æstimatione fori sit cõstitutum, non licet illud pretium uariare ex conuentione inter emptorem & uenditorem: sed standum erit omnino communi vsui fori. Hoc intelligitur in ratione contractus emptionis & uenditionis. Nam si ex beneplacito suo uenditor uelit rem uilius uendere, erit quidem donatio: sicut si emptor uelit carius emere erit etiam donatio. Vnde regula tertia tantum habet locum, quando pretium rei nullo modo est taxatum, sicut uerbi gratia, contingit in mercibus quæ nouiter adducuntur ex India. Similiter etiam idem contingeret si quis artifex industrius faceret aliquod nouum artificium utile hominibus & reipublicæ & etiam delectabile: tunc non est aliud pretium iustum nisi ex conuentione partium, quod quidem debet fieri attentis laboribus & industrijs & expensis ipsius artificis.

Quarta differentia est inter has regulas, quòd materia primæ & secundæ regulæ sunt res necessariæ ad victum & uestitum hominum, v.g. circa frumentum & vinum, & carnes & vestitum exercentur illæ regulæ. At uero materia propria tertiæ regulæ, sunt res quæ magis pertinent ad fastum & pulchritudinem ipsius reipublicæ, quam ad necessitatem: quales sunt lapides pretiosi & canes venatici, & etiã accipitres & equi elegantes, qui non habent pretiũ taxatum à republica. Constitutis his omnibus fundamentis est.

Dubium primum. Vtrum modus uendendi rem possit uariare iustum pretium rei eodẽ loco & tempore? loquimur autem de uarietate notabili. Pro cuius intelligẽtia aduerte, ꝙ quadruplex est modus uẽdendi. Primus est, quando ipsã merces quærit emptorem. Secundus. Quãdo emptores quærunt merces. Tertius, quando aliquis uendit simul magnam copiam rerũ & non minuatim. Quartus modus uendendi est per mensuras quasdam minutiores.

Sit ergo prima conclusio. Primus modus uendendi, facit uilescere pretium rei iustũ. Probatur ex cõi prouerbio: merces ultroneæ uilescunt, cuius prouerbij ratio est: quia in illo modo uendendi est raritas emptorum, quæ est una causa ex multis minuendi pretium.

Secunda conclusio. Secundus modus uendendi auget pretiũ iustum rei. Ratio est. Quia in illo modo uendendi est copia emptorum, quæ causa est augendi pretium.

Tertia conclusio. Tertius modus vendendi facit vilescere pretium rei. Ratio est, quia in illo modo uendendi inuenitur raritas emptorum.

Quarta conclusio. Quartus modus uendendi merito auget pretiũ iustũ rei. Ratio est: quia in illo modo uendendi est multus labor & maior cura & industria in seruandis mercibus & diuidendis.

Ex dictis sequitur, quid sentiendum sit de monopolijs. Fit enim monopoliũ tripliciter. Primò quidẽ publica autoritate, ut cum Princeps prohibet ne quis uendat aliquod genus merciũ præter Petrũ uel Ioannem. Et iste modus vendendi si fiat de rebus nõ multum necessarijs reipublicæ, uel si fiat de necessarijs, A sit tamen eogente necessitate, vel vtilitate reipublicæ cui aliter prouideri commodè non potest, nisi merces ad vnum venditorẽ uel duos reducantur: tunc iustus erit iste modus uendendi, dũmodo pretiũ taxetur à republica, ne forte illa occasione uẽditores ipso lient rempublicã ipsam. Hac uia iustificantur priuilegia & monopolia de cartis lusorijs & de libris ab ipsis autoribus tantum uendendis.

Secundus modus monopolij est, quando ipsi negotiatores conueniunt inter se de non uendendis mercibus nisi certo quodam pretio suo beneplacito taxato. Tunc enim omnes isti negotiatores efficiuntur quasi vnus uenditor, quod redundat in damnum B communitatis. Ratio est: quia quando sunt multi venditores non coniurati, facile minuuntur rerum pretia, dum quilibet affectat uendere, quod quidẽ redũdat in bonum communitatis. Similiter etiam peccarent vicissim emptores, quando ad inuicem conueniunt, de non emendis mercibus nisi uiliori quodam pretio taxato suo arbitratu. Isti tamen poterũt aliquando excusari: si hoc faciant contra monopolium quod fecerunt uenditores: tunc enim redimũt suam vexationem, dummodo conueniant emptores in quodam iusto pretio & æquabili, quale posset esti mari à viris probis, si nullum esset monopolium.

Tertius modus monopolij est, quãdo duo vel tres C mercatores, vel ẽt vnus, congerũt omnes merces alicuius generis ea intentione, ut omnes emant ab ipsis, ipsi uero fingũt pretium quodam pro libito suo. Omnes igitur modi prædicti præter primum cũ suis limitationibus, prohibiti sunt iure communi, vt patet. l. 1. C. de monopolijs. & l. 2. tit. 7. Partita quinta.

Nihilominus aduerte, ꝙ in foro conscientiæ non tenebuntur facientes monopolium restituere, nisi conuenerint in pretio iniusto, quod quidem periculum vt in plurimum inuenitur in secundo genere monopolij, tam cum fit ex parte venditorum tam etiam ex parte emptorum. At uero in tertio genere monopolij, non uidetur esse aliqua iniquitas. D Et ratio est, quia ille qui emit totam quantitatem mercium, suo periculo emit, neque cum aliquo conuenit fraudulenter: quin potius huiusmodi negotiatio publicè fit in republica, neque prohibetur legibus, nisi tantum in emptione tritici, cautum enim est legibus Regni, quòd nemo emat triticum ad reuendendum: ubi autem non fuerit lex humana expressa, quæ prohibet emptionem siue in parua siue in magna quantitate ad iterum uendendum: licitum erit cuilibet negotiatori emere totam quantitatem mercium.

Sed rogat aliquis. In tali casu quod nam erit pretium iustum, quando ille iterum uendit. Respon- E detur, quòd si non est taxatio facta à republica, iustũ pretium erit in quo conuenerint emptores cũ uenditore. Neque moraliter loquendo erit periculum in tali casu, quòd pretium plus iusto augescet propter vnitatem uenditoris. Et ratio est: quia quamis sit vnitas uenditoris, est multiplicitas mercium apud illum, & idcirco properabit uendere, uel populo, uel alijs negotiatoribus. Si autem ex tali modo congerendi merces ad unicum negotiatorem, sequeretur aliquod damnum communitati: tunc princeps reipublicæ tenetur cogere illum negotiatorem, ut uendat, & si opus fuerit taxare pretium illi. Hactenus dictum est de pretio iusto secundum se, hoc est attento valore rei uenalis absolutè loquendo. Nunc autem de pretio iusto per accidens dicamus.

Dubium igitur secundum est circa tertiam conclusionem D. Thom. Vtrũ illa sit uera, & an possint esse aliæ circunstantiæ, propter quas aliqua res iustè

iustè vendatur carius, quàm secundum se ualeat. v.g. si res uendatur carius non solum propter incommodum uenditoris, sed etiam propter ipsius rei uenalis honorificam antiquitatem, uel propter delectationẽ quam uenditor capit ex illa re.

Respondetur & sit prima conclusio. Doctrina D. Thomæ in tertia conclusione certissima est, & probatur. Quia æquitas naturalis postulat, ut uenditor qui est dominus & possessor rei suæ, seruet se indemnem, ergo uera est conclusio Diui Thomæ. Confirmatur exemplo. Nã eadem ratione excusamus mutuatorem, quando à mutuatario exigit lucrum uerè cessans, uel damnum emergens, scilicet, quia seruat se indemnem hoc faciendo. Sed hæc doctrina intelligenda est quãdo emptor uel mutuatarius solicitat uẽditorem uel mutuatorem ut uendat uel mutuet: quia alias non erat uenditurus uel mutuaturus: si autem ultro se offerat ad uendendum uel mutuandũ non potest quicquam exigere pro suo damno uel lucro cessante. Ratio est manifesta: quia tunc ipse emptor non est causa, quòd uenditor priuetur suo commodo, ergo non est iustum ut soluat pretium propter incommoda uenditoris aliundè prouenientia.

Secunda conclusio. Etiam ratione antiquitatis honorificæ, potest venditor aliquid amplius exigere quam res secundum se valeret, & huiusmodi pretium poterit esse per accidens iustum, quando res illa solum est honorifica uenditori: at vero si res illa sit honorifica cuilibet habenti: tunc illud pretium erit iustum secundum se: quoniam dignitas illa est quasi intrinseca rei. Cæterum pretium maius quod accipitur propter delectationem quam capiebat venditor de illa re, iustum quidem erit sed per accidens. Hæc autem doctrina debet intelligi, quando emptor solicitat venditorem, aliàs non venditurum.

Hinc sequitur, quòd fallaces sunt regulæ quibus ipsi negotiatores solent iustificare pretium pro mercibus: aiunt enim, quòd tanti emerunt merces illas, quòd tantas expensas fecerunt in illis asportandis & conseruandis, quæ omnia impertinentia sunt ad iustificandum pretium in præsenti: nisi aliàs iustificetur secundum regulas propositas & explicatas. Continget enim quòd negotiator vilius uendat quam emerit, & tamen iniquè uendit, vel quia ipse stultè emit, vel quia postquam emit aduenit magna copia mercium, vel fuit raritas emptorum.

Iam vero, vt ea quæ dicta sunt magis examinentur, arguitur primò contra primam regulam. Iniquum est, vt omnes merces eiusdem speciei, dissimiles tamen secundum conditiones indiuiduales, ex quibus res pluris aut minoris æstimantur: vt vno E pretio, eodem tempore & loco vendantur: sed prima regula ita disponit, ergo iniqua est.

Secundò. Pretium rerum iustissimè variatur copia vel inopia ipsarum variata pro differentia loci & temporis: sed lex quæ taxat pretium rerum multo tempore duraturum, nullam habet rationem huius varietatis: ergo imprudens est & iniqua.

Tertiò. Pretium etiam lege taxatum statuitur per humanam prudentiam: sed humana prudentia non attingit medium iustitiæ indiuisibiliter, vt ait Aristot. 2. Ethicorum, capit. 6. ergo consistere in indiuisibili non magis est proprietas pretij constituti per primam regulam quam per secundam & tertiam.

Quartò. Iustum pretium rerum est in æqualitate rei ad rem, siquidem est medium iustitiæ commutatiuæ: ergo omne pretium iustum consistit pariter in indiuisibili.

A Ad primum respondetur, quòd lex quæ taxat pretium rebus eiusdem speciei intelligenda est de rebus sanis in illa specie: quare si triticum sit sordidum, mixtum palea, uel terra, vel consumptum gurgulione: non est vendendum secundum illud pretium regulariter loquendo. Idem dicimus de vino: si sit ita accidum, vt prope sit acetum vel mixtum aliquo licore, non potest vendi pretio taxato per legem regulariter loquendo. Si tamen merces sint integræ & sanæ in sua specie, istæ taxantur iustè eodem pretio legitimo quantum ad terminum magnitudinis. Ratio est: quia lex non respicit per se bonum particulare emptoris & uenditoris, sed bonum com B munitatis: & idcirco non est inconueniens; quòd aliqua particularia incommoda tollerentur, imò vero & si bene consideretur, non poterat aliter taxari pretium pragmaticæ de frumento. Nam si distinctum pretium statuisset lex pro optimo frumento, & pro mediocri & pro minus bono, esset maxima confusio inter emptores & venditores: non enim poterat inueniri iudex facile qui discernerer, quodnam triticum esset optimum, quod mediocre, quod minus bonum. Prudenter igitur lex statuit certum pretium quantum ad terminum magnitudinis, etiam pro optimo frumento. Iudicauit enim legislator, quòd minus bonum triticum non attingeret illud pretiũ nisi in magna inopia tritici & fame multa: quapropter nota, quòd stante pragmatica, potest inueniri triplex differentia & circunstantia tem C poris. Prima quidem, quando omne triticum etiã vilissimum & mixtum paleis attingit pretium pragmaticæ, & hoc contingit quando est notabilis fames & penuria frumenti: tunc enim etiam vilissimum triticum transcenderet illud pretium, si non esset pragmatica. Secunda differentia temporis est, quando nullum triticum potest iustè uendi pretio pragmaticæ, v.g. quando est maxima copia frumenti, & tunc differenti pretio iusto uenditur optimum & mediocre & minus bonum: quod si aliquis uen- D dat tunc pretio taxato à pragmatica: tenetur restituere emptori etiam si non puniatur ab ipsa republica, nisi fuerit excessus vltra medietatem quidem iusti pretij. Tertia differentia est, quando bonum & optimum triticum attingit pretium pragmaticæ, & minus bonum non attingit neque potest attingere iustè pragmaticam. Hoc contingit quando non est multa copia, neque multa inopia frumenti: tunc n. potest contingere, quòd optimum triticum & bonũ attingat pretium pragmaticæ: minus autem bonũ non attingat. Vnde si quis uendat minus bonum triticum pretio pragmaticæ expectata pecunia: tenetur ad restitutionem ipsi emptori: quoniam numerata pecunia non tantum valet in præsenti, unde sumi debet pretium iustum.

Ad secundum respondetur consequenter, quòd lex non debet habere rationem uarietatis illius copiæ uel inopiæ, quando ad bonum communitatis expedierit pro multo tempore taxare ipsum pretium.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd pretium legitimum in hoc conuenit cum alijs pretijs arbitrarijs, quod quemadmodum à principio quando agebatur de lege ferenda poterat humana prudentia taxare pretium legitimum paulo magis aut minus: sed iam semel statuto pretio per legem, iniquum erit ab illa taxatione discedere etiam in minimo: sic etiam pretium arbitrarium postquam semel statutum est inter emptores & uenditores in singulari, iniquum est ab illa quantitate determinata discedere, etiam in minimo: nisi de consensu vtriusque

que partis. Et ita humana prudentia attingit mediũ iustitiæ in emptionibus & venditionibus, uel statuẽdo legem de pretio legitimo, uel per conuenientiã inter emptorem & uenditorem ipsum: & ita manet pretium iustum in indiuisibili.

Ad quartum respondetur, ęqualitatem iustitię cõmutatiuæ, aliquando consistere in indiuisibili mathematico: quando res ipsa in se consistit in indiuisibili. v.g. quando qui accepit duo reddit duo: aliquãdo vero necesse est ut utamur indiuisibili morali, ad constituendam æqualitatem iustitiæ commutatiuæ, v.g. quando medium rei non constat in communi pro omnibus contractibus singularibus, sed necessaria est æstimatio hominum, quæ uaria est, quanuis accedat prope ad medium: & talis est æstimatio fori communis: donec in particulari fiat conuenientia inter emptorem & venditorem de pretio indiuisibili: & sic non est eadem ratio de prima regula, & de alijs duabus: quoniam secundum primam regulam, pretium rerum consistit in indiuisibili mathematico etiam in communi omnibus contractibus: at uero pretium constitutum per secundam & tertiã regulam consistit in indiuisibili morali, donec in singulari fiat conuenientia. Ex dictis sequitur, quomodo sit intelligendum illud commune prouerbiũ, tantum valet res quantum vendi potest, quod habetur in l. 1. ff. ad Senatusconsulta. & in l. si quis vxori. ff. de furtis. est enim intelligendum quantum vendi potest secundùm communem æstimationem fori, quando non est taxatum lege pretium. Item maxime verificatur in materia tertiæ regulæ, vbi neq; est lex neque communis æstimatio fori.

Sed iam circa pragmaticam de frumento, aduertenda sunt tria documenta. Primum est, quòd in illa pragmatica non solum interdicitur venditio frumenti pro maiori pretio pecuniario, sed etiam cambium pro alia re maioris pretij. v. g. non erit licitum stante pragmatica permutare certam mensuram tritici pro certa mensura olei quæ pluris æstimatur. Probatur. Quia quãuis lex solum exprimeret, quòd nemo vendat triticum nisi tale pretio, tamen secundùm ius commune nomine venditionis quantum ad valorem, intelligitur etiam cambium, vt patet ex. l. statu liberi. ff. de statu liberis. & ex l. 2. C. de rescindenda venditione. quę lex secundùm omnes Iurisperitos verificatur etiam in cambio: quamuis solum loquatur expressè de emptione & venditione.

Secundò probatur. Nam illa lex facta est propter bonum communitatis, si autem liceret res maioris pretij recipere pro frumento, cogerentur emptores ab ipsis venditoribus, vt aliàs emerent res maioris pretij ad permutãdum eas pro frumento, quod quidem inconueniens perinde esset atq; si non esset ipsa lex pragmaticæ. Denique probatur. Quia lex illa intendit constituere iustum pretium in indiuisibili: si autem esset licitum recipere res maioris pretij pro frumento, non seruatur æqualitas iustitiæ commutatiuæ constituta per legem ipsam.

Secundum documentum est, quòd qui vendit frumentum vltra pretium taxatum, mortaliter peccat: quia facit contra legem iustam in materia graui, & tenetur restituere excessum pretij ipsis emptoribus: quamuis non teneatur ad pęnam legis ante condemnationem iudicis. Hoc documentum est contra doctissimum Nauarro in suo Manuali, cap. 23. num. 86. vbi ait, quòd ille qui vendit vltra pretium taxatum lege non peccat mortaliter, dũmodo non vendat maiori pretio quam res illa valeret secundũ permissionem legis naturalis, si nulla esset pragmatica. Et in nu. 55. idipsum docet de omni lege ciuili, quòd non obligat in foro conscientiæ: sed solum sunt pœnales leges. Contra cuius sententiam disputatur in communi, in 1. 2. quæst. 96. art. 4. sed quòd attinet ad rem præsentem reprobatur prædicta sententia merito. Et probatur prædictum documentum. Primò. Nullum est pretium iustum lege naturali, sed solum lege positiua, vel ex communi æstimatione fori: sed supposita taxatione legis illud est pretium iustum legitimum: ergo lex naturalis pro tunc nullum aliud pretium iustificat supra illud lege taxatum. Confirmatur. Lex illa quæ taxat pretium, constituit contractum emptionis & venditionis actum iustitiæ commutatiuæ: sed iustitia commutatiua obligat in foro conscientiæ vt nemo contrafaciat: ergo vendentes vltra pragmaticam peccant mortaliter, & tenetur restituere.

Tertium documentum est, quòd illa pragmatica æqualiter obligat, omnes etiam seculares ecclesiasticos & regulares. Hoc documentum est etiam contra Nauarro vbi supra, nu. 85. vbi ait, quòd non obligantur clerici illa pragmatica: quia non sunt subditi Principi seculari, neque eius legibus ciuilibus. Vnde infert duo: alterum est, quòd expediret vt episcopi ferrent eandem legem taxationis tritici, vt clerici obligarentur: alterum est, quòd vbi fuerit lege permissum, ꝓ qui frumenta asportant ex alijs Regnis, possint vendere tanti quanti inuenerint & quantum potuerint: vt reuera permittitur in l. 1. tit. 25. libro 5. nouæ Recopilationis: quod tunc etiam clerici possunt vendere quanti potuerint. Nihilominus nostrũ documentum verissimum est, & demonstratur. Primo quidem, quoniã l. citata, & l. 2. & 3. dicitur, quòd compellantur clerici eodem pretio vendere sicut seculares: si autem clerici non essent subditi Principi seculari, quantum ad hoc lex illa esset iniqua, neque permitteretur à Pontifice in populo Christiano. Secundò probatur. Quoniam omnes clerici & regulares subditi sunt principibus secularibus in his, quæ non impediunt gubernationem ecclesiasticam, ergo omnes obligat. Denique probatur. Nam lege naturali tenentur clerici vendere frumentum iusto pretio: sed iustum pretium est in aliqua republica quod æstimatur communi vsu hominum & fori ipsius secundum consuetudinem patriæ: ergo tenẽtur vendere vt mos est in illa ciuitate vbi habitãt. Et ista ratio concludit, quòd ipsemet Princeps tenetur vendere suum triticum pretio taxato à pragmatica: quia durante pragmatica pretium ipsius pragmaticæ est pretium iustum. Hactenus de hac pragmatica frumenti dictum sit.

Dubitatur tertiò circa solutionem ad primum argumentum, in qua solutione agitur de deceptione quam ad inuicem faciunt emptores & venditores, vltra vel citra medietatem pretij iusti.

Pro cuius dubitationis intelligentia aduertẽdum est, quòd quantum attinet ad vẽditores, manifestum est quid sit decipere vltra medietatem iusti pretij: est enim recipere vltra iustum pretium plusquam dimidium. v. g. si venditor pro re quæ valet centum recipiat centum quinquaginta vnum. Decipit autem citra dimidium iusti pretij, quando pro re quæ valebat centum accipit ad summum cẽtum quadraginta nouem. Sed tamen quod attinet ad emptorem, est differentia opinionum inter Iurisperitos, quid sit decipere venditorem vltra vel citra dimidium. Nobis tamen certissima sententia sit, quòd emptor tunc decipit vltra dimidium ipsum venditorem: quando pro re quæ valebat centum repẽdit quadraginta nouem aut infra, ita quòd nulla sit differentia inter emptorem & venditorem quantum ad medietatem iusti pretij:

pretij: quoniam res ipsa reducenda est ad pretium pecuniarium iustum, ut facile iudicemus quis decipiat alterum vltra vel citra dimidium.

Hoc supposito arguitur primo pro parte affirmatiua, quod licitum sit emptoribus & venditoribus se ad inuicem decipere vltra dimidium iusti pretij. Est argumentum. Leges ciuiles sunt iustæ: sed secundũ illas fertur sententia in iudicio in fauorem eius qui decepit alterum citra dimidium: ergo etiam in foro conscientiæ conferunt illi ius ad retinendum, quod accepit. Minor patet ex l. 2. & l. si voluntate. C. de rescindenda uenditione. & ex cap. cum dilecti. & cap. cum causa. de emptione & venditione.

Secundo arguitur à simili. Leges de præscriptione transferunt dominiũ rei in foro conscientiæ in possessorem bonæ fidei, ergo saltem leges citatæ conferunt dominium in foro conscientiæ in emptorem & venditorem bonæ fidei.

Tertiò arguitur. Qui compatat dominium per cõtractum iure validum quanuis lege prohibitum. v.g. qui acquirit dominium pecuniarium per ludũ alearum, non tenetur pecuniam restituere in foro conscientiæ antequam compellatur à iudice, ergo multo minus in nostro casu tenebitur, vbi & cõtractus est validus & à iudice re cognita non compelletur restituere qui decepit vltra dimidium iusti.

De hac re multa disputant Iurisperiti, videatur Conar. lib. 2. Variarum Resol. c. 3. ad quartũ. inter Theologos videatur Ioannes de Medina Complutẽsis in tract. de rebus restituen. quæst. 32. & Conrad. de contractibus in quæst. 57. Sylvest. in verb. emptio. Caiet. opusc. 17. Responsionum, responsi. 17. dubio 3. Adria. quolib. 6. art. 3. ad tertium.

Sunt igitur tres sententiæ de hac re. Prima quæ ait, nullum esse peccatum decipere emptorem, uel uenditorem. Hanc tenet Summa Rosella, ut refert Sylvest. ubi sup. & quidam Durandus minorita, ut refert Cõrad. ubi supra, & multi Iurisperiti quos citat dominus Antonius de Padilla in comentarijs supra l. 2. C. de rescindenda uendit. nu. 73.

Altera sententia est D. Th. in hoc art. in altero extremo, qd est peccatũ mortale talis deceptio, & qd inde oritur obligatio restituendi: quæ sententia cõmunis est citatis Theologis, & multis alijs in 4. dist. 5.

Tertia sententia quasi media inter istas est, quę ait esse peccatum decipere emptorem uel uenditorem etiam citra dimidium iusti, negat tamen inde oriri obligationem restituendi. Hanc tenet Gerson in tractatu de contractibus.

Nobis tamen sententia D. Tho. & Theologorum tam certa est, ut oppositum sit omnino improbabile. Probatur primò, quia qui decipit proximum in illo casu, peccat contra iustitiam cõmutatiuã, siquidẽ recipit aliquid vltra iustum pretium, ergo tenetur hãc inæqualitatem recompensare per actum iustitiæ cõmutatiuæ qui est restituere. Confirmatur. Quia si ille tantum peccaret cõtra iustitiam legalem, ut uideretur sentire Gerson, non verificaretur ꝓ decipit vltra dimidiũ iusti. Hoc enim ex proprijs terminis significat actum contrarium iustitiæ commutatiuę, eo uel maxime ꝓ nulla ratio peccati potest illi considerari, nisi contra iustitiam commutatiuam.

Secundò. Etiam si quis bona fide decipiat alterum ex ignorantia inuincibili, tenetur nihilominus postea cognita veritate restituere illud in quo factus est ditior, quando res illa non extat, ergo etiã si emptor uel uẽditor decipit bona fide, tenebitur restituere cognita veritate. Probatur consequentia. Nam ęqualitas illius cõtractus postulat, ut neuter accipiat plus iusto, ergo cognita veritate tenebitur resarcire illam inequalitatem. Plura argumenta facit Magister Soto vbi supra, sed hęc ualidissima sunt, procedunt enim ex proprijs rerum definitionibus.

Ad argumenta in oppositum respondetur, ꝓ illæ leges sunt permissiuę quantum ad lęsionem citra dimidium iusti: non tamen iustificãt ipsum contractũ, sed relinquunt illud iure naturæ iudicandũ. Ratio autem quare leges permittunt illam iniquitatem, & non dant actionẽ in iudicio damnificato, est: quia cũ contractus emptionis & venditionis sit frequentissimus in republica, si daretur actio lęsis citra dimidiũ iusti, non sufficerent tribunalia ad dirimendas lites quotidianas quę ex talibus deceptionibus prouenirent. Imo uero olim ante legẽ illam. 2. C. de rescindẽda venditione, non dabatur actio in iudicio lęsis etiã vltra dimidium pretij. Et nihilominus deceptores tenebantur restituere iure ipso naturali. Ita etiam nunc post illam legem damnificantes citra dimidium, tenentur eodem iure naturę restituere. Sed hic obseruandum est, ꝓ quando pretium est lege taxatum, ut in pragmatica de frumento, datur actio lęsis citra dimidium iusti, tum in fauorem legis, tum etiã quia facile constat in iudicio de lęsione: nõ autem ita facile constat de lęsione, vbi non est pretium taxatum, eo quòd est multa varietas in pretio rerum, ubi non est pragmatica.

Ad secũdum respondetur, quòd non est simile de legibus prescriptionum, & de alijs legibus circa deceptionem contractus emptionis & venditionis; qm leges de prescriptione sunt directiuę & præceptiuę, leges autem altere sunt tantum permissiuę. Et si quis merito quęrat, quomodo cognosciur quãdo aliqua lex est pręceptiua & quando permissiua? Respondetur, ꝓ ante omnia attendendũ est ad finem legis, deinde considerãdum est circa medium ad finẽ, an illud quod statuit lex ad consequendum finem habeat speciem mali & iniquitatis: an vero secundùm se sit bonum? Dicimus ergo ꝓ si tale medium secundum se fuerit opus uirtutis, tunc lex erit directiua & pręceptiua. Sed difficultas est, quando ipsum mediũ habet speciem iniquitatis & malitię, quod quidem si per legem non potest honestari, tunc plane est permissiua, & sic permittuntur meretrices & defenduntur in iudicio ad euitanda adulteria & alia peccata maiora. Si autem aliqua uia poterit honestari medium per legem, uel legislatorem, uidelicet transferendo dominium rei in alterum: tunc si talis translatio dominij fuerit necessaria ad finem legis, lex erit pręceptiua, simulque directiua: si autem non fuerit necessaria ad consequendum finem legis: tunc lex erit tantum permissiua. Exemplum primi. Lex de prescriptione habet pro fine, ut rerum dominia sint certa & determinata: ad hunc tamen finem necessarium est, ut medium quod lex statuit, scilicet, quòd post tantum tempus maneant res apud possessores bonę fidei in perpetuum, quòd trãsferat dominium in possessorem bonę fidei, alias frustraretur finis legis: qui est vt rerum dominia sint certa. Exemplum secundi. Lex, quę dat facultatem uiro, occidendi uxorem deprehensam in adulterio, habet pro fine commisereri vehementi dolori mariti, & non addere dolorem supra dolorem, Ad hunc autem finem non est necessarium concedere illam facultatem publicam, ut autoritate reipublicæ occidat uxorem tanquam Iudex iuste iudicans, uel tanquam minister sententię latę iam ab ipsa lege: sed sufficit, ut permittatur occidere si velit, neque propter hoc puniatur. Vnde colligimus, quòd lex illa sit permissiua tantum. Ad hunc igitur modum, dicimus quòd lex quę dicit

dicit; liceat emptori & venditori ad inuicem decipere, habet pro fine euitare frequentes lites: quę oriuntur ex huiusmodi contractibus si pro quauis inęqualitate daretur actio in iudicio, ad quem finem sufficit: quòd parti læsæ non detur actio in iudicio: non autem requiritur, neque dicebat transferre dominiũ in damnificantem.

Ad tertium argumentum negatur illa similitudo & comparatio, quia quamuis illi contractus conueniant in hoc, quòd vterque sit validus: tamen iniquitas siue malitia quæ est in ludo alearum, est tantum contra iustitiam legalem: & idcirco reddere, quod quis lucratus est, habet tantum rationem pœnæ taxatę à lege. At vero malitia, quæ est in contractu emptionis & venditionis vbi interuenit deceptio, est contra iustitiam commutatiuam: & idcirco damnificans tenetur iure naturæ restituere.

Dubium quartum, An quòd contractus emptionis & venditionis fiat bona, vel mala fide, referat aliquid ad hoc ut sit ualidus uel non, & ad hoc quòd inde oriatur obligatio restituendi, vel non oriatur. Ad hoc dubium respondetur resolutorie.

Prima conclusio. Contractus emptionis & venditionis celebratus bona fide propter ignorantiam puræ negationis vtriusque partis, scilicet, quia neutra pars scit valorem rei: sed merè negatiuè se habet circa æstimationem valoris, tunc talis contractus est validus, etiam si vltra dimidium iusti pretij fiat deceptio. & quidem quod sit ualidus, patet, quia ex vtraque parte est omnino uoluntarius. Quòd autem inde non oriatur obligatio restituendi, probatur: quia vterque se exponit æquali periculo, & est quasi contractus de sortibus, ergo nulla ratione oritur ibi obligatio restituendi, eo vel maxime quòd vtraque pars in illo contractu cedit libere iuri suo, & facit quasi donationem mutuam ad inuicem, & denique in isto casu verificatur illa tertia regula iusti pretij.

Secunda conclusio. Si tamen talis contractus celebretur bona fide cum ignorantia praue dispositionis, quia videlicet vterque existimat iustum pretiũ esse tantum uel tantum, & tamen reuera est maius, vel minus: tunc contractus ille est inualidus. Probatur. Quia ille qui læditur non alia ratione vult cõtrahere, nisi supposito quòd pretium sit tantum, ergo non est voluntarius ille contractus, sed inuoluntarius & per consequens inualidus. Etenim de ratione contractus humani est, quòd sit voluntarius.

Tertia conclusio. Læsus per talem contractum prædictum habet ius in foro conscientiæ repetendi quod alter plus accepit: & ille alter tenetur in foro conscientiæ restituere. Cæterum in foro exteriori dabitur actio parti læsæ vltra dimidium iusti: lædenti vero dabitur optio, vt vel rescindat contractum vel recompenset quod amplius accepit. Ista conclusio quantum ad priorem partem sequitur ex secunda, quoniam si contractus fuit nullus, & alter eorũ amplius accepit: sequitur quòd in foro conscientiæ tenetur ex iustitia commutatiua illud restituere uel rescindere contractum. Quantum ad secundam partem habetur expresè d. 2. C. de rescindenda venditione. Et ratio eius est: quia cum ille contractus celebretur bona fide, æquum est, ut neuter eorũ damnum patiatur cognita veritate. Quod quidem plane fit, si læso datur actio in iudicio: lædenti uero detur prædicta optio.

Quarta conclusio. Si contractus mala fide fuerit celebratus, & pars læsa ignorabat iustum rei pretiũ, erit inualidus contractus in foro conscientiæ. Probatur, quia talis ignorantia inuoluntarium interpretatiuè operatur: at vero sine voluntario contractus est nullus, igitur est inualidus contractus. Conclusio hæc consonat cum iure ciuili, in quo nihil statuitur de firmitate aut nullitate huiusmodi contractus: sed solum definitur: quòd non datur actio parti læsę citra dimidium iusti pretij. Reliqua uero relinquit iure naturæ iudicanda.

Quinta conclusio. Si contractus mala fide celebretur, & pars læsa scit iustum rei pretium, sed necessitate compellitur emere uel uendere, tunc contractus est ualidus in foro conscientiæ. Probatur. Nam pars læsa sciens iustum pretium, nihilominus vult cõtrahere & pati illud detrimentum, ergo contractus est simpliciter uoluntarius & validus. Non dicimus modo, quòd lædens non teneatur restituere, sed q̃ ipse contractus est validus; licet sit iniquus. Probatur à simili. Ille qui proijcit merces in mare propter tempestatem obortam, simpliciter loquendo uoluntariè proijcit, quamuis secundum quid inuoluntariè quoniam nollet proijcere, ergo tale voluntariũ sufficit ad contractum emptionis & uenditionis, siquidem pars læsa nullo modo compellitur ab altera, ut contrahat. Probatur consequentia & confirmatur. Nam tale uoluntarium sufficit etiam ad uotũ faciendum, ergo etiam sufficiet ad contractum emptionis & venditionis.

Sed contra. Donario facta latroni nulla est, quamuis ille qui dat pecunias (dat simpliciter uoluntariè propter euitandam mortem) eò quòd est inuoluntarius secundũ quid, ergo pars ratione sufficiet ad nullitatem contractus prædicti illud inuoluntariũ secundum quid. Respondetur, quòd quãdo altera pars iniuriam aliquam facit alteri contrahenti, propter quam altera pars cogitur contrahere uel dare pecunias, tunc irritatur contractus: quia non est iustum q̃ ex iniuria nascatur ius illi qui facit iniuriã. Nunc autem in casu nostræ conclusionis illa pars quæ necessitatur contrahere, non necessitatur ab altera parte, sed aliunde, scilicet, à sua egestate: unde non est eadem ratio. Per hunc etiã modum intelligitur quare contractus usurarius sit ualidus quãtum ad rationem mutui: licet vsurarius teneatur non recipere usuras. Ratio ualiditatis est, quia ex vtraque parte est cõtractus voluntarius simpliciter. Nã pars læsa sciẽs & prudens vult recipere mutuum propter suam necessitatem, non obstantibus vsuris. Ipse autem vsurarius libenter contrahit.

Secundò probatur conclusio ex cap. cum dilecti. de emptione & venditione, vbi Alex. 3. definit validum esse contractum quendam emptionis & venditionis cuiusdam syluæ, etiam si qui vendiderant deceptí fuerant vltra dimidium. Definit tamen supplendam iniquitatem esse & inæqualitatem. Valde itaq; est obseruandum, quòd aliud est contractum esse ualidum, & aliud esse iniquum, unde oritur obligatio restituendi. Multi enim contractus sunt ualidi, eo q̃ sunt uoluntarij ex utraq; parte, qui alias iniqui sunt.

Vltima conclusio. Non tenetur is qui læsit mala fide etiam vltra dimidium iusti pretij in casu quintæ conclusionis ante iudicis sententiã stare optioni partis læsę, etiam si leges ciuiles concedant parti læsæ in tali casu, ut eligat, Vtrũ maluerit, uel rescindere cõtractum, uel restitutionem sibi fieri in eo in quo damnificatus est. Sed dicimus, q̃ lædens in foro cõscientiæ poterit supplere iustum pretiũ non rescindendo contractũ. Probatur. Nam optio quæ datur per leges ciuiles parti lęsę est in pœnã lędentis mala fide. Ergo tales nõ obligãt in foro cõscientię ante sniam iudicis. Antecedens ꝓbatur. Nã ubi nõ est mala fides lędẽtis, nõ cõcedunt leges illã optionẽ parti lęsę: sed solũ dant

dant illi actionem in iudicio, lædenti uero bona fide, dant optionem. Ista conclusio est multò probabilior quàm opposita sententia, quæ à quibusdam asseritur opinantibus leges illas nõ esse pœnales, sed esse dirigentes contractum & apponentes cõditionem necessariam celebrandis huiusmodi contractibus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm venditio reddatur illicita propter defectum rei venditæ.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd venditio non reddatur iniusta & illicita propter defectum rei venditæ. Minus enim cætera sunt pensanda in iure quàm rei species substantialis. Sed propter defectum speciei substantialis non videtur reddi venditio rei illicita, puta si aliquis vendat argentum vel aurum alchimicum pro vero, quod est utile ad omnes humanos vsus ad quos necessarium est argentum & aurum, puta ad vasa & ad alia huiusmodi. Ergo multo minùs erit illicita venditio, si sit defectus in aliis.

2. Prętera. Defectus ex parte rei qui est secundum quantitatem, maximè videtur iustitię contrariari quæ in ęqualitate consistit. Quantitas autem per mensuram cognoscitur. Mensuræ autem rerum quæ in vsum hominum veniunt, nõ sunt determinatę, sed alicubi maiores, alicubi minores: vt patet per Philosophũ in quinto † Ethicorum. Ergo non potest euitari defectus ex parte rei venditę: & ita videtur quòd ex hoc venditio non reddatur illicita.

Lib. 5. ca. 7. tom. 5.

3. Prętera. Ad defectum rei pertinet, si ei conueniens qualitas deest. Sed ad qualitatem rei cognoscendam requiritur magna scientia, quę plerisque uenditoribus deest. Ergo non redditur venditio illicita propter rei defectum.

Sed contra est, quod Ambros. † dicit in lib. de Offic. Regula iustitię manifesta est, quòd à uero declinare, virum non deceat bonum, nec damno iniusto afficere quenquam, nec doli aliquid annectere rei suę.

Lib. 3. c. 11. à medio illi. tom. 3.

A Respondeo dicendum, quòd circa rem, quę venditur, triplex defectus considerari potest. Vnus quidem secundum speciem rei. Et hunc quidem defectum si venditor cognoscat in re, quam vendit, fraudem committit in uenditione. Vnde uenditio illicita redditur. Et hoc est, qd dicitur contra quosdam Isa. 1. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua. Quod enim per B mixtum est, patitur defectum, quantum ad speciem. Alius autem defectus est secundum quantitatem, quę per mensuram cognoscitur. Et ideo si quis scienter vtatur deficienti mensura in vendendo, fraudem committit, & est illicita venditio. Vnde dicitur Deuter. 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Et postea subditur, Abomi C natur enim Dominus eum qui facit hęc, & auersatur omnem iniustitiam. Tertius defectus est ex parte qualitatis, puta si aliquod animal infirmum vendat quasi sanum. Quod si quis scienter fecerit, fraudem committit in venditione: unde est illicita venditio. Et in omnibus talibus non solum aliquis peccat, iniustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur. Si uerò eo ignorante aliquis prædictorum defectuum in re uendita fuerit, uenditor quidem non peccat, quia facit iniustum materialiter: nec eius operatio est iniusta, ut ex supradictis † patet: tenetur tamen cum ad eius notitiam peruenerit, damnum recompensare emptori. Et quod dictum est de venditore, etiam intelligendum est ex parte emptoris. Contingit enim quandoque uenditorem credere rem suam esse minus pretiosam, quantum ad speciem, sicut si aliquis vendat aurum loco aurichalci, emptor si id cognoscat, iniustè emit, & ad restitutionem tenetur. Et eadem ratio est de defectu qualitatis & quantitatis.

Q. 59. art. 2.

Ad primum ergò dicendum, quòd aurum & argentum non solum cara sunt propter vtilitatem vasorum, quę ex eis fabricantur, aut aliorum huiusmodi: sed etiam propter dignitatem, & puritatem substantię ipsorum. Et ideo, si aurum

si aurum, uel argentum ab alchimicis fa
ctum, ueram speciem non habeat auri, &
argenti, est fraudulenta, & iniusta uen-
ditio: præsertim cum sint aliquæ utilita-
tes auri & argenti ueri, secundum natura
lem operationem ipsorũ, quę non conue
niunt auro per alchimiam sophisticato.
Sicut, quòd habet proprietatem lætifi-
candi, & contra quasdam infirmitates
medicinaliter iuuat. Frequentius etiam
potest poni in operatione, & diutiùs in
sua puritate permanet aurum verum, quã
aurum sophisticatum. Si autem per al-
chimiam fieret aurum verum, non esset
illicitum ipsum pro vero vendere, quia
nihil prohibet artem vti aliquibus natu-
ralibus causis ad producendum natura-
Lib 5. ca. 8. tom. 3. les & veros effectus: sicut August.† dicit
in 3. de Trinit. de his quæ arte dęmonum
fiunt.

Ad secundum dicendum, quod men-
suras rerum venalium necesse est in diuer
sis locis esse diuersas, propter diuersitatẽ
copiæ & inopiæ rerum, quia ubi res ma-
gis abundant, consueuerunt esse maio-
res mensuræ. In vnoquoque tamen loco
ad rectores ciuitatis pertinet determina-
re quæ sint iustæ mensuræ rerum vena-
lium, pensatis conditionibus locorum,
& rerum. Et ideo has mensuras public-
a autoritate, vel consuetudine institutas
præterire non licet.

Ad tertium dicendum, quòd sicut Au
Lib. 11. c. ca 16. tomo 5. gust. dicit in 11.† de ciuit. Dei. Pretium
rerum venalium non consideratur secun-
dum gradum naturæ, cùm quandoque
pluris vendatur vnus equus, quàm vnus
seruus, sed consideratur secundum quod
res in vsum hominis veniunt. Et ideo nõ
oportet, quòd venditor, vel emptor co-
gnoscat occultas rei venditæ qualitates,
sed illas solum, per quas redditur huma-
nis vsibus apta, puta quòd equus sit for-
tis, & bene currat: & similiter in cęteris.
Has autem qualitates de facili venditor &
emptor cognoscere possunt.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Venditio redditur iniusta, propter defectum rei venalis siue in substantia siue in quãtitate, siue in qualitate. Hæc conclusio intelligitur à Diuo Thoma quando uenditor cognoscit defectum rei venalis.

Secunda conclusio. Qui bona fide vendit rem cum defectu, etiam si non peccet contra iustitiam, tenetur tamen restituere quando cognouerit, rem habere defectum.

Tertia conclusio. Quod dictum est de uenditore intelligendum est de emptore proportionabiliter. Verbi gratia, si emptor cognoscit rem esse maioris pretij quam existimet uenditor, vel propter substantiam vel quantitatem uel qualitatem: tunc enim emptor tenebitur restituere illud maius pretium.

ARTICVLVS III.

Vtrùm venditor teneatur dicere vitium rei venditæ.

AD tertium sic proceditur. Vide-
tur, quòd venditor non te-
neatur dicere vitium rei ven-
ditę. Cum enim uenditor em-
ptorem ad emendum non cogat, videtur
eius iudicio rem, quam uendit, suppone
re. Sed ad eundem pertinet iudicium &
cognitio rei. Non ergo videtur imputan
dum venditori, si emptor in suo iudicio
decipitur, præcipitanter emendo, absque
diligenti inquisitione de conditionibus
rei.

2. Prętereа. Stultum videtur, quòd
aliquis id faciat, vnde eius operatio impe
diatur. Sed si aliquis vitia rei uendendę
indicet, impedit suam uenditionem. Vn-
de Tullius in lib.† de Offic. inducit quen
dam dicentem, Quid tam absurdum,
quàm si domini iussu ita præco prædice-
ret, Domum pestilentem uendo. Ergo
uenditor non tenetur dicere uitia rei uen
ditæ.

3. Præterea. Magis necessarium est ho
mini, ut cognoscat uiam virtutis, quàm
ut cognoscat uitia rerum, quæ uendun-
tur. Sed homo non tenetur cuilibet cõ-
silium dare & ueritatẽ dicere de his, quę
pertinent ad uirtutem, quanuis nulli de-
beat dicere falsitatem. Ergo multo mi-
nus tenetur uenditor uitia rei uendi-
tæ dicere, quasi consilium dando em-
ptori.

4. Prętereа. Si aliquis teneatur di-
cere defectum rei uenditæ, hoc non est
nisi ut minuatur de pretio. Sed quando-
que diminueretur de pretio etiam absque
vitio

vitio rei venditæ propter aliquid aliud:
putà si uenditor deferens triticum ad lo
cum ubi est caristia frumenti, sciat mul-
tos venire, qui deferant quod si sciretur
ab ementibus, minus pretium darent.
Huiusmodi autem non oportet dicere uẽ
ditorem, ut uidetur. Ergo pari ratione
nec vitia rei venditæ.

Lib. 3. c. 20. parũ à principio, to. 2. Sed contra est, quod Ambros.† dicit
in 3. lib. de Offic. In contractib. vitia eo-
rum quæ veneunt, prodi iubentur, ac ni-
si intimauerit venditor, quanuis in ius
emptoris transierint doli actione vacuan-
tur.

Respondeo dicendum, quòd dare ali-
cui occasionem periculi vel damni, sem-
per est illicitum, quanuis non sit neces-
sarium, quòd homo alteri semper det au
xilium, vel consilium pertinens ad eius
qualemcunque promotionem. Sed hoc
solum est necessarium in aliquo casu de-
terminato, putà cum alius eius curæ sub-
ditur, vel cùm non potest ei per alium
subueniri. Venditor autem, qui rem uen-
dendam proponit, ex hoc ipso dat em-
ptori damni, vel periculi occasionem,
quòd rem vitiosam ei offert, si ex eius vi-
tio damnum, vel periculum incurrere pos
sit. Damnum quidem, si propter huiusmo
di vitium res, quæ vendenda proponitur,
minoris fit pretij: ipse verò propter hu-
iusmodi vitium nihil de pretio subtrahat.
Periculum autem, si propter huiusmo-
di vitium vsus rei reddatur impeditus vel
noxius: putà si aliquis alicui vendat equũ
claudicantem pro veloci, uel ruinosam do
mum pro firma, vel cibum corruptum si-
ue venenosum pro bono. Vnde si huius-
modi vitia sint occulta, & ipse non dete-
gat, erit illicita & dolosa venditio, & te-
netur venditor ad damni recompensatio-
nem.

Si verò vitium sit manifestum, pu-
ta cum equus est monoculus, vel cum vs-
us rei etsi non competat venditori, po-
test tamen esse conueniens alijs, & si ipse
propter huiusmodi vitium, subtrahat
quantum oportet de pretio, non tene-
tur ad manifestandum vitium rei: quia
fortè propter huiusmodi vitium emptor
vellet plus subtrahi de pretio, quam esset
subtrahendum. Vnde potest licitè ven-
ditor indemnitati suæ consulere, vitium
rei reticendo.

Ad primum ergo dicendum, quòd iu-
dicium non potest fieri nisi de re manife- Lib. 1. ca. 3. tom. 5.
sta. Vnusquisque enim iudicat secundum
quod cognoscit, ut dicitur in † primo
Ethicorum. Vnde si vitia rei, quæ ven-
denda proponitur, sint occulta, nisi
per venditorem manifestentur, non suf-
ficienter committitur emptori iudicium.
Secus autem esset, si essent vitia mani-
festa.

Ad secundum dicendum, quòd non
oportet quòd aliquis per præconem vi-
tium rei vendendæ prænuntiet: quia si
prædiceret uitium, exterrerentur empto-
res ab emendo, dum ignorarent alias
conditiones rei, secundum quas est bo-
na, & vtilis. Sed singulariter est dicen-
dum vitium rei ei, qui ad emendum ac-
cedit, qui potest simul omne conditio-
nes adinuicem comparare bonas & ma-
las. Nihil enim prohibet rem in aliquo
vitiosam, in multis alijs utilem esse.

Ad tertium dicendum, quòd quan-
uis homo non teneatur simpliciter omni
homini dicere veritatem de his, quæ
pertinent ad virtutes: tenetur tamen in
casu illo de his dicere ueritatem, quan-
do ex eius facto alteri periculum immi-
neret in detrimentum uirtutis, nisi di-
ceret veritatem: & sic est in proposito.

Ad quartum dicendum, quòd vitium
rei facit rem in præsenti esse minoris ua-
loris, quam uideatur. Sed in casu præ-
misso in futurum res expectatur esse mi-
noris valoris per superuentum negotia-
torum, qui ab ementibus ignoratur. Vn-
de venditor, qui vendit rem secundum
pretium quod inuenit, non videtur con
tra iustitiam facere, si quod futurum
est, non exponat: si tamen exponeret, vel
de pretio subtraheret, abũdantioris esset
virtutis, quanuis ad hoc non uideatur
teneri ex iustitiæ debito.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Si vitium rei sit occultum & inferat damnum vel periculum emptori, venditor tenetur illud vitium indicare.

Secunda conclusio. Si vitium rei sit manifestum, non tenetur venditor admonere emptorem de illo vitio.

Tertia conclusio. Si vitium sit occultum, non tamen damnosum, aut perniciosum emptori, non tenetur uenditor illud manifestare: dum tamen diminuat de pretio tantum quantum oportet propter illum defectum.

COMMENTARIVS.

DVbitatur primo circa istos articulos, an vitium rei venditæ annullet cõtractũ, quando uenditur res quasi integra in quantitate qualitate & substantia.

Arguitur primo pro parte negatiua. Si quis veudat vinũ. v. g. Metinense pro vino Sancti Martini, sit autem illud ita pretiosum sicut S. Martini, tunc est ualida venditio: & tamen est defectus in substantia: ergo iste defectus non irritat contractũ, Confirmatur. Esto ita quòd, qui emit uinum Metinense, non soluat pretium in pecunia sed in alia re, v.g. in pecoribus, uel in alia re fructuosa: tunc si ille contractus non esset ualidus, sequeretur, quòd uenditor teneretur restituere rem ipsam cũ fructu. Consequens videtur dubium. Sequela probatur. Nam omnis res fructificat uero domino,

Arguitur secundo à simili. Si quis baptizet Petrũ putans se baptizare Paulum, re vera baptismus est ualidus & verus. Ergo error in substantia non irritabit contractum emptionis & venditionis. Et confirmatur à simili. Si episcopus conferat beneficium indigno hypocritæ putans illum esse dignissimum, nihilominus collatio beneficij est ualida, ergo error in qualitate non irritabit contractum venditionis. Cõfirmatur secundo. Matrimonium contractum per errorem qualitatis personæ. v.g. si vir contrahens putet mulierem esse virginem aut diuitem, vel generosam, nihilominus illud matrimonium est ualidum, ergo etiam multomagis ille contractus emptionis & venditionis, non obstante errore in qualitate rei.

Arguitur tertio. Et sit casus. ꝙ iudex per iniquitatem, uel ignorantiam taxet pretium rei uenalis multo minus quàm oporteat: tunc uenditor licitè poterit augere mensuram rei venalis quantũ necesse fuerit ad supplendum iustum pretium, ergo defectus in quantitate non irritat contractum.

Arguitur vltimo. Quando emptor emit rem pretiosam, quam quidem uenditor existimat minoris dignitatis, cõtractus est ualidus: etiam si fiat illo pretio secundum æstimationem uenditoris, ut ostendemus infra dubio tertio. Ergo pari ratione erit ualidus contractus, quando uenditur res pretiosa pro integra. Patet consequentia, quia eadem est ratio & proportio de emptore & uenditore, ut dicit tertia cõclusio articuli. Sed si uenditor ipse cognosceret, ꝙ res illa venalis est minoris pretij & dignitatis, & uendit illam pro re maioris dignitatis, dicit Diuus Tho, quòd contractus esset nullus. Ergo ista non bene per se consonant: neque erit eadem ratio de emptore & uenditore. Sed in oppositum est, quòd matrimoniũ contractum per errorem personæ non est ualidum, ergo neque contractus emptionis & uenditionis erit ualidus, quando una res substituitur pro alia.

Pro decisione sit prima conclusio. Per se loquendo & regulariter, quodlibet rei vitium siue in substantia siue in quatitate, siue in qualitate, irritat contractum, quando res venditur pro integra & sana absque defectu aliquo. Hanc docet Diuus Thomas & explicat in articulo secundo & confirmat ex Diuo Ambrosio libro tertio, de officijs, cap. 10. & 11.

A Sed probatur ratione. Quia ille contractus per se loquendo rationabiliter est inuoluntarius: ergo per se loquendo nullus est contractus: Probatur secundo. Quoniam maior læsio est, quando quis decipitur in re ipsa uenali: qñ quam decipitur in pretio, ut habent Iurisperiti in capitulo per tuas. de donationibus, quos quidem Pinellus in commentarijs super legem secundam. C. de rescindenda venditione, tertia parte, capitulo secundo refert, qui dicũt quòd læsio in substantia quantitate & qualitate tribuit actionem læso, etiam si citra dimidium iusti decipiatur: non autem tribuit actionem læso in pretio nisi vltra dimidium iusti decipiatur: ergo multo maior

B est in actu qui fit in ipsa re, ac proinde merito irritabitur contractus. Cuius ratio est. Quia læsio quæ fit in ipsa re uenali, tollit substantiam contractus: etenim contractus fit de ipsa re secundum substantiam quantitatem & qualitatem.

Secunda conclusio. Contingere potest, ut læsio sit tam minima in substantia quantitate, uel qualitate: quòd contractus sit ualidus. Verbi gratia in exẽplo primi argumenti & ratio est: quia in moralibus quod parum est pro nihilo reputatur. Item, quia in uenditione attenditur æstimatio rei uenalis, secundum quòd est utilis in usus humanos: sed quando est minima differentia in varietate substantiæ, uel

C quantitate, uel qualitate, res illa æqualiter se habet, uel quasi æqualiter quantum ad utilitatem emptoris: ergo uenditio erit ualida. Et confirmatur ex Diuo Thoma articulo secundo ad primum, ubi ait, ꝙ si per artem alchimiæ fieret uerũ aurum: liceitum esset illud uendere pro auro naturali.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum & confirmationẽ eius dicimus, quòd probat secundam conclusionem. Dicimus tamen, ꝙ si vinum Sãcti Martini habet aliquam qualitatem medicinalem, quam non habet aliud vinum, iniquum erit vnum pro alio substituere, & contractus erit

D nullus.

Ad secundum argumentum negatur consequentia. Et differentia est, quia sacramentum constat essentialiter ex sua materia & forma cum intentione ministri, faciendi quòd ecclesia intendit facere in subiecto apto nato: est autem impertinens ad intentionem ministri religiosam, quòd intendat baptizare istum uel illum hominem: debet enim intendere baptizare illum circa quem exercet actum ablutionis quicunque ille sit: quod autem ipse putet esse Petrum & ille sit Paulus, est quædam ignorantia concomitans, quæ non destruit illam intentionem: alioquin si minister intendit baptizare Petrum

E præcise & non alium; peccaret mortaliter, & nullus esset baptismus, si ille non erat Petrus. Ceterum ad iustitiam contractus emptionis & uenditionis necesse est, ut res illa de qua fuit facta conuentio, tradatur in eadem substantia quantitate, & qualitate sicuti petitur ab emptore.

Ad primam confirmationem respondetur nego consequentiam & differentia est: quoniam expedit ad bonum commune ecclesiæ, quòd talis collatio beneficij sit ualida ad hoc, ut ministri ecclesiastici sint certi & determinati, & propterea ecclesia voluit efficaciter dare illi beneficium, etiam si aliàs sit indignus. At uerò ad bonum communitatis nihil retuleret, quod contractus emptionis & uenditionis sit ualidus, quando non traditur res eadem in substantia quantitate & qualitate.

Ad secundam confirmationem respondetur, ꝙ ille qui ducit uxorem cum illa ignorantia, poterit se habere tripliciter. Vno modo, ut sit ignorantia conco-

A oncomitans intentionem eius, & non sit conditio obiecti intentionis. Vt si verbi gratia, haberet iam opinionem in mente sua, quod mulier est virgo & non acciperet in vxorem: si crederet quòd nõ esset virgo. Secundo modo potest se habere cum prædicto consensu conditionali. Tertio modo potest se habere, non exprimendo verbis consensum illum conditionalem: sed absolutè loquendo, ego te accipio in meam. Dicimus ergo, quòd si primo modo se habet cum ignorantia tantum concomitanti: uerum erit matrimonium & ratum. Ratio est, quia de substantia illius contractus absoluti non est, quòd mulier sit virgo aut nobilis aut diues. Si autem secũdo modo se habeat, nõ est verum matrimonium in

B foro cõscientiæ siue exprimat intentionem suam conditionaliter, siue absolutè. Si autem expresserit conditionaliter; non est verum matrimonium in foro exteriori. Dicimus denique, quòd in tertio modo se habuerit, loquendo absolutè, cum tamen habeat consensum conditionalem: iudicabitur verũ matrimonium in foro ecclesiæ. Et quanuis non sit verum matrimonium: tamen ipse vir tenebitur in foro conscientiæ facere verum matrimonium. Et ratio est, quia grauiter decipit mulierem, quæ putabat se vinculo matrimonij astrictam propter verba ipsius viri. Quæ iniuria non potest aliter resarciri, nisi vir faciat verum matrimonium.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd nõ facilè sunt admittendæ illæ excusationes venditorum: semper enim in re dubia circa pretium iustũ, præsumendum est bonam & iustam esse iudicis taxationem. Nihilominus, si quando constiterit ꝙ ipsa taxatio est iniqua, licitum erit uenditori, uti cautela. Neque enim per hoc fit iniuria emptoribus: cũ detur illis quod debetur secundum iustitiam.

Ad quartum argumentum dicemus in dubio tertio. Ad argumentum vero quod fecimus in oppositum, quatenus militat contra secundam conclusionem respondetur, quòd matrimonium quidem in quo est error personæ, nunquam est validum etiam

D si substituatur alia mulier tam sufficiẽs sicut illa quã intendit vir ducere in vxorem. Et ratio est manifesta: quia matrimonium ex natura sua est quidã contractus amicitiæ coniugalis: ad rationem autem amicitiæ pertinet vt amicus afficiatur ad singularem personam cum qua vult amicitiam contrahere. At uero in contractu emptionis & venditionis attenditur vtilitas rei. Vnde si substituatur alia res tam vtilis ipsi emptori, ualidus erit contractus. Verbi gratia, si quis emat ancillam & venditor substituat illi aliam tam vtilem: validus erit contractus.

Dubitatur secundò consequenter circa tertiã conclusionem articuli tertij, Vtrum si vitium rei sit oc-

E cultum, nõ tamen perniciosum emptori, sit validus contractus, tacente venditore vitium rei, sed minuente de pretio quantum oportet.

Pro parte negatiua arguitur primo. Si emptor sciret vitium illud, non emeret rem illam, ergo est inuoluntarius interpretatiuè in illo contractu: ac proinde non est validus contractus.

Arguitur secundò. Venditor tacens decipit emptorem, ergo emptor est inuoluntarius in illo contractu.

Arguitur tertio magis efficaciter. In huiusmodi contractibus non potest non grauari emptor, etiam si res habeat vtilitatem pro quantitate pretij. Primò quidem, quia cum cognouerit vitium rei, cogitur detinere apud se rem sibi ingratam. Deinde si velit illam vendere, cogitur non vendere illam cuilibet emptori; poterit enim ille defectus esse perniciosus

alteri: Verbi gratia, si medicus emit equum cum illo defectu sibi quidem vtilem, non poterit illum vendere militi cum illo defectu: quia erit illi perniciosus: ergo ex illa deceptione medicus iniuriam patitur. Et confirmatur, quia ipse uenditor tacens defectum rei, causa erit periculi quod inde potest euenire tertiæ personæ quæ potest emere rem illam à primo emptore.

Propter hæc argumenta aliqui tenent partem negatiuam. Vt Ioannes de Medina de contractibus. quæstione 34. & à quibusdam citatis à Syluestro pro ista sententia, in verbo, emptio. questione 20. Sed certè Syluester satis confuse loquitur.

B Nos tamen argumentamur quartò pro ista sententia. Læsio propter vitium rei, maior est, quàm læsio propter iniquitatem pretij: sed læsio proprer iniquitatem pretij irritat contractũ, quando emptor ignorabat iustum rei pretium. Ergo multo magis irritabitur quando emptor habet ignorantiam vitij.

Pro decisione huius difficultatis, notandum est, ꝙ venditor in prædicto casu dupliciter potest se habere. Vno modo merè negatiuè, tacendo vitium rei, Alio modo positiuè affirmando nullum vitium esse in re vel etiam interrogatus negatiuè respondendo, uel suo silentio rem approbando. Proportionabiliter emptor dupliciter potest se habere. Vno modo ut

C uirtualiter habeat istam intentionem, si scirem rem istam habere vitium, non emerem illam: tamen nõ explicat illam intentionem. Altero modo se potest habere explicando venditori suam intentionem, ꝙ si res habet vitium, non intendit emere.

Prima conclusio. Venditore negatiuè se habente, quamuis emptor habeat intentionem illam virtualem, quam non explicat: ualidus erit contractus in prædicto casu: quando res non est perniciosa emptori, neque uenditor peccat aliquod peccatum. Ista conclusio intelligenda est per se & absolutè loquendo, quantùm est ex parte talis contractus. Probatur conclusio. Quoniam contractus quilibet per se loquendo est ualidus, quando celebratur secundum rationem iustitiæ commutatiuæ: sed ille contractus ita celebratur, siquidem datur res utilis emptori pro quantitate iusti pretij: ergo validus est. Probatur secundò. Quando aliquis pater donat filio aliquam pecuniam, ualida est donatio: etiam si pater non esset donaturus si sciret ad quem malum finem filius petit. Ergo simul in casu posito uenditio erit ualida. Et cõfirmatur. Nam facultas data a superiori ualida est, etiam si non esset illam daturus si sciret finem malũ ad quem petitur a subdito. Ergo similiter, &c. Probatur tertio. Vicueersa, si emptor iusto pretio emit rẽ aliquam, cuius uirtutem singularem non cognoscit uenditor, neque communiter cognoscitur. nõ tenetur illam uirtutem indicare uenditori, neque augere pretium, sed sufficit dare pretium secundum communem æstimationem, ut dicemus dubio tertio. Ergo similiter uiceuersa, uenditor non tenebitur indicare uitium rei occultum, quando non est damnosum, aut perniciosum, sed res est tam utilis quantum est pretium quod pro illa datur.

Denique probatur. Si uitium rei esset manifestũ, uerbi gratia, si equus est monoculus, & emptor sua negligentia non aduertit: nihilominus contractus est ualidus etiam si nõ erat emptur si cognouisset illud uitium. Ergo similiter in prædicto casu contingit. Probatur consequentia. Quia utrobique sua negligentia ignorat uitium rei.

Secunda conclusio. Si uenditor secundo modo se habeat, scilicet ꝙ sua sponte uel interrogatus affirmet rem nullum habere uitium, uel etiam silentio

suo persuadeatur emptor, quòd nullum vitium inest
A rei: tunc contractus est illicitus & inualidus. Probatur. Nã voluntas expressa venditoris est emere rem absque aliquo vitio: ergo contractus ille est inuoluntarius, ac proinde inualidus: & ex parte venditoris illicitus. Secundo probatur. Quoniam venditor ex officio, tenetur dicere veritatem quando interrogatur, & non dicere sua sponte mendacium circa rem ipsam: ergo si contratium faciat decipit emptorem, ac proinde contractus est inualidus. Hanc conclusionem probant tria argumenta proposita in principio.

Tertia conclusio. Si vitium rei efficiat illam omnino inutilem emptori, etiam si non sit perniciosa
B contractus erit inualidus, & venditor tenetur ad restitutionem. Probatur, quia in tali casu nulla prorsus est voluntas emptoris emendi rem sibi inutilem, etiam si aliàs possit illam vendere alijs vtilé. Secundò probatur. Contractus emptionis & venditionis introductus est in republica propter vtilitatem contrahentium: ergo quando res omnino fuerit inutilis emptori nullus erit contractus: si venditor taceat vitium illud.

Neque valet respondere oppositum opinantes, ꝙ res illa alijs sit vtilis, & ꝙ emptor possit illam vendere & inde capere vtilitatem: etenim emptio per se loquendo ordinatur in vtilitatem ipsius emptoris. Er-
C go quando emptor emit rem in proprios vsus, nullã habet voluntatem emendi rem alijs vtilem & sibi inutilem: ergo fit iniuria illi quando cogitur rem illam vendere ne pretium amittat: ac proinde ipsa venditor tenetur statim repetere pretium. Verũ est tamen, ꝙ si emptor alias est negotiator, ita vt intelligatur, quòd emit ad vendendum: validus erit contractus, quia venditur illi res sibi vtilis ratione negociationis. Tertiò probatur conclusio. Si res sit perniciosa emptori quanuis alijs sit vtilis: est contractus inualidus, vt patet ex D. Tho. artic. 3. Ergo similiter, si res sit omnino inutilis emptori erit irritus contractus, etiam si alijs possit esse vtilis.

Ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum negatur antecedens: si consequens intelligatur de inuoluntario rationabiliter secundum leges iustitiæ.

Ad secundum respondetur, non esse propriè deceptionem ex parte venditoris, quãdo venditor nõ interrogatus tacet vitium rei, ex quo non redditur inutilis neque periculosa emptori: minuit tamen de pretio quantum oportet ad æqualitatem iustitiæ.

Ad tertium argumẽtum respondetur, quòd quãuis sit aliqua molestia emptori habere rem sibi ingratam: non tamen propterea est inualidus contractus celebratus secundum leges iustitiæ. Ad confirmationem iam patet ex prima conclusione. Diximus enim validum esse talem contractum per se & absolutè, loquendo, hoc est quantum ex meritis ipsius contractus. At vero vbi fuerit tale periculum, uel propter conditionem rei quæ facilè venditur alteri cui erit perniciosa, vel etiam propter conditionem emptoris qui facilè etiam inclinatur ad vendendam rem illam: tunc contractus non erit validus ex eo, quòd ipse emptor rationabiliter est inuitus: quia exponitur periculo alterum decipiendi perniciosè, & idcirco venditor peccat contra iustitiam: quia est causa periculi quod nocebit tertiæ personæ.

Ad quartum argumentum respondetur, quòd læsio de qua loquimur in prima conclusione non est tanta quanta est læsio quæ fit in pretio, quando emptor ignorat quod nam sit pretium iustum.

Sed tamen adhuc replicatur contra ipsam tertiam
A conclusionem & prædictam doctrinã. Si res sit maximè commoda emptori in particulari, non propterea augebitur iustum pretium secundum communẽ æstimationem rei: ergo proportionabiliter non minuetur tale pretium, si res non sit utilis in particulari. Patet consequentia. Nam aliàs non uidetur esse æqualis conditio ex utraque parte contrahẽtium. Replicatur secundò. Emptor non tenetur indicare uenditori uitium pecuniæ: ergo neque uenditor emptori uitium rei. Probatur antecedens, in casu quòd emptor sit certus, ꝙ pecunia quam dat postridie sit deponenda à Principe, tunc non tenetur indicare euentũ illum, sed licitè emit & licitus est contractus. Ergo
B similiter, &c. Confirmatur. Si quis locat domum in curia homini curiali pretio currente, sciens tamen, ꝙ cito discedet curia ab illo loco: nihilominus non tenetur locans indicare conducenti, quòd domus illa erit illi inutilis propter euentum futurum. Ergo neque uenditor tenetur indicare uitium rei.

Respondetur ad primam replicam negando consequentiam. Quin potius iustitiæ ratio postulat, ꝙ si cui pretium iustum augescit, ex eo quòd uenditor in particulari incurrit incommodum quando rogatus uenditiita etiam postulat quòd minuatur pretium, quando emptor in particulari incurrit incommodum ex emptione ipsa.

C Ad secundum respondetur, ꝙ in illo casu pecunia nullum habet uitium de præsenti: sed potius est legitima secundum æstimationem Reipublicæ. Cæterũ per accidens est & ab extrinseco, ꝙ illa pecunia sit deponenda a Rege, neque ipse emptor tenetur reuelare illud futurum quod sua industria, uel bona sorte nouit. Eodem modo respondetur ad confirmationẽ dicendo, ꝙ illa domus in presenti utilis est, neq; habet uitium intrinsecum: est autem per accidens euentus ille futurus cognitus per industriam, uel bonam sortem locantis, neque tenetur indicare illum euentum.

DVBITATVR tertiò circa tertiam conclu-
D sionem articuli secundi, An debeat esse æqualis conditio uenditoris & emptoris in huiusmodi contractibus celebrandis?

Arguitur primò pro parte negatiua. Si aliquis emptor peritissimus lapidarius qui cognoscit singularem uirtutem & ualorem alicuius margaritę, quã non cognoscunt homines communiter, etiam lapidarij: iste potest emere margaritã minori pretio quã secundum se ualeat, & tamen uenditor nunquã potest uendere margaritam minoris ualoris pro maiori pretio: ergo non est æqualis utriusque conditio. Et confirmatur. Sit aliquis rusticus habens margaritam, & occurrat ille lapidarius dicens, ꝙ vult possi-
E dere illam margaritam, & ꝙ dabit illi centum pro illa, etiamsi ualeat mille: tunc lapidarius, si rusticus uẽ didderit, potest bona conscientia illam possidere: & tamen econtrario, si uenditor aliquis uenderet margaritam pro mille, & tamen reuera non ualeret nisi cẽtum, contractus ille esset iniquus, ergo &c.

Arguitur secundò. Qui emit agrum in quo certus est latere thesaurum, non tenetur indicare domino agri ignoranti ꝙ ibi lateat: sed potest agrum emere secundum communem estimationem illius: & tamen uiceuersa nunquam uenditor potest uendere agrum minoris ualoris pro maiori pretio, ergo non est æqualis utriusque conditio.

PRO decisione sit prima conclusio. In celebrandis huiusmodi contractibus emptionis & uenditionis, æqualis debet esse conditio emptoris & uenditoris secundum leges iustitiæ commutatiuę: & utrique tenetur illas seruare. V. g. sicut uenditor pec-
cat

cat contra iustitiam vendens rem vitiosam pro inte-
A gra: ita emptor peccat emendo rem integram pro vitiosa. Item sicut uenditor etiam non interrogatus tenetur dicere vitium rei, vel minuere pretiũ: vt iam diximus: ita tenetur emptor augere pretium cognoscens valorem rei, vel indicare venditori, vt est exemplum in confirmatione primi argumenti. Probatur ergo conclusio. Quia contractus emptionis & venditionis est actio iustitiæ commutatiuæ: ergo ad vtramque partem æqualiter pertinet prouidere commodis alterius partis secundum æqualitatem rei ad rem.

Nihilominus sit secunda conclusio. Quando in ipsa re venali est aliqua virtus specialis, quæ commu-
B niter ignoratur ab hominibus etiam peritis in illa arte, non tenetur emptor peritissimus cognoscens illam virtutem, indicare venditori: sed licitum erit illi emere pretio communi. Verbi gratia, in casibus primi & secundi argumenti. Probatur conclusio. Quia iustum rei pretium illud est, quòd communiter æstimatur ab hominibus secundum circunstantiam loci & temporis, sed illa virtus occultissima nõ æstimatur ab hominibus, siquidem non cognoscitur, ergo emptor non tenetur dare pretium pro illa virtute quam ipse specialiter cognoscit. Probatur secundò. Quia virtus illa gemmæ occulta, habet se re spectu lapidarij peritissimi sicut thesaurus absconditus in agro: de quo dicemus statim, quòd licitum est emptori emere agrum illum, nihil indicando de thesauro, sed potest applicare sibi thesaurum titulo inuentionis. Ergo similiter poterit lapidarius ille possidere gemmam excellentissimæ virtutis, titulo inuentionis: etiam si emerit illam secundum communem æstimationem hominum. Probatur tertiò. Si lapidarius ille ignorans virtutem gemmæ emisset illam pretio communi, & postea cognouisset virtutem illam, non teneretur ad aliquam restitutionem, ergo neque si sciens emerit. Probatur consequentia. Quia si ex iustitia teneretur ante emptionem,
D teneretur etiam post emptionem restituere ratione rei alienæ acceptæ, sicut si sciens & prudens accepisset. Denique probatur. Quando Hispani inuenerunt Indias, poterant emere ab Indis aurum, & margaritas secundum æstimationem illius reipublicæ: neque tenebatur indicare, quanti æstimaretur aurũ in alijs regionibus. Et per hoc patet ad primum argumentum & confirmationem eius.

Sed obserua in casu confirmationis, quòd lapidarius tenetur indicare absque dolo communem valorem illius margaritæ: aliàs merito præsumitur ipse rusticus inuoluntarius rationabiliter. Neq; credibile est quòd ipse rusticus velit facere tantam gratiam lapidario, nisi deceptus ab illo.

Ad secundum argumentum vt plenè respondeamus recolenda sunt quæ supra diximus. q. 66. arti. 5. circa tertiam conclusionem articuli de thesauro dupliciter sumpto, s. propriè & impropriè. Et per illa patet soluti ò ad secundum.

Dubitatur quartò circa solutionem ad tertium articuli tertij, Vtrum uenditor sciens futuram magnã copiam mercium, teneatur indicare emptoribus, aut verò minuere de pretio.

Pro parte affirmatiua arguitur primò. Qui vendit equum proximè moriturum vel contracturum aliquod vitium notabile, tenetur indicare vel minuere de pretio, ergo etiam venditor in nostro casu.

Secundò: Quia ex opposita sententia sequuntur magna incommoda. Primo, quòd mercator qui scit ciuitatem obsidendam, posset nihilominus omnia bona sua uendere pretio currenti, quod uidetur iniquum & contra bonum non tantum ciuium, sed etiam reipublicæ. Secundò sequitur, quòd qui sciret crastina die futuram esse taxationem frumenti minori pretio quam modo: posset hodie uendere omne triticum pretio pragmaticæ. Tertiò sequitur, ꝙ qui sciret, aliquam monetam esse deponendam citò in Regno: nihilominus posset permutari illam quam habet apud se. His argumentis conuictus est Ioan. de Medina ubi supra quæst. 35. pro parte affirmatiua.

Nihilominus sit prima conclusio. Venditor sciẽs futuram magnam copiam mercium non erit iniustus tacendo & vendendo suas merces pretio currẽte. Dixi iniustus quia contra charitatem aliquando peccabit, vt infra patebit. Probatur conclusio. Quia iustum pretium est quod taxatur secundum communem æstimationem fori. Sed iste uendit suas merces pretio currente communi æstimatione, ergo non est iniustus. Secundò sequeretur, ꝙ qui haberet in animo post triduum uendere magnã copiam frumenti, quòd non posset hodie vendere triticum pretio currente. Probatur sequela. Quia iste scit ex uenditione futura cras, triticum minus valiturum propter ingentem copiam quam venditurus est, ergo non posset hodie uendere pretio currenti.

Tertiò sequeretur, quòd uenditor ignorans illam
C copiam futuram & uendens pretio currente, teneatur restituere. Probatur sequela. Quia obligatio restituendi oritur non solum ex iniusta acceptione, sed etiam ratione rei acceptæ, ergo mercator sciens futuram copiam tenetur restituere ratione iniustæ acceptionis & etiam ille qui ignorat copiam futuram tenebitur restituere ratione rei alienæ, scilicet, excessus pretij quod accepit pro tritico minus valituro.

Secunda conclusio. Etiam si iste venditor interrogetur, an sit futura magna copia tritici, & dicat se nescire, vel dicat copiam non esse futuram, non peccat contra iustitiam. Conclusio patet primo argumento facto pro conclusione præcedenti. Et secundò probatur. Quia contractus iste habet omnia quę sunt de substantia iusti contractus: traditur enim merces absque aliquo vitio, & pretio currente, ergo, &c.

Sed arguis. Quia ille mentitur perniciosè in damnum multorũ, ergo facit iniustũ. Et confirmatur primò. Quia si alius assistens ita mentiretur faceret iustum, & teneretur restituere, vt communiter conceditur, ergo multò magis quando mercator ipse mentitur. Secundò confirmatur. Quia si aliquis mẽtiendo impediat eleemosynam pauperi, tenetur illã
E restituere, ergo, &c.

Ad argumentum tamen respondetur, quòd uenditor tacendo uel mentiendo non facit iustum. Primò, quia solum inducit emptorem ad contractum iustum pretio currente. Et secundò, quia si diceret veritatẽ incurreret ipse simile damnum in proprijs facultatibus, ergo ipse non tenetur pati. Vnde mendacium illud non est formaliter perniciosum, sed officiosum: quia ipse ordinat ad fugiendum damnũ: quod uenditor non tenetur subire. Et ideo per accidens est quod emptor ex tali mendacio damnificetur.

Ad primam confirmationem respondetur nego consequentiam: quia alius mẽtiens perniciosè mentitur & non officiosè, eo quod ex tali mendacio nec bonum comparat nec malum effugit: sicut mercator qui verè detrimentum incurrit ex tali manifestatione.

Ad secundam confirmationem distinguendum
est.

est. Nam si ille alius qui mentitur sit pauper, & vt sibi detur eleemosyna dupla decipit alterum, dicendo dominum non adesse vel eleemosynam esse iam elargitam: iste mentiens non tenetur restituere: nec peccat contra iustitiam: quia vterque pauper habet idem ius. Verumtamen si diues sit qui mentitur pauperi: quia mendacium istud est tantum perniciosum nihil habens officij, tenetur restituere peccans contra iustitiam.

Tertia conclusio. Quod dictum est de uenditore, dicendum est proportionabiliter de emptore. v. g. si emptor sciat futuram magnam copiam ementium, ex quo augebuntur pretia rerum: aut verò sciat futuram magnam inopiam mercium, poterit tacere, uel si mentiatur non facit iniustum dum emit pretio currente. Conclusio patet ex facto Ioseph, Gen. 41. Qui sciens futuram inopiam frumenti, nihilominus magnam summam comparauit. Et etiam ut refert Aristot. 1. Polit. cap. 7. Tales Milesius emit magnā copiam olei sciens per Astrologiam, futuram sterilitatem oliuarum. Et ita licitum est scienti depositionem pecuniæ futuram, emere pecunia quam apud se retinet. Et etiam non erit iniustus qui tacet interrogatus de copia vel inopia mercium, si emat quę sibi necessaria sunt. Ratio omnium istorum est, quia scientia vel ignorantia eius quod futurum est, habent se per accidens ad iustitiam contractus præsentis.

Quarta conclusio. Aliquando in prædictis casibus peccabit venditor & emptor contra charitatem. Quod iudicandum est secundum leges communes charitatis quibus tenemur prouidere bono proximi dummodo non fiat cum magno detrimento proprio. Explicatur conclusio. Si Ioannes sciat ingentem summam tritici futuram. Et Petrus velit emere ab illo modo aliquam quantitatem frumenti, ex quo crastina die propter aduentum tritici & abundantiam illius Petrus incidet in pauperiem: tenebitur ex charitate Ioannes dicere non emas modo, sed reserua in crastinū: maxime si Ioannes posset facile vendere triticum alijs diuisim: secus est si Ioannes ex hoc quòd non vendat triticum Petro, incideret in similem pauperiem: quia tunc non tenetur indicare.

Ad primum argumentum respondetur, quòd si venditor sciat, ex vitio præsenti equum illum cito moriturum, aut vero quòd ex dispositione intrinseca quam habet modo incurrer notabile vitium: vel nō potest vendere, vel debet minuere de pretio.

Ad aliud argumentum iam patet ex dictis, quòd illa non sunt incommoda.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm liceat negotiando, aliquid carius vendere, quàm emere.

Hom 38. in opere imperfecto à me. tom. 2.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quòd non liceat negotiando aliquid carius vendere quam emere. Dicit enim Chrysostomus super Matth. 21. Quicunq; rem comparat, vt integram & immutatam vendendo lucretur: ille est mercator, qui de templo Dei eijcitur. Et idem dicit Cassiodorus super illud Psalm. 70. Quoniam non cognoui literaturam, vel negotiationem, secundum aliam literam. Quid, inquit, est aliud negotiatio, nisi vilius comparare, & carius uelle distrahere? Et subdit †, Negotiatores tales Dominus eiecit de templo. Sed nullus eijcitur de templo, nisi propter aliquod peccatum. Ergo talis negotiatio est peccatum.

Rodolph.

2. Præterea. Contra iustitiam est, quòd aliquis rem carius vendat, quàm ualeat, vel vilius emat, vt ex dictis † apparet. Sed ille qui negotiando rem carius vēdit, quā emerit, necesse est q̄ vel uilius emerit, quā valeat, uel carius uendat. Ergo hoc sine peccato fieri non potest.

Artic.

3. Præterea. Hieron. † dicit, Negotiatorem clericum ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Non autem negotiatio clericis interdicta esse videtur, nisi propter peccatum. Ergo negotiando aliquid vilius emere, & carius vendere est peccatum.

Sed contra est quod August. † dicit super illud Psalm, 70. Quoniam non cognoui literaturam: Negotiator auidus acquirendi pro damno blasphemat, pro pretijs rerum mentitur & peierat. Sed hæc vitia hominis sunt, non artis quæ sine his vitijs agi potest: ergo negotiari secundum se nō est illicitum.

Respondeo dicendum, quòd ad negotiatores pertinet commutationibus rerū insistere. Vt autem Philosophus dicit in 1. Politic. † duplex est rerum commutatio. Vna quidem quasi naturalis & necessaria, per quam scilicet fit commutatio rei ad rem, vel rerum, & denariorum propter necessitatem vitæ. Et talis commutatio non propriè pertinet ad negotiatores, sed magis ad œconomicos, vel politicos, qui habent prouidere vel domui, vel ciuitati de rebus necessarijs ad vitam. Alia verò cōmutationis species est, uel denariorum ad denarios, vel quarumcunq; rerum ad denarios, non propter res necessarias uitæ, sed propter lucrum quærendum. Et hæc quidem negotiatio propriè uidetur ad negotiatores pertinere, secundum † Philosophum. Prima autem commutatio laudabilis est, quia deseruit naturali necessitati.

Li. 1. Polit. cap. 6. tom. 1.

Secunda autem iustè uituperatur: qa quantum est de se, deseruit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit. Et ideo negotiatio secundū se considerata quādam turpitudinem habet, inquantum non importat de sui ratione finem honestum, uel necessarium. Lucrum tamē, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestū uel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione uitiosum uel uirtuti contrariū. Vnde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, uel etiam honestum, & sic negotiatio licita reddetur. Sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domus suæ sustentationem, uel etiam ad subueniendum indigentibus. Vel etiam cum aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessariæ ad uitam patriæ desint, & lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris.

Ad primum ergo dicendum, quòd uerbum Chrysostomi est intelligendum de negotiatione, secundum quod ultimum finem in lucro constituit: quod præcipuè uidetur, quando aliquis rem non immutatam carius uēdit. Si enim rem in melius mutatam carius uēdat, uidetur præmium sui laboris accipere: quanuis & ipsum lucrum possit licitè intendi, non sicut ultimus finis, sed propter alium finem necessarium uel honestum, ut dictum est.

Ad secundum dicendū, quòd non quicunque carius uendit aliquid, quàm emerit, negotiatur, sed solū qui ad hoc emit, ut carius uendat. Si autem emit rem non ut uendat, sed ut teneat, & postmodū propter aliquam causam eam uendere uelit, non est negotiatio: quanuis carius uēdat. Potest enim hoc licitè facere, uel quia in aliquo rem meliorauit: uel quia pretium rei est mutatum secundum diuersitatem loci uel temporis: uel propter periculum, cui se exponit, transferendo rem de loco ad locum, uel eam † fieri faciendo. Et secundum hoc nec emptio, nec uenditio est iniusta.

Al. ferri.

Ad tertium dicendū, quòd clerici non solum debent abstinere ab his quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab his quæ habent speciem mali. Quod quidem in negotiatione cōtingit, tum propter hoc, quòd est ordinata ad lucrum terrenū, cuius clerici debent esse contemptores: tum etiam propter frequentia negotiatorum uitia, quia difficulter exuitur negotiator a peccatis labiorum, ut dicitur Eccl. 26. Est & alia causa: quia negotiatio nimis implicat animum secularibus curis, & per cōsequens a spiritualibus retrahit. Vnde Apostolus dicit 2. ad Timoth. 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, licet tamen clericis uti prima commutationis specie, quæ ordinatur ad necessitatem uitæ, emendo uel uendendo.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Commutatio rerum pro rebus, uel pro pecunia, quæ ordinatur ad uitæ necessitatem, est laudabilis.

Secunda conclusio. Permutatio pro rebus, uel pecunia, quę ordinatur ad lucrum, habet quandam turpitudinem & damnabilis uidetur.

Tertia conclusio. Poterit tamen ista negotiatio honestari ex hoc, quòd lucrum ordinetur in bonum finem.

COMMENTARIVS.

PRima cōclusio articuli manifesta est, & quidem de contractu negotiationis de quo loquimur in illa conclusione satis dictū est, quomodo debeat iustificari. At uero circa secundam & tertiam conclusionem notandū est primo. Quòd negotiatio propter lucrum, dupliciter potest considerari. Vno modo in communi abstrahendo a singularibus negotiationibus, & sic intelligitur secunda conclusio Diui Thomæ quando dicit, q̄ secundum se habet quandam turpitudinem: sed quia non est adeo intrinsece mala, quanuis sit de genere male sonātium, sicut est habere plura beneficia: ideo Diuus Thomas apposuit tertiam conclusionem, ubi aduertit, q̄ huiusmodi negotiatio potest honestari: quando lucrum ordinatur in finem honestum. Altero modo potest considerari quælibet negotiatio in particulari, cum omnibus suis circunstantijs: & sic nulla negotiatio est indifferens, sed omnis est determinata ad bonum uel ad malum: eo q̄ in singulari non datur aliquis actus humanus indifferens.

Notandum secundò, quòd negotiatio dupliciter potest referri ad lucrum. Vno modo tanquam ad vltimum finem ipsius negotiationis non autem negotiantis: & sic negotiatio nusquam est mortale peccatum: sed poterit esse peccatum veniale auaritiæ, secundum doctrinam Diui Thomę, infra quæs. 118. artic. 4. Altero modo negotiatio refertur ad lucrum tanquam ad vltimum finem ipsius negotiantis: ita vt negotiator actualiter vel virtualiter, constituat vltimum finem in lucro: quod quidem contingit q̄n propter lucrum frangit aliquod præceptum, v.g. est periurus vel defraudat proximum in re grauī. Et isto modo negotiatio est peccatum mortale. Quod si aliquis

quis obijciat contra prædictam distinctionem, quòd D. Thomas 1. 2. quæst. 1. artic. 6. docet, quòd omnis actus humanus refertur ab agente in vltimum finẽ ipsius agentis, ergo falsum est quòd diximus, negotiationem referri posse in lucrum tamquàm in vltimum finem ipsius negotiationis, non autem negotiantis. Respondetur, quòd D. Thomas in illo loco sufficienter explicatur de relatione saltim habituali in vltimum finem agentis: non autem opus est, ꝙ omnes actiones humanę referantur semper in vltimum finem agentis actualiter vel virtualiter: sed sufficit quòd referantur habitualiter; & hoc vsque adeò verum est, quòd etiã ipsa peccata venialia existentis in gratia, referantur habitualiter in ipsum Deum tamquàm in vltimum finem agentis: sicut docet expresè D. Thomas 1. 2. quæstione. 88. arti. 1. ad tertium. Non verò referuntur in Deum actualiter neque virtualiter: sed dicuntur referri habitualiter in Deum tamquàm in finem operantis: quia ipse operans est per gratiam habitualiter relatus in Deum, à qua relatione habituali non auertunt illũ peccata venialia. Sicut viceuersa homo existens in peccato mortali potest facere aliqua bona opera moralia, vt est dare eleemosynam pauperi, absque mala circunstantia finis actualis aut virtualis: nihilominus bona opera illius referuntur habitualiter in ipsum operantem, tamquàm in vltimum finẽ: quia cum ille sit in peccato mortali & auersus à Deo conuersus est ad seipsum tamquàm ad vltimum finem. Sed hic maximè est obseruandum, quòd ista habitualis relatio operum, non sufficit facere de bono opere malum neque de malo bonum: etenim venialia peccata hominis iusti, non sunt bona quantumlibet referantur habitualiter in Deum: & rursus eleemosyna existentis in peccato mortali bona potest esse moraliter absque mala circunstantia facta, etiam si habitualiter referatur ad creaturam ex parte operantis tamquàm in vltimum finem; dummodo nõ referatur actualiter vel virtualiter, scilicet, in virtute alicuius actus præcedentis. Sed de hac re latius diximus. 2. 2. quæstione. 10. artic. 4. Cum igitur dicimus hic, quòd negotiatio quædam fit propter lucrum tamquàm propter vltimum finem actionis, non autem operantis: intelligimus de vltimo fine operantis in quem actualiter vel virtualiter actio roferatur. Et dicitur vltimus finis actionis, quia actio sistit secundum se in lucro: sicut gula habet pro vltimo fine actionis delectationem cibi, non autẽ est vltimus finis ipsius comedentis: aliàs semper esset mortale peccatum gula, si referretur in illum finem, scilicet, delectationem cibi actualiter vel virtualiter.

Denique notandum est, quòd negotiatio eò vel maximè dicitur habere quandam turpitudinem, qa implicatur multis difficultatibus & periculis peccãdi, vt docet D. Thom. ad tertium.

Dubitatur ergo primò. An licita sit negotiatio venditionis, in illis rebus quibus emptores male vtuntur & ad malum finem emunt?

Ad hoc dubium Nauarrus scrupulosè satis respondet in Manuali cap. 23. numc. 91. ait enim, quod non est licitum, sed esse mortale peccatum, quòd venditor v. g. vendat cartas lusorias personis de quibus credit, quòd abutentur illis. Immò dicit, ꝙ omnis venditor qui indifferenter vendit omnibus eiusmodi res, peccat mortaliter. Et in hoc sequitur Ioannem à Medina vbi supra, citat etiam Caietanũ in hac 2. 2. quęstione. 169. artic. 2. prope finem, sed certè Caietanus potius sentit oppositum.

Nos tamen ponimus conclusionem, quòd quando merces secundum se sunt indifferentes ad bonum & malum, potest venditor illas vendere etiam si verosimiliter & prudenter arbitretur, quòd emptor abutetur illis: quin potius etiam si certo sciat, quòd emptor abutetur illis: poterit sæpe numero vendere absque peccato. Probatur prima pars conclusionis. Quoniam inquirere mores alienos, & discernere quis nam velit emere ad bonum vsum, & quis ad malum: non est officium venditoris, sed potius est curiositas perniciosa in republica, vt quibus non competit ex officio velint discernere vitas proximorum. Item, quia aliàs pari ratione condẽnaremus sartores qui faciũt vestes curiosas, quibus probabiliter creditur, quòd multi vel multę abutentur ad luxuriam. Item essent condemnandi qui indiscriminatim vendũt omnibus communes cibos, quibus probabiliter creditur & experimur, quòd multi abutuntur ad gulam & ad luxuriam.

Sed probatur secunda pars conclusionis quæ difficilior est, scilicet, quòd si venditor est certus, quòd hic & nunc emptor emit rẽ vt abutatur illa ad peccatum mortale non peccat. Arguitur primò. Venditor non tenetur impedire peccatum alienum, per hoc quòd non vendat illi rem venalem quam paratus est vendere, ergo nullo modo peccat. Probatur consequentia. Quia vendendo ille non consentit peccato alieno directè nec indirectè: & quidem ꝙ directe non consentiat manifestum est, quia ille non intendit vendere merces suas vt aliter peccet, sed ad suam vtilitatem: quòd vero non consentiat indirectè; probatur, quia tunc aliquis consentit indirectè in aliquam operationem malam quando tenebatur illam impedire & non impedit: sed ille venditor nõ tenetur impedire illam malam operationem emptoris, nisi ex præcepto correctionis fraternæ per media ordinata ad correctionem & cum spe aliquæ emendationis ipsius. Sed non vendere illi merces non est medium correctionis fraternæ: ergo nullo modo peccat mortaliter contra illud præceptũ vendendo illi merces. Confirmatur. Quia nemo tenetur ad correctionem proximi amittere suum cõmodum temporale, quando proximus peccat ex sua malitia, ergo venditor non tenetur amittere suum lucrũ vt impediat proximũ ab exequutione peccati.

Præterea. Licitum est vendere aut locare domũ meretricibus, etiam si locans certus sit quòd abutẽtur meretrices illa domo: similiter licitum est vendere Iudæis agnum, etiam si venditor sciat, ꝙ volunt illum ad sacrificandum, vt diximus 2. 2. quæstione. 10. artic. 11.

Denique probatur. Contractus emptionis quãtum ad bonitatem vel malitiam extrinsecam, quæ non consideratur ex parte pretij, vel rei venalis, iudicandus erit propter comparationem ad commodum vel incõmodum reipublicæ, ergo saltẽ quando malus vsus rei venalis permittitur à republica ꝓpter majus bonum: non erit mala venditio rei indifferenter: quin potius si non esset qui locaret domum meretricibus ipsa respublica prudenter ædificaret illis domum propter maiora mala euitãda, ergo non erit peccatum locare domum aut vendere meretricibus.

Sed vt magis explicetur ista doctrina, arguitur contra illam. Primò. Quia non est licitum vendere arma tempore iniusti belli militibus paratis ad tale bellum gerendum: similiter non est licitum vendere gladium homini parato occidere proximum, ergo a simili dicendum est in præsenti.

Secundò. Non est licitum deponere pecunias apud vsurarium, de quò probabiliter creditur quòd dabit illas ad vsuram.

Ad

Ad hæc argumenta respondetur, quòd nos non ponimus vniuersalem conclusionem, quòd licitum sit semper uendere rem emptori qui male illa vsurus est: sed diximus, quòd sæpe numero licitum est ita contingere. Est autem prima exceptio, quando illud non est licitum: scilicet, quando ille malus vsus cedit in aliquam violentiam contra tertiam personam. v. g. in casu primi argumenti tenetur venditor tum ex charitate defendere rempublicam & innocentem: tum etiam ex iustitia non cooperari ad iniuriam faciendam alteri: & ideo si in tali casu uendiderit instrumenta offensiua, tenebitur ad rationẽ damni consequuti. Et per hoc patet ad primum argumentum.

Ad secundum uidebatur, quòd eadem esset ratio sicut de primo argumento. Depositio siquidem pecuniæ apud usurarium est quasi collatio instrumenti ad iniuriam faciendam tertiæ personæ, scilicet illi, à quo vsurarius iniquè accepturus est usuras, quod est peccatum contra iustitiam, ergo videtur quòd etiam sit peccatum in tali casu deponere pecunias apud vsurarium. Nihilominus respondetur non esse parem rationem vtriusque casus: quia vsurarius nullam facit violentiam mutuatario vt accipiat mutuũ ad vsuras: sed mutuatarius propter suum commodum patitur illud damnum soluens vsuras, & idcirco depositor non tenetur illum defendere non deponendo suas pecunias apud depositarium paratum accipere vsuras pro mutuo. Supponimus enim, qd ipse depositor non persuadet vt sit vsurarius, neque etiam scandalizat illum occasione depositi vt moueatur ad peccatum vsuræ: Dicimus ergo licium esse deponere pecunias apud talem vsurarium aliàs paratum accipere usuras ex mutuo. Neque obstat, ꝙ ille iniuriam faciat proximo accipiendo vsuras ab illo: quia in tali iniuria proximus non patitur violentiam, quin potius qui impediret vsurarium ne mutuaret illi pecunias iniuriam illi faceret impediẽdo illum à maiori commodo. Tota igitur ratio iniurię manet in vsurario. Sed contra. Si aliquis vult seipsum occidere, non est licitum vendere illi gladium, imo neque depositum gladium reddere, ergo etiam si proximus in damno quod patitur nõ patiatur violentiam: teneor impedire tale damnum. Respondetur, quòd non est eadem ratio. Etenim qui se occidit non est dominus vitæ suæ, sed Deus est specialis dominus vitæ & respublica specialis custos: quapropter iniuriam facit Deo & reipublicę qui se occidit, ut diximus quæst. 64. artic. 3. Deinde qui seipsum occidit, non acquirit aliud maius commodum, sicut ille qui soluit vsuras acquirit: & ideo teneor omnino defendere si possum ne aliquis seipsum occidat, & teneor ex iustitia non dare illi instrumentum quo se occidat.

Præterea possumus facere aliam exceptionem, videlicet, quãdo abusus emptoris probabiliter creditur, ꝙ cedit in scãdalum alicuius innocentis, & pusilli: tunc enim venditor rei peccabit contra charitatem, verbi gratia si meretrix petat à venditore aliquem ornatum aptum ad scandalizandum aliquem iuuenem innocentem, tunc venditor peccabit cõtra charitatem uendendo talem ornatum. Habemus igitur ex dictis, quòd uenditor non excusatur à præcepto correctionis fraternæ: sed dicimus non esse medium proportionatum, quòd uenditor priuet seipsum suis commodis vniuersaliter, vt impediat abusum rerum uenalium. Et ratio est: quia peccatum potissimè consistit in uoluntate & affectu, ergo per hoc quòd impeditur executio operis non impeditur correctio fraterna, neq; liberatur à peccato: sed sæpe continget, quod uehemẽtius peccabit dum priuatur occasione peccandi: iuxta illud commune, Priuatio est causa appetitus. Eadem ratione excusamus à peccato, illum qui accipit mutuo pecunias ad usuram ab usurario parato mutuare ad usuram: quoniam mutuatarius non tenetur priuare se suo commodo, propter malitiam alterius qui paratus est peccare: quin potius commune proloquium est inter Theologos, quòd possumus uti malitia alterius, dummodo non cooperemur ad illam. Denique adijcimus, quòd non solum erit licitum sæpe uenditori uendere rem ei qui male ea vsurus est: sed etiã peccabit si non uendat. v. g. si sit obligatus uendere reipublicæ aliquod genus mercium: tenetur uendere ei cui licitè potest uendere, & facit illi iniuriam si non uendat.

Dubitatur secundò. An sit licitum negotiatori emere magnam copiam mercium, vt postea minutatim vendat, & inde maius lucrum capiat? Ratio dubij est, quia in huiusmodi negotiationibus ciues patiuntur damnum: etenim vilius emerent si nemo magnam copiam mercium colligeret. Respondetur breuiter. Quòd merces sunt in duplici differentia, quædam quæ non sunt necessariæ ad vitæ sustentationem neque ad communem statum reipublicæ, v. g. psittaci & simiæ & multi ornatus mulierum. Et de huiusmodi nulla difficultas est: vnusquisque enim potest emere quantam velit copiam harũ mercium: quia inde non damnificatur respublica. Aliæ merces sunt necessariæ & conuenientes ad communem statum reipublicæ. Verbi gratia, Panis & vinum & cæteri cibi communes, & panni ad vestes communes faciendas.

De huiusmodi mercibus sit prima conclusio. Regulariter loquẽdo, iniquè agunt mercatores qui magnam copiam eiusmodi mercium emunt preuenientes ciues paratos ad emendum sigillatim. Probatur, quia pretium illarum mercium erit multò maius, quam si tales merces à pluribus in publico repræsentarentur: ergo sua industi ia huiusmodi negotiatores damnificant rempublicam, & ciues, & tale pretium non est æstimandum licitum, sed potius est impedimentum iusti pretij, quod alias secundum communi fori æstimationem curreret. Diximus regulariter loquendo: quia si ille negotiator venderet reipublicæ tales merces communi pretio quo venderent alij negotiatores de longè illas asportantes: licita est talis negotiatio, sed vt in plurimum non ita contingit.

Secunda conclusio. Postquam ciues emerunt sibi necessaria & conuenientia, licitum est & conueniens, quòd negotiatores emant magnam copiam istarum mercium, vt postea minutatim vendant & lucrum capiant. Probatur, quia per huiusmodi negotiationem non resultat incommodum Reipub. sed potius commodum: oportet enim quòd huiusmodi merces sint in promptu pro peregrinis & pro ciuibus qui non poruerunt emere, & pro pauperibus. Sed de hac re pertinebit ad Prætorem ordinare, ne tales negotiatores præueniant ciues paratos ad emendum, & ne post ea dum minutatim vendunt augeant plus nimio pretium.

Dubitatur tertiò. An qui sunt negotiatores ex officio, licitè possint carius vendere quam alij, & quomodo sit mensurandum iustum illorum pretium? Ad quod respondet Scotus in 4. dist. 15. q. 2. artic. 7. ꝙ soli mercatores ex officio, possunt in rerum venditione lucri facere tantum quantum eis respublica assignasset, si ad hoc officium eos conduxisset. Ratio eius est: quia si non essent in republica huiusmodi

negotia-

negotiatores voluntarij, ipsa respublica teneretur A
prouidere de ministris qui hoc facerent, videlicet
vt asportarent merces necessarias cõmunitati, Ma-
ister Soto lib. 6. de Iustitia. quæst. 2. artic. 4. dicit, hãc
regulam Scoti non esse omnino repudiandam, neq;
tamen semper posse seruari.

Nihilominus sit nobis prima conclusio. Hæc re-
gula Scoti valde fallax est regulariter loquẽdo. Pro-
batur primò. Quia contingit sæpè, quòd pretium re-
rum venalium vilescat, postquàm illi mercatores
asportauerunt merces suas: vel quia est paucitas em-
ptorum, vel magna copia mercium quæ aliundè su-
peruenerunt: & tunc constat iniquum esse, ꝙ eiusmo-
di negotiatores vendant merces suas etiam ipso
pretio quo emerunt. Probatur, quia tunc iustũ pre-
tium est, quòd currit iuxta communem æstimatio-
nem fori, quod quidem tunc erit multò vilius quam
pretium quo ipsi emerunt: quapropter nihil ꝑ sua
industria & labore possunt capere. Et rursus poterit
contingere quòd postquàm illi mercatores asporta-
uerunt merces suas, augescat iustum pretiũ propter
multitudinem emptorum, vel raritatem mercium:
& tunc iustum pretium erit, quod secundum com-
munem æstimationem fori cutrit: etiam si sit multò
maius quam esset stipendium quod respublica mini
stris designaret. Secundò probatur. Nam ex illa re-
gula Scoti sequuntur magna inconuenientia. Pri-
mò, quòd si mercator casu fortuito facit iacturam
omnium mercium, respublica tenetur resarcire il-
lud damnũm, vel si faceret iacturam medietatis mer
cis posset ille mercator vendere aliam medietatem,
tanti quanti totas merces vẽderet. Probatur sequẽ-
la. Quia si ille esset purus minister reipublicæ reci-
peret iustè tantum lucri, nisi integras merces aspor-
tasset. Item sequeretur, quòd si duo mercatores ita
se haberent, quòd alter emeret merces multò cariùs
quàm alter, vel quia à remotioribus partibus attulit
illas, vel quia orat raritas mercatorum quando ille
emebat prudenter tamen emebat: sequeretur, quòd
isti duo negotiatores eodem tẽpore & loco possent
vẽdere easdem merces pretijs notabiliter distinctis.
Probatur sequela. Quia ille qui cariùs emit, non po-
test suum integrum stipendium obtinere: nisi mul-
tò cariùs vendat quàm alter. Denique probatur cõ-
clusio & ostenditur ratio nostræ doctrinæ, scilicet
ex differentia quæ est inter purum ministrum & ne-
gotiatorem, qui est dominus suæ pecuniæ & suarũ
mercium. Nam ad officium ministri solum pertinet,
vt diligenter & prudenter gerat negotium domini,
quòd si negotium perierit domino perit: at verò ne
gotiator qui est dominus sicut sentit cõmodum q̃n
negotiatio prosperè succedit: iustum est, vt etiã sen-
tiat damnum, quando non ita succedit. Verum est
tamen, quòd consideratio regulæ Scoti potest esse
vtilis, quando respublica vult taxare pretium alicui
generi mercium propter bonum commune. v. g.
quando vult taxare pretium tritici; tunc enim de-
bet habere rationem industriæ & laboris quem co-
loni impendunt vt possint sustentari de suo labore;
hoc autem respublica in communi considerat, & vt
in plurimum, nec enim potest prouidere singulis
colonis in omni euentu.

Secunda conclusio. Licitum est negotiatoribus
ex officio, aliquanto carius vendere quam alij ciues.
Hanc conclusionem ponit Syluester verbo, emptio.
quæst. 10. & Scotus vbi supra. Et Caietanus hic ex-
pressè dicit, quòd isti negotiatores possunt cariùs
vendere qua emunt. Ratio est, quia isti negotiato-
res vtiles sunt reipublicæ & necessarij: ergo nõ de-
bent frustra negotiare. Sed hęc conclusio ea condi-
tione intelligenda est, vt iustum pretium æstimetur
secundùm communem vsum fori inter ipsos nego
tiatores & populum: non secundùm laborem &
industriam alicuius particularis negotiatoris. Est
etiam intelligẽda conclusio, tam de negotiatoribus
qui vendunt minutatim, quàm de his qui vendunt
in magna quantitate. Maximè aũt intelligitur con-
clusio de obligatis reipublicæ ad vendendũ aliquod
genus mercium: quia illa obligatio est pretio æsti-
mabilis, exponunt enim se ipsos multis periculis
propter commodum reipublicę. Denique probatur
conclusio sic intellecta. Quia secundum cõmunem
opinionem, iustum est vt campsores aliquid lucri
B accipiant dum cambiunt pecuniã maioris momen-
ti cum pecunia minoris momenti; quia hoc vtile est
communitati.

DVBITATVR quartò principaliter. An sit
licitum vendere cariùs expectata pecunia quàm nu
merata? Et eadem quæstio est de emptione & ven-
ditione quæ fit anticipata solutione, antequàm tra-
dantur merces. Hæc quæstio affinis est materiæ de
vsuris, de qua re disputant iurisperiti in cap. in ciui-
tate. & in cap. nauiganti. de vsuris. & in cap. ad no-
stram. de emptione & venditione. Summistæ ver-
bo, venditio. & verbo, vsura. Ioannes à Medina in
tractatu de restituione. quæstione. 38. Sotus libr. 6.
C de Iustitia. quęstione. 4. Et quidem omnes conuen-
iunt in vna fundamentali conclusione, scilicet, ꝙ
venditiõ quæ fit cariori pretio propter solam expe-
ctationem solutionis secũdum aliquod tempus, ini-
qua est & vsuraria. Intelligunt autem istam conclu-
sionem, quando pretium excedit totam latitudinem
pretii iusti & rigurosi. Probatur conclusio sic intel-
lecta. Primò, quia in illa venditione excedit iu-
stum pretium quo æstimatur res quæ traditur in pe-
senti: ergo iniqua est venditio. Secundò probatur
conclusio. In illa venditione includitur implicitè
vsura: ergo &c. Probatur antecedens, quia perinde
est expectare solutionẽ pecuniæ pro re quæ de præ-
D senti traditur, ac si venditor mutuaret pretium rei
emptori. Vt verbi gratia, pro viginti ducatis quibus
res de præsenti æstimatur, reddat viginti quinque
post annum: ergo &c. Et eadem est ratio de emptio
ne quæ fit anticipata solutione antequàm res trada-
tur, quæ pluris æstimatur tempore quo tradẽda est:
perinde enim valet, ac si emptor mutuaret triginta
venditori, vt post certum tempus reddat sibi qua-
draginta, aut rem quæ valet quadraginta.

Nihilominus negotiatores multa fingunt, vt li-
citas faciant huiusmodi emptiones & venditiones.
Sunt itaque sex tituli quibus existimant posse iustifi-
cari huiusmodi contractus.

E PRIMVS titulus est ex communi æstimatione
mercium quæ venduntur ad creditum.

Arguitur ergo primò pro parte affirmatiua quæ-
stionis. Et probatur quòd iste titulus sufficiat iusti fi-
care huiusmodi contractus. Quia communis æsti-
matio omnium negotiatorum est, quòd merces ex-
pectata pecunia pluris æstimantur, quàm quæ nu-
merata pecunia venduntur: ergo &c.

Confirmatur. Quia frequentia emptorum est in
causa, quod res cariùs valeant; sed sunt plures em-
ptores, qui quærunt merces quæ expectant solutiõ-
nem in futurum: ergo ea ratione cariùs vendi pos-
sunt.

Arguitur secundò. Pecunia præsens pluris æsti-
matur quam absens: etenim absens toto illo tempo
re quo absens est inutilis est, præsens verò est quasi
in actu vtilis aut certè in proxima potentia. Ergo
hac ratione vt contractus iustificetur & sit æqualis,
licitum

licitum erit venditori maius pretium exigere ab il-
lo qui emit rem ad creditum: quàm ab illo qui emit
numerata pecunia.

Arguitur tertiò à simili. Licitum est emere debita
in futurum ab illo cui debentur, pro minori pretio
quam ipsa debita constent & sonent. Verbi gratia.
Debet aliquis Paulo 100. licitum est Ioanni emere
à Paulo illa 100. pro 90. de præsenti numeratis: er-
go licitum etiam erit dare rem quæ modo valet 90.
pro 100. in futuro tempore, quod quidem est ven-
dere cariùs ratione expectatæ solutionis.

Eisdem argumentis proportionabiliter potest ali-
quis probare, quòd sit licitum emere viliùs quàm va
leat res quando fuerit tradenda in futurum anticipa
ta solutione.

Ad hanc difficultatem respondetur & sit secunda
conclusio. Iste primus titulus insufficiens est ad iu-
stificandum huiusmodi contractus. Hæc conclusio
non aliter de nouo probatur quàm soluendo argu-
menta facta: quia ratio illius intrinseca, eadem est,
atque primæ conclusionis fundamentalis.

Ad primum argumentum vt respondeamus ob-
seruandum est, merces esse in duplici differentia.
Quædam enim sunt, quarum minima pars venditur
numerata pecunia, & tales esse solent merces quæ
nauibus adducuntur ad portum, quæ ut in plurimũ
venduntur in magna quãtitate alijs negotiatoribus
capitalibus. Alię sunt merces quarum minima pars
venditur ad creditum, aut certè magna pars vendi-
tur numerata pecunia. De mercibus primi generis
diximus in fine huius tractatus: de mercibus vero
secundi generis intelligitur nostra conclusio. Et ad
primum argumentum negatur antecedens, si intel-
ligatur de negotiatoribus prudentibus & non iniq-
uis. Etenim merces secundum se nihil amplius ha
bent vtilitatis, quando emuntur ad creditum, & q̃n
emuntur numerata pecunia. Sed illa æstimatio quo
rũdam negotiatorum oritur ex difficultate res illas
emendi de præsenti, & auiditate vtendi rebus ipsis.
Et per hoc patet ad confirmationem: quoniam illa
frequentia emptorum ad creditum, non auget iustũ
rei pretium secundum quòd de præsenti valet: sed
mensura iusti pretij est illa quàm faciunt mercatores
qui emunt numerata pecunia. Et ratio est, quia iu-
stum rerum pretium est, quo æstimantur quãdo hic
traduntur, vt habetur in l. Falcidia. & in l. pretia. ff. ad
legem Falcidiam. quapropter emptores etiam si plu
rimi sint ementes ad creditum, impertinenter se ha
bent ad iustum pretium constituendum in huiusmo
di mercibus.

Ad secundum argumentum respondetur nego
antecedens, si consideretur pecunia secundũ se se-
cluso industria negotiatoris. Etenim pecunia secun
dum se infructifera est, neque habet alium vsum in
ratione pecuniæ: nisi quando distrahitur per indu-
striam negotiantis. Quapropter ratione tẽporis ex-
pectati, non potest venditor aliquid amplius pecu-
niæ exigere, quàm hic licitũ sit accipere, aliàs enim
quilibet mutuator pecuniæ, eadem ratione posset
exigere lucrum ex mutuo, propter expectationem
temporis.

Ad tertium vt respondeamus, necesse est exami-
nare, an sit licita emptio debiti in futuro soluendi
pro minori pretio de præsenti.

DVBITATVR ergo quintò. An licitum sit
pro minori pretio emere pagas acerbas? de qua re
sunt duæ sententiæ. Prima est Adriani in 4. in ma-
teria de restitutione folio 36. & videtur esse Sylue-
positum tenere quàm Adrianus. Et sententia est quę
A negat licitum esse huiusmodi contractum pro mi-
nori pretio quàm cõstent & sonent ipsa debita acer-
ba: nisi quando fuerit periculum recuperandi, vel
notabilis difficultas. Eandem sententiam sequitur
Ioannes de Medina, vbi supra. Altera sententia est
Caietan. verb. vsura, cap. vlti. asserentis licitam esse
huiusmodi emptionem: si fiat iusto pretio currente.
Et probatur primò hęc sententia. Quia in huiusmo-
di contractu, si aliqua iniustitia esset, maximè vsu-
ra: sed hæc non, ergo. Probatur minor. Quia in hu-
iusmodi contractu, nulla est ratio mutui ex aliqua
parte neque implicita neque explicita, ergo nulla est
ratio vsuræ. Consequentia patet, quia vsura est mu-
B tuum ex lucro. Antecedens probatur. Quia si verbi
gratia, Ioannes emit à Paulo 100. quæ illi debet Pe-
trus pro nonaginta datis de præsenti: tunc Ioannes
nihil mutuat Paulo, quia de ratione mutui est, quòd
mutuatarius maneat obligatus ad soluẽdum aliquid
in futuro; sed Paulus statim eripitur ab omni obliga
tione dato iure Ioanni ad recuperandum illa debita.
Eodem argumento constat, quòd neque Ioannes sit
vsurarius: quia ille non accipit mutuum, sed ius re-
cuperandi sibi illa debita quæ antea debebantur Pau
lo, neque vltra manet obligatus ad aliquid redden-
dum ipsi Paulo. Ergo nulla est ratio mutui ac proin-
de nec vsuræ.

C Probatur secundò & confirmatur. Nam Paulus
de presenti dat totum ius quod habet ad illa 100. ipsi
Ioanni emptori, Ioannes autem de præsenti dat no-
naginta pro illo iure, suscipiens in seipsum curã re-
cuperandi: ergo totus contractus illic perficitur de
præsenti ex vtraque parte, ac per consequens nulla
est ratio vsuræ: siquidem neuter manet alteri obli-
gatus. Ex hoc infert Caietanus, quòd cõtractus ille
erit licitus & iustus intra limites emptionis & ven-
ditionis, si fiat iusto pretio. Fiet autem iusto pretio,
si illud pretium sit quod cõmuniter currit inter ne-
gotiatores absque dolo & fraude, attentis circũstan
tijs loci & temporis, & abundantia uel penuria pe-
cuniæ. Propter hæc argumenta videtur quibusdam
Theologis doctissimis, quòd non sit improbabilis
sententia Caietani. Nobis tamen semper visa est
durissima, vbi non fuerit periculum recuperandi il-
la debita acerba. Et arguitur primò contra illam. Si
ius illud quod habet Paulus ad recuperandum 100.
est vẽdibile pro minori pretio de præsenti, sequitur,
quòd ipsemet Petrus debitor possit emere pro mino
ri pretio illud ius; consequens videtur magnum in-
conueniens: quia pro nonaginta datis anticipata so-
lutione eripit se ab obligatione reddendi 100. Ali-
qui concedunt consequentiam & admittunt conse-
quens secundum sententiam Caietani. Alij verò as-
signant differentiam inter illos contractus: quia Pe-
E trus debitor, est obligatus ad totum debitum solven
dum, vnde datis modo nonaginta, non eripitur ab
illa obligatione propter anticipatam solutionem: at
vero Ioannes ille, non tenebatur Paulo creditori:
quò fit, vt possit dare libere Paulo creditori nonagin
ta pro iure quod habet ad illa 100. Arguitur tamen
secundò contra sententiam Caieta. quia illa in pra-
ctica præbet multam occasionem palliandi vsuras;
poterunt enim facilè fingi debita acerba, & sub isto
titulo fieri multi contractus viurarij, saltim virtua-
liter & implicitè.

Sed arguitur tertiò. Magis efficaciter & metaphi-
sicè contra istam sententiam. Illud ius quod habet
Paulus ad 100. reuera valet 100. ergo iniquum est
emere pro nonaginta. Antecedens probatur. Nam
quando ipse Paulus vendidit merces suas pro 100.
in futurum soluendas, iusto pretio vendidit; (Hoc
enim

enim præsupponimus, & quòd debitum non habet aliam acerbitatem nisi temporis,) ergo æqualitas est inter ius quod ille habet ad suas merces, & inter ius quod acquirit ad illa 100. in futurum soluenda. Sed ius quod habebat ad merces valebat 100. ergo ius qd acquirit valet 100. Confirmatur. Quia in contractu mutui hæc est æqualitas, quòd pro 100. quæ mutuat Petrus Paulo teneatur Paulus reddere alia 100. Ergo inæqualitas est quod Ioannes emat illud ius à Petro pro minori pecunia, scilicet pro nonaginta. Neque valet dicere, ꝙ Ioannes non emit 100. pro 90. Sed ius ipsum quod habet Petrus ad illa 100. quod quidé ius debilitatem est in eo, quòd ipse Petrus ipso facto, ꝙ mutuauit, obligauit se non petere illa 100. usque ad statutum tempus: cum igitur Ioannes velit nũc subintrare illam obligationem & eripere Petrum ab illa: meretur quòd minatur sibi aliquid denumerata pecunia de præsenti, dum emit ius ad recuperandũ illa 100. Non inquam valet ista responsio: quia pari ratione possemus dicere, quòd ipsemet Petrus à principio dum mutuabat Paulo 100. poterat exigere ab illo aliquod lucrum, propterea ꝙ ipse Petrus se libere subijciebat illi obligationi non petendi. Deinde. Ius illud ad recuperandum 100. à Paulo secundũ se toto illo tẽpore expectationis inutile prorsus est: sed totus eius valor desumitur ex illis 100. quæ soluẽda sunt transacto tempore, ergo neque plus neque minus valet, quàm illa 100. nisi sit periculum recuperandi: neque est alia acerbitas in illo iure quam expectatio temporis.

Arguitur quarto contra eandem sententiam Caietani. Sequeretur ex illa, quòd duo socij possunt licitè ditari ex alienis sub spe illius contractus emptionis solutionis acerbæ. v. g. sunt Ioannes & Paulus socij, & Paulus emat ab alio tertio merces, ꝑ 100. iusto quidem pretio, expectata tamen solutione usque ad annum: tunc accedat Ioannes & emat ab illo tertio pagam illam acerbam pro 90. & rursus ipse Ioannes emat ab eodem tertio alias merces pro 100. expectata solutione ad annum, & tunc accedat Paulus & emat illam pagam acerbam pro 90. atque ita poterunt Petrum expilare & ditari.

PRO decisione ergo sit nobis prima conclusio. Quando non est periculum recuperandi talia debita, neque faciendæ sunt expensæ in recuperatione illorum est iniqua emptio: si fiat pro minori pretio quàm content & sonent ipsa debita. Hanc conclusionem probat tertium argumentum cum sua confirmatione. Est enim inæqualitas inter pretium, & rem venditam: vnde emptor tenebitur ad restitutionem.

Secunda conclusio. Huiusmodi iniquitas est virtualiter vsura palliata. Probatur. Nam virtualiter & æquiualenter ipse emptor Ioannes, quasi mutuat pecunias Petro scilicet nonaginta de præsenti, ut in futuro accipiat 100. Neque valet respondere, quòd ipse Petrus non manet obligatus reddere illa 100. de futuro, quod erat de ratione mutuatarii, ac proinde nulla est ibi ratio mutui neque vsuræ. Hæc inquam responsio non valet. Nam perinde est æquiualẽter, quod ipse Petrus manet obligatus ad reddendũ 100. uel quòd det potestatem suam ad recuperandum illa 100. in tempore futuro: ergo est illic æquiualenter ratio mutui. Confirmatur. Si Petrus in eodem casu, nolet se obligare ad reddendum illa 100. in tempore futuro pro 90. receptis de præsenti, nihilominus daret Ioanni fideiussorẽ qui se obligaret ad reddendum illa 100. tunc profectò ille contractus habet rationem mutui: sed idem est dare Ioanni ius, quod habet certum ad recuperandum illa 100. atq; si daret fideiussorem: ergo vtrobiq; est ratio mutui, saltim virtualis: ac proinde vsurarius est ille contractus & nobis certè improbabilis sententia Caietani.

Tertia conclusio. Nihilominus si quis bona fide sequutus sententiam Caietani & aliorum emit pagã acerbam minori pretio: neque peccabit neque tenebitur ad restitutionem, sed poterit prudens confessarius dissimulare factum præteritum & admonere ne de cætero id faciat: alioquin quærat alium confessarium, nisi forte ipse sit proprius parochus ergaquẽ ipse pœnitens ius habet, ut audiat confessionem suã & tunc tenebitur confessarius illum absoluere sequutus opinionem probabilem. Ratio istorum est: quia in dubijs melior est conditio possidentis: ergo ipse pœnitens qui iam possidet lucrum, non tenetur restituere: siquidem dubium est, an sit licitus ille cõtractus uel non, & rursus ipse pœnitẽs habet ius acquisitum erga confessarium, qui non est proprius, si iam audiuit eius confessionem: at uero erga proprium habet ius, vt audiat: vnde vterque in prædicto casu tenebitur absoluere pœnitentem, etiam si sequatur nostram sententiam speculatiuè: eo ꝙ ipse pœnitens non tenetur illi credere neque capax est tantæ subtilitatis doctrinæ, ad distinguendum rationẽ mutui & vsuræ in tali contractu.

Secundus titulus sumitur ex ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. De quo titulo plura dicemus in quæstione sequenti, artic. 2. nunc autem breuiter sit conclusio. Licitum est uenditori carius vendere expectata pecunia, quando reuera erat uenditurus numerata pecunia: & ex eo quòd uendit, sequitur illi aliquod damnum, uel cessat aliquod lucrum. Ratio est, quia licitum est uenditori seruare se indẽnem, quando solicitatur ab emptore vt vendat expectata pecunia. Ita docet Diuus Thomas in articul. 1. supra. Magister Soto lib. 6. de Iustitia & iure, questione. 4. articulo. 2. quanuis concedat, quòd in tali casu licitum est venditori amplius accipere quàm sit iustũ rei pretium propter damnum emergens: non tamen propter lucrum cessans. Sed tamen non probat efficaciter istam sententiam, & est singularis in illa; omnes enim conueniunt in hoc quòd ratione lucri uecessantis, in prædicto casu, licitum est uenditori aliquid amplius exigere, quàm sit alias iustum pretiũ. Obseruandum est tamen attente à confessariis, an iste titulus sit fictitius: multi enim ex negotiatoribus dicunt, quòd poterant ipsi pecunia præsenti amplius negotiari & amplius lucrari. Hæc enim excusatio nulla est, quando ipse negotiator habet tantam copiam mercium, quòd partium oportet vẽdere ad creditum, partium numerata pecunia: uel etiam habet tantam copiam pecuniæ, quòd non erat impensurus totam in negotiationes suas, sed semper seruat aliquid in deposito.

Tertius titulus est, periculum cui uenditor se exponit dum uendit merces suas homini malæ fidei, quod uulgo dicitur, *mala dita*.

DVBITATVR ergo sextò, An quando reuera est tale periculum, & prudenter timetur, uel ꝙ erunt faciendæ expensę in recuperatione pretii, aut quòd omnino peribit pretium: licitum sit venditori aliquid amplius iusto pretio exigere, quando fit contractus expectata pecunia?

Arguitur primò pro parte negatiua, ex cap. nauiganti. de vsuris, ubi definitur, quòd est vsurarius mutuator qui recipit aliquid vltra sortem: ea ratione qa suscipit in se periculum mutui, sed in casu posito, si le uenditor exigit aliquid vltra sortem ea intentione, quia suscipit in se periculum mutui implicite: ergo vsurarius est.

Arguitur

Arguitur secundò. Venditor non potest exigere aliquid præter damnum & detrimentum. quod sequitur ex ipsa venditione secundum se: sed tale periculum non sequitur ex ipsa venditione secundum se, sed quia ipse voluntariè se committit tali periculo, poterat enim exigere fideiussorem si emptor nõ erat bonæ fidei, vel pacisci cum illo de soluendis expensis faciendis in recuperatione pretij, vel etiam ꝙ si nõ soluerit definito tempore, aliquid amplius soluat: ergo si venditor hęc omnia omittit, deputet negligentiæ suæ periculum quod sequitur, & non faciat venditionem iniquam & iniustam.

Arguitur tertiò. Emptor non tenetur liberare vẽditorem isto metu & periculo aliter quàm soluẽdo statuto tempore, vel dando illi fideiussorem: ergo vẽditor inique exigit aliquid amplius quam iustum pretium ratione talis periculi.

Sed pro parte affirmatiua arguitur primò. Venditor licitè potest deducere in pactum damnũ emergens, ut dictum est; sed ex tali uenditione emergit sibi damnum, eo quòd manet in periculo & metu amittẽdi bona sua: ergo hac ratione poterit aliquid amplius exigere.

Arguitur secundò. Centum ducati expositi verè periculo, minus æstimantur à uiris prudentibus, ita ut licitum sit emere illos pro nonaginta vel octuaginta: ergo venditor incurrit damnum cum exponit merces suas tali periculo, ita ut iam non estimẽtur tanti quanti si haberet illas apud se.

Tertiò. Aliquis fideiussor poterit aliquid exigere pro fideiussione, eo quòd exponit se periculo soluẽdi capitale; ergo etiam ipse uenditor poterit idipsum exigere: quia se exponit æquali periculo.

Propter argumenta prædicta, quidam tenent partem negatiuam, quidam uerò affirmatiuam. Affirmatiuam tenet Ioannes de Medina vbi supra, negatiuam tenet Soto vbi supra.

PRO decisione sit prima conclusio. Venditor licitè potest deducere in pactum ultra iustum pretiũ rei uenalis, expensas faciendas in recuperatione debiti. Ratio huius est: quia in tali casu reuera est dãnum emergens venditori, qui propriis expensis recuperat iustum pretium; ergo poterit illas in pactũ deducere, ut seruet se indemnem.

Secunda conclusio. Ratione uero periculi & metus recuperandi pretium, non potest uenditor aliqd amplius exigere ab emptore quàm iustum pretium. Hanc probant argumenta facta pro parte negatiua. Et præterea probatur. Quia non est medium ordinatum & proportionatum ad tollẽdum periculum & metum, quòd emptor promittat se daturum 100. ꝑ re quæ valet 90. quoniam ipsamet 100. manent in eodem periculo. Dixi tamen ab eodem emptore nõ posse venditorem amplius exigere: quia si quidam alius tertius solicitaret venditorem, ut venderet ad creditum homini malæ fidei, licitum esset venditori exigere ab illo solicitatore aliquid pretij, maximè numeratæ pecuniæ: propterea quòd uendit tali homini ad creditum.

Ad argumenta partis affirmatiuę, quatenus militant contra istã conclusionem respondetur. Ad primum, quòd illud periculum non est damnum emergens præter ipsum iustum pretium quod manet in periculo: cui periculo sufficienter satisfacit emptor, si postea soluat iustum pretium definito tempore. Et hoc quidem uerum est quantum est ex parte contractus; cæterum si emptor sit homo malæ fidei: tunc venditor petat fideiussorem, uel non vendat; quòd si vendiderit: sibi imputet tale periculum. Ad secundum patet ex dictis. Dicimus enim, quòd venditor voluntariè & imprudenter se exponit tali periculo: neque esse medium ordinatum vt se eripiat à tali periculo, quod exigat aliquid amplius quàm sit iustum pretium.

Ad tertium negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de fideiussore & de ipso vẽditore. Quia ipse fidei iussor nullum expectabat commodum ex contractu venditoris, & dum fidei iubet exponit se periculo soluendi capitale pro homine malæ fidei: & ideo potest exigere aliquid pretij tàm à venditore, quàm ab homine malæ fidei. At vero ipse venditor expectat commodum ex venditione: unde ꝙ quum est, vt se exponat tali periculo, vel petat fideiussorem.

Quartus titulus est, quando venditor seruaturus erat merces vendendas in tempore futuro, in quo carius erant valituræ: vel asportaturus erat illas in alium locum, vbi carius venderentur, v. g. erat asportaturus triticum ad locum vbi non est pragmatica.

DVBITATVR ergo septimò. An ratione huius tituli, possit venditor amplius exigere quàm sit iustum pretium rei præsenti? Et idem proportionabiliter quærimus de emptore, an possit emere merces vilius quàm de præsenti valeant: propterea quod recepturus erat illas merces tempore quo vilius sunt valituræ? & quoniam iste titulus magnam habet affinitatem cum secundo titulo de damno emergente & lucro cessante: Respondetur breuiter. Venditor potest iustè ratione huius tituli vendere carius merces quàm valeant de præsenti: siue vendat numerata pecunia siue expectata. v. g. seruaturus erat Petrus triticum suum reuera ad vendendum mensem Maij: quo tempore prudenter iudicatur carius valiturum; poterit de præsenti carius vendere quam nunc valeat. Ista conclusio definitur cap. Nauiganti. de vsuris. Et ratio est: quia venditor potest se indemnem seruare quando solicitatur ab emptore.

Secunda conclusio. Emptor similiter poterit iustè emere merces tradendas in futuro siue numerata siue expectata pecunia: eo pretio quo sunt valituræ quando tradendæ sunt, etiam si sit vilius quàm de præsenti currat. Hæc conclusio similiter est definita in dict. cap. Nauiganti. Et ratio est: quia merces æstimantur humano iudicio, secundum ꝙ veniunt in vsum hominum; ergo cum illæ merces nõ veniant de præsenti in vsum hominum: iustũ pretium erit quo æstimabuntur pro illo tempore quando tradendæ sunt. Et ista conclusio cum sua ratione notanda est ꝑ his quę dicenda sunt in vltimo titulo.

Nota tamen, quòd prædictus contractus dupliciter potest fieri. Primò, non determinando pretiũ de præsenti sed remittendo in futurum qualecumque fuerit quando tradendæ sunt merces: & iste modus est planissimus absque scrupulo. Secundo modo potest celebrari iste contractus ad arbitrium boni viri, habita ratione circunstantiarum loci & temporis: & tunc iustum pretium poterit taxari secundũ quãdam mediocritatem: ita vt vtraque pars maneat in æquali periculo & in æquali commoditate secundũ spem. v. g. si possibile est secundum prædictas circunstantias humano more, quòd mense Maij valeat triticum 14. argenteis: possibile etiam est, quòd valeat 12. tunc æqualis conuentio erit si fiat contractus pro 13.

Quintus titulus est, quando merces non erant seruandæ à venditore in futuro: sed tamen tempore solutionis expectatæ, carius erant ualituræ secundum æstimationem hominum.

DVBITATVR ergo octauò. An in tali casu liceat vendere carius expectata pecunia quàm de p̃senti valeant merces? Pro parte affirmatiua arguitur primò ex cap. In ciuitate de vsuris. vbi Alex. III. dicit, quòd si piper & cinnamomum valet numerata pecunia quinque libris, potest venditor expectata pecunia vendere sex libris, dummodo dubiũ sit, merces illas tempore solutionis plus minusue esse valituras. Sed tamen communis solutio ad istud cap. esse solet, quòd Pontifex intelligit quando merces essent seruandæ in futurum vendendæ. Sed contra istam intelligentiã arguitur tripliciter. Primò, quia Alex. III. ibi absolutè loquitur. Secundò, quia quãuis Greg. IX. in d. c. Nauiganti, ponat illam exceptionem, scilicet, si venditor seruaturus erat merces in illud tempus quo carius erant valituræ: tamẽ casus cap. In ciuitate distinctus est à casu cap. Nauigãti; quod patet, quia casus cap. In ciuitate habet specie vsuræ, vt ibidem dicit Pontifex: at vero casus cap. Nauiganti. iustissimus est: neque habet speciem vsuræ, ergo est distinctus, ac p̃ consequens exceptio facta in cap. Nauiganti, non potest applicari capitulo In ciuitate. Tertiò arguitur à simili. Licitum est emere vilius numerata pecunia, quã tunc valent merces de præsenti, quãdo verosimiliter creditur, quòd tempore quo tradendę sunt merces vilius sunt valituræ, vt diximus in titulo præcedenti, cõclusione. 2. Ergo viceuersa licitum erit vendere modo carius expectata pecunia: quando tempore solutionis verosimiliter creditur quòd merces carius sunt valituræ.

Propter hæc argumenta Caieta. q. seq. articu. 2. tenet contra communem intelligentiam cap. In ciuitate. Idipsum dicit in summa verbo vsura exterior. Arbitratur enim distinctum esse casum vtriusq; capiti: pro cuius intelligentia distinguit: Nam prorogatio temporis solutionis dupliciter potest considerari & fieri: Primò vt ipsa prorogatio sit actio distincta à contractu venditionis, ita sanè vt intelligatur venditio iam perfecta per traditionem rei, & deinde ratione expectationis tẽporis solutionis aliquid amplius exigatur: & isto modo contractus est vsurarius. Altero modo ipsa prorogatio poterit considerari vt complens contractum venditionis; ita sanè vt non antea intelligatur perfecta venditio: nisi pro tempore solutionis pecuniæ: & isto modo vendere licitũ esse ait carius merces quàm nunc valeãt: si tempore solutionis creduntur carius valituræ. Et iste inquit est casus cap. In ciuitate. Ratio Caietani esse potest ex doctrina illius, quòd venditio non est perfecta & completa vsque ad tẽpus solutionis; sed si fieret tempore solutionis esset licita & iusta: ergo etiam modo contractus ille qui fit ex nunc pro tunc erit licitus & iustus. Hanc sententiam Caietani nõ probat Soto lib. 6. de iustitia quæst. 4. arti. 2. sed neque omnino improbat illam.

Nihilominus nobis videtur simpliciter reprobanda sententia, & ponimus conclusionem. Ille cõtractus est illicitus & vsurarius. Probatur primò. Quia sententia Caietani est contra omnium Doctorũ decreta & contra cõmunem intelligentiam cap. in ciuitate. Deinde, quia fundamentum Caietani nullũ est, quod probatur. Quia venditio perficitur quando res traditur emptori tamquàm domino illius, etiam si expectetur solutio in futurum; ergo fundamentũ Caietani nullum est. & implicat contradictionem dicere, quòd venditio non est perfecta, & p̃ emptor maneat dominus rei, ita vt sibi stet aut pereat; ergo fictitium est dicere p̃ illa venditio fit ex nunc p̃ tũc *como entonces valiere*: nam reuera perficitur nunc cum res traditur: & secundum communem omniũ sensum dicitur, quòd res illa iam est vendita ad creditum. Confirmatur à simili. Si Episcopus vendat alicui beneficium & statim tradat, expectet autem solutionem in futuro; iam est perfectè simoniacus & incurrit omnes pẽnas iuris vt ipse Caietanus cõcedit infra quæst. 100. at verò si viceuersa Episcopus recipiat statim pretium p̃ beneficio tradendo in futurum, non est perfectè simoniacus nisi mentalis, nec incurrit pẽnas iuris donec tradat beneficium. Et ratio est, quia reuera nondum vendidit beneficium donec tradiderit illud: ergo simili modo, venditio rei temporalis tunc substantialiter perficitur, quãdo res traditur, siue expectata siue numerata pecunia.

Tertiò. Quia ex sententia Caietani sequeretur, qd qui non erat seruaturus merces suas in futurum: licitè posset carius illas vendere, quàm qui erat seruaturus ad tempus quo carius erant valituræ. Probatur sequela. Nam q̃ erat seruaturus, tenetur minuere de pretio tantum, quantum ipse erat impensurus in seruandis mercibus, & quàntum erat periculi in illarum conseruatione: At uerò qui non erat seruaturus nullas expensas facturus erat, ac p̃inde carius poterit vendere. Ad argumentum in oppositum ex cap. In ciuitate bene responsum est illic in argumento. Ad primam replicam respondetur, quòd Gregorius IX. explicuit illud caput in alio cap. Nauiganti. Neque est distinctus casus secundum speciem quantum attinet ad rem præsentem secundum rationem vsuræ vel non usuræ. Vnde ad secundam replicam respondetur, quòd poterit etiam palliari vsura in casu cap. Nauiganti, si venditor fingit se seruaturum & non erat seruaturus merces. Ad tertiam replicã negatur consequentia. Differentia est manifesta: quia venditio perficitur quando res traditur, non autem perficitur quando traditur sola pecunia, etiam si fiat pactum in futurum tradendi rem.

Sextus titulus est specialissimus in quoddam genere mercium, non solum propter modum vendẽdi in magna quantitate: sed etiam quia omnes illæ merces vel quasi omnes, venduntur expectata pecunia. Vtv. g. sunt tapetes qui deferuntur de Flandria ad portum, vel etiam Pissus quod Hispanè dicitur Olanda & id genus mercium quæ deferuntur ad portum ad prouisionem totius Regni.

DVBITATVR ergo nonò. An licitũ sit vendere huiusmodi merces eodem tempore & loco cariori pretio expectata pecunia, quàm vendantur q̃dã merces ex illis numerata pecunia in parua quantitate? Pro parte negatiua arguitur primò. Iustum rerum pretium est illud, quod in præsenti æstimatur secundum communem vsum fori numerata pecunia; Sed quædam merces eiusdem speciei æqualiter bonæ venduntur eodem tempore & loco viliori pretio: ergo illud est pretium iustum, & non illud alterum carius expectata pecunia. Arguitur secũdò. Si omnes illæ merces venderentur eodem tempore & loco numerata pecunia, proculdubio æstimarentur multo viliori pretio, ergo carius pretium q̃d exigunt negotiatores propter expectationem temporis iniquum est. Arguitur tertiò. Nam si licitum est vẽdere has merces carius expectata pecunia, quàm numerata, ergo quanto ad longius tempus expectatur solutio, licitum erit tanto carius vendere.

Sed in oppositum est pro parte affirmatiua. Primò, Quia modus debitus per se in vendendis huiusmodi mercibus est, vt vendantur eo loco & tempore in magna quantitate: ex quo statim sequitur, quòd nõ possint vendi numerata pecunia, ergo iustum illarũ pretium non potest æstimari numerata pecunia, sed æstimandum erit expectata pecunia.

Argui-

Arguitur secundò. Si pretium iustum harũ mercium æstimandum esset secundũ q̃ venduntur quędam ex ipsis de præsenti numerata pecunia: nemo veller negotiari in huiusmodi mercibus, q̃a vix posset lucrari factas expensas.

Arguitur tertiò. Si pretium iustum harum mercium deberet æstimari (vt quidam aiunt) ac si omnes illæ merces venderentur numerata pecunia eodem loco & tempore: sequeretur, quòd esset iniustum pretium illud quo modo de facto venduntur quædã merces ex illis numerata pecunia. Probatur sequela. Quia si omnes illæ merces venderẽtur numerata pecunia, necessario pretium deberet notabiliter vilescere propter abundantiam mercium, & raritatem emptorum: immò verò non esset numerus emptorum sufficiens ad tantam copiam emendam numerata pecunia, nisi in tantũ vilesceret pretium, quòd etiam pauperes inuitarentur ad emendum tapetes.

De hac difficultate sunt & fuerunt varia iudicia inter Magistros nostræ ætatis. Magister Soto olim dicebat, quòd iustum pretium harum mercium deberet æstimari, ac si omnes venderentur numerata pecunia: Idẽ asserebat Magister Cano Doctissimus: quos ego ore proprio consului de ista definitione. Sed postea Magister Soto libr. 6. de iustitia, quæstione. 4. articulo. 1. ad quartum, fatetur se diu ancipitem fuisse in hac re definienda: sed tamen ibi iam declinat in fauorem venditorum expectata pecunia: & ait, licitum esse in casu prædicto carius vendere expectata pecunia quàm numerata, & quòd illud estimatur iustum pretium quod currit expectata pecunia in mercibus tam magnę quantitatis: quod quidem probat argumento primo facto pro parte negatiua. Quam sententiã tenuerat olim sapientissimus Victoria communis præceptor huius scholæ. Alij uerò Doctores semper persistunt asserentes iniquũ esse vendere carius expectata pecunia quàm numerata. Nihilominus aiunt, quòd in casu posito vendidores licitè carius vendunt expectata pecunia quàm numerata, ratione lucri cessantis: eo quòd sunt petui negotiatores, & ideò patiuntur damnum in expectatione pecuniæ, quàm si haberent præ manibus, possent amplius negotiari & amplius lucrari.

Sed tamen hæc sententia sufficienter impugnatur argumentis factis pro parte affirmatiua. Deinde. Falsum est, quòd in casu posito sit verè lucrum cessans. Quia illi negotiatores non erant ventituri, immò neque poterant vendere numerata pecunia, ergo reuera non cessat illis lucrum.

PRO decisione notandum est, quòd pretiũ rei venalis dupliciter potest dici præsens. Vno modo dicitur præsens quod hic æstimatur à viris probis & prudentibus, etiamsi non statim & de præsenti physicè loquendo soluatur pretium: altero modo dicitur præsens quod statim de præsenti physicè loquendo soluitur.

Notandum est secundò, quòd pretium præsens priori modo est iustum pretium cuiuslibet rei venalis: pretium vero præsens secundo modo impertinenter se habet ad rationẽ iusti pretij: nam aliquãdo contingit vt cõiungatur cum illo, aliquando verò expectatur iustum pretium soluendum futuro tempore.

Nota tertiò, p̃ ratio quare in emptione mercium de quibus loquimur, non potest statim repræsentari pecunia, ea est: quia pretium non potest colligi nisi ex ipsismet mercibus in alijs locis & temporibus vendendi: propterea quòd huiusmodi prouisio mercium defertur per totam prouinciam & per totum Regnum, & ita ad arbitrium boni uiri debet determinari tempus necessarium, intra quod huiusmodi merces possint minutatim vẽdi in alijs locis & colligi pecunia: vnde totum illud tempus debet reputari tamquàm præsens respectu solutionis tantarum mercium. Explicatur hęc doctrina amplius. Si venditor ille magnus negotiator qui vehit tãtas merces nauibus, mitteret illos ministros suos per totũ Regnum vt minutatim venderẽt merces numerata pecunia: certè totum illud tempus quo expectaret vẽditor ille pecunias p̃ mercibus suis, reputaretur præsens tempus, & diceretur quòd ille vendit merces suas numerata pecunia: sic etiam æquiualenter quãdo alij negotiatores emunt tales merces, considerãdi sunt quasi subordinati ministri illius magni negotiatoris: quamuis enim non sint omnino ministri, quia efficiuntur domini mercium quas emunt: sed tamen quòd attinet ad rationẽ præsentialitatis pretij soluendi, perinde sunt quasi ministri: sunt enim negotiatores necessario subordinati pro tantis mercibus expendendis.

Nota quartò, quòd forma quæ seruatur à viris p̃bis & prudentibus in emptione harum mercium ea est, quòd primum taxetur pretium iustum secundũ æstimationem præsentem: deinde venditor & emptores conueniunt de tempore solutionis, quod q̃dem determinandum erit maius, aut minus ad arbitrium boni uiri: secundum quòd iudicabitur necessarium esse vt expendantur minutatim tales merces à negotiatoribus: & totum illud tempus debet reputari præsens, ac si solutio fieret numerata pecunia.

His ita constitutis fit prima conclusio. Licitum est in casu posito vendere illas merces carius expectata pecunia vsque ad prędictum tempus: quàm in præsenti uẽdũtur eędem merces numerata pecunia in parua quantitate. Hæc conclusio patet ex fundamentis præiactis & argumentis factis pro parte affirmatiua.

Secunda conclusio. Non licèt vẽdere merces illas in magna quantitate carius quàm in præsenti æstimantur, etiam expectata pecunia. Ista conclusio probatur argumentis factis pro parte negatiua. Et istæ conclusiones extenduntur ad omnes alios magnos negotiatores, qui in alijs regionibus quàm in portu, vendunt merces in magna quantitate dummodo eædẽ merces non vendantur in magna quantitate numerata pecunia eodem loco & tempore; tunc enim iustum pretium omnium mercium erit illud quod currit numerata statim pecunia.

Tertia conclusio. Negotiator qui taxato semel pretio prout in præsenti æstimatur, & determinato etiam tempore solutionis necessario ad expeditionẽ prædictarum mercium vt dictum est, uendiderit carius, eo quòd expectat ad longius tempus: vsurarius est. Hoc probatur eisdem argumentis pro parte negatiua factis, & proportionabiliter dicendum est de negotiatore qui emit uilius in magna quãtitate eõdem tempore & loco, propterea quòd anticipat solutionem ante illud tempus necessarium, ut merces minutatim expendantur.

Ex dictis sequitur, quòd respectu diuersorũ emptorum, in prædicto casu bene potest determinari diuersum tempus maius aut minus, necessarium tamen vt merces expendantur minutatim: sed nihilominus tunc non debet uendere carius vni quam alteri: propterea quòd vni est maius tempus necessarium ad expendendas merces quàm alteri: & totum illud reputatur præsens respectu solutionis.

Quarta conclusio. Qui pecunia numerata emunt uilius

vilius eodem tẽpore & loco, quia minutatim emũt merces illas in parua quantitate; licitè & iustè emũt. Ratio est: quia illæ merces sunt vltroneæ, & ideò meritò vilescunt in illo loco: quia ipse venditor cõpulsus ne cessitate vt sustentet se in portu vendit illas in parua quantitate; & signum est ꝙ ille contractus est licitus: siquidem ille venditor illo pretio nõ venperet omnes merces quas habet. Denique probatur, Quia tunc est raritas emptorũ ad emendas illas merces minutatim numerata pecunia: neque est inconueniens quòd eodem tempore & loco sint duo distincta pretia: propter distinctum modum vendẽdi.

Quinta conclusio. Alij negotiatores qui postea easdem merces vendunt in singulis oppidis, nõ possunt illas cariori pretio vendere expectata pecunia quam numerata. Probatur. Quia tunc magna quãtitas illarum mercium venditur numerata pecunia; ergo inde accipienda est æstimatio iusti pretij.

Ad argumenta pro parte negatiua respondetur, Ad primum nego maiorem si intelligatur de mercibus quæ vt in plurimum venduntur in magna quãtitate, ac pinde expectata pecunia quæ ex ipsis mercibus alias venditis debet colligi. Neque tunc incõuenit quòd in parua quantitate viliori pretio vendãtur eodem tempore & loco; quia tunc sunt merces vltroneæ.

Ad secundũ negatur consequentia. Quia illę conditionales non positæ in esse non constituunt pretium iustum: quia pari ratione sequeretur, ꝙ si aliquis habens magnam copiam frumenti, venderet minutatim pretio currenti secundum communem vsum fori: quòd ille esset iniustus, Probatur sequela. Nam si totum frumentum exponeret simul venditioni, certum est quòd pretium vilesceret propter copiam; ergo ille conditionales non faciunt iustum pretium.

Ad tertium respõdetur, quòd nos numquam cõcessimus, quòd formaliter loquendo ratione expectationis soluendæ pecuniæ: licitum sit carius vendere quam numerata concedimus autem quòd materialiter loquendo aliquando expectata pecunia, licitum est carius vendere quàm numerata propter alium iustum titulum: non solum ratione lucri cessantis vel damni emergentis: sed etiam propter modum vendendi in magna quantitate, quo vendũtur aliquæ merces necessario expectata pecunia, quæ ex ipsismet debet colligi alibi venditis in alio loco & tempore, & totum illud tempus necessarium ad talem expeditionem reputatur tempus presens moraliter loquendo pro illis mercibus.

DVBITATVR decimò & vltimò. An sicut est licitum vendere carius expectata pecunia quam numerata propter prædictum modum vendendi in magna quantitate: ita possit esse licitum aliquo titulo emere viliori pretio anticipata solutione pp modũ emendi in magna quãtitate, vel alia quauis rõne?

Arguitur primò pro parte affirmatiua. Ex communi vsu negotiatorum lanarum, qui emunt illas à pastoribus mense Octobris, aut Nouembris anticipata solutione: multo viliori pretio, quàm sunt valituræ mense Aprilis, aut Maij: quando tradentur, v. g. emunt mense Octobris. 30. argenteis arrobam ynam lanæ, quæ quidem quando tradenda est æstimabitur quadraginta argenteis. Sed durissimũ esset condemnare multitudinem talium negotiatorum, ergo signum est, quòd est aliquis titulus iustificans talem contractum.

Arguitur secundò. Negotiatio lanarum necessaria est Regno Hispaniæ multipliciter: nõ solum ad faciendos pannos pro vestibus, sed etiam vt asportentur in Flandriam ex quibus illic conficiantur tapetes & in Hispaniam remittantur: sed talis negotiatio fieri non potest nisi magna copia lanarũ ematur & vendatur ante ouium attonsionẽm, ad hoc vt negotiatores certi ꝙ habituri sunt illas illo tempore, præparent se & ministros suos ad lauandum & componendum illas merces: ergo licitum erit emere mense Octobri viliori pretio, quod quidem pro tunc æstimatur iustum.

Arguitur tertiò. Multitudo venditorũ meritò solet esse causa minuendi pretium rerum venaliũ: sed mense Octobri & Nouembri, plurimi pastores vẽdunt lanas anticipata solutione lanarum, quas tradituri sunt mẽse Aprili, aut Maio: ergo meritò mẽse Octobri viliori pretio æstimantur. Confirmatur. Quia tunc videntur esse quasi merces vltroneæ propter necessitatem pastorum ad soluendum pastum gregum.

Arguitur quartò. Nam quod tempore traditionis lanarum pluris æstimentur, causa est raritas merciũ: eo ꝙ iam maxima pars vendita fuerat anteriori pretio, ergo iustũ pretium quod soluitur anticipata solutione, non debet regulari per illud pretium quod currit tempore traditionis lanarum. Probatur consequentia. Quia si iam non essent venditæ lanæ, perfecto vilius æstimarentur tempore attonsionis: eo quòd esset magna copia mercium. Et confirmatur. Non enim videtur iustum, vt maxima pars merciũ venalium sequatur pretium minimæ partis: sed minima pars lanarum venditur tempore attonsionis; ergo lanæ quæ venduntur mense Octobri, aut Nouembri, non debent sequi pretium lanarum quæ venduntur mense Maio.

Quintò arguitur. Merces istę lanarum habent ex natura sua, quòd sumptus pascendi greges ex ipsa lana nutrienda colligantur, ergo cum tempus soluendi pastum sit pri usquam tempus attõdendi oues; sequitur, ꝙ pretium iustum lanarum debeat ęstimari & iudicari pro tempore solutionis pastus, quando lanæ venduntur anticipata solutione.

Vltimò. Idem modus emendi permittitur & est in vsu in emptione piscaturæ marinæ anticipata solutione viliori pretio: eo ꝙ piscatura non posset seruari nisi iam essent certi emptores, & soluissent aliquod pretium pro expensis piscatorum, ergo pari ratione iustus erit ille cõtractus lanarum. De hac difficultate sunt duæ sententię. Altera est Magistri Soto libro. 6. de iustitia, quæst. 4. articu. 1. ad 4. vbi tenet parte affirmatiuam pp quintum argumentum quod fecimus: sed adijcit conditionẽ, dũmodò absit fraus, scilicet, ꝙ nõ fiat solutio anticipata solutione nisi per tres vel quatuor menses ante attonsionem ouium, aut saltem fiat intra annũ traditionis lanarum; nam si fiat antea viliori pretio, erit emptio vsuraria. Altera sententia est Ioannis de Medina in lib. de restitutione quæst. 88. cap. 6. vbi reprobat omnino talẽ contractum emptionis rationibus communibus, quibus reprobari solet emptio quę fit viliori pretio propter anticipatam solutionem.

Pro intelligentia huius difficultatis, oportet examinare factũ ipsum qd facile variatur ꝑ diuersitate temporũ. Etenim qn̄ scripsit Soto & Ioannes de Medina, ita contingebat in contractibus hmõi merciũ, ꝙ omnes lanæ quæ attondebantur mense Aprili, ferè omnes iam venditæ erant anticipata solutione, saltim mense Decembri: pauci aũt pastores diuites reseruabant venditionẽ ad mensem Aprilem, aut Maium. Ratio aũt facti erat: quia tunc erãt plurimi emptores lanarũ qui transmittebãt illas in Flandria, ita sanè vt nulla vellera lanę remanebant apud pastores

res exposita venditioni. Nunc autem nostris temporibus non ita se habent res. Quoniam propter quotidiana bella in Flandria, & propter pericula piratarum, non est tam frequens ille contractus & negotiatio lanarum: sed omnino superest apud pastores magna multitudo vellerum; ita vt vendantur postea etiam in mense Decembri, partim numerata pecunia partim expectata.

Nunc igitur si loquamur de priori illo tempore, sit prima conclusio. Probabilis est sententia Magistri Soto propter argumenta pro parte affirmatiua. Etenim ratio quare tempore traditionis lanarum, quę venditæ fuerant anticipata solutione, aliæ lanę uendantur cariori pretio numeratã pecunia, erat ꝙ tũc erat raritas mercium & frequentia emptorum, quæ ratio erat quasi per accidens respectu iusti pretij lanarũ quæ venditæ fuerant in maxima quantitate anticipata solutione. Huic sententiæ adhærent multi viri docti ex nostra familia Prædicatoria.

Nihilominus sit secunda conclusio. Eodem ipso tpe mihi probabilius est, ꝙ illa emptio est iniqua & vsuraria. Probatur primò. Nam pari ratione ex opposita sententia sequeretur, licitum esse emere quoscũque fructus terræ ab agricolis patientibus necessitatem, ũiliori pretio quàm fuit valituri tpe traditionis. Probatur sequela. Quia eadem est ratio vtriusq; contractus. Præterea. Talis contractus habet manifestam speciem vsuræ; nam continet implicitè mutuum ex quo mutuator lucrum recepturus est. v. g. pro 30. daris de præsenti recepturus est 40. tpe attonsionis lanarum. Quod si aliquis dicat, ꝙ modo pastor non vendit immediatè lanas qn̄ recipit numeratam pecuniam, sed vendit obligationẽ reddendi certum quantitatem lanarum tempore attonsionis. Ista tamen solutio non sufficit. Quoniam obligatio ad reddendum 40. valet 40. emptor autem dat triginta: ergo vsurarius est, ac si mutuaret 30. recepturus 40. Et denique. Nulla ratio est sufficiens ad excusandum hmõi contractum ab vsura: ergo cum habeat speciem vsuræ vsura est. Antecedens probabitur soluendo argumenta sententiæ affirmatiuæ, & simul proferendo notas rationes, quibus ille contractus probatur vsurarius.

Ad primum enim respondetur, ꝙ illa consuetudo est iniqua sicut aliæ multæ in republica: quãtis aliquãdo excusentur negotiatores authoritate Doctorum quos consulunt: aliquando verò non excusantur: quia nolunt cognoscere ueritatem, sed affectãt ignorantiam ne faciant restitutionem.

Ad secundum argumentum negatur consequentia. Nam tunc tpis dupliciter fieri poterat talis negotiatio lanarum. Vno modo emendo eas expectata et pecunia ad tempus traditionis lanarum, eodem pretio quo tunc erant valituræ; altero modo numerata pecunia & anticipata solutione, eodem pretio quo erant valituræ tempore traditionis.

Ad tertium respondetur, ꝙ multitudo venditorum in casu posito superabatur à multitudine emptorum qui diligentissimè quærebant lanas emẽdas anticipata solutione viliori pretio: quapropter illa multitudo venditorum non minuebat pretium iustum: sed necessitas pastorum erat in causa vt quærerent pecunias quasi ad vsuras: vnde q̃ quis appellaret ille contractus emptionis, non tñ erat reuera vẽditio q̃tum ad substantiam: quia non tradebãtur merces.

Ad confirmationem respondetur, ꝙ propriè loquendo non sunt merces vltroneæ. Primò quidem, quia sunt plurimi emptores quærentes eas. Deinde, quia reuera ꝑ tunc illæ merces non sunt in actu sed producendæ erant in ipsis gregibus: quapropter vẽdentes de præsenti nihil tradunt, nisi obligationẽ tradendi lanas eo tpe, quo carius sunt valituræ. Quapropter quemadmodum si quis alius negotiator emeret illam obligationem tradendi quadraginta, tpe attonsionis, pro triginta de præsenti numeratis, erit vsurarius: ita erit vsurarius qui dicitur emere lanas valituras quadraginta, pro triginta numeratis de pnti.

Ad quartum respodetur, ꝙ in illo casu ratio quare pretium augebatur tpe attonsionis, non erat solũ raritas mercium venalium: sed etiam multitudo emptorum, ita sanè vt si nullæ merces venditę fuissent anticipata solutione; nihilominus tunc pretium augesceret propter multitudinem emptorum.

Ad confirmationem respondetur, primò quidẽ, ꝙ non satis constabat an maxima pars lanarum venderetur anticipata solutione. Etenim pastores pecuniosi non vendebant anticipata solutione. Deinde pastores minus diuites non vendebant nisi tantum lanarum, quantum opus erat ad pastum gregis soluendum. Sed demus ita esse, ꝙ mẽse Nouembri vel Decembri venderetur maxima pars lanarum: non inde sequitur, ꝙ pretium iustum sit illud quod soluebatur anticipata solutione. Nam eadẽ ratione sequeretur, ꝙ si quis vẽderet eodem tpe cẽ loco lanas tradendas mense Iunio, eo pretio quo tunc essent valituræ: ꝙ ille contractus esset iniquus ex parte vendẽtis. Patet sequela. Quia secundum alteram opinionẽ, minima quantitas deberet sequi pretiũ maioris quãtitatis quæ vendebatur anticipata solutione. Consequens autem esse falsum manifestissimum est: qm̄ ille contractus ab omnibus approbatur tãquam iustus expectata solutione eo pretio quo merces valituræ sunt tempore traditionis, vt diximus titu. 4. cõclusione. 2. & titu. 5. argumento. 2. contra Caietanũ.

Ad quintum argumentum respondetur, negãdo consequentiam. Quia pari ratione sequeretur vt diximus, licitum esse emere fructus terræ futuros viliori pretio, cum obligatione tradendi tẽpore quo carius sunt valituri. Similiter licitum esset emere à pastoribus carnes gregis viliori pretio anticipata solutione: quam sint valituræ tempore traditionis.

Ad sextum negatur consequẽtia. Neque enim est eadem ratio. Primò quidem, quia piscatura conseruari non potest nisi præsto adsint emptores qui illã recipiant quam antea emerant, siue expectata siue numerata pecunia. At verò lanę optime conseruantur. Deinde est differentia: quoniam eodem pretio emitur piscatura ante piscationem eodem tempore & loco numerata pecunia & expectata solutione. At verò lanę non eodem pretio emuntur numerata pecunia & expectata solutione. Concludamus igitur, ꝙ regula communis est, vt contractus emptionis & venditionis viliori pretio anticipata solutione quàm expectata, est vsurarius ex parte ementis: vt docet D. Thom. quæstione. 78. artic. 2. ad 1. primũ, nisi vbi fuerit aliquis titulus manifestus eorum quos approbamus. v. g. lucri cessantis & dãni emergẽtis.

Vltima conclusio. Si loquamur de ipso facto nostris temporibus, venditio quæ fit lanarum ad creditum cariori pretio numerata pecunia quàm expectata: iniqua est & vsuraria. Ratio est manifesta, quia nũc de facto est magna multitudo vellerũ lanę apud ipsos pastores, q̃ vendunt numerata pecunia mense Octobri, Nouembri, & Decembri, viliori pretio, q̃ expectata solutione. Constat autem ꝙ regula iusti pretij est communis vsus fori, quando ipse merces traduntur numerata pecunia in magna quantitate: & idcircò si cariori pretio vendantur expectata pecunia, tunc vsurarius implicitè est iste contractus. Et hæc de ista quæstione dicta sufficiant.

QVAESTIO LXXVIII. De Vsura.

DEinde considerandum est de peccato vsurę, quod committitur in mutuis. Et circa hoc quęruntur quatuor.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum accipere vsuram pro pecunia mutuata sit peccatum.

9.dist.37. arti.6. Et mal.q.13 art.4. Et quol.1.art.19. & opus.72. c.4.& 15.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd accipere vsuram pro pecunia mutuata non sit peccatũ. Nullus enim peccat ex hoc, quòd sequitur exẽplum Christi. Sed Dominus de seipso dicit, Luc.19. Ego veniens cum vsuris exegissem illam, scilicet pecuniam mutuatam. Ergo nõ est peccatum accipere vsuram pro mutuo pecunię.

2. Prętterea. Sicut dicitur in Psalm.18. Lex Domini immaculata: qa scilicet peccatum prohibet. Sed in lege diuina conceditur aliqua vsura: secundum illud Deutero.23. Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram, pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliã rem, sed alieno. Et quod plus est, etiam in prętmium repromittitur pro lege seruata, secundum illud Deuter. 28. Fœnerabis gẽtibus multis, & ipse à nullo fęnus accipies. Ergo accipere usuram non est peccatum.

3. Prętterea. In rebus humanis determinatur iustitia per leges ciuiles. Sed secundum eas conceditur usuras accipere. Ergo uidetur non esse illicitum.

4. Prętterea. Prętermittere consilia nõ obligat ad peccatum. Sed Lucæ. 6. inter alia consilia ponitur, Date mutuum, nihil inde sperantes. Ergo accipere usuram nõ est peccatum.

5. Prętterea. Pretium accipere pro eo, quod quis facere non tenetur, non uidetur esse secundum se peccatum. Sed non in quolibet casu tenetur pecuniam habẽs eam proximo mutuare. Ergo licèt ei aliquando pro mutuo accipere pretium.

6. Prętterea. Argentum monetarum & in uasa formatum, non differt specie. Sed licèt accipere pretium pro uasis argenteis accommodatis. Ergo etiam licèt accipere pretium pro mutuo argenti monetati. Vsura ergo non est secundum se peccatũ.

7. Prętterea. Quilibet potest licitè accipere rem quam ei dominus rei voluntariè tradidit: sed ille, qui accipit mutuum, uoluntariè tradit usurã. Ergo ille qui mutuat, licitè potest accipere.

Sed contra est, quod dicitur Exod. 22. Si pecuniam mutuã dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor; nec usuris opprimes.

Respondeo dicendum, ꝙ accipere usuram pro pecunia mutuata, est secundum se iniustum: quia venditur id quod nõ est, per quod manifestè inæqualitas constituitur, quæ iustitiæ contrariatur. Ad cuius euidentiam sciendum est, ꝙ quædam res sunt, quarum vsus est ipsarum rerum consumptio, sicut vinum consumimus, eo vtendo ad potum, & triticũ consumimus, eo vtendo ad cibum. Vnde in talibus non debet seorsum cõputari vsus rei à re ipsa, sed cuiuscũque cõceditur vsus, ex hoc ipso conceditur res, & propter hoc in talibus, per mutuum, transfertur dominium. Si quis ergo seorsum vellet vendere uinũ, & vellet seorsum vendere vsum vini, venderet eandẽ rem bis, vel venderet id qd̃ non est. Vnde manifestè per iustitiã peccaret. Et simili ratione iniustitiã committit qui mutuat uinũ, aut triticum, petens sibi duas recompensationes: vnam quidẽ restitutionẽ ęqualis rei, aliam verò pretium usus, quod usura dicitur. Quædam verò sunt, quorum vsus non est ipsa rei cõsumptio, sicut usus domus est inhabitatio, nõ autem dissipatio. Et ideò in talibus seorsum potest vtrumque concedi, puta cum aliquis tradit alteri dominium domus, reseruato sibi usu ad aliquod tempus: uel econuerso, cum quis concedit alicui vsum domus, reseruato sibi eius dominio. Et pp hoc licitè potest hõ accipere pretium ꝓ usu domus, & præter hoc petere domũ accõmodatam, sicut patet in cõductione & locatione domus. Pecunia aũt secundũ Philo-

Lib.5.Ethico. c.5. & 1.Politico. c.6. & 7.to.5.

Philosophum in † 5. Ethicor. & in 1. Politic. principaliter est inuenta ad commutationes faciendas. Et ita proprius & principalis pecunię vsus, est ipsius cõsumptio, siue distractio, secundum quòd in cõmutationes expenditur. Et propter hoc secundum se est illicitũ pro vsu pecunię mutuatæ accipere pretium, quod dicitur vsura. Et sicut alia iniustè acquisita tenetur homo restituere, ita restituere tenetur pecuniam, quàm per vsuram accepit.

Ad primum ergo dicendum, ꝙ vsura ibi metaphoricè accipitur pro superexcrescẽtia bonorum spiritualium, quam exigit Deus, volens vt in bonis acceptis ab eo, semper proficiamus. quod est ad vtilitatem nostram, non eius.

Ad secundum dicendum, ꝙ Iudęis prohibitum fuit accipere vsuram à fratribus suis, scil cet Iudæis: per quod datur intelligi, quòd accipere vsuram à quocumque homine est simpliciter malum. Debemus enim omnem hominem habere quasi proximum, & vt fratrem, pręcipuè in statu Euangelij, ad quod omnes vocantur. Vnde in Psalm. 14. absolutè dicitur, Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Et Ezech. 18. Qui vsuram non accepit. Quòd autem ab extraneis vsuram acciperent, nõ fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad maius malum vitandum, ne scilicet à Iudęis Deum colentibus usuras acciperent propter auaritiã, cui dediti erãt, vt habetur Isai. 56. Quod autẽ in præmiũ promittitur, fœnerabis gentibus multis, &c. fœnus ibi largè accipitur pro mutuo, sicut & Ecclesiasti. 29. dicitur, multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, idest, non mutuauerunt. Promittitur ergo in præmium Iudęis abundantia diuitiarum: ex qua contingit ꝙ alijs mutuare possint.

Ad tertium dicendum, ꝙ leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita, propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multę vtilitates impedirentur, si omnia peccata districtè prohiberentur pœnis adhibitis. Et ideo vsuras lex humana concessit non quasi æstimans eas esse secundum iustitiam, sed ne impedirentur vtilitates multorum. Vnde in ipso iure ciuili dicitur, quòd res quę vsu cõsumuntur, neque ratione naturali, neque ciuili recipiunt usumfructum, & qd̃ Senatus non fecit earum rerum vsumfructum, nec enim poterat, sed quasi vsumfructum constituit, concedens scilicet vsuras. Et Philosophus naturali ratione ductus dicit † in primo Politi. quòd vsuraria acquisitio pecuniarum est maximè præter naturam.

Li.1.c.7. parũ ante mediũ tom.5.

Ad quartum dicendum, ꝙ dare mutuũ, non semper tenetur homo. Et ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia: sed qd̃ homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit sub ratione præcepti: potest tamen dici consilium per comparationem ad dicta Pharisæorum, qui putabãt vsuram aliquam esse licitam, sicut & dilectio inimicorum est consilium. Vel loquitur ibi non de spe vsurarij lucri, sed de spe, quæ ponitur in homine. Non enim debemus mutuum dare, vel quodcumque bonum facere propter spem hominis, sed propter spem Dei.

Ad quintum dicendum, ꝙ ille qui mutuare non tenetur, recompensationẽ potest accipere eius quod fecit, sed non amplius debet exigere. Recompensatur autem sibi secundum ęqualitatem iustitiæ, si tantum ei reddatur, quantum mutuauit. Vnde si amplius exigat pro vsufructu rei, quæ alium vsum non habet, nisi consumptionem substantiæ, exigit pretium eius quod non est, & ita est iniusta exactio.

Ad sextum ditendum, ꝙ vsus principalis vasorum argenteorum, non est ipsa eorum consumptio. Et ideo vsus eorum potest vendi licitè, seruato dominio rei: vsus autem principalis pecuniæ argenteę est distractio pecunię in cõmutationes. Vnde non licèt eius vsum vendere, cum hoc, ꝙ aliquis velit eius restitutionem, quòd mutuo dedit. Sciendum tamen quòd secundarius vsus argenteorum vasorum posset esse commutatio: & talem vsum eorũ non licèt vendere. Et similiter potest esse aliquis secundarius vsus pecunię argenteę, vtputa si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris. & talem vsum pecunię licitè homo vendere potest.

Ad septimum dicendum, quòd ille qui dat vsuram, nõ simpliciter voluntariè dat, sed cum quadã necessitate, inquãtum indiget

diget accipere pecuniam mutuo, quàm ille qui habet, nõ vult sine vsura mutuare.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Accipere vsuram pro pecunia mutuata est secundum se iniustum. Ratio est. Quia venditur id quod non est.

Secunda conclusio. Pecunia quæ per vsuram acquiritur, est necessario restituenda ex iustitia.

COMMENTARIVS.

MATERIA hęc celebris est iter Theologos & Iuristas. Theologi quidem agunt de illa in 4. dist. 15. Adrianus in 4. in materia de restitutione. Conradus in tractatu de contractibus à questio. 21. Ioannes de Medina in libr. de restitutione in tractatu speciali de rebus per vsuram acquisitis. Abulen. tomo. 7. super Matth. cap. 25. questio. 164. & deinceps. Soto lib. 6. de iustitia. Vtriusq; Iurisperiti in titulis de vsuris. Et Gratianus in Decreto dist. 47. & 14. causa. quæst. 4. Vbi videndus erit Cardinalis Turrecremata. Summistę in verbo vsura.

De nomine & definitione vsuræ.

ANte omnia in hoc tractatu explicandum est, quid significet, & quid sit vsura. De notione quidem huius vocabuli sciendum est, esse Ciceronianum, & habere amplam significationem. Significat enim vsum rei cuiuscumque siue bonum siue malum. Idem dicimus de hoc nomine Fœnus. Est enim idem quòd vsura: & fœneror, idem est quod exercere vsuras. Iam verò ex vsus accommodatione inter doctores, huiusmodi vocabula in malam partem tantum accipiuntur, vt significent pretium rei iniquum quod capitur ex re quæ vsu consumitur. Quæ quidem acceptio quasi per antiphrasim ortum habuisse videtur: sicut bellum dicitur, quia est res minime bella, & lucus, quia non habet lucem, & piscina, quæ piscibus caret. Sic etiam quando quis vult pretium vsura sortem pro re quæ nullum habet fructum aut vsum præter distractionem & consumptionem ipsius; dicitur tale pretium vsura. Accipitur deinde pro ipso vitio, hoc est, pro habitu qui est principium talium actionum iniquarum. Accipitur etiam pro ipsa actione vsuras accipiendi. Quandoq; verò accipitur pro obiecto illius habitus iniqui.

Exemplum est in alijs omnibus vitijs & virtutib, Furtũ enim dicitur ipsa rei alienæ occulta acceptio. Aliquando verò dicitur ipsamet res occultè accepta. Similiter fides quandoque dicitur res ipsa per fidem credita, aliquando ipse actus credendi, aliquãdo ipse habitus. Sic vsura accipitur in consilio Agathensi, & refertur. 14. quæst. 3. capite vlti. Vbi dicitur vsura est vbi amplius requiritur, quàm datur. Ecce vbi requisitionem vocauit vsuram. Pro obiecto verò accipitur à D. Ambrosio, & refertur vbi sup. 14. quæst. 3. Vbi ait quodcumque accedit sorti vsura est. Eodem pacto accipitur à D. Hierony. lib. 6. super Ezechielẽ cap. 18. & refertur vbi supra.

Deinceps definitionem quid rei inquiramus incipientes à diffinitione vsurę prout accipitur p obiecto. Vsura itaque in hac acceptione est, vt D. Thom. definit in hoc articulo, pretium vsus rei mutuatę. In eodem incidit alia definitio, scilicet, lucrum ratione mutui ex pacto. Hinc colligitur definitio vsuræ in altera acceptione pro vitio. Est enim vsura iniustitia per quam accipitur pretium vsus rei mutuatæ. Vel aliter, vsura est iniustitia qua accipitur lucrum ratione mutui ex pacto.

Pro harum definitionum intelligentia notãdum est primò, quòd tria requiruntur ad vitium vsuræ. Primò quidem quòd in tali contractu sit mutuũ, hęc enim est propria & solà materia vsuræ. In quo datur intelligi, quòd vsura solũ habet locum in rebus vsu consumptibilibus, quarum proinde dominiũ transfertur per talem contractum. Sicut reuera transfertur per omnem mutuationem. Prædicta differentia distinguitur vsura à fraudulentia emptionis & venditionis; quĩ cõtractus versatur etiam circa res quæ non consumuntur vsu, sed sunt materia cõmodationis. Obseruandum est tamen, non esse necessarium ad rationem vsuræ, quòd mutuum sit expressum & manifestum: sed satis est quòd sit implicitum & virtuale. v. g. Vendit quis cariori pretio quàm præsenti iusto merces suas ex eo tantum quòd expectat solutionem futuram; Ibi certè est vsura virtualis, & implicitum mutuum. Etenim perinde pollet illa vendi tio, ac si modo uenditor acciperet ab emptore iustũ pretium præsens, & illud ipsum daret mutuum emptori vsque ad tempus præstitutum & præscriptum solutioni, & exigeret lucrum ratione illius mutui.

Secundò, Requiritur intentio accipiendi lucrum ratione mutui. Et hoc ipsum expressum est in altera definitione. Colligitur autem manifestè ex D. Tho. definitione. Etenim cum res mutua necessariò debeat restitui eadem in specie mutuatori, si p vsu illius pretium accipere velit, iam manifeste intendit lucrum. Quapropter, si quis accipiat quod alias sibi debebatur, vt redimat suam vexationem, quoniam aliter nequibat recuperare debitum; etiam si ratione mutui dicat se id petere, non est vsura: si quidem non est lucrum verũ quod capit ex mutuo. Hoc modo potest intelligi Ambro. sup. lib. de Tobia. cap. 15. quod refertur. 14. quæst. 4. cap. fin. vbi ait. Ab illo exige vsuras, cui meritò nocere desideras, cui iure inferuntur arma, huic legitimè auferuntur vsuræ, quĩ bello vincere non potes, ab hoc vsuras exige. Et cõcludit. Ergo vbi ius est belli, ibi ius vsuræ. Loquitur itaque Ambro. de vsura secundum apparentiam, nõ secundum rei veritatem. Tertiò requiritur pactum & obligatio explicitè vel implicitè, ratione cuius mutuatarius teneatur, saltem secundum iustitiæ figuram quantum est ex parte contrahentium voluntate sua, quoniam re vera & absolutè nulla est obligatio ex parte mutuatarij ad reddendas vsuras. Obserua tamen ꝙ quando obligatio, qualiscumque illa est, fuerit implicita, contingere potest, ꝙ altera tantum pars intendat inducere talem obligationem. Et tunc si mutuator intendat inducere obligationem, contractus erit vsurarius, etiam si mutuatarius non intelligat. Si verò mutuatarius existimet se obligari, & mutuator non id intendat, non erit vsurarius cõtractus, etiã si mutuatarius soluat vsuras. Ratio huius differentiæ est: quia vsura est formaliter in mutuatore. Verum est tamen quod mutuator quando postea nouerit animum mutuatarij, tenebitur restituere vsuras.

Diuisio vsuræ.

IAm vero diuidere oportet vsuræ rationem. Altera enim dicitur realis & exterior: alteta mentalis & interior. Exterior quidem committitur quãdo interuenit pactum saltem implicitum. Mentalis verò est mentis propositum recipiẽdi lucrum ex mutuo. Obseruandum est tamen, quòd mentalis vsura dupliciter dicitur: vno modo communi quadam acceptione cum alijs vitijs mentalibus, quæ mentalia dicuntur quatenus mente sola perpetrata sunt, nullo exteriore subsecuto effectu. Sicut mentale homicidium dicitur, quod solo proposito, vel desiderio terminatum est. Sic etiam mentalis vsura est propositũ absque effectu accipiendi lucrum ex mutuo. Altero modo specialiter dicitur mentalis vsura etiam si secuta fuerit acceptio lucri ex mutuo, quando nullum pactum, ne implicitum quidem, præcesserat. Et hæc vsura dicitur solum propositũ, ita vt excludat pactũ, non autem effectum. Et in hac acceptione multa disputant doctores de vsura mentali.

DVBITATVR primò. An vsura sit prohibita iure naturali, an verò solum iure positiuo diuino, vel humano?

Arguitur primo pro parte negatiua. Quod iure naturæ prohibetur, nũquàm est licitum: sed D. Ambrosius vbi supra dicit aliquando esse licitum, ergo non est intrinsecè malum exigere vsuras.

Arguitur secundo argumẽto quinto D. Thomæ. Licitum est iure naturę pretium exigere pro actione quam alias homo facere non tenetur, sed homo nõ tenetur mutuare, ergo pro actione mutuandi potest aliquid iustè petere & accipere. Maior probatur exemplo, quia licite potest saltator pro saltatione pretiũ accipere, eo quod saltatio est opus ad quod alias homo non tenebatur.

Arguitur tertio, & replicatur contra solutionem D. Thom. ad quintum. Vbi ait quòd potest quidem mutuator recompensationem petere à mutuatario, sed illa recõpensatio iusta nihil aliud est, q̃ quòd mutuatarius reddat quantum accepit. Hæc D. Thomas. Contra hoc sic argumentor. Mutuator qui mutuat cẽtum aureos, amplius dat, quàm sibi reddat mutuatius quo tempore soluit centum aureos, ergo ratione illius excessus potest aliquid amplius accipere. Probatur antecedens. Quia vltra centũ aureos quod mutuator dederat, dedit simul obligationem ad non repetẽdum illos ante præfinitum tempus, sed hęc obligatio non exigendi suas pecunias pretio æstimabilis est, sicut & obligatio ad mutuandum uel uendendũ æstimatur pretio, ergo &c. Confirmatur & explicatur amplius illud antecedens. Mutuat Petrus Paulo centum aureos reddendos quandocũque Petrus petierit. Mutuat etiam Ioannes Paulo totidem aureos reddendos post annum, tunc videtur quòd Ioannes amplius det Paulo quàm Petrus: quia dat notabilem obligationem ad non repetẽdum, ergo iusta recompensatio quam debet Paulus facere, non debet esse æqualis erga Petrum & erga Ioannem. Confirmatur secundò. Si Ioannes se obligaret per integrum annum ad mutuandum Paulo pecunias quoties Paulus peteret vsq; ad centũ aureos, proculdubio Ioannes iustè postularet pretium pro illa obligatione, sed æqualis imò eadem videtur obligatio dare centum aureos nunc cum obligatione non repetendi per totum annum, hoc enim videtur esse continuata obligatio mutuãdi uel ratam habendi mutuationem, ergo talis obligatio pretio æstimabilis est. Confirmatur tertiò. Si obligatio non repetendi mutuatum intra annum, non est pretio æstimabilis, ergo nec obligatio non repetendi intra duos uel quatuor uel uiginti annos non erit pretio æstimabilis. Probatur cõsequentia, quia non differunt nisi secundum magis & minus.

Arguitur quartò. Sententia quæ sentit licitum esse emere pagas acerbas minori pretio de præsenti dato quàm ipsę constant, videtur quibusdam probabilis, ergo probabilis sentẽtia erit, esse licitum dare minori pretio in præsenti emere obligationẽ mutuata rij ad reddendum plus pecuniæ in futuro.

De hac quæstione sciendum est, fuisse hæreticos asserentes licitum esse dare mutuo pecunias ad usuram. Græci fuerunt in hac sententia, ut refert Guido Carmelita in summa de hæresibus. Castro in lib. de hæresibus. verbo vsura. Albanenses etiam fuerunt in eadem sententia, ut refert Gabriel Prateolus. lib. 1. de vitis & vitijs hæreticorum cap. 22. Eandem secutus fuit Carolus Molinæus Iurista, sed Lutheranus, ut refert episcopus Segobien. lib. 3. Variarum & Nauarro in Commentario. super capit. 1. 14. quæstione. 3. Qui hæreticus aiebat, licitas esse vsuras, si exerceantur cum moderamine quod habetur in l. eos. C. de vsuris. Abulensis concedit quidem vsuras esse prohibitas, & esse peccatum. Cæterũ in loco citato q. 171. & 172. negat esse prohibitas iure naturæ: sed ait, tantum iure positiuo prohiberi. In eadẽ sententia aiunt esse aliquos Iurisperitos, ut refert Soto ubi supra q. 1. articulo 1.

PRO decisione veritatis sit prima conclusio. Secundum fidem Catholicam asserendum est vsuras esse illicitas & oppositum est hæresis. Hæc conclusio expresse definitur in Cõcilio Viennensi sub Clemẽte VIII. & refertur in Clementina vnica de vsuris. §. vltimo. Neque ista conclusio est recens sententia Ecclesiæ, sed est communis consensio totius Ecclesiæ à temporibus Niceni Concilij, ubi Canone 18. & refertur. 14. q. 4. cap. quoniam. sic habetur, quoniã multi clerici auaritiæ causa turpia lucra sectantes obliti sunt Diuini præcepti, quo dictum est Psal. 14. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Ecce ubi concilium ait, esse Diuinum præceptum. Sunt etiam innumera testimonia aliorũ Conciliorum & Pontificum & sanctorum Patrum, quibus semper vsura improbata est communi assertione totius Ecclesiæ. Quæ testimonia referuntur 14. q. 3. & 4. & 5. & 6. & 47. d. & in Decretalibus, & in sexto, in titulis de usuris. Quæ omnia longum esset recensere. Et denique omnes scholastici Doctores ita censuerunt & sentiunt.

Secunda conclusio. Vsura prohibita est iure naturali. Probatur primò, testimonijs Philosophorum qui naturali ratione ducti vsuram reprobauerunt. Imprimis, Aristot. 1. Polit. cap. 6. & cap. 7. improbat ꝛc hementer vsuram, aitque eam esse pręter naturam. Idem ait. 4. Ethic. cap. 1. Item Cicero lib. 2. de finibus ait, interrogatum Catonem quid esset fœnerari, respondisse, quòd esset hominẽ occidere. Quasi æquipararet Cato fœnerationem cum homicidio quantum ad hoc quòd est esse contra iustitiam & ius naturæ. Plutarchus opusculum fecit, cui titulum inscripsit, quòd non oporteat fœnerari. Item Appianus Alexandrinus lib. 1. de bello ciuili. & Marcus Cato de re rustica, vsuras vehementer improbant. Cerũ ergo est, quòd lumine naturali cognoscitur iniustitia vsurarij. Ratione deinde probatur cõclusio. Prima quidem & optima ratio est D. Thom. in hoc articulo. Iniquũ est & contra ius naturæ vendere idẽ bis, aut vendere id quod non est: sed qui accipit vsuram pro pecunia mutuata, vel quasi vẽdit idem bis, vel certe vendit id quod non est, ergo. Maior probatur. Quia ratione naturali notum est, esse iniquum rem uendere pluris quàm valeat. Minor probatur. Nam qui dat mutuum ad vsuram, recipit postea quidem tantum quantum dedit: & insuper pro usu illius, qui nullius est pretij seorsum à pecunia, accipit aliquid aliud: ergo aut rem ipsam vendit bis, aut certè pro

tè pro vsu, qui seorsum non est æstimandus, aliquid accipit. Cæterùm de distinctione inter dominium & vsum rerum quæ vsu consumuntur, diximus multa supra in materia de dominio. Quanuis enim inter se habeant distinctionem metaphysicam: tamen quod attinet ad pretium & valorem, non potest distingui vsus rei vsu consumptibilis à re ipsa cuius usus est, vt consummatur.

Secunda ratio sit ex comparatione. Quia etiam si vsus equi est seorsum aliquando computandus, & æstimandus quantum ad pretium, vt v.g. quando aliquis conducit equum reddit equum, & etiam pretiũ vsus equi; tamen qui equum vendit iusto pretio, nõ potest accipere aliud pretium pro vsu ipsius equi: eo quòd per venditionem equi transtulit dominium in emptorem. At verò mutuator qui dat pecuniã transfert dominium eius in mutuatarium redditurum æqualem pecuniam, ergo iniquum erit cõtra ius naturæ, quòd mutuator accipiat aliquid pro vsu pecuniæ. Probatur consequentia. Quia multo minus distinguitur vsus pecuniæ à pecunia, quàm vsus equi ab equo, ergo si in venditione equi, propterea quòd transfertur dominium, non est licitum recipere pretium pro vsu; multo minùs licitum erit accipere pretium pro vsu pecuniæ. Confirmatur. Quoniam contra totũ naturæ ius est, vt quis accipiat pretium pro vsu rei cuius nullum habet dominium, vel vsumfructuum, sed mutuator neque dominium neq; vsumfructum habet pecuniæ mutuatæ, ergo est cõtra ius naturæ, quòd exigat pretium pro vsu pecuniæ: sed solũ poterit obligare mutuatarium vt reddat tantum quantum accepit, & tempore prædefinito.

Tertia ratio pro conclusione sit. Quando nulla esset alia ratio ad probandum ꝙ vsura est contra ius naturæ, nisi ꝙ ex illa sequuntur maxima damna, & incommoda reipublicæ, sufficeret ad reprobandã vsuram tãquam rationi naturali contrariam: quemadmodum colligimus, simplicem fornicationem esse contra ius naturæ: quia si varius concubitus ut licitus exerceretur; esset magna perturbatio in republica, neque possent homines educari conueniẽter neque in vita animali neque in vita rationali. Legatur historia celebris apud Titum Liuium libr. 2. aò vrbe condita vbi narratur discordia inter plebem Romanam & patres conscriptos: quæ ortum habuit, ex oppressione plebis per vsuras. Neque valet respondere, quòd potiùs ex vsuris sequuntur aliquæ vtilitates in republica, & quòd propterea iure comuni permittebantur, & Romæ permittuntur. Quoniã profectò si reputarentur licitæ, tunc esset frequentissimum exercitium vsurarũ inter Christianos: ex qua frequentia maxima damna consequerentur in republica; omnes enim indigentes pecunijs de præsenti, etiam ad res non multum necessarias, statim acciperent pecunias ad usuram & essent prodigæ, & in paupertatem redigerentur. Probatur quartò. Quoniam si non esset vsura iure naturæ prohibita; sequeretur, quòd neque lege Euangelica prohiberetur, siquidẽ in Euangelio præter præcepta fidei & sacramentorũ nihil prohibetur vel præcipitur, quod non sit naturæ lege prohibitum vel præceptum. Et Confirmatur. Quoniam aliàs omnibus nationibus quæ nõ receperunt baptismum, licitum esset vsuras exercere, si iure naturæ non est prohibitum. Imò etiam sequeretur, quòd fideles qui erant ante legem scriptam potuissent exercere licitè vsuras: & etiam illi, qui erant simul cum lege scripta, non tamen subditi legi: quãlis erat familia Iob, non peccarent vsuras accipientes pro mutuo. Confirmatur secundò. Quoniam Concilia & Pontifices vbi suprà non prohibẽt vsuras, quasi statuendo nouum ius: sed potius declarando, quod ex natura sua iniquum est, ergo negare esse prohibitas vsuras iure naturæ, est adueniari dictis Cõciliorum & sanctorum Patrum.

Ob hæc argumenta possemus oppositam sententiam inurere nota erroris in fide, aut certè hæresis. Sed temperamus censuram, & dicimus, quòd saltim contrária sententia est periculosa, & valde temeraria & errori proxima. Ratio huius temperamẽti est, quoniam non est ita certum secundùm fidem, id qd communiter à Theologis asseritur: quòd in Euangelio non contineatur aliquod præceptum, præter præcepta virtutum Theologicarum, & sacramentorum. Quod quidẽ proloquium sic intelligitur. Non quidem quòd in lege Euangelica non sit præceptũ fidei spei & charitatis, & humilitatis: secũdum quòd est virtus supernaturalis, per quam subijcitur homo Deo ad finem vitę æternæ consequendum, confitẽs, quòd sine eius auxilio & misericordia neque gratiã assequi neque gloriam potest. Sed quoniã huiusmodi præcepta virtutum fuerunt etiam in lege naturæ fidelibus imposita per traditionem protoparentum, & quia quod specialiter consideratur in lege Euangelica, est quòd habemus specialia præcepta explicitę fidei, & sacramentorum: propterea Theologi meritò aiunt præter præcepta fidei & sacramentorum non est aliud præceptum in lege Euangelica speciale præter præcepta naturalia, ad quorum custodiã nos perficit lex gratię, Iuxta illud Apostoli Rom. 3. legẽ ergo destruimus per fidem? Ablit, sed legem statuimus. Illud igitur documentum posset aliquis abiij expressa nota hæresis negare, & dicere quòd etiam in lege Euangelica est præceptum diuinum speciale quo prohibentur vsuræ. Sed huiusmodi responsio tergiuersatio est; & vix & egrè satisfacit argumentis quę fecimus, quo minus illa sententia damnetur ut erronea. Hac fortassis ratione Durandus in 4. distinctione. 33. q. 2. & Martinus de Magistris, de Temperantia. q. 2. dixerunt, fornicationem simplicem esse quidem prohibitam iure Euangelico: sed absque hæresis nota manifesta dixerunt fornicationem nõ esse prohibitam iure naturæ. Propter hanc igitur rationem temperamus nos rigorem censendi, & diximus oppositam sententiam esse valde temerariam & periculosam in fide & errori proximam. Sed profectò nobis magis placeret dicere quòd opposita sententia nostræ conclusionis est erronea in fide; propterea quòd ex principiis fidei & alijs propositionibus, quæ nobis videntur notæ lumine naturali, per euidentem consequentiam colligitur nostra secunda conclusio. Et consequenter etiam dicimus, imò multò magis, simplicem fornicationem esse ita iure naturæ prohibitam, ut oppositum sit error in fide Catholica.

Tertia conclusio. Certum est vsuram prohibitã fuisse in veteri Testamento sicut & adulterium & rapina. Non tamen est ita certum prohibitam fuisse in nouo Testamento expressis verbis. Prima pars probatur, Exod. 22. Deut. 28. Psal. 14. Qui iurat proximo suo & non decipit qui pecuniam suam nõ dedit ad vsuram, & ex ipso Psalmo colligitur quòd dare pecuniam ad vsuram est etiam contra legẽ naturæ sicut alia quæ commemorat Psalmus ipse, videlicet, non periurare, non decipere proximum, nõ accipere munera super innocentem. Secundam partem conclusionis probamus, quia in toto Euangelio non est talis locus quo videatur usura reprobari, nisi ille Luc. 6. qui refertur à D. Thom. Mutuum date, nihil inde sperantes. Sed ille locus alias habet explicationes sanctorum Patrum, ut insinuat D. Thom. in solutione ad quar-

ad quartum. Nihilominus quoniam summi Pontifices & Concilia citant locum illum Lucæ. 6. vt reprobent lucrum ex mutuo, non placet nobis, neque tutum est, discedere à Conciliorum & Pontificum super illum locum intelligentia, quicquid alij contra clament. Neque mirum vel nouum est, quòd vnus locus sacrę Scripturæ plures habeat sensus literales.

Quarta conclusio. Manifestũ est, vsuras esse prohibitas iure Canonico & iure Regio Hispanicnsi. De iure Canonico patet ex locis citatis in prima cõclusione. Quantum vero ad ius Hispanicnse patet ex lege Regia titu. 2. & lib. 5. ordinamenti. Cæterum iure Ciuili communi, tantum sunt prohibitæ vsurarum vsuræ, vt patet ex l. Placuit, ff. de vsuris. & ex l. vt nullo, C. de vsuris. permissio tamen est vsurarum absolutè, vt patet in l. Placuit. dummodo non sit maior vsuracum portio, quàm cẽtesima pars mutuati. Hoc moderamen patet in l. eos. C. de vsuris. Neque verò hæc permissio iuris ciuilis existimanda est illicita, sed aliquando est conueniens & necessaria ne impediantur maiora bona. Verbi gratia. Commoditates eorum qui indigent pecunia mutuata. Nota tamen, quòd quanuis in nostro regno Hispanię si necessitas id exposceret, possent permitti vsuræ: tamen non propterea posset compelli mutuatarius ad soluendas vsuras. Imò etiam si eas semel soluisset, non poterat denegari ei actio ad repetendum eas in iudicio. Hoc patet expresse ex Clementina vnica de vsuris, quę habetur ex Concilio Viennensi: vbi excommunicantur iudices & officiales eorum, qui compellunt ad vsuras soluendas, vel denegant actionem in iudicio ad repetendum. Neque valet contra hoc obiectio, quòd non datur actio in iudicio deceptis in cõtractu emptionis & venditionis citrà dimidium iusti pretij, ergo simili modo licitũ erit negare actionem in iudicio mutuatarijs, qui soluerũt vsuras. Negamus enim consequentiam. Primò quidem, quia hoc est prohibitum iure Ecclesiastico: quod est superius iure ciuili in his quę pertinent ad salutem animarum. Deinde, quoniam est magna differentia inter vtrumque casum: quoniam in priori casu, difficile erat & nimis importunum tribunalibus dignoscere multitudinem læsionum in contractibus emptionis & venditionis: at verò vsurarum iniquitatem facile est iudicare: & idcirco lex Ecclesiastica voluit subuenire lęsis per vsuram, non autem lęsis in emptionibus & venditionibus.

Ad argumenta in oppositum. Ad primum ex authoritate Diui Ambrosij, dicit glossa ibidem, sensum esse Ambrosij, quòd à nemine sunt exigendę vsurę: sicut nemini est nocendum. Quem sensum sequitur Magister Soto ubi suprà. Sed profecto ista explicatio non quadrat cum verbis Ambrosij, scilicet, cui iure inferuntur arma, huic legitimè auferuntur vsurę. Constat autem quòd sæpenumero iustissimè inferuntur bella, ergo tunc iustè poterunt auferri vsuræ. Melior ergo est explicatio nostra, quam supra dedimus definientes vsuram, scilicet, quòd Ambrosius loquitur de vsuris, quę non sunt propriè usurę, sed secundùm apparentiam, scilicet, quę alio titulo debentur: quanuis occasione mutui recuperãtur.

Ad secundum quod erat quintum Diui Thomę, respondetur, quòd optima est eius responsio. Ad tertium argumentum quod errat replica, respondetur negando antecedens. Ad probationem respondetur, quòd illa obligatio ad non petendum mutuatum, ante certum tempus, non est pretio æstimabilis per se loquendo, quantum est ex vi mutui: quãcuius, talis obligatio sit pretio æstimabilis, sicut v.g. obligatio ad mutuandum vel vendendum solet dici pretio æstimabilis. Negamus autem, quòd obligatio mutuatoris ad non petendum mutuatum vsque ad certum tempus sit semper pretio æstimabilis. Pro cuius maiori intelligentia & solutione trium confirmationum, aduertendum est, & maximè obseruandum: quòd quia moralia moraliter iudicanda sunt, non debemus fingere res aliquas esse pretio æstimabiles in aliquo euentu, in quo reuera nõ sunt dignæ pretio. In huiusmodi autem obligationibus multæ fraudes possunt contingere propter hominum auaritiam. V.g. communiter dicimus, quòd obligatio ad mutuandum est pretio æstimabilis, & tamen potest contingere, quòd aliquis à quo petitur mutuũ respondeat se nolle mutuare hodie, sed quòd hodie se obligabit ad mutuandum cras, vel post octo dies, vel post mensem, & quòd ratione huius obligationis petat aliquod pretium: quod æquiualet vsuris quas peteret, si modo mutuaret. In tali casu profectò nemo est, qui neget tale pactum vsurarium esse & fucato titulo vsuram palliare, intendebat enim ille homo exigere lucrum ex mutuatione illa, & finxit pretium petere pro obligatione mutuandi. Quemadmodum igitur respondendum erit ad prædictam fraudem in cuius fauorem poterat fieri tale argumẽtum, scilicet, quòd ille mutuator prius exegerat pretium pro obligatione mutuandi quod erat licitũ, & postea gratis mutuabat; respondebimus ét ad probationem illius antecedentis & ad tres confirmationes. Dicimus igitur, quòd quando obligatio ad mutuandum vel vẽdendum nulli prorsus periculo exponit mutuaturum, vel uenditurum, & reuera nullam incommoditatem illi affert, non est pretio æstimabilis. Quapropter si uenditor aliquis, qui paratus uendere omnibus, velit uendere alicui obligationẽ uendendi illi cras, aut post octo dies, aut mensem, profectò propter hanc obligationem non põt exigere pretium distinctum à iusto pretio merciũ. Secus autẽ si ex huiusmodi obligationibus ad mutuandum uel uendendum incõmodetur mutuaturus uel uenditurus; tunc enim licitum erit pro illa obligatione pretium pro quãtitate incommodationis exigere. Et hoc modo iustè postulant pretium obligati reipublicæ ad prouidendum de carnibus aut piscatura. Ad hunc igitur modum obseruare oportet, quòd sicut obligatio mutuandi aliquando est pretio æstimabilis, aliquando nihil ualet: ita etiã obligatio non petendi mutuatum uel debitũ potest aliquando pretio æstimari, aliquando verò nullo pretio digna est. Exemplum sit, si quis se se obliget ad mutuandum in omni euentu, vel in aliquo euentu speciali, potest esse aliquid periculi damni emergẽtis vel lucri cessantis, vel alicuius incommoditatis ipsi mutuatori: tunc profectò licitum est aliquod pretium exigere pro illa obligatione. Quando verò ipse mutuaturus nulli periculo se exponit, neque in aliquo incommodatur: non potest pretium exigere pro illa obligatione: sed iusta recompensatio erit, si reddatur ei tantum quantum pecuniæ mutuauerat. Et per hoc patet via ad soluendas tres confirmationes.

Ad primam enim respondetur, quòd si Petrus & Ioannes æqualiter se habẽt, in hoc, quòd neuter incommodatur ex illa commodatione pro tempore breuiori vel longiori, neuter potest pretium exigere pro obligatione nõ petendi per totum annum. v. g. quòd si Ioannes erat uir pecuniosus, qui non habebat opus illa pecunia per totum annum, non poterit aliquid pretii exigere, propterea quòd se obligat ad non petendum per totum annum: hoc enim est mutuare per totum annum. Imò verò in eodem casu, si

Petrus

Petrus breuiori tempore indigeret expendere suas pecunias, posset petere ab eo pretium si prorogaretur sibi solutio facienda: vel etiam si à principio peteretur ab eo ut mutuaret cũ ea incõmodatione, posset exigere aliquid pretij. Nota tamen, quòd cum diximus & repetiuimus, si mutuator incommodatur, non intelligimus solum quando patitur damnum emergens vel lucrum cessans in pecunia; sed etiam quando decebat illum exercere aliquem actum liberalitatis aut magnificentiæ de aliqua operatione sibi necessaria vel conuenienti: tunc dicimus ꝙ ligare se ad mutuum quando pecuniæ erant sibi necessariæ ad talia opera exercenda, & quia caret eis toto illo tempore, impeditur ne exerceat tales operationes; potest aliquam recompẽsationem exigere, dummodo illa incommodatio non sit fictitia.

Ad secundam confirmationem respondetur, ꝙ illa obligatio Ioãnis ad mutuandum per annum integrum quotiescunque Paulus perierit mutuum, iudicio meo æquiualet obligationi non petendi centũ aureos quos statim mutuaret. Vnde dico, ꝙ si nõ magis incõmodatur ipse mutuator in vno casu quàm in altero, non est licitum ꝙ in vno casu exigatur aliquid pretij, si in altero non exigitur. Et ipsa ratio facta in confirmatione nostra conuincit; & oppositũ est patefacere senestram ad palliandas multas vsuras, dum asserunt Theologi ꝙ pro obligatione mutuandi potest exigi pretium, non autem pro obligatione non petendi mutuatum. Nos enim vtrobique eandem rationem exigendi pretij esse existimamus moraliter loquendo.

DVBITATVR secundò circa solutionem D. Thom. ad secundum argumentum, An vsura fuerit Iudæis concessa tanquàm licita, saltim erga alienigenas? Pro cuius difficultatis intelligentia notandum est, quòd vsura potest dupliciter accipi: vno modo propriè & formaliter pro ipso lucro ratione mutui ex pacto: alio modo impropriè & materialiter pro lucro quod accedit vltra sortem, non quidem ratione mutui, sed alio titulo. In priori acceptione diximus iam vsuram esse intrinsecè malam, & iure naturæ prohibitam: neque in hac acceptione vertimus in dubium, an fuerit concessa tanquam licita Iudeis. Quoniam manifestum est quòd sicut furtũ propriè & formaliter loquendo non potest esse licitum, etiã per diuinam potentiam: ita neque vsura potest à Deo concedi tanquam licita. At verò Abul. consequenter ad suam opinionem asserit, quòd vsura propriè concessa fuerit Iudæis erga alienos, tanquàm licita. Etenim secundùm eius sententiam, vsura est illicita, quia est prohibita iure positiuo: vnde autor legis poterit dispensare.

Cæterùm nos qui reprobauimus illam sententiã Abulensis, disputamus in præsenti; An vsura in posteriori acceptione fuerit concessa Iudæis tanquam licita: sicut Deus concessit Iudæis quando egrediebantur ab Ægypto vt expoliarent Ægyptum petentes ab Ægyptijs vasa accommodata: quod quidem Dominus concessit tanquam rerum omnium Dominus. Atque ita illa acceptio non erat furtum: quia mutabatur materia & fiebat propria retinẽtium ex donatione Dei. Nunc igitur pariter quærimus, an illud lucrum ex vi mutui concederetur mutuatori, per legem Domini transferentis dominium lucri in mutuatorem. Et videtur pars affirmatiua vera: quoniam aliàs lex illa esset scandalum Iudæis & occasio peccandi. In oppositum autem est, ꝙ vsura reprobatur à summis Pontificibus suprà citatis tanquã prohibita vtriusque testamenti lege. Item, quia in alijs testimonijs veteris Testamenti citatis dubio præcedenti reprobatur vsura.

In hac difficultate Conrad. de contract. q. 24. & Ioan de Medina, in lib. de restit. tract. de vsura. q. 2. ad 3. asserit, vsuram fuisse concessam Iudæis tanquam licitam. Sed contraria sententia nobis multò probabilior est, videlicet quòd vsura tantùm fuerit permissa Iudæis, etiam loquendo formaliter & propriè de vsura: & quòd nunquam fuerit concessa tanquam licita etiam materialiter & impropriè loquendo de vsura in secunda acceptione. Hæc sententia probatur: Quia est magis consentanea sacris literis veteris Testamenti & dictis Conciliorum & Pontificũ, & Sanctorum. Ad argumentum verò factum respondetur, eam legem esse intelligendam sicut explicabatur à prophetis & maioribus Iudæorum. Prophetæ autẽ explicabant omnem vsuram esse illicitam vt patet ex testimonijs dubio præcedenti citatis. ex Dauide & Ezechiele & Esdra. Ad exemplum vero quod affertur quando Dominus concessit Iudæis accipere vasa Ægyptiorum; Respondetur, ꝙ quando nobis non constat, quòd Dominus concedat & faciat donationem transferendo dominium rei quæ erat aliena: debemus sequi regulam iuris naturæ. Constat autẽ de reuelatione Iudæis facta, vt retinerent vasa Ægyptiorum, non autem constat de concessione iuris ex mutuo: & idcirco non est eadem ratio. Notandum tamen, ꝙ hæc nostra sententia non est de fide, quia testimonia quæ pro illa adduximus, possunt legitimè explicari, aut de vsura formali, aut certè de vsura erga fratres suos: non autem erga alienigenas. Videatur Soto lib. 6. de iust. quæst. 1. art. 1. ad 2. & Couar. lib. 5. Variarum cap. 1. num. 7. sed nos in præsenti exactiùs definiuimus hanc difficultatem.

DVBITATVR vltimò, quæ nam intentio, vel quæ nam spes lucri vltra sortem recipiendi, sufficiat ad constituendam realem vsuram, & specialiter quærimus, an qui dat mutuum cum spe recipiendi lucrum, aliàs non daturus mutuum, sit dicendus vsurarius? Arguitur primò & probatur, quòd non licet aliquid lucri sperare ex mutuo absque peccato vsuræ. Nã Dominus Luc. 6. ait, mutuum date nihil inde sperantes. Secundò. Ex eo loco colligũ Vrbanus III. cap. consuluit, de vsuris, eum esse vsurariũ qui non aliàs mutuo daturus pecuniam credit eo proposito, vt licet omnino cotiuentione cessante, plus tamen sorte percipiat. Denique si quis pro beneficio temporali speret aliquid spirituale est simoniacus, ergo si pro mutuo speret lucrum erit vsurarius.

Sed in oppositum est primò, quòd siquis donet rẽ aliquam spe obtinendi aliquod commodum à donatario, non peccat, ergo neque ille qui facit alteri beneficium mutuandi cum spe, quòd mutuatarius erit gratus, & respondebit ei cum alio beneficio, non peccat.

Confirmatur. Quoniam in amicitia vtili, licitum est amico expectare recompensationem ab amico, ergo ex actione mutuandi, quæ vtilis est mutuatario, licitum est mutuatori expectare aliquod beneficium à mutuatario. Antecedens docet D. Thomas quæstione præcedenti, artic. 1. ad tertium, ex Aristotele lib. 9. Ethicorum, & idipsum Docet D. Thomas infra q. 106. artic. 5. & Caietanus ibidem.

Arguitur secundò, & probo quòd mutuator possit saltem secundariò intendere lucrum & sperare aliquam commoditatem ex mutuo. Quoniam licitum est clerico interesse Canonicis horis & sacrificium Missæ offerre, principaliter quidẽ ꝓpter Deũ, minùs verò principaliter & secundariò propter distributiones & stipendium designatum celebrantũ, ergo &c.

Hæc

Hæc quæstio proposita fuit Vrbano III. vbi suprà, non tamen fuit explicitè definita, & propterea indiget explicatione. Communis igitur omniũ Iurisperitorum sententia cum Innocentio IIII. & glossa ibidem ea est. Distinguunt enim duplicem intentionẽ, scilicet, principalem & primariam: & alteram secũdariam & minùs principalem. Tunc dicunt, ꝙ primaria & principalis intentio recipiendi aliquid vltra sortem, constituit vsurarium; sed secundaria & minùs principalis intentio non constituit. In eadem sentẽtia videtur esse Caietanus in hoc loco ad quartum, & in opusculo de vsura quæst. 3. & 4. Magister Soto omnem intentionem siue principalem siue minus principalem damnat tanquam vsurariam, vbi supra art. 2. quanuis in artic. 1. aliter videatur sentire. Carolus Molinęus excusat ab vsura omnem intentionem siue principalem siue minùs principalem: dummodo absit pactum. Ita refert Nauarro super cap. 10. 14. quæst. 3.

PRO decisione huius difficultatis sit prima conclusio. Intendere seu sperare lucrum ex mutuo, siue principali, siue minus principali, siue primaria, siue secundaria intentione (ex iustitia tamen & obligatione) est vsura. Conclusio est Caietani tomo 3. opuscul. opusculo de vsura quæst. 2. & Soto vbi suprà, quanuis varius videatur in 1. & 2. artic, & est etiam communis recentiorum in Theologia. Probatur cõclusio. Vsura est lucrum ratione mutui ex obligatione (aut quod idem est) pretium vsus rei mutuatę, ergo intendere tale lucrum ex obligatione & tale pretium, intentio vsuraria erit, quæcunque illa intentio sit. Antecedens patet ex supradictis, vbi ad illum modum definiuimus vsuram pro obiecto, ac subinde actus qui versatur circa tale obiectum vsurarius erit. Secundò probatur. Intentio secundaria circa obiectum cuiuscunque habitus siue studiosi siue vitiosi, nõ tollit rationem formalem talis habitus, sed vt plurimum tollit rationem per se primariam, & finit omnem rationem secundariam, ergo intentio etiam secũdaria circa obiectum vsurę constituit actum vsurarium per se secundò. Antecedens explicatur exemplo. Adulterium propter furtum re vera mœchia est, & in specie mœchiæ & denominat mœchum: quanuis reuera ille magis sit fur quam mœchus: primò & per se fur; at secundò & per se mœchus est. Hæc conclusio est concedenda argumentis pro parte negatiua, & iuxta eam intelligenda est sententia Magistri Soto.

Secunda conclusio. Intendere lucrum siue principali intentione siue minùs principali, siue primaria, siue secundaria, non ex obligatione ciuili, sed ex gratitudine, nullum est omnino peccatum. Probatur ex opposita ratione. Vsura est lucrum ratione mutui ex obligatione, vel est pretium vsus rei mutuatę: sed qui intendit lucrũ ex gratitudine quacunque intentione non intendit pretium nec intendit ex obligatione, ergo implicat contradictionem quòd sit ibi vsura. Secundò probatur. Vsuræ vitiũ peccatum est contra iustitiam, sed vbi nulla est obligatio iniuriosa cessat iniustitia omnis: ergo cessat vsura. Confirmatur. sine aliquo prorsus vitio; potest quis sperare lucrum ex operibus suis, si adhibeat finem honestũ vel necessarium, vt docuit D. Thom. articulo vltimo quæstionis præcedentis; ergo poterit quis mutuum dare sperando lucrum sine aliquo prorsus vitio: modò tamen ordinet lucrum ad finem honestum aut necessarium.

Sequitur hinc, non esse argumentum aut iudiciũ sufficiens vsuræ commissæ, quòd mutuator aliàs nõ daret mutuum, nisi speraret lucrum aliquod. Corollarium est manifestum, quia licitum est, ut diximus sperare etiam principaliter lucrum ex gratitudine, ergo &c. Confirmatur. Fas est cuique nolle conferre beneficium in eum, quem existimat ingratum futurum, si aliàs licitum erat, non conferre ei. Deinde ꝓbatur D. Thom. in quodlibeto. 8. artic. 11. asserit, ꝙ clericus qui principaliter quidem vadit ad Ecclesiã propter Deum, & interest diuinis officijs, secundariò tamen & minùs principaliter propter distributiones, ita vt aliàs non esset iturus; iste talis clericus non est simoniacus; ergo neque is qui mutuum dat spe lucri, aliàs non daturus. Denique, harum conclusionum doctrina simul & huius corollarij, videtur esse aperta D. Thom. in articulo sequenti, vt colligere facilè quisque potest ex conclusionibus articuli præcedentis: iuxta quam doctrinam conciliari potest communis opinio distinguens primariam & secundariam intentionem in hac parte: cum opinione secunda quæ non distinguit. Etenim opinio communis vocat primariam intentionem & principalẽ, eam quæ ex obligatione ciuili, & iustitia aliquid sperat: secundariam verò eam, quæ ex gratitudine tantũ, & certè hæc est expressa mens Caietani in locis allegatis. Sed quoniam hæc materia moralis est, descẽdamus oportet ad tractationem magis particularẽ.

Sit ergo tertia conclusio. Qui mutuum dat intendens lucrum maximè si explicet mentem suam mutuatario, si aliàs non esset mutuum daturus, est suspectus vsurarius. Probatur primò. Difficile est admodum dignoscere, an talis mutuator ex obligatione speret & intendat lucrum, an potius ex gratitudine: maximè cùm lucri amor soleat excœcare mẽtis oculos: ita vt ipse mutuator facilè falli possit existimans se ex gratitudine sperare, cùm reuera ex ciuili potius obligatione speret. Secundò. Mutuatarius æstimari debet qui ad redimendam vexationem suam reperdit lucrum, magis quàm ex gratitudine, potissimum cum explicuit illi mẽtem suam mutuator. Denique, non caret vsuræ suspicione vehementi, compellere mutuatarij voluntatem ad rependendum aliquid ꝓ mutuo, quanuis dicat mutuator se non obligare illũ ex iustitia, sed ex morali debito & gratitudine tantùm. Certè hoc videtur pactum implicitum, & vsurarium. Hinc sequitur corollarium. Qui ad hũc modum dat mutuum non est absoluendus, quousque mutuatarius explicuerit suam mentem gratã & beneuolam, & cõdonet id quod accepit mutuator vltra sortem.

Cæterum superest demum speculatiuè inquirere, An hæc propositio sit concedenda, licitum est mutuanti ratione mutui intendere principaliter lucrũ?

PRO cuius rei intelligentia animaduertendum est, mutuum in sui ratione duo includere; alterum quidem antecedenter, videlicet beneuolentiam & amicitiam & gratiam, siquidem mutuum non fit ex iustitia antecedente, sed ex amore & beneuolentia misericordia & beneficentia, &c. Alterum verò qd includit, est iustitia: siquidem mutuatio contractus quidam est & actus iustitiæ essentialiter. Et quia, qd quælibet res includit intrinsecè & essentialiter magis principaliter includit, quàm id quod antecedenter includit; neutiquam licitum erit, ratione mutui sperare lucrum, quia ratione mutui, idem est quod ratione contractus.

Ad primum argumentum pro parte negatiua respondetur illud testimonium esse intelligendum ex iustitia & obligatione ciuili, ac denique iuxta ea quæ modò dicebamus magis principaliter ratione mutui: alioquin si vt iacet ita gñaliter intelligeretur, nõ liceret (quod falsissimum est) etiam amorem & beneuolentiam

neuolentiam exigere & sperare ratione mutui, dicitur siquidem, nihil inde sperantes. Ex his patet responsio ad Vrbanum III.

Sed contra hanc solutionem arguitur. Si quis cõferat alicui beneficium spirituale cum hac intentione quòd ex gratitudine sit aliquid accepturus, est simoniacus, ergo idem est dicendũ in mutuo in quo intueretur beneficium tẽporale ex gratitudine. Antecedens patet ex definitione Pij V. in proprio motu, vbi declarat & condemnat talem donationem tanquàm simoniacam. Consequentia patet. Quoniam quod in spiritualibus est simonia, in tẽporalibus est vsura. Respondetur, quòd stando in iure naturæ donatio relata in antecedenti nõ est simoniaca: sed tantum est mala, quia prohibita: vnde non sequitur idẽ de vsura, nisi similiter tale mutuum prohibeatur, qd à republica non factum est, cum tamen fieri posset.

Ad secundum respondetur similiter, distinguo antecedens. Etenim si quis ex obligatione ciuili & iustitia, pro beneficio temporali speret aliquid spirituale, simoniacus erit: non autem si ex gratitudine, & beneuolentia: maximè quoniam dato antecedenti, poterat in præsentia negari consequentia: siquidẽ cùm res spirituales non possunt æstimari temporalibus beneficijs, maxima est irreuerentia si pro re tẽporali speretur aliquid spirituale vtcunque speretur: quæ irreuerentia non fit dum pro beneficio temporali speratur lucrum temporale. Ad argumenta in oppositum respondetur, ea probare secundam conclusionem & corollarium quod ex illa illatum est.

Doctrina demum Diui Thomæ in responsione ad sextum, notanda est de duplici vsu, altero principali, altero minus principali pecuniæ: super quam doctrinam innititur tota quæ traditur disputatio & tractatio de cambijs, de qua nos disseremus inferius. Interim legatur dominus Caietanus super hunc locum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm liceat pro pecunia mutuata, aliquam aliam commoditatem expetere.

Malo. q. 23. art. 4. ad 10 Et opusc. 21. q. 3. & 4. Et opusc. 73. cap. 3. & 7.

AD Secundum sic proceditur. Videtur quòd aliquis possit p pecunia mutuata aliquam aliã commoditatẽ expetere. Vnusquisque enim licitè potest suæ indemnitati consulere. Sed quandoque damnũ aliquis patitur ex hoc, quòd pecuniam mutuat. Ergo licitum est ei suprà pecuniam mutuatam aliquid aliud pro damno expectare vel etiam exigere.

2. Pręterea. Vnusquisque tenetur ex quodam debito honestatis aliquid recõpensare ei qui sibi gratiam fecit, vt dicitur in 5. Ethicor. † Sed ille qui alicui in necessitate constituto pecuniam mutuat, gratiam facit, vnde & gratiarum actio ei debetur: ergo ille qui recipit, tenetur naturali debito aliquid recompensare. Sed nõ videtur esse illicitũ obligare se ad aliquid, ad quod quis ex naturali iure tenetur, ergo non videtur esse illicitũ, si aliquis pecuniam alteri mutuans, in obligationem deducat aliquam recompensationem.

Li. 5. c. 5. paulo à fin. to. 5.

3. Pręterea. Sicut est quoddam munus à manu, ita etiam est quoddam munus à lingua, & ab obsequio. Vnde dicit glo. Isa. 33. Beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Sed licet accipere seruitium vel etiam laudem ab eo, cui quis pecuniam mutuauit: ergo pari ratione licet quodcunque aliud munus accipere.

4. Pręterea. Eadem videtur esse comparatio dati ad datum & mutuati ad mutuatum. Sed licet pecuniam accipere pro alia pecunia data, ergo licet accipere recõpensationem alterius mutui pro pecunia mutuata.

5. Pręterea. Magis à se pecuniam alienat, qui eam mutuãdo dominiũ trãsfert, quàm qui eam mercatori, vel artifici committit. Sed licet lucrum accipere de pecunia commissa mercatori vel artifici: ergo licet etiam lucrũ accipere de pecunia mutuata.

6. Pręterea. Pro pecunia mutuata potest homo pignus accipere, cuius vsus posset pretio aliquo vẽdi: sicut cùm impignoratur ager vel domus, quæ inhabitatur. Ergo licet aliquod lucrum habere de pecunia mutuata.

7. Pręterea. Contingit quandoque quòd aliquis carius vendit res suas ratione mutui, aut vilius emit qd est alterius, vel etiam pro dilatione pretium auget, vel pro acceleratione diminuit, in quibus omnibus videtur aliqua recompensatio fieri quasi pro mutuo pecuniæ. Hoc autẽ non manifestè apparet illicitum. Ergo videtur licitum esse aliquod commodum de pecunia mutuata expectare, vel etiam exigere.

Sed contra est, quod Ezech. 18. dicitur inter alia quæ ad virum iustum requiruntur, Si vsuram & superabundantiam non acceperit.

Respondeo dicendum, q secundũ Philosophum in 4. Ethicorum. † Omne illud pro pecunia habetur, cuius pretium potest pecunia mensurari: & ideo sicut si aliquis pro pecunia mutuata, vel quacũque alia

Lib. 4. ca. 1. in prin. to. 5.

alia re, quæ ex ipso vsu consumitur, pecuniam accipit ex pacto tacito vel expresso, peccat contra iustitiam, vt dictum † est: ita etiam quicunque ex pacto tacito, vel expresso quodcũque aliud acceperit, cuius pretium pecunia mensurari potest, simile peccatũ incurrit. Si verò accipiat aliquid huiusmodi, non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat, quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licitè poterat aliquod donũ gratis accipere: nec peioris conditionis efficitur per hoc, q mutuauit. Recompensationem verò eorum, quæ pecunia non mensurantur, licet pro mutuo exigere, puta beneuolentiam & amorem eius, qui mutuauit, vel aliquid huiusmodi.

Art. præc.

Ad primum ergo dicendum, quòd ille qui mutuum dat, potest absq; peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuũ accipit, recompẽsationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere. Hoc enim non est vendere vsum pecuniæ, sed damnum vitare. Et potest esse, qd accipiens mutuum, maius damnum euitet, quàm dans incurrat. Vnde accipiens mutuum cum sua vtilitate, damnum alterius recompensat. Recompensationem verò damni, quod consideratur in hoc, q de pecunia non lucratur, non potest in pactũ deducere: quia non debet vendere id qd nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo.

Ad secundum dicendum, quòd recompensatio alicuius beneficij dupliciter fieri potest. Vno quidem modo ex debito iustitiæ: ad quod aliquis ex certo pacto obligari potest: & hoc debitum attenditur secundùm quantitatem beneficij, quod q s accepit. Et ideo ille qui accepit mutuum pecuniæ, vel cuiuscunque similis rei, cuius vsus est eius consumptio: non tenetur ad plus recompensandum, quàm mutuo acceperit. Vnde contra iustitiam est, si ad plus reddendum obligetur. Alio modo tenetur aliquis ad recompensandum beneficium ex debito amicitiæ in quo magis consideratur affectus, ex quo aliquis beneficium contulit, quàm etiam quantitas eius quod fecit. Et tali debito non competit ciuilis obligatio per quã inducitur quædam necessitas, ut non spontanea recompensatio fiat.

Ad tertium dicendum, q si aliquis ex pecunia mutuata expectet, vel exigat, quasi per obligationem pacti taciti vel expressi, recompensationem muneris ab obsequio, vel à lingua: perinde est ac si expectaret vel exigeret munus à manu: quia vtrũque pecunia æstimari potest, vt patet in his, qui locant operas suas, quas manu vel lingua exercent. Si verò munus ab obsequio vel à lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex beneuolentia, quę sub ęstimatione pecuniæ non cadit, licet hoc accipere & exigere & expectare.

Ad quartum dicẽdum, quòd pecunia, non potest vendi pro pecunia ampliori quàm sit quantitas pecunię mutuatæ quę restituenda est: nec ibi aliquid est exigendum aut expectandum, nisi beneuolentiæ affectus, qui sub æstimationem pecuniæ non cadit: ex quo potest procedere spontanea mutuatio. Repugnat autem ei obligatio ad mutuum faciendum in posterũ: quia etiam talis obligatio pecunia æstimari posset. Et ideo licet simul mutuanti unum, aliquid aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum.

Ad quintum dicendum, quòd ille qui mutuat pecuniam, transfert dominiũ pecuniæ in eum, cui mutuat. Vnde ille, cui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenet eam, & tenetur eam restituere integre. Vnde non debet amplius exigere ille, qui mutuauit. Sed ille qui committit pecuniam suam vel mercatori vel artifici per modũ societatis cuiusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet eius: ita q cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur. Et ideo sic licitè potest partẽ lucri inde prouenientis expetere tanquam de re sua.

Ad sextum dicẽdum, quòd si quis pro pecunia sibi mutuata obliget rem aliquã, cuius vsus pretio æstimari potest, debet vsum illius rei ille, qui mutuauit, computare in restitutionem eius quod mutuauit: alioquin si vsum illius rei quasi gratis sibi superaddi velit, idem est ac si pecuniã acciperet pro mutuo: quod est vsurarium; nisi fortè esset talis res, cuius vsus sine pretio

tio ſoleat concedi inter amicos, ſicut patet de libro accommodato.

Ad ſeptimum dicendum, q̃ ſi aliquis cariùs velit vendere res ſuas, quàm ſit iuſtũ pretium, vt de pecunia ſoluenda emptorem expectet, manifeſtè vſura committitur; quia huiuſmodi expectatio pretij ſoluendi habet rationem mutui. Vnde quicquid vltra iuſtum pretium pro huiuſmodi expectatione exigitur, eſt quaſi pretiũ mutui, quod pertinet ad rationem vſurę. Similiter etiam ſi quis emptor velit rem emere vilius, quàm ſit iuſtum pretium, eo quòd pecuniam ante ſoluit, quàm poſſit ei res tradi, eſt peccatum vſuræ, quia etiã iſta anticipatio ſolutionis pecuniæ habet mutui rationem, cuius quoddam pretiũ eſt, quod diminuitur de iuſto pretio rei emptæ. Si verò aliquis de iuſto pretio velit diminuere, ut pecuniam prius habeat, non peccat peccato vſuræ.

SVMMA ARTICVLI.

PRima concluſio. Vſura eſt pro pecunia mutuata exigere ex pacto quodcunque æſtimabile pretio aliquo.

Secunda concluſio exigere ex gratitudine etiam pro pecunia mutuata, rem pecunia æſtimabilem, nõ eſt peccatum.

Tertia concluſio. Licitum eſt pro mutuo exigere compenſationem, in his quæ pecunia æſtimari non poſſunt, v.g. beneuolentiam & amorem. Huius articuli tractatus non diſtinguitur à tractatione præcedentis articuli niſi tantum, qua ratione diſtinguitur pretium à re cuius eſt pretium: quæ diſtinctio ferè nulla eſt quantum ad moralem attinet materiam. Et idcirco pro huius articuli intelligentia conferunt quàm maxime, quæ articulo præcedenti adnotauimus potiſſimum in dubio vltimo.

COMMENTARIVS.

DOrditi autem libet huius articuli explicationem à tertiæ concluſionis examine. Videtur autem ea concluſio eſſe falſa.

Primò. Amicitia & beneuolẽtia multò pretioſiores ſunt, quàm res aliæ pretio æſtimabiles, vt docet D. Tho. in prima concluſione, ergo neque amicitia poteſt exigi.

Secundò. Non licet ratione mutui in pactum ducere externa amicitiæ & beneuolentiæ ſigna. v.g. nõ licet obligare mutuatarium quòd exhibeat ſe affabilem mutuanti, ergo neque amicitiam ipſam. Antecedens probatur: quia omnes actiones affabilitatis, verbi gratia nudare caput aut genuflectere, ſunt prætio æſtimabiles; ergo ratione mutui non poſſunt deduci in pactum.

Arguitur tertiò. Si quis intulit alteri iniuriam, nõ eſt licitum obligare eum qui paſſus eſt iniuriam ad hoc, vt ratione mutui condonet iniuriam, ergo, &c.

A Antecedens probatur, quoniam condonatio iniurię etiam legibus & iudicum ſententijs pretio æſtimatur, vnde & multi pro illata ſibi iniuria remittenda pretium accipiunt. Nihilominus concluſio D. Tho. certiſſima eſt, ſed intelligenda, non quidem de rebus ſpiritualibus: quoniam illæ vt queſt. 100. definitur nõ poſſunt exigi ratione mutui: ſed intelligenda eſt de rebus temporalibus quarum homo eſt dominus abſolutus, & quæ poſitæ ſunt in beneuolentia & comitate & vrbanitate & dignitate, quæ res digniores ſũt & magis ab hominibus æſtimantur: quàm illæ quæ pecunia & pretio obtineri poſſunt. Veruntamen quoniam huiuſmodi rebus repugnat ratio obligatio
B nis ciuilis: conſequenter in illis non poteſt fieri iniuria, eo quòd ſunt omnino voluntariæ. Vnde patet reſponſio ad primum argumentum. Eſt autem difficile diſſoluere quæſtiunculas quæ tanguntur in arg. 2. & 3. Magiſter Soto vbi ſup. artic. 2. ait, non ſolùm intuitu contrahendæ amicitiæ licitum eſſe mutuare, ſed etiam amicitiæ ſigna in pactum deducere: nam verum amorem impoſſibile eſt pacto acquirere. Fateтur autem circa materiam tertij argumenti, licitum eſſe mutuanti paciſci ratione mutui de condonatio ne iniuriæ quam ipſe mutuator intulit, præſertim antequàm ſit à iudice condemnatus, & citat pro hac ſententia Sylueſt. verbo, vſura. §. 12. & probat: quia
C iure amicitię exhiberi ſolent externa amicitiæ indicia, ergo ex vi mutuationis poſſunt deduci in pactũ huiuſmodi ſigna amicitiæ.

Nota pro huius rei intelligentia, operationes preſertim externas poſſe ordinari ad diuerſos fines, & conſequenter poſſe recipere varias rationes formales à diuerſis finibus & pertinere ad diuerſos habitus etiam elicitiuè. Eſt exemplum. Cantatio ſymboli in Eccleſia. ſecundùm quod refertur ad cultum diuinum pertinet ad virtutem religionis elicitiuè, ſed ſecundùm quòd refertur ad confitendum ore fidem pertinebit elicitiuè ad virtutem fidei. Ad hunc modum dicimus, quòd ſigna beneuolentiæ exteriora,
D ſi referantur ad iuſtitiæ finem & obiectum, ſicut re-
G uera referuntur quando ex pacto exiguntur ratione mutui: tunc pertinent ad iuſtitiam elicitiuè. At verò ſi referantur ad amicitiæ finem & obiectum, ſicut referuntur quando requiruntur ex gratitudine & amicitia, pertinent ad virtutem amicitiæ. Ex hac doctrina patet quid dicendum ſit ad quæſtiunculas propoſitas. Etenim nunquam licet in pactum deducere ratione mutui exteriora amicitiæ ſigna, vel reconciliationem, vel iniuriæ remiſſionem: quia ratione pacti referuntur iſtæ actiones ad iuſtitiæ finẽ, ex iuſtitia verò non licet ratione mutui aliquid vltra ſortem expoſcere. Et hinc patet reſponſio ad argu-
E menta ſupra facta. Amor ſiquidem interior & beneuolentia nullo pacto poteſt referri ad iuſtitiæ finem, ſed neceſſario ad amoris finem: neque enim ſubijcitur aut ſubijci poteſt ille amor neceſſitati aut obligationi ciuili. Cæterum externa illius ſigna referuntur ex pacto ad iuſtitiæ finem, & idcirco iure amicitiæ exhiberi ſolent hæc ſigna ſi relinquantur naturæ ſuę & non referantur ad alium finem. At verò cum ex pacto referuntur ad iuſtitiæ finem induunt aliam naturam, videlicet iuſtitiæ, & tantum retinent materialiter naturam qua ſignificant amicitiam.

Ex prima & ſecunda concluſione colligit in præſentia Caietanus multorum caſuum deciſionẽ quos item reſoluit in ſua ſumma, verbo vſura, & Soto in allegato art. 2.

Primus caſus eſt, ſi mutuator obliget mutuatariũ ratione mutui ad colendum agrum ipſius mutuantis,

is, exhibita tamen iuſta mercede pro operis ſuis. Et itidem eſt, ſi ratione mutui exigat vt veniat ad emendum iuſto pretio in ſua officina, ad molendum in ſuo molendino, ad coquendum in ſuo furno. Hos contractus approbant multi Summiſtæ D. Antoninus. 1. par. tit. 1. cap. 7. §. 10. Summa Roſella & Angelica quos refert Sylueſt. verbo, vſura. 1. §. 7. quos ſequitur Adrianus 4. Sentent. in materia de reſtitutione, tractatu de vſura, fol. 38. qui aſſerit in eadem ſententia eſſe Gregorium Ariminum. Hos tamen contractus reprobant communiter autores. Legatur Sylueſt. Caiet. Soto vbi ſupra. & Ioan. de Medina. C. de reſtitutione, tractatu de vſura, quæſt. de vſura reſtituenda.

Sed pro huius rei intelligentia animaduertẽdum eſt. Contractum iſtum duobus modis celebrari poſſe. Primo modo tãquam mutui contractum, ita vt teneatur is qui pecuniam accipit reddere eam pecunię ſummam ei qui dedit. Secundo modo celebrari poteſt hic contractus tanquàm contractus conductionis & locationis, ita vt qui pecuniam accipit non teneatur ad eam reddendam vllo tempore: ſed tantum ad exhibendas operas ſuas in colendo agro eius qui pecuniam dedit.

His præmiſſis ſit prima concluſio. Si primo modo celebretur contractus tanquàm mutui contractus, vſura eſt manifeſta obligare mutuatarium ad colen
C dum agrum, &c. etiam iuſta mercede, Hæc concluſio eſt contra Adrianum & alios Summiſtas, & probatur manifeſtè. Obligatio ad colendum agrum mutuantis, etiam perſoluta iuſta mercede, eſt pecunia æſtimabilis, ergo non poteſt exigi ratione mutui citra vſuram. Antecedens probatur. Agricola liberat & habebat facultatem ad laborãdum in agro huius vel illius hominis: ergo aſtringere illum ad laborandum in huius hominis agro, pretio æſtimari poteſt, ſiquidem libertas pretio æſtimabilis eſt.

Secunda concluſio. Si celebretur contractus ſecũdo modo: contractus ille eſt iuſtus & ſanctus ſine vla vſuræ labe. Hæc eſt contra Soto vbi ſæpra qui ait,
D non auderem hunc contractum admittere: nam illã
G anticipata ſolutio, mutuatio quædã eſt pecuniæ per operas alterius ſoluendæ: quare obligatio fit ratione mutui. Nihilominus tamen concluſio, probatur, quantùm videtur aperttè. Agricola poteſt locare operas ſuas futuras in æſtate iuſtè: rurſus qui cõducit tales operas futuras, poteſt cõtinuò citra dubiũ ſoluere pretium & anticipare ſolutionem, modò tamen iuſtum pretium ſoluat: & ratione anticipatæ ſolutionis non minuat pretium: ergo iſte contractus locationis & venditionis iuſtiſſimus eſt. Probatur etiam concluſio ſimili quodam. Licet hero conducere famulum qui ſeruiat illi toto anno ſequenti, &
E perſoluere continuò iuſtam illius mercedem anticipata ſolutione, ergo ad eundem modum licebit conducere operas coloni, exhibendas in æſtate aut hyeme. Tertiò probatur. In huiuſmodi contractu ſicuti eſt obligatio ex parte coloni ad exhibendas operas ſuas in miniſterium eius qui pecuniam dedit: ita è contra ex parte pecuniam dantis, eſt obligatio ad nunquam petendam propriam pecuniam; ſed obligatio iuſtò poteſt exigi pro obligatione: ergo iſte contractus eſt ſanctus. Vltimò probatur cõcluſio. Qui dat pecuniã, per huiuſmodi contractum non recipit pretiũ vſus pro pecunia mutuata; ergo non recipit vſuram. Antecedens probatur, ſolum recipit operas coloni agricolæ; at agricolæ operæ ſunt pretium pecuniæ non vſus pecuniæ; ſiquidem agricola nunquam redder pecuniam. ergo &c. Confirmatur. Iniquitas vſuræ hæc eſt, quòd vendatur idem bis, aut vendatur ſemel

A id quod nullo pretio eſt æſtimabile; hæc autẽ iniquitas (ut patet manifeſtè cuique intuenti) longè abeſt ab illo contractu. Ad argumentum autem ſapientiſſimi Magiſtri Soto reſpondetur, negando anticipationem illam ſolutionis eſſe mutuationem pecuniæ per operas alterius ſoluendæ: ſed eſt conductio & redditio pretij operarũ quas agricola exercebit in domini commodum. Itaque per tale pretium redditum, manet obligatus & adſtrictus agricola ad ſoluendum & miniſtrandum & vendidit operas ſuas, actiones & libertatem alteri. Ad eundem modum dicendum eſt in alijs contractibus relatis in principio huius caſus. Illi ſiquidem omnes erunt vſurarii,
B ſi ſint contractus mutuationis; erunt autem iuſti ſi ſint contractus conductionis & locationis emptionis & venditionis. Itaque qui accipit pecuniam non tenetur pecuniam ſoluere, ſed tenetur illam operam exhibere ad quam ſe obligauit. Iuxta iſtum modum, excuſandi ſunt ab vſura multi agricolæ qui bona fide faciunt huiuſmodi contractus.

Secundus caſus ſeu quæſtiuncula præcedenti conuncta eſt, an licitum ſit dare mutuum, ea lege, vt mutuarius conducat pretium ſeu fundum mutuantis?

De qua re ſit prima concluſio. Vſura eſt manifeſta, ſi ratione mutui obligetur mutuatarius ad conducendum agrum ſeu fundum mutuantis. Probatur
C manifeſtè. Talis obligatio eſt pretio æſtimabilis, ergo &c.

Secunda concluſio. Contractus iſte debet haberi ſuſpectus de vſura quocumque modo celebretur; itaque vt plurimum eſt vſurarius. Explicatur concluſio primò. Contractus manifeſte eſt vſurarius quando ratione mutui augetur pretium in fundi conductione & locatione, etenim illud pretij augmentum æſtimabile pretium eſt. Secundò. Vſurarius eſt talis contractus, etiam ſi pretium fundi non augeatur in locatione, quando ſunt pauci coloni qui veniũt fundum conducere; datur autem mutuum, vt mutuatarij locent fundum eodem pretio quo antea locatus fuerat, ad quod pretium alii nolebant accipere, ergo
D in tali contractu euidens ſuſpicio de vſura eſt exiſtimanda. Ratio eſt in promptu: quoniam vt diximus in quæſtione præcedenti, emptorem raritas iuſtè facit res vileſcere, ac ſubinde cum in præſentia ſint pauci conductores agri: pretium iuſtè decreſcit: iniquũ ergo eſt & vſurarium ratione mutui, conſeruare agrum in eodem pretio.

Tertia concluſio. Nihilominus tamen aliquando poterit contractus iſte taliter celebrari vt iuſtus ſit. Primò, iuſtus erit (ſuppoſito ſemel quòd non eſt obligatio ad conducendum) ſi fundi dominus ad viri bo-
E ni arbitrium minuat pretium propter paucitatem cõducentium, vel ſuppleat in re illa aliud pretium. Secundò, ſi iſti contractus bona fide fiant & fundus aliàs locetur pretio iuſto, quoniam cum iam per mutuum agricolæ habeant, vnde poſſint emere boues, & reliqua neceſſaria ad culturam fundi, non eſt tum temporis paucitas colonorum ſeu conducentium: & idcirco iam non minuitur iuſtè fundi pretium hac ratione.

Tertius caſus ſeu quæſtiuncula eſt, an mercator qui obligat mutuatarium vt partem ſaltim vnam mutui recipiat in mercibus, committat vſuram? V.g. ſolent quandoque Principes laborare inopia pecuniæ ad ſoluenda militibus ſtipendia: rogant inſignem quendam mercatorem vt mutuam det illam pecuniam, mercator vero reſpondet ſe partem pecuniæ daturum numeratam, partem vero teneatur Princeps ipſe in mercibus accipere.

Prima concluſio. Contractus iſte mutui vt propo-

ſitus eſt, obligando videlicet mutuatarium ad accipiendam partem in mercibus, eſt vſurarius manifeſtè. Ratio eſt. Obligatio illa ad emendas merces mutuantis etiam credita pecunia, æſtimabilis eſt pretio, ergo &c. Deinde ſolent interuenire in huiuſmodi contractibus aliæ iniquitates, videlicet carius vendunt tales mercatores mutuantes merces ſuas, ex eo quòd vendunt credita pecunia, rurſus petunt à mutuatario lucrum ceſſans cum reuera non eſſet lucrum, ac denique in exemplo poſito cogunt milites emere merces, quibus reuera ipſi milites non indigent & quas continuo milites diuendere debent pretio multò viliori quàm emerint.

Secunda concluſio. Sub forma & re emptionis & venditionis poterit hic contractus iuſtè celebrari ad hunc modum. Accedit mutuatarius ad petendum mutuum à mercatore celebri, mercator reſpondet ſe nolle mutuum dare, eſſe tamen paratum ad vendendas merces quas habet domi ſuæ venditioni expoſitas, quibus mercibus ipſe mutuatarius poterit ſuæ ſubuenire neceſſitati. Dico igitur, Quod ſi talis contractus bona fide fiat non animo palliandi vſuram, & aliæ merces vendantur iuſto pretio quòd licitus eſt. Secundò. Demus quòd mercator iſte non habeat alias pecunias quas poſſet mutuas dare petenti mutuum, nemo certè condemnaret talem contractum in quo venderet quas habet merces, ergo &c. Probatur, quoniam impertinens eſt omnino ad iuſtitiam talis contractus, quòd mercator habeat vel non habeat pecunias quas poſſit mutuas dare. Denique probatur. Si nunquàm petitum eſſet mutuum ab iſto mercatore, ſed à principio is qui indiget peteret, vt mercator venderet illi merces; citra dubium venditio celebrata ad modum ſuprà dictum erit iuſta, ergo etiam ſi petierit mutuum, mercator verò recuſauerit mutuum dare & ambo conuenerint in emptione & venditione mutui non erit iniuſtus talis contractus. Sed contra hanc ſecundam concluſionem ſunt duo argumenta. Primum. Emptor qui emit tales merces cogitur continuò eas vendere viliori pretio; ergo fit illi iniuria per talem contractum. Secundò. Sequeretur, quòd ille mercator qui vendit merces mille. verbi gratia aureis, poſſit continuò ſtatim à celebratione contractus, emere rurſus merces eaſdem ab eodem emptore nongentis aureis; Conſequens eſt approbare peſtilentiſſimum genus contractus, quod à noſtris dicitur *mohatras, o baratas*, ergo.

Ad primum reſpondetur. Interuenire fortaſſe poſſe quandoque in huiuſmodi contractu vitium contra charitatem; vt ſi mercator poſſit mutuum da re nolit tamen ſed vendere merces, quas continuò cogitur emptor ipſe diuendere viliori pretio. Cæterum nulla eſt iniuria contra iuſtitiam; (etenim vti vidimus quæſtione præcedenti) propter vendendi modum, iuſtè diminuitur pretium in mercibus vltroneis: & idcirco illud vilius pretium in quo emptor in noſtro caſu vendit poſtea illas merces; eſt iuſtum illarum pretium. Eſt ſimile. Accedit quiſpiam ad petendam veſtem commodatam ab altero, tamen ille alter non vult commodare ſed vendere, qui autem petit commodatam veſtem non habet pecunias quibus emat ſed accipit eas ad vſuras ab alio quopiam vt emat veſtem, citra dubium non peccat contra iuſtitiam is qui vendit veſtem & noluit commodare: quanuis daremus quòd interdum peccaret contra charitatem.

Ad ſecundum reſpondetur primò, quòd ſi mercator iſte à principio vendidit merces cum pacto emendi rurſus eaſdem viliori pretio: talis contractus eſt peſtiferus reipublicæ qui dicitur *mohatra* & illi dicuntur *mohatreros y barateros*. Reſpondetur ſecundò. Quòd ſi mercator ille bona fide (quæ vt plurimum non interuenit) vendidit merces ſuas, ignarus omnino voluntatis eius qui emit; poſtea vero videns quòd qui emit ab eo merces procurat eas diuendere emit eas iuſto pretio, ſicuti ſi venderentur in publica auctione: talis contractus erit iuſtus, etiam ſi pretio emat viliori, ſunt enim illæ merces vltroneæ. Ex horum caſuum reſolutione, licet ſimilium caſuum reſolutionem colligere.

Tertia concluſio. Si mutuatarius non obligatur ad recipiendam mutui partem in mercibus, ſed tantum dicat mutuator, vellem vt partem in mercibus reciperes: non video vſuræ rationem, modò tamen merces venditæ ſint vſui futuræ mutuatario & vendantur iuſto pretio. Probatur. In tali contractu non exigitur aliqua obligatio neque res æſtimabilis pretio ratione mutui; & aliàs nulla eſt iniquitas in emptione & venditione mercium: ergo talis contractus eſt iuſtus.

Iam verò in reſponſione ad primum definit D. Thom. quid ſentiendum ſit de duobus titulis qui prætendi ſolent ad accipiendum aliquid pro mutuo. Primus eſt damnum emergens: ſecundus lucrum ceſſans. Et proinde ſtatuit duas concluſiones.

Prima concluſio. Qui mutuum dat poteſt abſque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit, recompenſationem damni emergentis per quod ſubtrahitur illi aliquid quod debet habere.

Secunda concluſio. Lucrum ceſſans non poteſt mutuator in pactum deducere. Explicatur prima concluſio. Damnum emergens eſt detrimentum quod mutuator ſolius mutuationis cauſa incurrit. Sit exemplum. verbi gratia habet quis paratam pecuniam ad reparandam domum quæ minatur ruinam, ſi autem det illam pecuniam mutuam petenti ruet domus, quæ poſtea non poterit niſi maiori pecuniæ ſumma reædificari; illud detrimentum maioris ſummæ pecuniæ conſumendæ in ædificatione, dicitur damnum emergens. Item, ſi quis accipiat ad vſuras pecuniam quæ illi mutuo petitur; poterit vſuras illas ratione damni emergentis petere. Item, ſi mercator cogitur viliori pretio merces ſuas vendere ad congregandam eam pecuniæ ſummam quæ illi mutua petitur: poterit illud detrimentum quod ex venditione illa viliori pretio facta incurrit, in pactum ducere.

Cæterùm huic concluſioni adhibetur quædam moderatio neceſſaria, videlicet ſi mutuator moneat mutuatarium, ſe incurrere illud detrimentum ex mutuatione. Itaque ſciens & prudens mutuatarius faciat pactum cum mutuante & velit detrimentum illud pati, ne mutuans illud patiatur, aliàs ſi iſta admonitio non præcedat, mutuatarius erit rationabiliter inuitus. Neque tamen neceſſarium eſt, quòd qui dat mutuum rogetur: quia licet hoc frequenter accidat, tamen ſi amicus amico indigenti ſua ſponte offerat mutuum, poterit iuſtè damnum emergens petere. Eſt autem vera concluſio: ſiue damnum emergens ſit à principio mutuationis, ſiue poſtea quando mutuatarius eſt in mora ſoluendi. Concluſio itaque ad hunc modum explicata habetur in iure & aſſeritur à Theologis vniuerſis & Iuriſperitis. Et ratio D. Tho. eſt demonſtratio

ſtratio. Etenim iuſtum eſt, vt nemo detrimentum incurrat ex beneficio quod alteri faciat. Item probatur. Quia fideiuſſor poteſt in pactum deducere detrimentum quod ex fideiuſſione incurrit, vt habetur in cap. peruenit de fideiuſſionibus, ergo mutuator, &c. Denique, venditor poteſt vendere cariùs quàm res ſecundùm ſe valeat, quando ex venditione incurrit detrimentum, dummodo admoneat emptorem illius detrimenti, vt quæſtione præcedenti articul. 1. diximus; ergo multò magis mutuator.

Circa ſecundam vero concluſionem D. Thom. de lucro ceſſante: ſunt aliqua certa apud omnes doctores, aliquid vero dubium.

PRO cuius intelligentia nota primò. Lucrum ceſſare quando cauſa mutuationis, mutuator non negociatur cum pecunia vnde non lucrifacit quod erat lucrifacturus. Nota ſecundò. Pecuniam habere duplicem potentiam ad lucrifaciendum. Altera eſt remota quæ conſequitur omnem pecuniam, quæ ex natura ſua eſt inſtrumentum ad lucrifaciendum, emendo & negociando: altera potentia eſt propinqua & quaſi artificialis, quam non habet pecunia ex natura ſua, ſed ex induſtria negociantis, quando vel iam eſt expoſita negociationi, vel parata eſt vt exponatur. Vt verbi gratia frumentum in horreo habet potentiam naturalem & remotam quæ conſequitur omne frumentum ad fructificandum; ſed quando iam ſeminatur vel paratur vt ſeminetur habet potentiam proximam & quaſi artificialem propter induſtriam agricolæ ad fructificandum. Hoc ſimile habet Caietanus hic. Nota tertiò. Duobus modis poſſe aliquem aut illius pecuniam impediri à lucro. Vno modo contra voluntatem domini, vt cum Princeps vel reſpublica compellit ciuem vt mutuet pecuniam: vel quando mutuatarius eſt in mora ſoluendi, vel quando fur pecuniam paratam ad negociandum ſurripit. Secundo modo impeditur lucrum ex voluntate domini pecuniæ; & hoc Dupliciter, vel cum procurat proprium commodum ipſe dominus, vt quando ipſe ſponte ſua pecuniam transfert à negotiatione ad mutuum: quia vult habere ſaluum capitale: altero modo, quia vult beneficium facere alteri rogatus ab illo.

Sit prima concluſio. Quando potentia tantum eſt remota & naturalis in pecunia ad lucri faciendũ, ſiue tale lucrum ceſſet contra voluntate ſiue ex voluntate domini, non poteſt dominus aliquid vltra ſortem recipere ratione lucri ceſſantis. Probatur. Quia ſi ratione huius potentiæ poſſet recipere aliquid vltra ſortem, ſequeretur licitum eſſe in omni mutuo aliquid accipere, & per conſequens licita eſſet vſura. Probatur ſequela. Quia talis potentia eſt inſeparabilis à pecunia. Et confirmatur exemplo. Frumentum non poteſt æſtimari maiori pretio ratione potentiæ naturalis & communis omni frumento, ergo nec pecunia. Conſequentia patet: quia pecunia multò minùs fructifera eſt quam frumentum. Vnde ſequitur corollarium, quod fur qui accipit huiuſmodi pecunias, ſatisfacit reddendo illas. Item ſequitur, magnates & qui non ſunt negociatores non poſſe exigere ratione lucri ceſſantis aliquid ex mutuo.

Secunda concluſio. Si aliquis ſua ſponte propter commodum proprium transferat ſuam pecuniam à negociatione ad mutuum, non poteſt exigere lucrum ceſſans. Hæc concluſio eſt conſequens ad primam & probatur, quia in tali caſu pecunia amittit iam potentiam proximam & artificialem ad lucrifaciendum, & remanet tantum cum naturali potentia & remota, & hoc ex voluntate domini propter ſuum commodum maius, & ſecurius, ergo &c. Item probatur à ſimili. Nam ſi quis frumentum quod parauerat ad ſeminandum, poſtea ſua ſponte & propter ſuum commodum velit vendere, non poteſt exigere maius pretium quàm ſecundum ſe valeat. Et denique probatur. Quia quanuis venditor aliquis poſſet res ſibi magis commodas & vtiles quàm aliis, cariori pretio vendere rogatus; tamen ſi inopia coactus procurans ſuum commodum eas vendat, non poteſt amplius pretium pro illis recipere quàm ſecundum ſe æſtimentur; ergo nec mutuator, &c. Vnde ſequitur corollarium quod ſunt vſurarij ſæpe illi qui cum Rege faciunt contractus, quos dicunt (*aſſientos*) quia ſæpe iſti ſuum tantùm commodum procurantes, voluntariè transferunt pecuniam à negociatione ad mutuum: quia magis lucrantur mutuando regi vno anno: quàm quinque negociando. Item vſurarij ſunt quidam mercatores, quia Rege & magnatibus vel aliis exigunt lucrum ceſſans, eo quòd rex vel magnates ſunt in mora ſoluendi merces quas emerunt ab illis. Ratio huius eſt: quoniam iiti mercatores à principio venditioni optimè nouerant, quòd iiti viri illuſtres ſunt in mora ſoluendi, & nihilominus propter ſuũ commodum libenter vendiderunt illis merces ſuas: quoniam aliàs non poterant tantam copiam mercium vendere, & ideo reuera nullum lucrum illis ceſſat: ſed potius ſequitur commodum ex ciuſmodi venditione, quanuis quidam emptores ſint in more ſoluendi. Nihilo minus ſi iſta ſoluendi mora ſit illis reuera perniciosa & à principio venditionis cognita, licitum erit aliquid exigere ratione lucri ceſſantis.

Tertia concluſio. Quando pecunia erat in potentia proxima ad lucrandum & impeditur lucrum contra voluntatem domini: iuſtè poterit exigere lucrum ceſſans, imo qui impedit tenetur in foro conſcientiæ antequam petatur reddere lucrum ceſſans. Probatur concluſio primò. Quia pecunia quæ eſt in potentia proxima ad lucrum, plus valet domino ſuo ratione ſuæ potentiæ: quam valeat ſecundum ſe abſolutè; ergo illam maiorem vtilitatem poterit dominus illius in pactum deducere & exigere. Deinde probatur concluſio ex communi regula. cap. finalis de iniuriis. ſi tua culpa damnum datum eſt, vel irrogata iniuria, iure te ſuper his ſatisfacere oportet. Sed in caſu poſito culpa vel cauſa illius qui contra voluntatem domini accipit pecunias damnum emergit, ſcilicet quod ceſſat illa potentia proxima pecuniæ: ergo tenetur ſatisfacere. Confirmatur & oſtendo, quod non ſolum habeat verum concluſio, quando à principio mutuationis impeditur voluntas domini: ſed etiam quando impeditur poſtea ratione moræ in ſoluendo. Sunt enim expreſſæ leges quæ hoc definiunt in. l. ſocium. ff. pro ſocio. & in. l. cum quidam. ff. de vſuris. & in. l. vſuras. C. eodem titulo. Prædictæ tres concluſiones aſſeruntur ab omnibus Iuriſperitis & Theologis.

DVBIV M tamen difficile eſt, an negociator qui rogatus à mutuatario remouet voluntariè pecuniam ſuam à negotiatione vt det mutuum petenti & faciat illi beneficium: poſſit iuſtè exigere lucrum ceſſans?

Arguitur primo pro parte affirmatiua. Licitũ eſt vt diximus mutuanti, exigere dãnum emergens, ergo & lucrum ceſſans. Probatur conſequentia. Quia in caſu poſito lucri ceſſatio eſt dãnũ emergens: ſiquidẽ aufertur à mutuãte aliquid quod deberet ipſe habere.

Baſies de Iuſtitia.

Arguitur secundo & confirmatur. Quia pecunia cum potentia proxima ad lucrum pluris æstimatur, quam sine illa, & est magis commoda domino negociatori, quam alijs; sed mutuatarius est causa moralis rogans & solicitans, vt sibi mutuetur pecunia, quod illa potentia pecuniæ impediatur, & quod non valeat tantum domino suo: ergo dominus iustè exigit lucrum cessans. Maior explicatur. Nam sicut frumentum terræ mandatum plus valet quam alias valeret: ita mille aurei expositi bonæ negociationi: plus valent quam mille aurei absolutè. Probatur minor, quia charitas proximi, & illius commodum mouent negociatorem, vt mutuet roganti. Consequentia probatur, quia vnicuique licitum est deducere in pactum, id quod res mutuata sibi valet.

Arguitur tertiò. Licitum est recipere lucrum cessans post moram debitoris in soluendo; sed pecunia negociationi exposita tam vtilis erat domino à principio mutuationis quàm post moram soluendi: ergo eadem est ratio.

Denique licitum est venditori carius vendere res quas erat seruaturus in aliud tempus in quo pluris erant æstimandæ, vt patet ex capitu. Nauiganti. de vsuris; ergo licitum erit mutuatori in casu posito exigere lucrum cessans. Probatur consequentia; quia sicut véditori qui erat seruaturus merces suas, cessat lucrum quod expectat, si nunc pecunias mutuanti absolutè secundum proprium valorem nulla habita ratione ad potentiam proximam quam habeat ad lucrum; & quemadmodum venditor voluntariè vendit licet rogatus & efflagitatus: ita etiam mutuator voluntariè mutuat rogatus; ergo eadem est ratio.

Sed in oppositum est, quòd legibus ciuilibus, & Ecclesiasticis decernitur, quòd ratione moræ in soluendo licitum est mutuatori exigere lucrum cessans sibi; At vero si licitum esset à principio mutuationis pacisci de lucro cessanti iam eisdem legibus esset explicatum; sed nullibi hoc explicatur, ergo non est licitum. Præterea D. Thom. in hoc articulo ad primum argumentum expressè distinguit inter damnum emergens & lucrum cessans, & dicit, quòd damnum emergens licitum est exigere non autem lucrum cessans: quia hoc est in potentia & pluribus modis potest impediri. Idem sentit etiam Scot. in quarta distinct. 15. quæst. secunda, & Durand. 3. sentén. distin. 37. quæst. secunda, & Innocen. & Ioan. Andr. in cap. Nauiganti de vsuris. Denique omnes antiqui Doctores videntur esse huius sententiæ: ita vt Adrian. dicat oppositam sententiam esse modernorum.

Secundò arguitur. Lucrum alicui cessare nihil aliud videtur esse, quàm ipsum cohiberi à suo lucro; sed quando nulla vis, nullus metus, nulla denique ignorantia interuenit, sed solùm modò preces mutuatarij pecuniæ dominum inducunt ad mutuandũ non prohibetur ipse dominus à suo lucro: ergo ibi non est verè lucrum cessans. Probatur minor: quia nemo cohibetur nisi quando eius voluntas aliquo modo impeditur ab executione, vel accusatione alicuius boni, & tunc dicitur ille homo inuolũtarius; at verò inuoluntarium sola vis aut metus aut ignorantia causat, vt ait Aristot. 2. ethic. ergo.

Tertiò arguitur & confirmatur. Qui solis precibus mutuatarij inductus dat mutuò pecuniã suam, tenetur sequi naturam mutuationis; sed natura mutuationis est, quòd secundum propriam rationem intrinsecam nihil vltra sortem exigatur: ergo non est licitum pacisci de lucro cessante, si mutuat verè pecunias. Confirmatur. Quoniam aliàs si licitum est exigere lucrum cessans, liceret etiam exigere aliquid pro obligatione non reperendi tam cito pecuniam mutuatam: quoniam ista obligatio includitur etiam in ratione mutui.

Quartò. Qui procurans proprium commodum dat mutuò, non potest exigere lucrum cessans, vt dictum est in secunda conclusione: at verò idem videtur esse procurare commodum amici atque proprium commodum: ergo neque tunc licitum erit exigere lucrum cessans. Confirmatur. Si mutuator in gratiam Pauli mutuaret Petro pecunias, non poterat exigere à Petro lucrum cessans; ergo neque si id faciat in gratiam Petri: quoniam vterque proximus est. Confirmatur secundò. Pro alterius ementis commodo non licet pretium aliquod accipere pro re quæ est valde vtilis eméti, vt docet D. Tho. quæst. præced. articulo primo ergo neque pro commodo mutuatarii. Denique arguitur. Sequeretur ex opposita sententia, quòd licitum esset negociatori diligenter quærere mutuatarios quibus mutuet pecuniam exigendo ab illis lucrum cessans. Probatur consequentia; quoniam vnusquisque licitè quærit emptorem rei suæ quæ pretio æstimabilis est; ergo si lucrum cessans est pretio æstimabile licitum erit negotiatori quærere emptorem. Pro ista sententia negatiua habemus Magistrum Soto libro sexto, de iustitia, & iure quest. prima, articulo tertio, in tertia, & quarta conclusione. vbi ait, sententiam affirmatiua esse minùs probabilem & aperire fenestram plurimis vsuris. Nihilominus sententia affirmatiua communis est Iurisperitis omnibus in cap. Salubriter. & in cap. Conquæstus de vsuris: exceptis paucis quibusdam. Videatur Couarruuias libro tertio, Variarum resol. capitulo quarto, numero primo, & quinto. Nauarro etiam in Comment. suprà cap. secundo 14. quæst. 3. numero 47. & sequentibus. Est etiam communis omnibus Theologis in 4. distinct. 15. & Summistis in verbo vsura, videatur Conradus de cõtractibus quæst. 80. & Adrianus in quarta, in materia de restitutione, speciali quæstione de hac re, & Ioan. de Medina in 6. de restitutione in titulo de vsuris, Caietanus in isto Commentario super hunc articulum. Hæc sententia communis fuit nostris præceptoribus qui nos antecesserunt: solus Magister Soto est singularis in hac sententia. Imò ipse ait vbi suprà, nõ mihi tantum arrogo, vt primus opinionem illam, scilicet affirmatiuam prorsus refellam. Neque vero D. Thom. in presenti art. in solut. ad 1. tenet partem negatiuam sed duo discrimina, intendit statuere, inter damnum emergens & lucrum cessans. Primũ est quòd damnum emergens semper est licitum exigere quoties aliquis dat mutuum absque aliqua suspitione. At verò lucrũ cessans exigere à principio mutuationis ratiò licitum est, cũ omnibus suis circunstãtiis, & semper habet suspitionem vsuræ. Secundum est, quòd damnum emergens licitum est exigere tantum quantum sonat; at verò lucrum cessans non licet exigere totum quod speratur. Quod probat D. Thom. quia lucrum cessans multis viis impediri potest. Neque etiam Scotus & Durandus sequuntur illam partem negatiuam si attente legantur in locis citatis. Cæterũ partẽ affirmatiuã quam nos sequimur probant argumenta quæ fecimus in principio dubij.

Deinde hæc pars videtur virtualiter definita in multis legibus. Verbi gratia in l. atqui natura. §. non tantum. ff. de negotiis gestis. & in l. 3. §. finali. ff. de eo qui certo loco. Præterea. Vt inducebamus in vltimo argumento pro parte affirmatiua, videtur etiam definita in capitulo nauiganti. de vsuris.

Notan-

Notandum tamen est, quòd aliqui viri docti, vt iustificent prædictum contractum de lucro cessanti distinguunt in prædicto contractu duos contractus virtualiter contineri. Alter est contractus mutuationis, per quem mutuator dat pecuniam suam mutuatario reddendam integram & saluam: alter est emptionis, & venditionis per quem ipse mutuator qui negotiabatur cum sua pecunia, vel paratus erat negotiari: vendit mutuatario cessationem à negotio lucrifactiuo propter commodum ipsius mutuatarij, qui reputat sibi esse valde vtile, quòd negotiator cesset ab illo negotio dummodo mutuet sibi pecunias. Et quanuis in isto casu coniungantur isti duo contractus: per accidens tamen, poterunt omnino separari aliquando & seorsum celebrari. Vt verbi gratia si Petrus reputet sibi commodum quòd Paulus cesset ab aliqua negotiatione, vel quia ipse vult negotiari, vel alius amicus eius, aut alia ratione, etiam si Petrus non mutuet sibi pecunias: tunc in tali casu ille qui cessat à negotiatione lucrifactiua potest vendere illam cessationẽ. Nunc igitur probant prædictã sententiam. Quanuis enim in casu nostri dubij coniungantur illi duo contractus mutuationis, & venditionis: tamen vterque iustus est, quia ratione mutuationis nihil pretij exigit mutuator, at vero ratione venditionis exigit pretium iustum quo æstimabatur illa cessatio à negotio lucrifactiuo. Sed tamen quanuis ista consideratio videatur conueniens ad confirmationem prædictæ sententiæ: tamen communior est quam oporteat, etenim licitum est cuicunque pro cessatione ab aliqua actione sibi licita, & placita pretium accipere. Vt verbi gratia pro eo quod cesset ire in campum rogatu amici, potest pretium accipere: at verò in casu nostri dubij aliquid est specialius quod videtur generare scrupulum; etenim mutuatarius non dat pretium vt mutuator duntaxat cesset à negotiando: sed per se primò & principaliter dat propter illum finem, vt mutet sibi pecunias, ergo videtur, quòd in tali casu ratione mutui dat pretium. Quapropter optima ratio, & specialis prædictæ sententiæ affirmatiuæ ea est videlicet, quòd mutuator iustè accipit pretium pro lucro verè cessante dum mutuat & vt mutuet pecunias alteri vtiles. Et hic titulus est sufficientissimus: quia reducitur ad damnum emergens, eo quòd mutuator vt faciat alteri beneficium rogatu illius, minus habet quam deberet habere in bonis suis: quod quidem est damnum emergens. Neque valet respondere, quòd nondum habebat lucrum in actu. Quia habebat potentiam proximam ad lucrum: qua priuatur ut mutuet alteri pecunias. Cæterùm quia ille titulus lucri cessantis est pallium multarum vsurarum vt aduertit Magister Soto: idcirco oportet Theologum esse diligentem in examinando, an verè sit lucrum cessans propter commodum mutuatarij. Debet itaque primò examinare negotiatorem, an tempore contractus haberet alias pecunias quibus posset si vellet negotiari, etiam post factum iam contractum. Etenim in tali casu, non cessat illi lucrum causa mutuationis, sed voluntate propria: quia vult alias pecunias domi retinere neque exponere periculo negotiandi. Est optimum simile, siquis habeat domi frumenti copiam cuius partem præparauerat ad seminandum, partem verò retineat domi ad vendendum: tunc si accedat quis ad emendum frumentum ab illo, non potest frumenti partem quam parauerat ad seminandum catiùs vendere ratione lucri cessantis: eo quòd habet aliud triticum, quod potest seminare si velit. Secundò debet aduertere Theologus ex parte mutuatoris, quòd animus illius negotiandi cum pecunia quam dat mutuo, debet perseuerare toto tempore mutui: quoniam eo momento temporis quo animus negotiandi erat interrumpendus: iam non cessat lucrum causa mutuationis, neque ipse mutuatarius est causa impediendi lucrum, sed voluntas potius mutuatoris: & ideò si à principio mutui habebat mutuator animũ negotiandi per dimidium annum, non poterit postea exigere lucrum cessans pro toto anno pro quo mutuat. Debet tertiò aduertere Theologus, quòd mutuator propter mutuatarij commodum remoueat pecunias à negociatione; etenim si commodum mutuatarij non sit causa, quòd remoueat: iam non cessat lucrum ratione mutuationis. Obserua tamen, quod non exigitur hic quod illud commodum mutuatarij, sit reuera commodum vtilitatis: sed sufficit, quòd ipse mutuatarius existimet sibi esse commodum & conueniens, vnde si velit illas pecunias ad prodige expendendum in ludis & luxurijs, nihilominus mutuator poterit exigere lucrum cessans, & non peccabit contra iustitiam mutuando, in illo casu: poterit tamen peccare contra charitatem, iuxta regulas fraternæ correctionis: de quibus multa diximus secunda secundę quæstione 33. & suprà quæstione præcedenti, de his qui vendunt ea quibus male vsuri sunt emptores. Obseruandum etiam est, quòd non requiritur, quòd ipse negotiator optaret magis negotiari cum sua pecunia, quàm mutuò illam dare; etenim charitatis est erga proximum procurare magis mutuatarij commodum quàm lucrũ ex propria negotiatione: sed satis est ad iustificandam mutuationem, quòd mutuator reuera negotiaturus erat & prudenter expectabat lucrum ex sua negociatione, toto illo tempore mutui, nisi commodum mutuatarij impediret suam negociationem. Itaque non ampliùs quærimus mutuatarij commodum, ad mutuandum illi, exigendo lucrum cessans: quam requiratur in contractu in quo exigitur damnum emergens.

Denique ad iudicandum sit ne iusta quantitas, quæ exigitur ratione lucri cessantis: erit Theologo talis regula. Nunquam debet exigi totum lucrum cessans. Ratio est: quia non æstimatur res tanti quando est in potentia quanti æstimatur dum iam est in actu; sed lucrum quod cessat mutuationis causa est tantum in potentia, quando celebratur mutuatio: ergo non debet exigi totum lucrum cessans. De qua re diximus suprà quæstione sexagesimasecunda, articulo quarto. Ex qua doctrina colligimus hic, duobus modis posse fieri contentionem de lucro cessante. Prior est frequentissimus & valde iustificatus, si expectetur euentus aliorum negotiatorum, eodem genere negociationis, eodem tempore & loco, & tunc persoluatur tanta quantitas pecuniæ proportionabiliter ad lucrum aliorum. Alter modus est, si contingat quòd statim ad arbitrium boni viri, & prudentis in negociatione, taxetur una certa quantitas reddenda mutuatori pro lucro cessante, sed tamen debet fieri deductis expensis & attentis periculis, quibus exposita est negociatio; etenim ratione istorum minùs habet res in potentia, quàm si iam esset extra omnem fortunam. Fatemur tamen, quòd non sunt inde deducendi labores ipsius negotiatoris, & operæ & industriæ: quoniam si mutuator non adhibet tales operas & industrias, hoc prouenit ex parte mutuatarij impedientis negociationem illam: & ideo poterit vendere proprium otium damnificatiuum rei familiaris.

Denique poterunt aliqui meritò aduertere, quòd illam quantitatem lucri cessantis non potest exigere mutuator statim à principio mutuationis redden dam. Verbi gratia, si lucrum æstimetur 10. aureis quos lucrifacturus erat negotiator pecunia data mu tuatario; tunc si continuo mutuatarius redderet mutuanti 10. aureos non cessaret mutuanti lucrum totius pecuniæ. Verbi gratia non cessaret illi lucrũ ex centum aureis sed ex nonaginta. Verumtamen est, quòd si cum illis decem non potest negotiari & mutuatarius voluntariè reddit statim decem aureos, illos poterit mutuator accipere.

Ex dictis colligitur corollarium, scilicet, quomo do debeant intelligi iudicum sententiæ, quæ solent aliquando imponere mulctam pecuniariam debito ribus propter soluendi moram. Duplici enim ratio ne possunt hæ sententiæ iustificari; prior quidem in pœnam propter culpam commissam à debitore in mora soluendi, & talis pœna non obligat in foro conscientiæ ante condemnationem, & executio nem sententiæ, bene tamen postea. Altera ratio est aliquando, quia iudex æstimat propter moram solu endi cessauisse creditori aliquod lucrum, & tunc si reuera cessauit lucrum creditori, tenebatur debi tor in foro conscientiæ reddere lucrum cessans, etiã ante sententiam iudicis. At vero si non cessauerat lucrum, non tenebitur reddere etiam post senten tiam iudicis: quia illa fundatur in falsa præsump tione.

Ad argumenta pro parte negatiua respondetur. Ad primum respondetur, quòd argumentum quod fit ab autoritate negatiua infirmum est. Sed nihilo minus secundò respondetur, quòd iam ostendi mus iure Ciuili & Canonico definitam esse no stram sententiam, maximè verò quòd iure naturæ ostendebatur, quòd sit eadem ratio de lucro cessan te, & damno emergente.

Ad reliqua vero argumenta respondetur primò vnica solutione, quòd omnia illa necessario sunt soluenda, ab his qui sequuntur partem negatiuam. omnes enim illi affirmant, quod ratione damni e mergentis licitum est pretium accipere: affirmant etiam licitum esse vendere rem cariori pretio quam de præsenti valeat propter detrimentum quod pati tur venditor qui seruaturus erat illam in aliud tem pus vendendam: at verò argumenta illa facta pari ter procedunt contra istas affirmationes atque con tra nostram sententiam.

Sed nihilominus respondetur ad omnia illa si gillatim.

Ad secũdum iam explicuimus sensum Diui Tho mæ, dum facit differentiam in solutione ad primũ, inter lucrum cessans & damnum emergens.

Ad tertium respondetur, licitum esse vnicuique vendere voluntariè suum lucrum & suum commo dum; quod si videatur necessarium, quòd in prædi cto casu debeat esse aliquid inuoluntarij ex parte mu tuatoris: respondetur, quòd satis est quædam mo ralis coactio, quam inducit commodum proximi, & vtilitas quæ compellit ex debito honestatis succur rere proximo ne patiatur detrimentum, dummodo etiam ipse mutuator seruet se indemnem.

Ad quartum argumentum respondetur, quòd is qui dat mutuum, tenetur ex necessitate subire pe riculum & detrimentum quod per se ex natura mu tuationis consequitur; verbi gratia tenetur qui mu tuat non repetere mutuatum pro toto tempore quo mutuauit. Cæterum non tenetur etiam si volun tariè mutuet, subire detrimenta quæ per accidens coniunguntur cum mutuo, cuiusmodi est lucrum cessans & damnum emergens. Sicut qui rem spi ritualem dat alteri, tenetur etiam ex necessitate da re gratis omnes operas necessarias p se ad exequutio nem rei spiritualis. Verbi gratia Episcopus tenetur non solum gratis consecrare sacerdotem, sed etiam gratis impendere laborem necessariò coniunctum cum illa consecratione, & sacerdos tenetur gratis offerre sacrificium & impendere laborem per se ne cessarium ad celebrationem Missæ: cęterũ non te nebitur gratis peragere inter trium milliarium, ad celebrandam Missam.

Ad confirmationem respondetur, quòd mutua tor obligatur per se expectare aliquod tempus ad re cuperandum mutuum.

Ad quintum respondetur, quòd procurare com modum ipsius mutuatarij, non est procurare pro prium commodum vtile, sed potius acquirit sibi ho norem & gratiam & laudem pro bono opere: at ve rò non tenetur ex iustitia pati damnum in tempora libus, ut alteri sit beneficus. At vero quando mu tuat Petro duntaxat in gratiam Pauli, scilicet vt con ciliet sibi gratum Paulum & fauorem eius, non po terit lucrum cessans exigere à Petro, nisi quãdo ipse Paulus petierit mutuum propter commodum Petri, cum illa tamen conditione ut Petrus soluat lucrum cessans, vel damnum emergens. At vero si mutua tor anticipatiuè procurabat sibi fauorem Pauli, sibi que maximè commodum: non poterit postea na ctus illam occasionem, exigere à Petro mutuatario lucrum cessans, vel damnum emergens; tunc nanq; reuera mutuat propter proprium commodum & non propter commodum mutuatarij.

Ad confirmationem respondetur, quòd ille mu tuator non accipit pretium pro mutuatione neque pro commodo mutuatarij, sed pro suo proprio in commodo aut detrimento lucri cessantis.

Ad sextum & vltimum argumentum respondet tur, quòd quando res venditur cariùs quam secun dùm se valeat propter detrimentum quod incurrit venditor: tunc iustè exigitur pretium propter dam num emergens, aut lucrum cessans. At vero quan do ipse uenditor vel mutuator quærit solicitè aliqué qui emat, aut accipiat mutuum: est vehemens indi cium & argumentum, quòd animus eius est vsura rius: & idcirco vt in plurimum huiusmodi contra ctus sunt vsurarij, & vt sic sunt condemnandi. Ni hilominùs aliquando licitum erit, ut si quis cogno uerit amici inopiam & necessitatem cui ex animo vult succurrere: præuenire illum vltrò, & offerre mutuum exigendo lucrum cessans. Ratio huius est, quoniam in tali casu, amici commodum, causa est remouendi pecuniam à negociatione: imò vero pos sumus dicere, quòd necessitas amici virtualiter cla mat, & rogat, sibi dari mutuum propter maximum commodum, quod inde acquirit sibi & cõsequitur.

Deinceps circa doctrinam D. Thomæ in solutio nibus ad secundum, tertium, & quartum argumen tum: duæ conclusiones sunt notandæ. Prima con clusio est. Vsura est obligare mutuatarium ex iusti tiæ debito ad compẽsandum beneficium, etiam pro illo tẽpore quo ipse mutuatarius tenebatur compẽ sare ex gratitudine. Sit exemplum. Si mutuat quis al teri pecuniam obligando illum vt remutuet in poste rum, uel ꝙ pro se intercedat apud Regẽ, aut Iudicẽ, aut Magnatẽ. Hæc conclusio manifesta est apud D. Tho. ad secundũ argumentũ, quo intẽdebat non esse illicitã talem obligationẽ siquidem mutuatarius te nebatur naturali iure ad illud opus, & respõdet obli gari quidem posse mutuatariũ ad hoc ipsum, non tã ex iustitiæ debito: quoniam tali debito amicitię repu gnat

gnat ciuilis obligatio, eo quòd inducit quandam necessitatem, amicitia vero debet esse maximè spon tanea. Ita intelligit Caietanus Diui Thomæ, in hoc loco. Deinde probatur conclusio ratione D. Thomæ. Quodlibet beneficium quale est fauere inopi apud Regem aut Iudicem, & qualis est obli gatio ad remutuandum in posterum, est pecunia æstimabile, ergo non potest ex iustitiæ debito de duci in pactum ratione mutui, etiam pro illo tem pore quando tenetur aliàs mutuatarius remutuare ex gratitudine, vel ex charitate. Denique proba tur. Si quando aliquis ex charitatis, vel gratitudi nis præcepto tenetur benefacere non benefacit. Ver bi gratia non intercedat apud Regem, non remu tuet: tunc non tenetur ad restitutionem damni qd consequutum est ex omissione benefaciendi: at ve ro si ex obligatione ciuili & iustitiæ debito tenere tur ad illud opus obligaretur consequenter ad resti tutionem totius damni consequuti ex illa omissio ne: ergo magnam obligationem inducit & pecu nia maximè æstimabilem, qui obligat alterum ad benefaciendum ex iustitiæ debito, etiam pro illo tempore quo ipse tenebatur ex charitate aut ex gra titudine.

Secunda conclusio quæ apertè sequitur ex dictis. Talis obligatio ad remutuandum in futuro tempo re, siue ad intercedendum apud Principem, vendi bilis est & licitè potest vendi. Sed est obseruandum, quòd sub hac specie & ratione solent mercatores & negotiatores palliare vsuras: dicunt enim se am plius recipere non ratione mutui: sed quia se obli gant ad remutuandum in futuro tempore. Verum tamen quia exigunt ingens pretium pro ista obliga tione ad remutuandum: signum est certum, quòd recipiunt pretium ratione mutui & non ratione o bligationis ad remutuandum. De qua obligatione satis est dictum supra artic. 1.

Sed est specialis difficultas in præsenti. An ille qui dat mutuum, possit obligare mutuatarium, ut statim remutuet in alio genere mercium & rerum. Verbi gratia. Petit Petrus mutuò mutuatum frumẽ tum; an possit Paulus respondere, non mutuabo, nisi tu mutuaueris simul vinum statim.

Pro parte negatiua arguitur primò. Si hoc esset licitum, liceret consequenter aliquid vltrà sortem recipere ratione mutui, scilicet, illam obligatio nem remutuandi statim. Secundò, liceret etiam obligare mutuatarium ad emendas statim merces mutuatoris. Tertiò, liceret etiam obligare ipsum mutuatarium vt in futuro remutuaret. Probatur sequela: quoniam maior vtilitas est mutuantis, o bligare illum vt statim mutuet: quàm vt mutuet tẽ pore futuro, ergo magis est pretio æstimabilis, ac proinde si hæc obligatio est licita in præsenti, etiam illa pro futuro. Denique confirmantur communi ratione prædicta argumenta. Quia obligatio ad remutuandum est pecunia æstimabilis, ergo non est licitum pro mutuo illam exigere.

Sed in oppositum est simile, videlicet, quòd li citum est mihi obligare alterum ad audiendam meã confessionem sacramentalem, si vult quòd ego au diam eius confessionem absque aliquo vitio simo niæ. Item est aliud exemplum. Quoniam licitum est venditori nolle vendere rem suam, nisi emptor ipse sibi vendat aliam rem necessariam, ergo simili ter est dicendum in præsenti.

Ad hanc difficultatem respondetur, & sit prima conclusio. Huiusmodi contractus suspectus est de usura, & hoc videntur probare argumenta pro par te negatiua. Neque ualet allegare Diuus Thom. in responsione ad quartum. Etenim ibi solùm di cit, quòd licet mutuanti vnum; aliud recipere mu tuum in præsenti: non tamen ait, quòd sit licitum obligare mutuatarium ad remutuandum in præsen ti; de hac enim obligatione est nostra difficultas.

Secunda conclusio. Si reciproca sit obligatio ex vtraque parte ita vt adinuicem se obligent contra hentes ad mutuandum, nulla est vsura. Probatur. In huiusmodi contractibus seruatur æqualitas ex vtraque parte, ergo iustus est. Deinde. In hoc con tractu nihil omnino accipitur vltra sortem ratione mutui, sed pro obligatione ad mutuandum reci pit mutuator aliam similem obligationem. Deni que. Talis contractus esset licitus, si fieret pactum quod ad inuicẽ se obligarent ad mutuandum in tem pore futuro. Verbi gratia mutuabis mihi frumen tum post mensem & ego post mensem tibi mutua bo vinum; ergo etiam erit licitus contractus si de præsenti se se obligent ad mutuandum adinuicem.

Tertia conclusio. Verosimile est & valde pro babile, licitum esse contractum, in quo obligatur mutuatarius ad continuo remutuandum, etiam si ex parte alterius non fit obligatio ad mutuan dum. Probatur argumentis factis in oppositum. Deinde probatur. Quia reuera illa obligatio ad continuò remutuandum, moraliter loquendo, non æstimatur pretio magis quàm obligatio ad audien dam confessionem continuò, & obligatio ad sta tim Missam celebrandam; non enim potest facer dos vltra iustum stipendium aliquid accipere pro illa obligatione ad statim celebrandum. Denique probatur conclusio. Quoniam reuera semper vi detur intercedere moraliter loquendo obligatio vtrinque ad mutuandum, etiam ex parte illius qui obligat alterum ad remutuandum continuò; vide tur namque quòd eo ipso ipse etiam se obliget ad continuò remutuandum: ita vt contractus sit con ditionalis sub hac forma; *si tu te obligas* ad remu tuandum statim: ego me obligo ad statim mutuan dum tibi. Nihilominus subtiliter possumus distin guere, quòd non sit obligatio ex parte Petri ad sta tim mutuandum, verbi gratia si dicat Petrus, ego non me obligo modo ad mutuandum tibi statim: sed tu te obliga ad remutuandum statim, si & quando ego statim mutuauero. Ecce vbi Petrus manet ab sque obligatione mutuãdi, at vero Paulus manet cũ obligatione mutuandi conditionali, si Petrus volue rit mutuare; & in tali casu verificatur tertia conclu sio. Et fundamentum eius potissimum est quoniam talis obligatio non æstimatur pretio apud homines & nullius momenti est.

Ad argumenta pro parte negatiua quatenus mili tant contra hanc tertiam conclusionem negatur se quela & respondetur, quòd illa obligatio ad statim remutuandum non est æstimabilis pecunia: & id circò nulla est ibi vsura.

Circa solutionem ad sextum argumentum est no tanda & examinanda vnica conclusio, scilicet fru ctus pignoris pro mutuo traditi, sunt computandi in sortem principalem: alioquin si acciperentur vl tra sortem, acciperentur ratione mutui & esset vsu ra. Ratio huius conclusionis est: quia ille fructus sunt æstimabiles pecunia: ergo computandi sunt à mutuatore in sortem principalem. Hæc conclusio definita est in utroque iure Pontificio quidem ca pitulo primo, & secundo, & capitulo conquæstus de vsuris & capitulo 1. de feudis. Ciuili autem iure ha betur l. 1. & 2. C. de pignoratitia actione. Ex hac conclusione sequitur vnum corollarium, quòd Re ges siue magnates qui solent ratione mutuatæ pecu niæ

niæ in magna quantitate, in pignus vrbem aut castellum adhibere: debent computare in sortem principalem omnes redditus vrbis aut Castelli. Verumtamẽ remedium quo solent vti huiusmodi Principes, vt se eripiant à vitio vsurario, est emere illam vrbem tali pecunia, cum pacto retrouendendi: & tunc iustus est talis contractus, dummodò pretium pro vrbe siue castro iudicetur esse iustum, attenta illa conditione retrouendendi: quæ conditio diminuit pretium rei aliàs iustum, si absolute venderetur; & in tali casu ille qui emit vrbem iuste fruitur redditibus ipsius vrbis, & iustè postea accipiet totum pretium quod quod dedit. Et huiusmodi contractum approbat Caiet. in Respon. ad 6. & Magister Soto lib. 6. de iustitia, quæst. 1. & 2.

Veruntamen contra hanc cõclusionem objiciũtur à Iurisperitis & Theologis duæ Pontificis definitiones. Altera est Innocentij III. cap. 1. de feudis, & Alexandri III. in cap. citato conquestus. vbi definitũ est, quòd dominus directus rei feudalis quam rursus accipit à vassallo in pignus pro mutuo dato, poterit licitè pignoris fructus vltra sortem percipere. Altera definitio est eiusdem Innocẽtij in cap. salubriter. de vsuris. vbi expressè definit, quòd fructus rei impignoratæ genero pro dote vxoris: possunt percipi à genero non computando illos in partem ipsius dotis. Et ratio quæ communiter assignatur ea est: quia frequenter non sufficiunt fructus illi ad portanda onera matrimonij.

Quod si aliquis respondeat, priorem definitionẽ esse iustam in fauorem ecclesiæ, posteriorem vero in fauorem matrimonij: contra hoc est, quòd vsura est intrinsecè mala, ergo nulla ratione poterit iustificari, neque in fauorem ipsius ecclesiæ, neque in fauorem matrimonij: at vero Diuus Thomas expressè dicit in conclusione vsuram esse non computare pignoris fructus in sortem principalem. Quod si aliquis respondeat, posteriorem decisionem iustificari, ut idem Innocentius videtur ibidem insinuare, propter onera matrimonii subleuanda, & quod ea ratione liberatur ab vsuræ vitio generus qui non cõputat fructus pignoris.

Sed contra hoc est, quòd si miles accipiat pignus fructuosum pro stipendio debito, vsuram committet, si non computet fructus pignoris in sortem principalem stipendii: & tamen miles non minus deprimitur militiæ oneribus deportandis, quam maritus matrimonii: ergo vtrobique est eadem ratio.

Ad primam decisionem respondet Innocentius IIII. super allegatum cap. 1. & Carolus Molinæus Iurisperitus: & inter Theologos Adrianus in 4. in materia de restitutione, in titul. de vsuris. quos citat & sequitur Couarruias libro 3. Variarum, capitu. 1. numero 4. quòd illa definitio habet locum quando fructus pignoris sunt eiusdem pretii cuius sunt ipsę operæ & seruitia quæ ratione feudi à vassallo debentur directo domino. Et ideo asserit, quòd si tales fructus excedant seruitium, non potest feudi dominus, illum excessum accipere: nisi computet in sortem principalem. Et hoc videtur definitum à dictis doctoribus in allegato capitulo primo, quoniam ibi dicitur vassallum toto illo tempore quo retinetur pignus à feudi domino, immunem esse à seruitio quod pro feudo tenebatur exhibere. Cæterum legitima responsio est, fructus omnes rei feudalis impignoratæ pro mutuo apud directum dominum, non esse computandos in sortem principalem: & hoc quidem non ratione mutui (alias esset vsura illos percipere ut ait Diuus Thom.) sed propter naturam & conditionem feudi, qui contractus postulat, quod cum res feudalis redierit ad dominum directum omnes fructus illius percipiantur ab ipso domino directo: ea tamen lege, vt feudatarius interim sit liber ab omni seruitio. Et hæc est legitima intelligentia illius capit. Ratio est æquitatis plena, quoniam fieri potest ut rei feudalis fructus omnes non adæquent seruitium: igitur æquum est, ut sicut feudi dominus qui habet rem feudalem apud se obligatam in pignus mutui, non potest toto illo tempore aliquid pro seruitio petere, etiam si illud sit maius quam fructus: ita etiam percipiat sibi omnes fructus, etiam si sint maiores seruitio.

De secunda decisione Pontificia, sunt variæ sententiæ Doctorum. Quidam nanque dicunt, quòd tantum ratione lucri cessantis uel damni emergentis, licitum est genero accipere fructus pignoris, do nec recipiat dotem. Et hæc est communis sententia inter Iurisperitos, quos citat & sequitur Couarruuias vbi supra numero 3. In eadem sententia sunt inter Theologos Conradus de contractibus quæstione 35. & etiam Adrianus vbi supra, Medina de restitutione tractatur de vsuris quæstione 2. & Ioannes de Maioris in 4. distin. 15. quæst. 31. Sylvest. in verbo vsura. 3. quæstio. 2. quinimo etiam Couarruuias vbi supra numero 4. magis limitant hanc sententiã. Dicunt enim, non posse generum pignoris fructus sibi retinere quantum ad excessum, si excedant onera matrimonij, & quod necessarium est ad onera matrimonij.

Sed contra istam intelligẽtiam facit primò, quòd hic titulus lucri cessantis vel damni emergentis cõmunis esse potest aliis contractibus; at uero lex aliquid peculiare definit in hac parte circa pignus obligatum pro dote.

Deinde facit, quoniam aliàs si generus non erat negociaturus, non posset percipere fructum pignoris titulo lucri cessantis, vel damni emergentis, sicut iam suprà diximus declarantes illum titulum; eo uel maximè, quòd ipsa lex solum explicat titulũ propter onera matrimonii subleuanda. Est alia expositio minus conueniens Adriani & Medinæ vbi supra, videlicet, quòd maritus possit retinere fructus pignoris titulo donationis quam socer facit sibi. Sed contra hoc est quia ista decisio Pontificia procedit profectò etiam inuito socero, ergo non est apta intelligentia. Alii Iuriseriti volunt rationem huius esse & prouenire ex eo, quòd pater tenetur alere filiam, & ideo censentur fructus pignoris obligati pro dote, tradere in alimentum filiæ. Vnde colligunt illam definitionem habere locum tantum in genero qui ab ipso socero accipit pignus fructuosum. Hoc asserit Fortunius in tractatu de vltimo fine iuris, illatione 6. & Magister Soto ubi supra quæstione prima, articulo secundo, ad argumenta paulo ante finem asserit, causam esse eam quam Innocentius insinuat ibidem, scilicet onera matrimonii subleuanda. Inquit autem, quod non est tantùm alere familiam & uxorẽ & educare filios & familiam: sed etiã hæc omnia præstare salua & integra dote: moderatur tñ istam decisionem Pontificiã, ea moderatione, quã paulò ante diximus adhibuisse Syluester. Cæterum contra Fortunij intelligentiam est manifestum argumentum, quod desumitur ex vsu, qui est optimus legum interpres. Etenim nõ solum genero qui contractum fecit dotalem cum socero conceditur illi ius percipiendi fructus pignoris: verum in vniuersum omni marito qui pignus accipit pro dote datur ius ad sibi vendicandum fructus pignoris, quamdiu non soluitur dos; & hoc habet vsus omnium Regnorum & Prouinciarum: & ita iudicatur

iudicatur in omnibus tribunalibus in fauorẽ mariti.

Contra expositionem uero Magistri Soto est argumentum. Quoniam in aliquibus Prouincijs maritus & vxor communicant sibi omnia bona fortunæ ad inuicem; ita habet mos Regni Lusitaniæ, & ita maritus non tenetur seruare integram vxoris dotẽ: sed adhuc in talibus Prouinciis potest licitè maritus percipere fructus pignoris pro dote obligati, non computando eos in sortem principalem: ergo ratio Magistri Soto nõ est adæquata. Confirmatur. Quoniam ipse Soto asserit, quòd vidua iam soluto matrimonio potest à patre siue ab hæredibus illius percipere fructus pignoris obligati pro dote marito iam defuncto; & tamen uidua non tenetur seruare integram dotem suam, sed poterit expendere vt libuerit, ergo.

PRO decisione huius difficultatis sit prima conclusio. Hæc est natura contractus dotalis, vt qui dotem promittit, siue sit pater fœminæ siue quilibet alius: videatur implicitè promittere omnes fructus pignoris obligati pro dote, quamdiu dotem non soluerit; siue fructus excedant omnia onera matrimonii subleuanda: siue non excedant. Hæc conclusio videtur nobis legitima intelligentia illius legis, Pontificiæ. Ratio est quę etiam insinuatur in eodem capite. Colligiturque isto modo. Quicumque dotem promittit, videtur implicitè & interpretatiuè promittere etiam, id quod legibus statutum est de huiusmodi contractibus; sed lex ipsa decernit, quòd fructus pignoris obligati pro dote percipiantur à marito, neque computentur in sortem: ergo iustè illos percipit maritus. Sed dicet aliquis. Hoc est quod dubitamus, an lex illa sit iusta. Respondeur; quod lex abundè satis iustificatur: quoniam æquum erit, vt quamdiu dos non soluitur refarciatur aliunde id, ꝙ maritus poterat lucrifacere cum mediocri diligẽtia mediante dote, ad subleuanda onera matrimonij. Quod autem ipse esset negotiaturus vel nõ, nequaquam opus fuit, quòd lex consideraret illud: sicut neque quod fructus excedant vel exæquent, vel sint minores ad onera matrimonij subleuanda: sed solũ respexit communem rationem in fauorem matrimonij, & transtulit dominium illorum fructuũ pignoris in ipsum maritum. Præterea. Lex illa habuit considerationem, quòd natura dotis, est quasi patrimonium fœminæ quæ nubit, & destinatur ad sustẽtationem illius & educationem filiorum & familiæ, at verò hęc omnia non poterant regulariter loquẽdo commode fieri, nisi statim soluereturdos, aut certè redderetur aliquid ad subleuanda huiusmodi onera: ergo lex quæ in communi respicit commodum illius status matrimonij iustissima est, etiam si pacidens aliquando contingat, quòd maritus sit diues & habeat vnde sustineat huiusmodi onera. Denique declaratur amplius: Quoniam ad ius politiuum pertinet condere leges conuenientes omnibus contractibus, & si opus fuerit appropriare rerum dominia in alios dominos, sicut fecit reuera in legibus prescriptionis, ꝙ bono communi, & tranquillitate reipublicæ, vt sint certa rerum dominia: ergo conuenienter pro bono communi status matrimonij, decernit Pontifex, quòd fructus pignoris obligati pro dote applicentur marito; & propterea diximus, ꝙ eo ipso quòd fit conuentio dotalis intelligitur illa conditio, si non expressè saltim interpretatiuè & implicitè ex interpretatione iuris: atque ita excusatur illa perceptio fructuum pignoris à vitio vsuræ: quia non accipiuntur ratione mutui, quemadmodum dicebamus explicantes cap. conquestus, quòd fructus rei feudalis siue excedant seruitium, quo tenetur feudatarius, siue sint minores, siue sint æquales: omnes tamen poterant percipi à directo domino & principali rei feudalis, non computando eos in sortem principalem, quando res feudalis ad ipsum redibat titulo pignoris: tunc namque dicebamus, quòd non percipiebantur illi fructus ratione mutui: sed propter naturam contractus feudalis. Ita in præsenti dicimus, quòd maritus nõ percipit fructus pignoris ratione mutui, sed propter naturam ipsius contractus feudalis. Quemadmodũ si maritus & socer conuenirent expreis, quòd mulieri quæ nubit daretur in dotem mille, & quòd quamdiu non traderentur mille darentur fructus vineæ vel aliquid simile, esset ille iustissimus contractus, quia illi fructus reputantur in partem dotis supra mille, ergo cum lex hoc ipsum iam statuerit: non erit contractus minus iustificatus, immò magis videtur.

Hinc sequitur secunda conclusio. Etiam si maritus aliundè habeat vnde onera matrimonij sufficiẽter ferat: nihilominus iustè potest percipere fructus pignoris obligati pro dote. Ratio huius est: quoniã lex non respicit particulares casus, sed conditiones illius status ex natura rei.

Item sequitur tertia conclusio. Iustè potest maritus paciści cum socero de certa quantitate percipiẽda, quando dos non fuerit soluta. Probatur. Quia maritus potest iustè pignoris fructus percipere quãdiu dos non soluitur; sed illi fructus pignoris possunt æstimari aliqua summa pecuniaria & annuali: ergo de illa poterit paciści, etiam si non accipiat pignus: eo vel maximè, quòd illa etiam summa computatur in partem dotis, vltra id quod promissum est in futurum.

Quarta conclusio. Vidua iam soluto matrimonio, potest pignoris fructus aut quantitatem ipsam pecuniariam quam maritus percipiebat quamdiu non soluebatur dos: etiam ipsa percipere à patre vel ab heredibus illius, siue ab illo qui illam nuptui tradidit. Ista conclusio indubitata esset, si tantum attẽderemus titulum lucri cessantis & damni emergentis, si reuera vidua patiebatur huiusmodi detrimẽti. Sed difficultas est, quando cessant huiusmodi tituli, quin potius vidua est diues; tunc enim cum iam solutum sit matrimonium: videntur cessare onera matrimonij, eius enim quod non est nullum est onus. Nihilominus probatur nostra conclusio. Et ratio est, quia nõ solum sunt dicenda onera matrimonij, ea quæ proueniunt durante matrimonio, sed etiam illa quæ relicta sunt ex matrimonio; sed illa vidua habet multa eiusmodi onera, tenetur enim educare filios si habeat illos, & si non habet filios, familiam pro dignitate sua & mariti sustentare, ergo. Confirmatur. Quoniam illi qui contrariantur nostræ sententię in hac conclusione aiunt nihilominus, iustum fore statutum reipublicæ quo decerneretur, quod vidua quamdiu non soluitur illi dos reciperet aliquam summam pecuniæ, & hoc esset conueniens, ad tranquillitatẽ & pacem cum ipsis consanguineis, ergo cum sit iam facta lex quæ marito tribuit illam summam pecuniæ propter onera matrimonii, & vidua succedat in oneribus mariti: sequitur, quod possit percipere illam summam pecuniæ quam maritus ipse poterat.

Ex dictis colligitur solutio ad argumenta facta. Negamus enim, quod in huiusmodi contractibus accipiatur aliquid ratione mutui, sed propter naturam contractus dotalis & feudalis.

Ad vltimum vero argumentum de exemplo militis respondetur, quod lex nihil tale statuit circa ipsos milites; quin potius stipendium debet expendi in su-

in sustentationem eorumdem per singulos annos, vel per singulos menses: vnde non est eadem ratio de stipendio militis & de dote mulieris. Bene tamẽ probat argumentum, quòd posset iustificari lex quę decerneret dari certam summam pecunię militibus quamdiu stipendium integrum nõ soluitur, & hoc in fauorem militiæ.

Denique aduertamus in p̃dictis conclusionibus, quòd quamuis omnes illas non inuenerim in vno aliquo Doctore, tamẽ singularum singuli sunt Doctores, & ex illis accepimus. Respõsio enim quam assignauimus circa caput de feudis, colligitur planè ex doctrina multorum Iurisperitorum & Theologorum. Videatur Conradus vbi supra quæst. 32. & Ioannes de Medina etiam vbi supra quęstio. 2. Prima verò conclusio quam aduertimus circa cap. salubriter, habetur ex doctrina Caietani in hoc articulo, & ex Nauarro super primum cap. 14. quæst. 3. à numero. 71. Tertia verò conclusio à multis Theologis asseritur & Iurisperitis. Quartam etiam conclusionem quamuis neget illam Caietanus in hoc loco & multi Iurisperiti quos refert Couarru. vbi supra: tamen asserit illam Magister Soto vbi supra, & alii Iurisperiti, quamuis propter diuersam rationem à nostra.

Denique circa solutionem ad quintum & septimum argumentum, multa sunt à nobis distinguẽda & discernenda, postquam explicauerimus articulos tertium & quartum.

ARTICVLVS III.

Vtrum quicquid de pecunia vsuraria quis lucratus fuerit, reddere teneatur.

Quod 1. art. 19. & opusc. 67.

AD Tertium sic proceditur. Videtur quòd quicquid de pecunia vsuraria aliqs lucratus fuerit, reddere teneatur. Dicit. n. Apostolus ad Roman. 11. Si radix sancta, & rami. Ergo eadem ratione si radix infecta, & rami. Sed radix fuit vsuraria. Ergo quicquid ex ea acquisitum est, est vsurarium. Ergo tenetur ad restitutionem illius.

2. Præterea. Sicut dicitur extra, de vsuris, in illa † decretali, Cum tu, sicut asseris. Possessiones, quæ de vsuris sunt comparatę, debent vendi, & ipsarum pretia his à quibus sunt extorta, restitui. Ergo eadem ratione quicquid aliud ex pecunia vsuraria acquiritur, debet restitui.

Habetur in Decret. lib. 5. tit. 19. §. Cũ tu, & est 5. in ordine, in fine.

3. Præterea. Illud quod aliquis emit de pecunia vsuraria, debetur sibi ratione pecunię, quam dedit, Non ergo habet maius ius in re, quam acquisiuit, quàm in pecunia, quam dedit. Sed pecuniam vsurariam tenebatur restituere. Ergo & illud

A quod ex ea acquirit, tenetur restituere.

Sed contra. Quilibet potest licitè tenere id quod legitimè acquisiuit. Sed id, qd̃ acquiritur per pecuniam vsurariam, interdum legitimè acquiritur. Ergo licitè potest teneri.

Respondeo dicendum, ꝙ sicut sup. dictum † est, res quędam sunt, quarum vsus est ipsa earum rerum consumptio, quę nõ habent vsumfructum secundum iura. Et ideo si talia fuerint per vsuram extorta, puta denarij, triticum, vinum, aut aliquid huiusmodi, non tenetur homo ad restituendum, nisi id quod accepit: quia id, quod de tali re est acquisitum, non est fructus huiusmodi rei, sed humanę industrię: nisi fortè per detentionem talis rei alter sit damnificatus amittendo aliquid de bonis suis. Tunc enim tenetur ad recompẽsationem nocumenti. Quædam verò res sunt, quarum vsus non est earum consumptio, & talia habent vsumfructum, sicut domus & ager, & alia huiusmodi. Et ideo si quis domum alterius, vel agrum per vsuram extorsisset, non solum teneretur restituere domum vel agrum, sed etiã fructus inde perceptos; quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus: & ideò ei debentur.

Art. 1. huius quæst.

Ad primum ergo dicendum, quòd radix non solum habet rationem materię sicut pecunia vsuraria, sed habet etiam aliqualiter rationem causæ actiuę, inquantũ administrat nutrimentum. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quòd possessiones, quæ de vsuris sunt comparatę, nõ sunt eorum, quorum sunt vsuræ, sed illorum qui eas emerunt. Sunt tamen obligatæ illis à quibus fuerunt vsurę acceptæ: sicut & alia bona vsurarij. Et ideo nõ prącipitur, quòd assignentur illę possessiones his, à quibus fuerunt accepte vsuræ, quia fortè plùs valent, quàm vsuræ, quas dederunt: sed præcipitur quòd uendantur possessiones, & earum pretia restituãtur, scilicet secundum quantitatem vsurę acceptæ.

Ad tertium dicendum, quòd illud qd̃ acquiritur de pecunia vsuraria debetur quidem acquirenti, non propter pecuniã vsurariam datam, sicut propter causam instrumentalem, sed propter suam industriam, sicut propter causam principalẽ. Et ideò plus iuris habet in re acquisita de pecunia usuraria, quam in ipsa pecunia vsuraria.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Si res per vsuram extorta, fuerit vsu consumptibilis, non tenetur vsurarius ad aliquid amplius restituendum, quàm acceperit, nisi fortè propter damnum emergens sequutum ex retentione rei alienæ.

Secunda conclusio. Si res per vsuram extorta, nõ sit vsu consumptibilis, quin potius est fructuosa, sicut domus aut vinea: tenebitur vsurarius ad restitutionem ipsorum fructuum.

COMMENTARIVS.

DVBITATVR primò circa istum articulum, An mutuatarius quando soluit vsuras, transferat dominium ipsarum in talem vsurarium?

Arguitur primò pro parte affirmatiua. Mutuatarius dat illas pecunias; sed homo per suam voluntatem & libertatem transfert dominiũ rerum suarum: ergo transfertur dominium. Confirmatur. Nam si mutuatarius iuret se transferre dominium, verè transfert dominium: aliàs esset periurus, ergo etiam si non iuret trãsfert dominium per voluntatem transferẽdi illud. Probatur consequentia: quoniam iuramentum ipsum non est titulus transferendi dominium, sed ipsa voluntas transferẽdi quæ præsupponitur iuramento. Quòd si aliquis respondeat, in huiusmodi datione inueniri voluntarium mixtum cum inuoluntario & propterea nõ sufficere ad translationem dominii. Contra.

Arguitur secundò. In his quæ vi metus ve causa fiunt transfertur nihilominus dominium; & tamẽ illic inuenitur voluntarium mixtum cum inuoluntario, ergo. Probatur maior, ex cap. Abbas de his quæ vi metus ve causa fiunt, vbi dicitur, quòd tales contractus metus causa facti, sunt in irritum reuocandi; ergo antea validi erant, quamuis venirent reuocandi & rescindendi. Item confirmatur. Quoniam probabilis opinio est, quòd matrimoniũ contractum per metum quantumlibet cadentem in virum constantem validum est, stando in iure naturę dumtaxat; si autem modò de facto non valet prouenit ex eo, quòd irritatur lege Ecclesiastica, ergo etiam contractus vsurarius validus erit ex voluntate vtriusque partis, quantumlibet ex parte mutuatarij sit aliqua vis. Confirmatur secundò. Quoniam in præsenti casu videtur omnino cessare vis & metus, sed solũ inuenitur necessitas ex parte ipsius mutuatarii; at verò necessitas quę oritur ex parte ipsius contrahentis nõ solet irritare contractum, vt patet in eo qui egestate compulsus vendit rem suam, minori pretio, quàm secundum se aliàs valeat, & tamẽ illa venditio valida est. Hoc in tantum est verum, vt etiam matrimonium contractum timore mortis, validum sit, quando timor ille oritur ab intrinseca necessitate. Vt patet v. g. si quis dicat vxorem quia medici dicunt ei quia morietur, nisi accedat ad mulierem. Similiter si quis erat capite plectendus propter sua delicta & possit à morte eripi si ducat aliquã mulierem vxorem: nihilominus matrimoniũ erit validum, ergo pari ratione in nostro casu erit validus contractus vsurarius: ita vt transferatur dominium per traditionem vsurarum, siquidem vsurarius tradit, dumtaxat compulsus intrinseca necessitate.

Tertiò arguitur. Si mutuatarius non transferret dominium vsurarum in mutuatorem, sequeretur, quòd ipse vsurarius non posset emere agrum de illis pecuniis sibi traditis; Consequens est contra communem opinionem, immò videtur esse cõtra illud cap. cum tu, de vsuris, quod citat D. Thom. in 2. argumento, & ipse sentit in 2. & 3. argumento, quòd possessiones emptæ ab vsurario non sunt restituendæ ipsæ, quia vsurarius emit illas per industriam suã tamquàm per causam principalẽ, ita vt si rursus vendantur ad restitutionem vsurarum, possit manere vsurarius cum aliqua parte pretij quæ excedit pecuniam acceptam per vsuram. Sequela verò probatur. Quoniam si vsurarius nõ est dominus pecuniæ qua emit agrum, nõ transfert dominium illud in venditorem agri, ac per consequens non acquirit dominium agri, sed totus ager erit restituendus ei qui vendidit.

De hac difficultate versantur duæ solemnes opiniones, & ambæ verosimiles. Nam media quędam opinio quorundam, scilicet, asserentium, quòd rerũ vsu consumptibilium dominium transfertur in vsurarium. Aliarum verò rerum quæ vsu non consumuntur dominium non transfertur in vsurarium, sed manet apud mutuatarium. Hæc opinio non est nobis probabilis, quia nulla bona ratione fulcitur. Prima igitur opinio extrema est, & habet pro se authores, glossam 14. quęst. 4. canone si quis vsuram, & Henricum Gandauensem quodlibeto 4. quæstione 27. & Scotum 4. distinct. 27. quæst. 7. & Paludanum eadem distinctione & quæstione. Adrianum in 4. vbi supra. Immò asserit Adrianus quòd D. Tho. fuit huius sententiæ in 4. distin. 15.

Pars negatiua expresse asseritur à D. Tho. in hoc articulo, tamquàm res constitutissima apud omnes. Eandem sententiam tenet Alex. Alensis. in 3. parte, quæst. 86. membr. 4. Altisiodor. in 3. parte quæstione de iustitia. D. Bonauen. in 4. distin. 15. Richardus de media Vila ibidem quæstio. 2. Ioãnes de Maioris vbi supra, quæstione 38. Ioannes de Medina vbi supra quæst. de vsura restituenda ad argumentum principale. Eam sequitur Magister Soto vbi supra quęstione. 1. articulo. 4. Caietanus elegantissime in opusc. quod cõtinet sex quæstiones de vsura, quæstione. 1.

Hæc pars negatiua est nobis multò probabilior q̃ affirmatiua. Et probatur primò. Quia duæ sunt causæ transferendi dominium in alterum, vt latè ostẽdimus supra in præambulo quæst. 62. Altera est voluntas legislatoris, qui potest cum opus fuerit, etiam contradicente domino rei, transferre dominiũ illius in alterum, vt patet in lege de præscriptionibus bona fide. Altera est voluntas ipsius domini transferentis dominium rerum suarum in alterum. At verò in præsenti casu, neutra ratio transferendi dominium inuenitur; ergo nõ transfertur. Probatur minor. Quia nulla est lex quæ decernat, tale dominiũ transferri in vsurarium: immò leges reprobant huiusmodi contractus. Quod autem nõ inueniatur voluntas mutuatarij; Probatur. Quoniã mutuarius, quando soluit vsuras fœneratori, meritò præsumitur nolle dare nisi minimum quod potest; at verò si trãsfert dominium pecuniæ vsurariæ in mutuatorem, nõ dat minimum quod potest dare, sed potius maximum quod potest dare, scilicet rem & dominium

nium rei. Probatur maior. Mutuatarius patitur iniu
riam dum soluit vsuras: ergo præsumendus est vel
le pati minimam iniuriam; esset autem maior, si e
tiam dominium rei transferret cum ipsa re: ergo
non est voluntas eius tranferendi dominiũ, sed tan
tum dandi rem. Minor explicatur & probatur. Po
test quis alteri tradere rem suam simplici & nuda
traditione: quæ quidem traditio non transfert do
minium, vt habetur in. l. Numquàm nuda. ff. de ac
quirendo rerum dominio: & patet manifestè cum
quis tradit alteri rem in depositum vel pignus; est
enim necessarium ad hoc ut per traditionem trans
feratur dominium, quòd tradat aliquis rem suam
intendens facere eam alterius aliquo titulo. v. g. do
nationis titulo, aut titulo iustitiæ contractus: sed
mutuatarius solũ tradit vsuras alteri, vt redimat ve
xationem suam, neque enim intendit donare neq;
intercedit aliquis cõtractus, ratione cuius teneatur
aliquid vltra reddere. Habemus ergo quòd si mutua
tarius intenderet transferre dominium, daret ma
ximum quod potest dare cum ipsa re. Igitur meritò
præsumitur non intendere dare nisi rem ipsam eo
modo quo res solet dari per nudam traditionem,
quasi in deposito ipsius fœneratoris: vt redimat sua
vexationem. Et confirmatur exemplo. Ille qui mer
ces suas oborta tempestate proiicit in mare non ab-
alienat à se dominium mercium, etiam si eas simpli
citer voluntariè proijciat & secundum quid inuo
luntariè; ergo nec mutuatarius etiam si simpliciter
voluntariè tradat pecunias fœneratori, intendit ab-
alienare à se dominium pecuniarum quas tradit.

Secundò probatur conclusio. Quia sequeretur ex
opposita sententia, quòd vsurarius non teneatur sim
pliciter loquendo ad restituendum fructus rei fru
ctuosæ per vsuram acquisitæ. Consequens est con
tra communem sententiam Doctorum: ergo. Pro-
batur sequela. Res quælibet fructificat verò domi-
no, sed res fructuosa per vsuram acquisita iuxta op-
positam sententiam est vsurarij tamquàm domini,
ergo illi fructificat. At verò huic argumento dupli-
citer respõdent tenentes partem affirmatiuam. Pri-
mò quidem negant sequelam & aiunt, quòd ratio-
ne iniustæ acceptionis tenetur vsurarius restituere
illos fructus, eo quòd res fructuosa transit in domi-
nium vsurarij cum illo onere. Sed contra hanc so-
lutionem est argumentum. Si detur quòd vsurarius
est verus dominus illius rei, etiam si iniuste accepe-
rit illam, iustè tamen possidet fructus rei propriæ,
ergo nõ tenetur eos restituere: immò neque res ipsa
si tradatur eius dominium vsurario, poterit transire
cum illo onere: quoniam titulus iniustæ acceptio-
nis non obligat ad restituendum nisi tantum æquale
quantum acceptum est. Et propterea respondent se-
cundò, negando similiter sequelam ,pter aliam ra-
tionem, scilicet, quoniam ratione damni emergen-
tis & lucri cessantis ipsi mutuatario, dum mutuator
accepit inique rem fructuosam; tenetur etiam ad re
stitutionem fructuum. Sed contra hanc solutionem
adhuc est replica. Sequeretur saltim, quòd vsurarius
non teneretur ad restitutionẽ fructuum rei fructuo
sæ, quatenus sunt in actu perfecti: sed solum secun-
dum quòd erant in potentia. Probatur sequela. Quia
nemo patitur detrimentum nisi in rebus proprijs;
sed fructus non erant ipsius mutuatarij nisi quate-
nus erant tantum in potentia: ergo non totos fru-
ctus, sed eos qui in potentia erant debet restituere:
qui quidem erunt multo minoris valoris. Dein-
de si dominus agri non erat fructus percepturus eo
quòd non habebat animum colendi agrum; at ve-
rò vsurarius diligenter colit agrum, non tenebitur
tunc hoc titulo damni emergentis vel lucri cessantis
restituere fructus illos. Consequens tamen falsum
est, & contra cõmunem sententiam. Tenetur enim
restituere omnes fructus, deductis expensis, ergo si-
gnum certissimum est, quòd dominium rei fructuo
sæ manet apud mutuatarium. Est etiam alia instãtia
contra hãc solutionem: sint duo latrones vel fures,
quorum vterque accipiat rem fructuosam, & alter
statim eam perdidit. Alter verò coluit & nutriuit,
& fructum accepit. Tunc si postea isti velint satis-
facere restituendo, certissimum est, quòd ille qui de
struxit vel perdidit rem illam, non tenetur restitue-
re fructus eius, nisi tantum quatenus erant in poten
tia. Alter verò omnes fructus, quos habuerit in a-
ctu, etiam si sint multi, debet restituere, deductis in-
de expensis. Cuius differentiæ ratio non est alia, nisi
quia dominium illarum rerum non transit in latro
nem: sed manet apud antiquum dominum, ergo e-
tiam dominium rei fructuosæ manet apud mutua-
tarium qui soluit vsuras: siquidem debentur vsuræ
datæ mutuatori & omnes fructus rei in actu, non
alio titulo nisi ratione rei propriæ. ex prædicta do-
ctrina patet responsio ad argumenta.

Ad primum quòd voluntaria illa traditio vsurarij
non transiert dominium, quia est nulla est translatio
dominij. Ad confirmationem respõdetur, quòd
nos in præsenti tantum loquimur de vsuraria solu-
tione secundum illud quod illi per se coniunctũ est.
Cęterum si mutuatarius causa religionis iuramẽti,
ne esset periurus, voluit adhibere nouam voluntatẽ,
per quam transferret dominium; hoc certè acci-
dens coniungitur cum solutione vsuraria: de qua
locuti sumus. Nota tamen quòd propter religionẽ
iuramenti, & in fauorem illius qui patitur iniuriã,
multi contractus & promissiones decernuntur va-
lere in vtroque iure; si apponitur iuramentum: qui
tamen non ualerent nisi apponeretur iuramẽtum.
Et ratio est: quia potest contingere, quòd ille qui ,p-
mittit vel facit contractum patiatur aliquod maius
damnum nisi iuret, quòd promissio erit valida vel
etiam ipse contractus. Vnde in fauorem illius est,
sic pro tunc fit periurus, quòd valeant tales contra-
ctus & promissiones: etiam si aliàs non valerent, nõ
apposito iuramento. Quod si tale iuramentum per
vim vel iniuriam fuerit extortum, reliquum est re-
medium quòd petat postea à Prælato relaxationem
iuramenti: & tunc poterit etiam apud iudicem sæ-
culare petere, quòd rescindantur & irritentur con-
tractus & promissiones.

Ad secundum argumentum ex cap. Abbas, respõ-
detur perinde valere in illo loco in irritum reuocati
tales dationes, ac si diceret irritas declarari: nõ quia
validæ fuerint. Ad primam confirmationem ex si-
militudine matrimonij. Respondetur pro nunc, idẽ
esse iudicium in vtroque casu. Etenim si mutuata-
rius velit suæ pecuniæ dominium transferre, trans-
ferret reuera, stando in solo iure naturæ. Si autem
non velit expresè transferre dominium, non trans-
feret: quamuis tradat voluntariè pecuniam vsurario,
quia vt iam diximus, merito præsumitur velle trade
re minimum quod potest, dum iniuriam patitur: &
ita dicimus de matrimonio: quòd quicquid exte-
rius fingat ipse vir, dum dicit se ducere vxorem, si
tamen intus non habeat consensum transferendi
dominium sui corporis, non est validum matrimo
nium, stando in solo iure naturæ. Quod si habuerit
consensum transferendi dominium sui corporis,
validum erit matrimonium quantumlibet consen-
sus ille fuerit extortus per metum cadentem in vi-
rum constantem, stando in solo iure naturæ. At ve-
rò nunc

rò nunc de facto nullum est tale matrimonium: q a
iure Canonico irritatur talis cõtractus. Imo etiam
si iuramento confirmaretur, non esset validus talis
contractus matrimonialis de præsenti. Et ratio hu-
ius est. Quia vinculum matrimonii est indissolubi-
le. Vnde si semel valeret non poterat postea in irri-
tum reuocari: sicut alii contractus reuocantur. Et
ideo ius Canonicum permittit in tali casu periuriũ
iurantis in fauorem matrimonii. Quia sequerentur
maxima incommoda si matrimonia nõ essent spon
tanea. Ad secundam confirmationem respondetur.
Quòd est maxima differentia inter solutionem vsu
rarum ex parte mutuatarii soluentis illas, & inter
venditionem propter necessitatem vendentis. Ete-
nim solutionem vsurarum antecedit non solum ne
cessitas ex parte mutuatarii, sed etiam iniuria ex par
te mutuatoris nolentis mutuare sine fœnore. Et id-
circo quia ex iniuria non nascitur ius, non acquirit
dominium vsurarum ipse fœnerator. Cæterũ quan
do quis vendit res suas coactus propria necessitate,
nulla antecedit iniuria ex parte ipsius emptoris.

Ad tertium vt respondeamus, oportet prius breui
ter dissoluere difficultatem controuersam inter do-
ctores, an cõtractus qui fiunt vsuraria pecunia sint
validi vel non?

Respondetur: & sit prima cõclusio. Si vsurarius
emat illa pecunia aliquam possessionem. v.g. vineã:
talis contractus est validus, ita vt vsurarius acquirat
dominium vineæ & transferat dominium pecuniæ
in venditorem vineæ.

Hæc cõclusio videtur definita in cap. Cum tu. de
vsuris. Vbi præcipit Pontifex possessiones emptas
vsuraria pecunia vẽdi & pretium earum restitui illi
à quo prius pecuniam acceperat. At verò si contra-
ctus ille emptionis & venditionis esset nullus ipso
iure, declararet Pontifex esse irritum contractum:
& quòd res reduceretur in primum statum ante cõ-
tractum emptionis. Habemus ergo quòd primus il-
le contractus non est rescindendus: acquisiuit er-
go dominium vsurarius vineæ. Secundo probatur.
Qui habet aliàs vnde restituat, proculdubio potest
alienare pecuniam per vsuram acquisitam: sed qui
possidet vineam quam emit pecunia vsuraria, habet
sufficienter vnde restituat, scilicet ex ipsomet pretio
vineæ quam emit (supponimus enim quòd res em-
pta est facile iterum vendibilis,) ergo potuit ille a-
lienare pecuniam vsurariam, & transferre domi-
nium eius in alterum. Sed quia potest aliquis dicere,
quòd hoc fit inuito domino; Respondetur, quòd nõ
est inuitus rationabiliter. Et probatur. Quoniam p
talem emptionem non tantùm non efficitur impo-
tens ad soluendum, sed magis potens: quoniam ip-
sa vinea manet obligata ad soluendas vsuras, & est
firmior obligatio vineæ, quàm pecuniarum, quæ fa
cilius dispensantur. Cùm ergo fit cõmodum mutua
tarii, q vsurarius fiat potentior ad soluendum, non
debet irritari contractus ille emptionis: maximè in
iniuriam tertii, scilicet, venditoris vineæ: cui erat
commodum vendere vineam suam, iuxta regulam
illam, quòd mihi prodest, & tibi non nocet, teneris
facere. Imo vero possessio quam emit vsurarius non
tantum seipsam, sed etiam suis fructibus facit poten
tiorem vsurarium ad restituendum vsuras: ergo nõ
est aliqua ratio sufficiens, quare vsurarius non ac-
quirat dominium vineæ, & transferat dominium
pecuniæ.

Secunda conclusio. Si vsurarius alienet res quasli
bet vsu consumptibiles, scilicet, pecuniam vinum &
similia, habeat tamen aliàs vnde possit restituere: ta-
lis contractus quicunque ille sit onerosus, vel gra-
tuitus est validus: quoniam res vsu consumptibiles
per vsuram acquisitæ non necessarium est, ut eædẽ
restituantur in indiuiduo, sed satis est si restituan-
tur eędem secundum speciem & qualitatem æqua-
lem, ergo qui habet aliàs vnde possit restituere, non
est factus inhabilis ad donandum & ludendum, &c.

Tertia conclusio. Si vsurarius alienet res vsu con
sumptibiles, donando illas vel quolibet alio modo
& nõ habet aliàs vnde restituat, tales actiones sunt
inualidæ. Probatur, quia talis alienatio est rei alie-
næ, rationabiliter inuito domino.

Quarta conclusio. Si vsurarius alienet res quæ
non sunt vsu consumptibiles, v. g. domum quam
per vsuras extorsit, talis contractus est irritus ipso
facto & iure, etiã si habeat aliàs unde restituat. Pro-
batur. Quia talis res est aliena & est restituenda ea-
dem in indiuiduo, ergo talis translatio est nulla. Iã
verò ad tertium patet per hanc doctrinam. Etenim
quando per emptionem redditur impotens vsura-
rius ad restituendum: talis emptio facta pecunia u-
suraria irrita est. Sed quia communiter per empti-
onem & venditionem nõ redditur impotens vsura-
rius ad soluendum: præsumuntur validi huiusmo-
di contractus, quamdiu non cõstat, quòd est factus
impotens.

DVBITATVR secundò circa primam con-
clusionem D. Thom. vtrum sit vera? Arguitur quòd
teneatur vsurarius plus restituere quam accepit, et
si res sit vsu consumptibilis, quando inde aliquod lu
crum comparatur. Possessor malæ fidei qui ex aliena
re factus est ditior, tenetur restituere nõ solum rẽ,
sed etiam omne illud in quo factus est ditior; sed ali
quando contingit, quòd vsurarius de re vsu cõsum-
ptibili per vsuram acquisita factus sit ditior: ergo te
nebitur lucrum illud restituere. Maior ostensa est à
nobis supra in quæst. 62. minor verò experimento
constat.

Sed respondebit aliquis huic argumento, q illud
lucrum quòd reportat vsurarius ex tali re vsu con-
sumptibili, respondet diligentiæ & debetur indu-
striæ illius tanquam causæ principali: non autem ip-
si rei consumptibili vsu, & ita videtur respõdere D.
Thom. in solutione ad tertium.

Sed contra hanc solutionem replicatur. Esto ita
quòd vsurarius per vsuram extorserit frumentum
eo tempore, quo vilior pretio æstimabatur: si tamen
reseruauit illud tempore quo maiori pretio æstima
batur vendendum: tunc iste fœnerator tenebitur re
stituere mutuatario, qui est dominus frumenti, to-
tum illum excessum pretii quanuis per industriam
fœneratoris acquisitum fuerit lucrum illud, ergo si-
milis ratio erit de pecunia per vsuram acquisita. Sed
respondebit aliquis quòd illa restitutio minoris pre
tii debet fieri ratione damni emergentis; quia mu-
tuatarius poterat seruare frumentum illud in illud
tempus quo cariùs erat valiturum. At ista responsio
friuola est. Etenim tenebitur vsurarius restituere il-
lum excessum maioris pretii, siue mutuatarius esset
seruaturus frumentum siue non. Titulus verò dam
ni emergentis non habet locum nisi quando pars
læsa reuera minus habuit, quam debuit habere. Con
firmatur exemplo. Qui furatur frumentum & vẽ-
dit illud alio tempore quo cariùs valet tenebitur re
stituere illud pretium, ergo etiã vsurarius. Patet con
sequentia: quia vsurarius non est magis Dominus
frumenti, quàm fur. Deinde probatur. Esto ita q
vsurarius acceperit pro vsuris, à mutuatario certã
monetam auream; & postea rex siue respublica au-
geat pretium illius monetæ tunc vsurarius non sa-
tisfaciet restituendo pretium illius monetæ quan-
tum

tum æstimabatur tempore quo accepit illam; sed tenebitur restituere tot aureos quot accepit. In oppositum uidetur esse conclusio D. Thom. & eius ratio. Deinde est alia ratio. Si vsurarius accepit pro vsuris frumentum, & illud seminauit; non tenebitur restituere fructus illius, deductis expensis, ergo uera est conclusio D.Tho.

PRO decisione huius difficultatis ponimus conclusionem bimembrem. Pretium totum rei etiam vsu consumptibilis, quæ per usuram extorta est, tenetur usurarius restituere, quãtumlibet sit maius quàm cùm accepit rem ipsam. Neque tamen propterea dicẽdus est restituere amplius quàm accepit, etiam si multum creuerit pretium. Priorem partem huius conclusionis probant argumenta facta priori loco contra conclusionem D.Thomæ.

Sed pro intelligentia secundæ partis, notandum est, esse differentiam inter pretium rei ex una parte, & inter fructus rei siue id quod acquiritur ex re illa. Etenim pretium rei moraliter loquendo non distinguitur à re illa cuius pretium est: unde quando restituimus pretium rei, censemus restitutam esse rem ipsam. Huius ratio est: quoniam res quæ ueniunt in commutationes humanas, solum æstimantur secundùm quòd sunt utiles & commodæ humanis usibus, quod quidem pretio æstimatur. Cæterum illud quod re ipsa postea acquiritur, moraliter loquendo distinguitur ab ipsa re: sicut effectus & causa; si res quidem fuerit fructuosa distinguitur ab ipsa re fructus, sicut à causa principali; si uero sit usu consumptibilis, distinguitur tanquàm à causa minus principali. Et idcirco D. Thom. in 2. conclusione, non fuit contentus asserere, rem fructuosam debere restitui mutuatario: sed adiecit simul cum fructibus, ut insinuaret distinctionem inter fructus & rem fructuosam. Similiter in prima conclusione uoluit, quòd lucrum quod acquiritur ex re vsu consumptibili non restituatur, etiam si res ipsa vsu consumptibilis sit restituenda: insinuans similiter distinctionem lucrum inter illud & rem. At vero pretium cuiuslibet rei, siue consumptibilis vsu, siue fructuosæ: semper computandum est cum re ipsa, ac si non distingueretur ab illa.

Notandum est secundo, quòd licet res vsu consumptibilis in hoc distinguatur à fructuosa, quòd res vsu consumptibilis per se quidem & ut sic, est sterilis omnino, fit tamen per acccidens fructuosa ratione industriæ negotiantis; at uero è contrario res fructuosa secundum se talis est, per accidens autem & minus principaliter requirit aliquã industriam. Nihilominus in hoc omnes istæ res conueniunt, quòd secundum se sunt pretio æstimabiles: quoniam secundum se omnes afferunt commoditatem & vtilitatem humanæ uitæ. Itaque æstimatio in pretio sequitur naturam rei etiam vsu consumptibilis ubique & semper; requiritur autem tanquam conditio sine qua non, ipsa conseruatio & aliqualis industria hominis: quoniam aliàs non staret talis natura rei. Est simile ad explicandam hanc doctrinam. Potentia quàm habet frumentum ad fructificandum, est naturalis ipsi; at uero hæc potentia etiam remota, non erit in frumento: nisi sit qui illud conseruet. Causa uero principalis huius potentiæ, est ipsum mer frumentum, cuius est propria passio: & idcircò diximus in superioribus pro illa potentia remota non posse accipi pretium aliquod: quia erat annexa ipsi tritico absque aliqua industria possessoris ipsius. Ex hac doctrina patet intelligentia secundæ conclusionis & solutio argumentorum quæ contra illam facta sunt. Etenim ad recipiendum pretium quod pro re etiam vsu consumptibili datur, non opus est industria ipsius recipientis, sed tantum est conditio sine qua non conseruaretur ipsa res, quæ secundum se est pretio æstimabilis. Hoc ipsum magis patet in materia secundi argumenti: quoniam ad maiorem æstimationem monetæ quæ à Principe magis valet & pluris æstimatur: non opus est aliqua industria ipsius habentis; Quapropter totam illam monetam tenetur restituere, quam per vsuram accepit. Cæterum ad lucrifaciendum aliquid cum ipsa pecunia, vel cum re vsu consumptibili: requiritur industria habentis tanquàm causa principalis. Ex prædicta doctrina etiam sequitur, quomodo facienda sit restitutio in duobus casibus, & similibus. Primus casus est, quando aliquis per usuras extorsit obligationem temporalem ad aliquam commoditatem vsurarij, v.g. si extorsit obligationem ad colendum agrum ipsius vsurarij. Alter casus est, si extorsit obligationem ad obtinendum aliquod officium ab ipso Rege, v.g. Præturam aut tabellionatum, obligando mutuatarium ut conferat huiusmodi officia efficaciter. Dicimus ergo, quòd in priori casu solum tenetur usurarius restituere pretium in quo æstimatur illa obligatio colendi agrum; at uero fructus qui ex huiusmodi cultura producti sunt, non tenebitur restituere: quoniam illi fructus producuntur ex agro proprio ipsius usurarij, v.g. ex uinea tanquam ex causa principali. Sed rogat aliquis meritò. Quid si usurarius seminauit agrum proprium tritico alieno per usuram acquisito; nunquid etiam fructus tenetur restituere? Videtur enim quòd sic: quia causa principalis illorum fructuum est semen alienum, ager enim non concurrit efficienter ad fructificandum, ergo saltem bonã partem fructuum debet restituere domino tritici. Respondetur. Nihilominus, quòd vsurarius non tenetur restituere nisi tantũ ipsum quod accepit: nisi forte ratione damni emergentis; quia mutuatarius paratus erat seminare illud triticum & non habebat aliud quod seminaret. Ratio est: quia ut iam diximus in superioribus, potentia proxima tritici ad fructificandum, si materialiter consideretur: non habet à seipso, sed per humanam industriam & agriculturam: & hoc est quod pretio æstimatur apud omnes vltra triticum. Nam potentia illa quam diximus esse remotam, non habet pretium distinctum à pretio tritici. Vnde ad obiectionem respondetur, quòd quanuis physicè loquendo, principalior causa fructificandi est triticum cum sua virtute seminali: tamen moraliter loquendo non est causa principalis, quoniam consideramus ualorem rerum & commoditatem; & quia in tritico non distinguimus ualorem uirtutis fructificatiuæ à ualore ipsius tritici: ideò diximus, quòd moraliter loquendo non est causa principalis illorum fructuum triticum, sed agricultura & ipse ager qui fructificat dominò. In altero vero casu oportet distinguere; si enim qui se obligauit ad obtinendum officium illud, erat quidam tertius, qui quidem se obligauit, ad faciendam certam quandam diligentiam, & illam adhibuit: tenebitur vsurarius illi restituere quantum æstimabitur illa diligentia. Cæterum si officium collatum est vsurario à Principe propter illius merita: non tenebitur pro officio quicquam restituere. At vero si Rex ipse erat mutuatarius, & ratione mutui obligauit se ad conferendum officium usurario & contulit: tunc usurarius quamdiu exercet officium, non tenebitur restituere pretium taxatum pro operis ipsius officij: tenebitur autem renuntiare officio in manibus ipsius principis. Ratio omnium istorum est eadem; quoniã illa quæ diximus quòd usurarius non tenetur restituere, debentur sibi uel propter sua merita, uel propter suum laborem. Sed obijciet aliquis contra. Quia ille usurarius non erat uerus officialis, quando accipit officium à Rege ratione mutui; ergo non habebat titulum accipiendi stipendia taxata ueris officialibus. Est exemplum in nostra schola. Si quis non magister obtineret cathedram quam dicunt proprietatis, & non esset uerus Magister; non haberet titulum percipiendi fructus taxatos Magistro proprietatis; ergo neque tabellio poterit percipere stipendia taxata uero tabellioni. Respondetur distinguendo de stipendijs taxatis v g. tabellionibus, sunt enim quædam stipendia honorifica pro dignitate officij, alia uero sunt stipendia mercenaria purè pro labore operum. De primis stipendijs certum nobis est, quòd qui non habet uerum titulum non potest illa percipere & ideo tenetur ea restituere. At uerò secundi generis stipendia non tenetur restituere; quoniam illa respondent labori utili communitati, unde idcircò in casu posito in oblectione, ille qui non habet uerum gradum magisterij, non tenebitur restituere totum stipendium: sed poterit aliquid sibi retinere pro labore utili communitati. Et idem censendum est de illo qui habet beneficium curatum, & tamen non est uerè parochus, propter aliquod impedimentum, v.g. illegitimitatis; poterit enim retinere partem aliquotam correspondentem officio ministrantis: sicut si ille esset substitutus ueri parochi. Nam ipsam & ecclesia, quamdiu est communis error populi putantis illum esse uerum parochum, concedit illi facultatem substituti. Alia uero stipendia maiora quæ correspondent dignitati officij nemo poterit percipere, nisi habeat uerum gradum uel uerum titulum requisitum ad tale officium.

DVBITATVR tertiò. Vtrum omnia usurarij bona sint obnoxia restitutioni? Pro cuius intelligentia aduertendum est, quòd bona usurarij sunt in triplici differentia. Alia quidem per usuras extorta, alia uerò pecunijs usurarijs cõparata; alia denique quæ iusto titulo possidet, quale est patrimonium & alia bona contractu iusto acquisita. Dubitamus ergo, utrum omnia huiusmodi bona pariter sint obligata ad restituendum usuras mutuatario. Videtur uera pars negatiua, quoniam bona obligata alteri, nemo potest per contractum ualidum alienare; sed usurarius potest per contractum ualidum plurima bona ex prædictis alienare, imò etiam aliquando bona per usuram extorta, non solum usu cõsumptibilia sed etiam bona fructuosa quæ comparauit pecunijs usurarijs: ergo non omnia bona sunt restitutioni obnoxia.

In oppositum est, quòd ipsemet usurarius personaliter est obligatus ad restituendas usuras mutuatario; ergo omnia bona illius sunt obligata. Hanc quæstionem celebrem inter Iuristas & Theologos disputat egregiè Caietanus in opusculo de usuris citato, & refert uarias sententias Iurisperitorum & eas conciliat. Item Magister Soto eandem disputat quæstionem lib. 6. de iusti. quæst. 1. art. 4. in responsione ad argumenta.

PRO decisione huius difficultatis sit prima conclusio. Omnia in uniuersum usurarij bona, sunt obligata restitutioni usurarum. Probatur primò, argumẽto in oppositum facto. Deinde probatur. Quoniam mutuatarius habet ius ad repetendum ab usurario usuras quas accepit; hoc autem ius executioni mandatur à iudicibus in quibuslibet bonis usurarij, ergo omnia illius bona sunt obligata tali restitutioni. Et confirmatur. Quoniam alij creditores habent ius ad quælibet bona debentium, ergo & mutuatarius habet ius ad quælibet bona usurarij. Probatur consequentia: quoniam mutuatarius non est peioris conditionis, quàm alij creditores, neque usurarius est melioris conditionis, quàm alij debitores. Et denique. Omnia bona furis siue latronis, sunt obligata restitutioni, ergo omnia bona usurarij. Hæc conclusio asseritur expresse à D. Thom. in solutione ad secundum argumentum. Verumtamen quia non est eadem ratio obligationis in omnibus bonis, aduertendum est: quòd est duplex obligatio, quædam dicitur obligatio realis: aliã uero personalis. Realis quidem obligatio oritur ex ipsa re, & inde solet refundi in personam quæ est domina illius rei. Item huiusmodi obligatio perpetua est quæ perpetuo comitatur rem ipsam ubicunque fit, idcircò dicitur realis obligatio. Personalis uero obligatio ortum habet ex ipsa persona & in illa est immediatè: quanuis inde refundatur in ipsas res & in bona illius personæ; & talis obligatio deriuata, non comitatur perpetuo rẽ, sed personam, & illa defuncta comitatur aliam personam quæ loco illius succedit in bona ipsius: ita sanè ut personalis obligatio non transeat in emptorẽ, transeat uero in hæredem: quoniam emptor non succedit loco personæ uenditoris, hæres uero succedit loco defuncti.

Hoc supposito sit secunda conclusio. Bona usurarij pecuniis vsurariis comparata, aut quolibet alio titulo iuste possessa, v. g. ex patrimonio uel donatione habita, obligata sunt ad restitutionem faciendam mutuatario, obligatione personali non obligatione reali. Probatur: quoniam res quælibet solum est obligata obligatione reali uero domino, uel de uoluntate ueri domini, sed huiusmodi bona non sunt mutuatarii tanquàm domini, ut iam ostendimus supra, sed potius sunt usurarii: ergo tantum obligatione personali obligata sunt. Confirmatur. Si huiusmodi bona sint res fructuosæ & non usu consumptibiles, fructificant ipsi usurario, non autem mutuatario; ergo non habent obligationem realem.

Tertia conclusio. Res per usuras acquisita quę non est consumptibilis usu, obligata est obligatione reali ad restitutionem faciendam mutuatario. Probatur ex opposita ratione, quoniam res quælibet obligata obligatione reali ea est, quæ uero domino fructificat si fructuosa est, sed dominium talium rerum manet semper apud mutuatarium & illi fructificant: ergo obligatæ sunt obligatione reali.

Quarta conclusio. Res per usuram acquisita usu consumptibilis, non est obligata obligatione reali ad restitutionem faciendam mutuatario. Probatur primo, quoniam obligatio realis semper comitatur rem ipsam ubicunque sit; sed si usurarius rem vsu consumptibilem alienet à se transfert aliquando dominium illius & fit libera ab huiusmodi obligatione: ergo non obligabatur obligatione reali. Maior constat apud omnes, ex discrimine supra posito inter obligationem realem & personalem: minor autem probatur: quoniam si usurarius pecunijs usurariis emat agrum, transfert dominium pecuniarum in uenditorem & manent liberæ pecuniæ ab omni obligatione restitutionis faciendæ mutuatario. Confirmatur. Quoniam realis obligatio differt à personali, quòd realis transit in emptorem; sed in emptorem rerum consumptibilium non transit obligatio aliqua cum ipsis rebus: ergo illa non erat obligatio realis. Secundo probatur, res usu consumptibiles per usuram acquisitæ non sunt necessariò eædem restituendæ, sed sufficit quòd aliæ similes & eiusdem ualoris & pretii restituantur; at vero realis obligatio sequitur semper eandem rem in indiuiduo non autem

autem in specie; ergo. Maior ab omnibus acceptatur, minor explicatur. Si usurarius per usuras accipit agrũ quem postea sterilem reddit, tũc etiam si habeat aliũ agrum eiusdem speciei & pretij, non transit realis obligatio ab illo agro sterili ad agrum propriũ quẽ antea habebat. Confirmatur. Si usurarius pecuniam per usuram acquisitam accumulet cum alia pecunia simili, uel etiam triticum per usuram acquisitum cõiciat in horreum in quo habebat copiã proprij frumẽti, tunc in tali casu non est cur magis dicamus, has pecunias indiuiduas, uel hoc singulare triticum obligari reali obligatione ad restitutionem faciẽdam mutuatario: quàm illas pecunias & illud hordeũ quod antea habebat, imo uerò in tali casu ita iudicandum est de obligatione ad restitutionem, atque si consumpsisset pecunias & triticum: unde omnia illa bona manent obligata obligatione personali. Hæc quarta conclusio, uidetur esse contra Caietanum opusculo citato de usura quæstione. 4. qui uniuersaliter asserit omnia bona per usuras acquisita obligari obligatione reali ad restitutionem faciendam mutuatario. Minor etiã probatur, nã Soto ubi suprà disputans hanc difficultatem, nullam mentionem facit de rebus usu consumptibilibus.

Cæterùm pro sententia Caietani & contra nostram quartam conclusionem facit ratio adducta pro tertia conclusione, scilicet, res quælibet obligata est obligatione reali uero domino; sed res etiam per usuram acquisitæ usu consumptibiles non sunt usurarij tanquam domini, sed sunt mutuatarij, ut iam ostendimus non transferri dominium illarum rerum, ergo falsa est nostra conclusio. Respõdetur quòd reuera illa ratio pro tertia conclusione quæ est Caietani non est sufficiens nisi addatur illi, quòd talis res sit obligata eadem numero restitutioni faciendæ; imo uerò idcircò habet locum illa ratio in rebus quæ non consumuntur usu: quoniam illæ in indiuiduo sunt obligatæ restitutioni uero domino faciendæ: deficit autem in rebus usu consumptibilibus etiam si non sint cõsumptæ: quoniam tales res non sunt necessariò eædem numero restituendæ.

Ad argumento uero factũ in principio dubij pro parte negatiua ex dictis patet responsio: etenim res quæ usu non consumuntur non possunt alienari illa ratione & propterea diximus: non esse obligatas obligatione reali, si sint extortæ per usuram. At uero res usu consumptibiles possunt alienari aliquando, & id circò asserimus, eas obligari obligatione tantum personali. Quod si aliquis obijciat. Quid igitur prodest asserere, quòd non transfertur dominium huiusmodi rerum in usurarium; siquidem non sunt obligatæ magis obligatione reali quam si transferretur dominium in usurarium? Quemadmodum pecuniæ quas accipit mutuatarius non sunt obligatæ obligatione reali, quin potius mutuatarius est dominus illarum, ergo nulla differentia est inter pecunias, quas accipit usurarius, & pecunias quas accipit mutuatarius quãtum ad obligationem restituendi realem uel personalem sed solum est differentia, quòd usurarius tenetur ratione iniustæ acceptionis, mutuatarius uero tenetur ex ui contractus mutui. Respondetur nihilominus, quòd multum prodest in fauorem mutuatarij, quòd non transferatur dominium pecuniarum quas per usuras accipit usurarius: etenim si per alienationem huiusmodi rerum usu consumptibilium, fiat impotens usurarius ad restituendum; talis alienatio non ualet, quoniam in tali euentu huiusmodi bona succedunt in locum rerum, quæ obligantur obligatione reali, & contractus qui sit cum huiusmodi bonis non est ualidus; esset autem ualidus si similis contractus fieret à mutuatario de pecunia mutuata: quoniam mutuator fecit eum dominum pecuniæ, & non manet obligatus nisi obligatione personali tantùm: quapropter contractus facti à mutuatario de illa mutuata pecunia non fiunt cum iniuria tertij, scilicet mutuatoris: & ideo ualidi sunt, etiam si fiat impotens mutuatarius ipse ad soluendum mutuatum. Contractus uerò facti ab usurario de huiusmodi rebus non sunt ualidi: quoniam fit impotens ad soluendum. Et ratio est, quia usurarius non est factus dominus pecuniæ usurariæ, unde cum iniuria domini est, quòd ille fiat impotens ad soluendum per alienationem pecuniæ alienæ: non est autem cum iniuria mutuatoris, quod mutuatarius fiat impotens ad soluendum, per alienationem mutuati. Et ratio est, quia mutuator liberè nullo cogente fecit illum dominum pecuniæ, dummodo se obligaret ad restituendum, unde poterit mutuatarius illas pecunias ludere uel donare. Ex dictis colligitur quid sit dicendum de uxore, de filijs, de tota familia, qui comedunt & consumunt bona usurarij; An teneantur ad restitutionem uel non? Dicendum est enim, quòd si usurarius non reddatur impotens ad restituendum per quotidianas expensas, & stipendia famulorum: non tenentur prorsus ad aliquam restitutionem. At uerò si fiat impotens ad restituendum, tunc neque uxor neque filij, neque famuli possunt sustentari illis bonis per se loquendo: aliàs tenebũtur ad restitutionem. Ratio est manifesta, quoniam nemini licet alienam rem inuito domino attrectare: sed in huiusmodi casu illi rem alienam inuito domino consumunt: ergo tenentur ad restitutionem, non secùs atque si cum latrone de re furtiua communicarent. Dixi tamen per se loquendo: quoniam per accidens ex circunstantia, licitum erit uxori & filijs comedere de illis bonis ratione extremæ necessitatis, quia non habent aliundè quomodo sustententur. Sed consulendum erit filijs ætate proiectis: ut quærant sibi cibum aliunde. Famuli etiam excusantur à quibusdam & à Caietano in uerbo usura, quando agunt rem mutuatarij, scilicet, admonendo hærum ne tam magnas usuras exigat, uel etiam procurando pignora mutuatariorum. Sed profectò huiusmodi excusatio non est omnino sufficiens ut illi eripiantur ab omni restitutione. Primò quidem, quoniam ad usurarium ipsum spectat, si pignora illa accipit pro principali & usuris, ea seruare ne à tinea lædantur. Deinde. Illa admonitio si non est efficax, nihil utilitatis affert mutuatarijs, ergo nulla ratione excusabuntur famuli à restitutione alimentorũ & stipendiorum, quando usurarius sit impotens ad restituendum. Quod si quis dicat, quòd saltem quando admonitio est efficax, excusabitur famulus à restitutione. Respondetur, quòd excusabitur ex parte & non ex toto: quoniam nihilominus sustentatur de usuris, propter quod fit impotens usurarius ad soluendum. Vnde dicimus, quòd famuli non excusabuntur simpliciter nisi propter extremam necessitatem.

DVbitatur quartò; Vtrùm hæredes usurarij teneantur ad omnia illius debita persoluenda? In qua quæstione unum certissimum est apud omnes, quòd hæredes tenentur ad omnia debita usurarij persoluenda, saltem secundùm uires & facultates hæreditarias. Probatur. Primo quidem, quantùm ad ipsa bona per usuram acquisita & obligata reali obligatione qualia sunt uinea, uel domus: siquidem realis obligatio est comes indiuidua ipsius rei apud quemcunque inueniatur. Deinde probatur quantum ad alia bona comparata pecunijs usurarijs etiam iusto titulo. Quoniam omnia

illa erant obligata obligatione personali apud ipsũ usurarium; sed hæredes succedunt personæ usurarij: ergo etiam succedunt in obligationem personalem si admittunt hæreditatem. Diximus aũt saltem secũdùm facultates & uires hæreditarias: qm̃ si usurarij debita excedant totam hæreditatem: non tenebũtur hæredes in foro conscientiæ ad soluẽdum illum excessum, etiam si non fecerit inuentarium. Diximus in foro conscientiæ; quoniam in foro exteriori est dubia res inter Iurisperitos, An hæredes qui non faciunt inuentarium teneantur ad omnia bona testatoris persoluenda. Refert Couarruuias lib. 3. Variarum Resolutionum, cap. 3. nu. 8. Iurisperitos de hac re differentes. Et quanuis sit uera in foro exteriori sententia affirmatiua; tamen in foro conscientiæ debet esse certa contraria sententia negatiua. Et ratio est manifesta: quoniam hæredes usurarii non tenentur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis; (supponimus.n. q̃ non sunt cooperati ad usuras extorquendas,) nec tenentur ratione rei acceptæ, ergo non tenebuntur restituere ultra facultatem rei acceptæ quicquam. Cæterum ipsa lex ciuilis & iudices exequutores ipsius legis, procedunt ex præsumptione iusta contra omnes hæredes, qui sine beneficio inuentarii clanculum adeunt hæreditatem testatoris qui erat obligatus debitis: meritò enim præsumũtur q̃ occultant partem hæreditatis, ne persoluant omnia debita. At verò in foro conscientiæ cessat omnis falsa præsumptio: quoniam ipse pœnitens narrat rei ueritatem coram Deo, ergo nulla ratione est obligandus ad restitutionem in illo foro supra uires hæreditarias.

Difficultas autem est hic examinanda, Vtrùm si hæredes usurarii sint duo uel tres, & aliquis eorum non uult soluere, aut certè soluit minimam partem: teneantur reliqui hæredes ad soluendum omnia debita insolidum? Videtur enim uera sententia affirmatiua ex capit. tua nos. de usuris. ubi dicitur, quòd hæredes usurariorum eadem districtione sunt cogẽdi ad soluendas usuras: qua usurarii si uiuerent cogerentur; sed usurarius cogeretur ad soluendas omnes usuras: ergo & hæredes. Secundò probatur. Hæres quilibet succedit loco testatoris: sed testator tenebatur omnia debita persoluere, & omnia illius bona tenebantur saltim obligatione personali: ergo hæres quilibet tenebitur omnia debita persoluere, si nõ excedunt partem hæreditatis. Sed dicet aliquis, q̃ hæres non succedit in totam hæreditatem sed in partem: ac proinde quòd non succedit in totam obligationem ad persoluenda omnia debita sed in partem, pro rata & pro portione ipsius hæreditatis. Contra hoc est replica. Si ipse usurarius possideret solum unum fundum, quæ fuit pars in quam succedit hæres: teneretur ipse usurarius olim soluere omnia debita ex ipso fundo: ergo etiam si hæres succedat solum in illum fundum: tenebitur ex ipso fundo persoluere omnia debita. Deinde, obligatio personalis quæ erat in testatore, non uidetur quòd minuatur, sed potius quòd augeatur: quoniam multi sunt hæredes: sed ipse tenebatur ad omnia debita: ergo etiam singuli hæredes tenebuntur. Antecedens probatur, quoniam singulorum hæredum bona, ẽt quæ alias habebat, uidentur quòd maneant obligata obligatione personali ad persoluenda debita personæ quam repræsentant.

Hanc difficultatem disputat Caietanus in opusculo citato de usuris, quæst. 5. ubi refert sententiam Iurisperitorum asserẽtium cum glossa in cap. tua nos, affirmatiuam partem, scilicet, quòd quilibet hæres tenetur in solidum ad omnia debita usurarii persoluenda. At uero ipse Caietanus & Magister Soto ubi supra tenent partem negatiuam: quam nos censemus certam in foro conscientiæ. Dicimus ergo, q̃ singuli hæredes tenentur pro rata hæreditatis ad soluenda debita testatoris. Probatur hæc sententia, primò quidem, & principaliter, quoniam hæredes usurarii non tenentur ratione iniustæ acceptionis sed solum ratione rei acceptæ: sed singuli acceperunt duntaxat suas portiones: ergo tantum tenebuntur debita soluere pro rata portionis unius cuiuslibet. Confirmatur. Quoniam in petitione hæreditatis, diuiditur inter hæredes simul ius ad exigenda debita, quæ debebantur testatori, & similiter obligatio testatoris ad alia debita persoluenda, sed singulis non contingit totum ius ad recuperandum sibi omnia debita; ergo neque & competit singulis tota obligatio ad soluenda debita.

Probatur secundò. Hæres solùm tenetur ratione obligationis personalis ipsius testatoris ad persoluẽda debita: sed obligatio personalis testatoris diuiditur per singulos hæredes, iuxta singulas portiones hæreditarias: ergo iuxta illas tenebuntur soluere debita. Probatur minor, quia singuli hæredes non succedunt repræsentantes totam personam testatoris, sed partialiter, collectiuè uero repræsentant totam personam. Et hoc patet, quando nepotes sunt hæredes alicuius testatoris: tunc enim repræsentant unã personam condistinctam cum auunculo filio testatoris. Ex hac doctrina facilè possumus dissoluere argumenta contraria.

Ad primum argumentum ex capit. tua nos, respõdetur, quòd æqualitas districtionis comparanda est ad omnes hæredes collectiuè, non ad singulos.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd non singuli succedunt totaliter, sed partialiter. Ad replicam respondetur, quòd si testator non habebat alia bona præter fundum, is qui hæreditauerit fundum, tenebitur ad omnia soluenda: & si multi hæreditabunt fundum, tenebuntur secundùm proportionem hæreditatis.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd obligatio testatoris non minuitur, sed tota manet in ipsis hæredibus collectiuè sumptis.

Dubitatur quintò, Vtrùm usurariorum cooperatores & coadiutores, teneantur ad restitutionem usurarum? De qua re diximus supra quæst. 62. art. 7. ubi uniuersaliter definiuimus, quomodo teneantur ad restitutionem qui concurrunt ad iniustam actionem. Ea ergo recolenda sunt pro præsenti tractatu: quoniam usuraria acceptio species est actionis iniustæ. Nihilominus specialiter animaduertendum est, quòd adiutores & cooperatores ad exercendas usuras, sunt in duplici differentia. Quidam enim gerunt uicem & negotium usurariorum: quidam uero gerunt solum negotium eorum qui recipiunt mutuum.

Sit ergo nobis prima cõclusio. Qui cooperant ad usuras exercẽdas, gerẽtes negotiũ fœneratorum: tenentur ad restitutionẽ totius dãni quod inde sequit mutuatario: etiam si inde nihil utilitatis sibi accesserit. Qui verò gerũt negotiũ tantũ mutuatariorum, non tenentur ad aliquã restitutionẽ: imò neque peccant magis quã ipse mutuatarius: de qua re dicemus articulo sequenti. Exemplum primæ partis conclusionis est, in illis qui discurrunt inquirentes mutuatarios qui ad usuras mutuum accipiant, & ipsi firmant pacta & conuentiones inter mutuatorem, & mutuatarium. Est etiam exemplum in ministris, & famulis usurariorum, qui eorum nomine faciunt contractus usurarios: & quia illorum nego-

tium gerunt, dicuntur communi vocabulo agentes
A seu factores. In eadẽ classe computantur famuli, qui
exigunt debita à mutuatarijs, habentes autoritatẽ ad
cogendos illos iuridicè ad vsuras persoluendas. Di-
ximus habentes autoritatem: quoniam si tantũ mit-
terentur ad petendum vsuras simpliciter, sicut sim-
plex nuntius qui portat debita: non tenerẽtur ad re-
stitutionem. Idem dicendum est de alijs famulis qui
custodiunt pecunias vsurarias; isti.n.non cooperan
tur ad peccatum vsuræ, quicquid alij scrupulosi ni-
mis contra sentientes dicant.

Exemplum secundæ partis conclusionis est in ip-
sis ministris ét ipsius vsurarii, quos precibus inducit
mutuatarius, vt ipsi petãt ab vsurario sub vsuris. Rõ
huius rei est hmõi. Qui negotium gerunt fœnera-
torum, sunt vera cã moralis contractus vsurarii, &
iniustæ acceptionis; qui aũt negotium gerũt mutua
tariorum non sunt cã moralis iniustæ acceptionis,
magis q̃ ipse mutuatarius qui patitur vsuras: ergo il
li priores, & non isti secundi tenentur restituere.
Hinc faciemus gradum ad explicandum id quod in
hac parte est difficilius, scilicet, quando tabellio ipse
tenebitur ad restitutionem, ex eo quòd facit scriptu-
ram contractus vsurarii.

Pro culus rei intelligentia notandum est, ꝙ ipse
tabellio in hmõi scriptura conficienda, dupliciter se
potest habere. Vno modo fideliter explicando rem
C ipsam, vt est à parte rei, v.g. si mutuator det mutuò cẽ
tum aureos & petat, p mutuo & lucro quindecim,
& ipse tabellio sic scribat de verbo ad verbum. Secũ-
do modo potest se habere palliando vsuram, infide-
liter exercens officium suum, v.g. si in eodem casu
posito fidem faciat tabellio ipse, scribẽdo quòd mu-
tuatarius recipit quindecim supra centum.

Sit secunda conclusio. Tabellio qui priori modo
se habet, nõ tenetur ad aliquam restitutionem: imò
neq; peccat aliquod peccatum; qui verò secũdo mõ
se habet, si palliet vsuras in fauorem vsurarii: tene-
tur ad restitutionem: si autem palliet in fauorem mu
tuatarii; non tenetur ad restitutionem. Probatur pri
D ma conclusionis pars. Quoniam tabellio in tali ca-
su facit fidẽ rei oĩno veræ, & nullam facit iniuriam
tertio, ergo neque peccat neque tenetur ad restitu-
tionem. Et quidem ꝙ faciat fidem rei veræ, patet ex
ipso casu: quod autem nullam faciat iniuriam mu-
tuatario: probatur: Quoniam mutuatarius per tale
instrumentum confectum à tabellione, non pote-
rit compelli ad soluendas vsuras, imò si in iudicio
compareat huiusmodi instrumentum declarabitur
nullus & irritus huiusmodi cõtractus, & vsurarius
punietur grauiter. Deinde probatur eadẽ pars. Quia
etiam si instrumentum illud compelleret mutuata-
E rium ad soluendas vsuras: tamen ipse tabellio roga-
tus à mutuatario non faciebat illi iniuriam. Et con-
firmatur. Testes qui interfuerunt tali cõtractui, nõ
tenentur ad vllam omnino restitutionem, imò ne-
que peccant magis, quam si vocarentur vt essent te-
stes cuiuslibet alterius criminis, sunt enim testes ve
ritatis & nullo modo causa malitiæ, ergo idem iudi
cium ferendum est de tabellione.

Secunda vero pars & tertia conclusionis, simul
probantur ratione proportionali. Quoniam tabel-
lio qui palliat vsuram in fauorem vsurarii, est causa
moralis, ratione instrumenti quod conficit ad hoc,
quòd mutuatarius compellatur in iudicio ad soluẽ-
das vsuras; si autem cõficiat in fauorem mutuatarii,
nõ est causa moralis, ꝙ mutuatarius cogatur in iudi
cio soluere vsuras, imò ipse mutuatarius suis preci-
bus cogit illum vt faciat instrumentum in fauorem
illius, ergo nullam facit iniuriã. Hoc ipsum quod de
tabellione dicimus, erit dicendum de testibus q̃ in-
terfunt huiusmodi contractui palliato. Si.n.ie tenẽt
ex parte vsurarii tenentur ad restitutionem; si autẽ
se tenẽt ex parte mutuatarii, ita vt nullo mõ testifica
rẽtur, nisi ab illo rogati: nõ tenentur ad restitutionẽ.

Sed est argumentum contra tertiam partem con-
clusionis. Ipse tabellio tenetur ex iustitia rõne offi-
cii, illud exercere fideliter, perhibendo testimonium
veritati & non palliando mẽdacium: ergo cum pal-
liat cõtractum illum vsurarium, peccat contra iusti-
tiam ét si faciat id in fauorem mutuatarii: ac per con
sequens tenebitur ad aliquam restitutionem. Et con
firmatur. Quia ille saltim peccat contra religionem
B præstiti iuramenti de exercẽdo fideliter officio. Rñ-
detur ꝙ argm̃ probat tabellionem peccare, non solũ
contra religionem præstiti iuramenti peccatum per
iurii: sed etiam contra fidelitatem quã tenentur ser-
uare, ex pacto cum ipsamet republica facto. Cæterũ
non peccat contra ius mutuatarii siquidem gerit po
tius negotium illius rogatus ab illo: & idcircò non
tenetur ille ad aliquam restitutionẽ faciẽdã. Quem-
admodum neque tabellio qui scripturam falsam præ
sentat in iudicio ad defensionem innocentis quem
certo scit esse innocentem, sed impetitur ab aduer-
sario iniquo: quãuis peccet contra religionem iura-
menti & contra iustitiam debitam reipublicæ: tamẽ
C non peccat contra ius iniqui aduersarii qui insequi
tur innocentem, & idcirco non tenetur ad vllam re
stitutionem faciendam particulari personæ: quan-
tuis si respublica damnificaretur ex hmõi falsis testi-
moniis: tenebitur ille tabellio ad restitutionẽ facien
dam reipublicæ. Et hoc probat argumentum effica-
citer. Quæ autem diximus, intelligenda sunt q̃n ta
bellio nouit apertè contractum esse vsurarium: q̃n
si ignoret vel dubitet an sit vsurarius contractus, vel
non, ét si suspicetur esse vsurarium: tñ rogatus & ad
instantiam vtriusque partis conficiat instrumẽtum
palliatiuum vsuræ, nullũ est peccatum ex parte tabel
lionis. Et rõ est: q̃n tabellio ratione officii tenetur
D præstare fidem suam postulatus à ciuibus, & quoniã
ista fides pendet in illo casu à narratione partiũ quã
do ipse nescit aliàs contrarium, tunc veré reddit te-
stimonium: eo vel maximè si ipse admoneat vtranq;
partem ne forte pallient vsuram mẽdacio. Cum igi-
tur vtraque pars habeat certum ius erga tabellionẽ,
vt reddat testimonium contractus quem illi faciũt:
tenetur tabellio etiã si dubitet esse vsurarium, exer-
cere suum officium in fauorem ciuium, quoniam
in dubiis melior est conditio possidentis.

Dubitatur vltimò. An vsurarius mentalis tenea-
tur ad restitutionem. Ratio dubitandi est pro parte
negatiua: quoniam simoniacus mentalis non tene-
E tur ad restitutionem, ergo neque vsurarius. Antece-
dens probatur ex ca. mandato de simonia. Conse-
quentia vero probatur: quoniam proportionabili-
ter se habent in spiritualibus simonia & in tempora
libus vsura.

Secundo arguitur pro eadem parte. Restitutio tã-
tum debetur ratione damni quod datum est alteri,
at vsurarius mentalis nullum damnum dedit alteri,
sicut neque homicida mentalis: ergo non tenetur
quicquam restituere.

Sed in oppositũ est, ꝙ in cap. Cõsuluit de vsuris di
citur, ꝙ vsurarius mentalis ad ea quæ taliter sunt ac
cepta restituenda in animarum iudicio efficaciter
est inducendus. Deinde nos supra ostendimus lu-
crum vsurarium ita iure esse prohibitum, vt eius
dominium non transferatur in vsurarium, quod
si transfertur secundum aliquorum opinionem ta-
mẽ transfertur cum obligatione ad restitutionem.

Deni-

Denique. Quicquid comparatur per iniustum con-
A tractum est lucrum iniustum & obnoxium restitu-
tioni: sed contractus ille mutui est iniustus ratione
mentis iniquæ: ergo lucrum ex illo acceptum obno
xium est restitutioni.

Pro decisione huius difficultatis, reuocanda sunt
in memoria quæ diximus supra artic. 1. huius quæst.
circa responsionem ad quartum argumentum de v-
sura mentali. Ex quibus colligamus hic, quòd ista du
bitatio solum procedit de vsura mentali, secundum
quòd specialiter distinguitur à reliquis vitijs menta
libus, videlicet loquimur de usura mentali, secundũ
quòd distinguitur ab vsura reali, in qua est pactum
explicitum vel implicitum de lucro ratione mutui:
sed tamen in vsura mentali de qua loquimur, recipi-
tur pretium vltra sortem ratione mutui: etiam si nõ
præcesserit pactum aliquod.

Secundò notandum est, quòd contractus iste vsu
ræ mentalis tripliciter potest exerceri: primo modo,
ita ut vtraque pars habeat mentem vsuratiam, alter
recipiendi vsuram ex mutuo, alter vero dandi: &
hæc est perfecta & plena ratio vsuræ mentalis. Alijs
vero duobus modis exerceri potest iste contractus
ex altera parte contrahentium. Sit ergo secundus
modus, quando mutuator habet animum sincerum
& candidum neque recipiendi aliquid ratione mu-
tui ex obligatione ciuili: sed tantum ex gratitudine:
B at vero ipse mutuatarius opinatur mutuatorem ha-
buisse animũ deprauatum & intendere obligare il-
lum ad reddendum aliquid vltra sortem obligatio-
ne ciuili: & cũ hac falsa opinione soluit aliquid ul-
tra sortem. Tertius modus est, quando mutuator ha
bet animum deprauatum, intendens obligare mu-
tuatarium ad soluendas vsuras: sed ipse mutuatarius
non intelligit talem animum, & nihilominus red-
dit aliqd vltra sortẽ ex gratitudine & beneuolentia.

His ita constitutis, dicimus primò, quòd illo pri-
mo modo mutuator certissime est vsurarius menta
lis (de quo loquimur) & tenetur ad restitutionem to
tius lucri & totius damni, quod inde mutuatario est
C sequutum: & sic intelligitur cap. consuluit. citatum,
& hoc probant argumenta facta pro parte affirmati-
ua. At vero in secũdo casu ipse mutuator nullam in-
currit culpam: sed nihilominus tenebitur ad restitu-
tionem illius lucri inquantum factus est ex illo di-
tior. Et ratio est, quoniam ille solum tenetur ratione
rei acceptæ, non ratione iniquæ acceptionis. Verũ
est tamen, ꝙ quandiu non intellexerit mutuatariũ
soluisse lucrum illud ex falsa præsumptione: excusa-
bitur omnino à restitutione facienda. Hæc etiam sẽ
tentia constituta est apud omnes. In tertio vero ca-
sũ aliquid est certum apud omnes, scilicet, quòd mu
tuator quandiu in illa mala fide perseuerauerit, tene
D bitur ad restitutionem ratione conscietiæ erroneę.
Est autem controuersia, An postquam mutuator no
tum habuerit animum mutuatarij & nouerit illum
dedisse lucrum vltra sortem ex mera gratitudine: te-
neat nihilominus restituere? Multi Iurisperiti quos
citat Sylvest. in verbo vsura. 6. quæst. 3. & Sotus ubi
sup. art. 4. tenent, ꝙ ille mutuator manet obligatus
nihilominus ad restitutionem. At vero ipse Sylue-
ster & Caietanus & Sotus tenent contrariam sen-
tentiam, quam etiam nos amplectimur. Et proba-
tur. Quoniam mutuatarius in illo tertio casu reuera
transtulit dominium in mutuatorem absque vlla
actione repetẽdi, sed libere ex gratitudine, ergo mu-
tuator non tenebitur restituere cessante cõscientia
erronea. Antecedens probatur: quoniam mutuata-
rius non soluit aliquid vltra sortem ex obligatione
ciuili, sed ex mera tantum gratitudine, ergo absolu-

A tè transtulit dominium. Et confirmatur. Si quæ ra-
tio est in illo casu lucri vsurarij, tota oritur ex præ-
sumptione falsa, & conscientia erronea ipsius mu-
tuatoris. Hæc autem ratio est secundum quid & di-
minuta, neq; obligat realiter sed ratione conscien-
tiæ erroneæ; ergo cessante conscientia erronea nul-
la relinquitur obligatio. Est exemplum, si quis acce-
pit rem propriam existimans esse alienam, procul-
dubio postquam nouerit non esse alienam non te-
nebitur ad aliquam restitutionem.

Ad argumenta verò pro parte negatiua iam res-
ponsum est, quatenus procedunt contra ea quæ dixi
mus esse constituta apud omnes.

B Ad primum verò argumẽtum in particulari, qua-
tenus procedit contra nostram decisionem respon-
detur, quòd non est præsentis loci disputare de illo
antecedenti, an simoniacus mentalis teneatur ad re
stitutionem, hoc enim pertinet ad quæstionem 100.
in art. 6. sunt enim variæ opiniones de hac re. Nunc
autem dicimus ad argumentum, transeat antece-
dens & negamus consequentiam; & ratio differen-
tiæ est: quoniam in mentali simonia, qui pretium
soluit pro re sacra spirituali, intendit illam emere.
Hæc est autem natura emptionis & venditionis: ꝙ
per huiusmodi contractum transferatur dominiũ,
ac proinde simoniacus mentalis vult omnino trans
C ferre dominium pretii; At vero in vsura mentali,
qui soluit vsuras & redimit suam vexationem, ne-
que intendit transferre pecuniarum dominium in
fœneratorem, & idcirco ille fœnerator tenetur resti
tuere, etiam si usura fuerit mentalis.

Ad secundum argumentum respondetur, quod
vsurarius purè mentalis, si illa dictio, pure, excludat
tantum ipsum pactum explicitum, vel implicitum,
& non excludat receptionem pretii: profecto infert
damnum, & sic loquimur hic de vsurario purè mẽ-
tali: quapropter ille tenebitur restituere.

Ad alia vero argumenta partis affirmatiuæ qua-
tenus possunt militare contra decisionem nostram
in tertio modo positam respondetur, quòd caput il-
lud. Consuluit, intelligendum est de vsurario men
tali simpliciter, & secundum rem: non autem de vsu
rario mentali ex conscientia erronea. Ille enim per
accidens est usurarius, neque tenetur realiter ad re-
stitutionem: sed solum quia existimat se teneri. Quẽ
admodum viceuersa, si quis per ignorantiam inuin
cibilem arbitratur se non teneri ad aliquam restitu-
tionem, excusabitur quidem à peccato si non resti-
tuat: & nihilominus dicemus, quòd ille realiter te-
netur restituere.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd
omnia iura quæ reprobant lucrum vsurarium, effi-
E ciunt ipsos vsurarios incapaces, & inhabiles domi-
nii; sed intelligenda sunt de lucro vsurario secũdũ
rẽ & per se: nõ de lucro quod non est vsurariũ, nisi
tãtũ in præsumptione accipientis pretiũ: quapp nõ
est ille incapax dominii pecuniæ illius, vel illius rei
q̃ sibi datur ex gratitudine mutuatarii: quanuis ipse
putet dari sibi ex obligatione ciuili ratione mutui.

Ad tertium argumentũ respondetur primò, ꝙ lu-
crum prout hic accipitur, & similiter ipse cõtractus
per quẽ accipitur, non habent in illo casu rõnẽ aliq-
quã iniustitiæ à parte rei, sed dũtaxat in æstimatio-
ne falsa accipiẽtis lucrũ: & idcirco cessanti falsitate
illa æstimationis, nõ tenetur ad restitutionẽ aliquã.
Respõdetur secũdò, ꝙ lucrum illud non habet origi
nem ab iniusto cõtractu secũdũ se & à parte rei, sed
potius ab ipsa libera volũtate & gratitudine mutua
tarii, q̃ quidem sufficit transferre dominium: etiã si
ipse recipiens ignoret tiuluũ dominii, quoniam ni-

hilominus habet voluntatem interpretatiuam recipiendi illud lucrum meliori titulo quo potest. Hoc dixerim, quia nemo acquirit dominium contra voluntatem propriã, etiam si alter intendat transferre illud: sed merito præsumitur ille qui habet animum vsurarium recipiendi pretium, quòd multò libẽtius reciperet titulo gratitudinis.

Ex dictis potest colligi, quòd restitutio in casu nostræ controuersiæ, non est facienda pauperibus. Et ratio est, quia comparente vero domino non est locus faciendæ restitutionis pauperibus: sed tunc solũ est facienda restitutio pauperibus, quando ipse verus dominus propter suam culpam meretur amittere dominium, & punitur lege pœnali, & priuatur dominio. At vero hic neque ipse mutuatarius culpam commisit, neque leges puniunt huiusmodi contractus, qui sunt vsurarij per accidens ex falsa æstimatione recipientis pretium.

Denique in fine huius articuli obseruandum est, quòd quanuis dum non comparet verus dominus, liberum sit illi qui tenetur restitutionem facere, illã inconsulto episcopo facere, expendendo pecunias in pios vsus: tamen in aliquo casu non comparenti vero domino, non potest sine facultate episcopi, & consilio restitutionem facere, conuertẽdo pretium in pios vsus: videlicet, quando est vsurarium debitũ realiter. Et ita definitur in cap. quãquã, de vsuris li. 6.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm liceat pecuniam accipere mutuò sub vsura.

3. dist. 37. ar. 6. ad 6. Et mal. q. 13. art. 4. ad 17. & 19. & opusc. 21. q. 3 fin. & opusc. 73. ca. 17.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd non liceat pecuniam accipere mutuo sub vsura. Dicit enim Apostolus ad Roman. 1. quòd digni sunt morte non solùm qui faciunt peccata: sed etiam qui cõsentiunt facientibus. Sed ille qui accipit pecuniam mutuo sub vsuris, consentit vsurario in suo peccato, & præbet ei occasionem peccandi. Ergo etiam ipse peccat.

2. Præterea. Pro nullo cõmodo temporali debet aliquis alteri quamcunque occasionem præbere peccandi. Hoc enim pertinet ad rationem scãdali actiui, quod semper est peccatum, vt supra † dictũ est. Sed ille qui petit mutuũ ab vsurario, expressè dat ei occasionem peccandi. Ergo pro nullo cõmodo temporali excusatur.

q. 43. art. 3.

3. Præterea. Nõ minor videtur esse necessitas quandoq; deponendi pecuniam suam apud vsurariũ, quàm mutuum accipiendi ab ipso. Sed deponere pecuniam apud vsurarium, omnino videtur esse illicitum, sicut illicitum esset deponere gladiũ apud furiosum, vel virginem committere luxurioso, seu cibum guloso. Ergo neque licitum est accipere mutuum ab vsurario.

Sed contra, ille qui iniuriam patitur, non peccat, secundum † Philosophum in 5. Ethic. Vnde iustitia non est media inter duo uitia, ut ibidem † dicitur. Sed vsurarius peccat, inquantum facit iniustitiam accipienti mutuũ sub vsuris. Ergo ille qui accipit mutuum sub vsuris, non peccat.

† 5. e. cap. 11. à med. tom. 1. La 3. 2. 3. declinando à sinistro, tom. 1

Respondeo dicendum, quòd inducere hominem ad peccandum nullo modo licet: uti tamẽ peccato alterius ad bonum, licitum est, quia & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum. Ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum, ut dicitur in † Enchirid. Et ideo † August. Publicolæ quærenti, vtrum liceret vti iuramento eius, qui per falsos deos iurat, in quo manifestè peccat, eis diuinam reuerentiã adhibens, respondet, quòd qui utitur fide illius, qui per falsos deos iurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius sociat, quo per dæmonia iurauit, sed pacto eius bono, quo fidem seruauit: si tamen induceret eum ad iurandum per falsos deos, peccaret. Ita etiam in proposito dicendum est, quòd nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & vsuras exercet, mutuum accipere sub vsuris, ,ppter aliquod bonũ, quod est subuentio suæ necessitatis vel alterius. Sicut etiã licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona quæ habet, quæ, latrones peccant diripiendo, ad hoc ꝙ non occidatur, exemplo decem virorũ, qui dixerunt ad Ismael: Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro, ut dicitur Ierem. 41.

Aug. Enchir. ca. 11. tom. 1. Et 2. tom. Iur. ga. 3. 11. tom. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd ille qui accipit pecuniam mutuò sub vsuris, non consentit in peccatum vsurarij, sed utitur eo, nec placet ei vsurarum acceptio, sed mutuatio, quæ est bona.

Ad secundum dicẽdum, quòd ille, qui accipit pecuniam mutuo sub usuris, non dat occasionem usurario usuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui: unde scandalum passiuum ex parte sua est, non autem actiuum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter huiusmodi scandalum passiuum debet alius à mu-

à mutuo petendo desistere, si indigeat: quia huiusmodi passiuum scandalum nõ prouenit ex infirmitate vel ignorantia, sed ex malitia.

Ad tertium dicendum, quòd si quis committeret pecuniam suam vsurario nõ habenti aliàs vnde vsuras exerceret, vel hac intentione committeret, vt inde copiosius per vsuram lucraretur, daret materiam peccandi: vnde & ipse esset particeps culpæ. Si autem aliquis vsurario aliàs habenti vnde vsuras exerceat pecuniam suam committat, vt tutius seruetur, non peccat, sed vtitur homine peccatore ad bonum.

SVMMA ARTICVLI.

PRima conclusio. Inducere aliquem vt det mutuum sub vsuris peccatum est.

Secunda conclusio. Licitum est accipere mutuum sub vsuris ab eo qui paratus est dare.

COMMENTARIVS.

DVbitatur circa primam conclusionẽ. An in aliquo casu sit licitum inducere aliquem ad mutuandũ sub vsuris. E

Pro parte affirmatiua arguitur primo. Si Petrus debeat Ioanni centum quæ non põt aliter Ioannes recuperare, licitum erit mihi inducere Ioannem vt mutuet illi sub vsuris; ergo &c.

Secundò. Si Ioannes, v. g. statuit occidere Petrum, possum ego inducere Ioannem, vt mutuet illi sub vsuris, & ita se vindicet de illo, ergo &c. Rndetur, ꝙ illa propositio intelligenda est de vsura formaliter, & per se loquendo, ita vt inductio illa habeat pro obiecto & termino mutuationem sub vsuris. Et idcò in illis casibus licita est talis inductio: quia nõ est inductio ad vsuram. Vnde ad primum respondetur, quòd tunc nulla est vera vsura sed tantum fictitia, sed verè est reparatio proprii boni. D

Ad secundum respondetur, quòd illa inductio potius habet rationem defensionis proximi quàm iniuriæ. Est autem licitum monere ad minus malum hominem paratum ad maius malum, quod optimè probat Soto lib. 6 de iust. quæst. 1. art. 5. contra Caietanum in commentario super istum articulum.

DVBITATVR Secundo circa secundam cõclusionem, vtrum ab vsurario parato exercere omnem vsuram, sit licitum petere mutuum his verbis, da mihi mutuum sub vsuris? Pro parte negatiua arguitur primò. Ille actus est malus intrinsecè ex obiecto; ergo non est licitum petere ab aliquo vt illum faciat. Secundò, quod licitum est petere licitum est vel de, & desiderare vt fiat & complacere si fiat; sed non est licitum desiderare & complacere in illo actu: ergo neq; petere. Tertiò. Si qua rõne esset licita illa petitio, maximè quia ille est paratus mutuare sub vsuris; sed sequeretur ꝙ eadem rõne licitum esset petere ab homine parato ad fornicandum, vt fornicaretur cum muliere parata ad fornicandum ostendendo illi vbi habitet mulier præsertim si ipsi petẽti aliquod cõmodũ accederet. Patet sequela, quia in isto casu neuter scandalizat, quia erãt parati ad fornicãdũ. Quartò. Nõ est licitũ petere à malefico vt soluat maleficiũ arte dæmonis, etiam si ille sit paratus. Itẽ non est licitum petere ab idolatra, ut iuret per falsum Deum, etiam si ille sit paratus, ergo.

Ad hoc dubiũ Theologi in. 3. d. 37. Dur. q. 4. & Palud. q. 2. tenet partẽ negatiuã & Caie. hic & in opus. 17. tnsione. 14. & in qõne de maleficiis, & D. Antoninus in 2. parte. tit. 1. cap. 9. §. 14. & Conradus de contractibus q. 47. & Iuristi periti. in ca. super eo de vsuris. Nauar. in Manuali c. 17. nu. 262. & 263. excipit tñ ipse vnum casum, qñ petens fuerit in extrema necessitate, tunc n. petens mouet mutuãtem ad minus malum quod est licitũ; eo ꝙ ille à quo petit mutuum sub vsuris magis peccabit non dando q̃ dãdo sub vsuris. Etenim nõ dando reus est homicidij, qd̃ peccatum est maius, q̃ vsuræ. Sed pro parte affirmatiua sunt aliqui Theologi moderni, inter quos fuit Magister Cano. Et aliqui eitant in hanc sniam Soto lib. 8. de iust. q. 2. art. 4. sed ille non dicit nisi ꝙ est licitum recipere sub vsuris mutuum & recipere iusm per falsos deos ab hoibus paratis, non autẽ petere; quin potiùs lib. 6. de iusti. q. 1. art. 5. vniuersaliter dicit non esse licitum petere ab aliquo actum quem ille non potest exercere absque peccato. B

PRO decisione sit prima cõclusio. Pars negatiua vera est & necessaria, si petitio illa accipiatur formaliter & per se loquendo secundum significationem verborum. Et hoc probant sufficienter argumẽta facta pro parte negatiua.

Secunda conclusio. Attentis circunstantiis rerum & personarum, pars affirmatiua vera est, & absque aliquo scrupulo. Et ratio est, quia intentio petentis non habet pro obiecto actionem dantis mutuũ sub vsuris, quatenus ab illo procedit, sed passionem ipsius recipientis mutuum sub vsuris: quæ quidẽ passio bona est. Est. n. sensus illorum verborum, attentis circunstantiis, da mihi mutuũ, sed quia certus sum ꝙ non dabis nisi sub vsuris, ego recipiam sub vsuris, & patiar hoc damnum. Et hic modus loquendi etiã inuenitur in sacris literis, v. g. Matth. 23. Et uos implete mensuram patrum vestrorum. Et Io. 13. quod facis, fac citius. Hoc est paratus sum pati mortem & traditionem. Secundò probatur. Quia licitum est accipere mutuum sub vsuris: ergo petitio quæ habet illud ipsum obiectum bona est. Sed perinde est dicere da mihi mutuum sub vsuris æquiualenter, atque dicere peto vt ego recipiã mutuũ sub vsuris. Et licet Duran. & Palu. & Antoninus vbi suprà cũ teneant partem negatiuam dicunt, ꝙ communiter excusantur petentes mutuum sub vsuris ex negligentia vel ex ignorantia, uel quia certi sunt, quòd vsurarius non dabit mutuum nisi sub vsuris. D

Ad argumenta in oppositum quatenus militant contra secundam conclusionem respondetur. Ad primum respondetur, quòd obiectum petentis mutuum sub vsuris non est intrinsecè malum, etiam si dare mutuum sub vsuris sit intrinsecè malum, quia obiectum petentis non est nisi mutuum, quod autẽ dicit, sub vsuris, permissiue dicit: sicut qui vult potiõnem amaram accipere non habet pro obiecto amaritudinem neque complacet de amaritudine, sed de sanitate & curatione. Secundum argumentum eandem habet solutionem. Ad tertium respondetur, ꝙ non solum est licita illa petitio, quia vsurarius est paratus, sed quia petens petit actum quem alter potest exercere absque peccato, scilicet mutuare. Cæterum qui petit ab altero vt fornicetur, petit actum quem alter non potest exercere sine peccato. Ad quartum respondetur, concedo antecedens & nego consequentiam, quia magus non potest exercere illum actum absque peccato, quòd si fuerit aliquis E

quis magus q̃ sine inuocatione dæmonis possit soluere maleficiũ vel declarãdo vbi sit vt alij soluant, licitum est petere ab illo vt soluat maleficium: vt optimè aduertit Caietanus in qõne de maleficis. Et fortassis ita intelligendi sunt Aureolus in 4. dist. 34. & summa Angelica in verbo superstitio, asserentes licitum esse petere à malefico, vt soluat maleficiũ. Ob seruandum est tñ ꝙ quãuis D. August. in epist. ad Publicolam quæ est 154. nunquã cõcedat licitũ esse petere tale iusm per falsos deos, sed recipere: nihilominus illa petitio, iura mihi per tuum idolum, ꝙ seruabis fidem, põt habere bonũ sensum ex circunstantiis, s. quia sic petens, certus est, ꝙ ille infidelis non aliter iurabit nisi per falsum deũ, neque aliter seruabit fidẽ, & intentio petentis nõ fertur nisi tñ ad iuramentum quod licite fieri poterit. Permittit ait ꝙ ille iuret per falsum Deum propter suam commoditatem proportionabiliter, sicut diximus de petente mutuum sub vsuris.

A cundum decentiam status cuiuslibet.

DVBIVM tertium est vtrum sit licitum absq; aliqua necessitate vel propria commoditate, petere vel recipere mutuum sub vsuris? Arguitur primò, p parte negatiua. Nam D. Tho. dicit esse licitum cum limitatione, s. pp bonũ proprium vel alterius, & hoc ipsum insinuat in solutione ad secundum. Secundò. Quilibet tenetur ex charitate impedire peccatũ proximi, quotiescumq; potest sine proprio detrimento, sed qui petit vel recipit ad vsuras absque aliqua propria commoditate potest impedire peccatum proximi non petendo: ergo tenetur non petere nec recipere. Et si rndeas, ꝙ ille vsurarius iam paratus erat ad omnem vsuram & peccauerat; contra ille vsurarius de nouo peccat exercendo istum actum in singulari, nam tenetur confiteri illum actum singularem, neque sufficit confiteri separatum esse ad omnem vsuram; ergo de nouo peccat, ac per consequẽs ego poteram illud euitare peccatum non recipiendo ad vsuras.

B peccat ex genere suo, & cũ hoc peccato communicat ille qui deponit vsuras apud vsurarium, quia dat illi materiam infidelitatis. Alterum peccatum quod committit vsurarius, est iniustitiæ cõtra eos cũ quibus exercet vsuras, & in hoc peccato nõ cõmunicat qui deponit pecunias, q̃a tm intendit custodire suas pecunias. Cæterum hæc sntia Caietani maximè quã tum ad secundũ dictum falsa vr viris doctis. Quantum ad primũ dictũ mihi non placet: quia rõ secundi dicti, si quid valet, probat falsum esse primum dictũ. Siquidem deponens pecuniam non intendit ꝙ depositarius infideliter agat, sed custodire suam pecuniam. Probatur. Nam D. Tho. in solutione tertii inquit, ꝙ ille qui deponit pecunias apud vsurariũ fit particeps culpæ vsurarii. Et certum est, ꝙ loquit de culpa quã cõmittit vsurarius exercendo vsuras. Sed illud peccatum est iniustitiæ: ergo qui deponit pecunias est particeps iniustitiæ & tenetur ad restitutionem. Secundò. Qui deponit gladium apud hoẽm iratum contra alterum cum quo occiturus est illum peccat peccatum homicidii, si hoc præuideat, ergo similiter in nostro proposito. Et confirmatur. Si quis deponeret arma apud illum quem videt cũ his illaturum bellum iniustum, peccat idẽ peccatum, ergo &c. Tertiò. Si quis depositarius reddat depositũ dño, volenti cum illo iniuriam alicui tertio inferre, peccat peccatum iniustitiæ: & tenetur ad restitutionẽ damni subsequuti: vt diximus suprà quæst 62. ar. 5. ergo multo magis peccat contra iustitiam, ille qui deponit proprias pecunias apud vsurarium paratum inferre iniuriam alicui tertio. Patet consequentia. Nam depositarius ille tenebatur aliàs iure naturæ reddere depositum, nisi adesset illa circunstantia; qui uero deponit proprias pecunias nulla obligatione, sed vltro deponit, stante eadẽ circunstantia: ergo multo magis peccat. Et confirmatur. Si quis furi paratissimo ad furandum det clauem adulterinam, fit particeps furti illius, ut patet in l. si pignore. §. si ferramenta, ff. de furtis, ergo similiter in casu posito.

C

D

E Ad rationem Caietani, scilicet, quòd ille qui deponit pecunias id facit propter suam commoditatem quam non tenetur amittere propter malitiam vsurarij. Respondetur, quòd in illo casu tenetur amittere suam commoditatem, ne fiat iniuria alicui tertio, non solum ex charitate. Nam hæc non obligat sæpenumero cum tanto detrimento; sed tenetur ex iustitia non dare instrumenta quibus præuideat iniuriam faciendam esse proximo: aliàs talis iniuria est ipsi voluntaria indirecte. Ob hæc argumenta est valde probabilis hæc sententia: nihilominus sententia Caiet. & mihi ita videtur, dummodo qui pecunias deponit non intendat nisi propriam commoditatem securi depositi.

Ad argumenta in oppositum respondetur, quòd est differentia maxima inter mutuatarium qui soluit vsuras, & alios quibus infertur vis. Nam mutuatarius mouetur ab intrinseco ad querendum

mutuum

mutuum etiam non obstantibus vsuris propter suã commoditatem, & gaudet inueniens mutuatorem etiam vsurarium: vnde non propriè anticipatur per vim vsuratij; neque conqueritur de illo qui deposuit pecunias apud vsurarium sicut meritò conqueritur ille, qui percutitur aut qui spoliatur de illo dedit gladiũ vel ferramentum. Cæterũ S. Thom. potest intelligi, quando depositor non amittit suam commoditatem. Tũc n. videtur dare occasionẽ vsurario peccandi. Hactenus de materia vsurarum.

De Censibus.

POST quam doctrinam sunt aliqui contractus in quibus solet palliari vsura, vt est emptio & vẽditio ad creditum, sed de hoc diximus, q. 77. art. 4. de cæteris verò contractibus dicemus statim.

DE quatuor speciebus contractuum agendum nobis est, in quibus solet palliari vsura, scilicet de emptione & venditione censuum. Secundo de Assecurationibus. Tertio de Societatibus. Quarto de Cambijs. De primo igitur contractu disputat Doctores in 4. dist. 15. Conrad. de contract. q. 79. Ioannes de Medina in quæstione speciali de censibus. Soto lib. 6. de iust. q. 5. Couar. lib. 3. Variar. cap. 7. Nauar. super caput primum. 14. q. 3. nu. 16. Nobis autem circa ittã materiã quatuor dennienda sunt. Primum quid sit census. Secundum super quam rem possit constitui census. Tertium quotuplex sit census. Quartum quę nã conditiones sint necessariæ ad iustificationem census. Circa primum nota, ꝙ non accipimus hic nomen census pro re familiari, nec vero pro tributo quod soluitur regibus; sed accipitur vt significat ius percipiendi annuã pensionem ex contractu emptionis & venditionis. Vt v. g. emit Petrus à Paulo pro quatuordecim ius percipiendi ab illo vnum singulis annis: illud ius est census secundum præsentẽ considerationem. De secundo verò communis sententia est, ꝙ census potest constitui super re fructifera. v. g. super agro, vinea & domo. Vt si Petrus emat à Paulo ius percipiẽdi ex agro illius tres modios tritici, vel mille dipondia singulis annis.

A Tertiò. Obligatio cuiuslibet personæ quã super se accipit ad soluendam pensionẽ, vel pecuniam, vel seruitutem, ita vt illo tempore statuto non sit sui iuris sed maneat vbi dominus voluerit, totũ hoc pretio estimabile est, ergo poterit vẽdi, si fuerit emptor. Confirmatur. Nã nemo est tam pauper & nudus qui ex industria sua non possit eleemosynas colligere, vnde obligetur per totã vitam singulis annis soluere pensionem vnius argenti; ergo persona illius poterit obligari ad illã pensionem. Ex hac conclusione sequuntur tria. Primum est, censum posse constitui super incerta bona. Secundum est, posse constitui super bona minoris valoris quam sit census. Tertiò. Super bona facilè peritura non pereuunte censu. Ratio omnium istorum est, quoniam cum census possit constitui super ipsam personam immediatè inde suppletur, qd deficit in bonis super quæ cõstituitur census. Sed cõtra ittã conclusionẽ arguitur sic. In tali contractu venditur & emitur id quod reuera non est, neq; in se neq; in sua causa, ergo talis contractus hẽt effigiem vsurę. Ad hoc argumentũ rndetur primò, nego antecedẽs. Quia reuera id qd emit partim est in se, partim est in sua cã: emitur. n. ius ad exigendum à Paulo pensionẽ annuã, vnde obligatio reuera est in Paulo & pretio æstimabilis: pensio vero est in illo tanquã in cã, qui industria sua tenetur acquirere vnde soluat. Secundò rndetur, nego cõsequentiam & rõ est: quia vsura non cõmittitur vbi non est mutuum: at verò in casu posito neq; est mutuũ explicitè neq; implicitè, eo ꝙ ipsum capitale qd est pretiũ nunquã tenetur Paulus reddere Petro, ꝙ si in illo contractu est aliqua iniustitia: illa tenet se ex parte vendentis, quia vendit id quod non est. Sed neq; illa iniustitia reperitur illic. Rõ est: quia scienti & propria sponte volenti non fit iniuria: sed emẽs censum sup nudam personam est sciens, qd emit, & propria sponte vult emere: ergo nulla fit iniuria illi. Et per hoc respõdetur ad aliud argumentũ huic simile, scilicet, non est licitũ emere à Rege iura fictitia, ergo neq; in casu posito emere cẽsum sup nudam personam. Respondetur. n. ad antecedens, ꝙ si ille qui emit iura fictitia ignorat esse fictitia, iniuriã patitur à Rege: si autẽ sciat esse fictitia, nullam patitur iniuriam si vult emere obligationẽ Regis ad soluendam pensionem. Atque hactenus de hoc secundo dubio.

B Super bona facilè peritura non pereuunte censu. Ratio omnium istorum est, quoniam cum census possit constitui super ipsam personam immediatè inde suppletur, qd deficit in bonis super quæ cõstituitur census. Sed cõtra ittã conclusionẽ arguitur sic. In tali contractu venditur & emitur id quod reuera non est, neq; in se neq; in sua causa, ergo talis contractus hẽt effigiem vsurę. Ad hoc argumentũ rndetur primò, nego antecedẽs. Quia reuera id qd emit partim est in se, partim est in sua cã: emitur. n. ius ad exigendum à Paulo pensionẽ annuã, vnde obligatio reuera est in Paulo & pretio æstimabilis: pensio vero est in illo tanquã in cã, qui industria sua tenetur acquirere vnde soluat. Secundò rndetur, nego cõsequentiam & rõ est: quia vsura non cõmittitur vbi non est mutuum: at verò in casu posito neq; est mutuũ explicitè neq; implicitè, eo ꝙ ipsum capitale qd est pretiũ nunquã tenetur Paulus reddere Petro, ꝙ si in illo contractu est aliqua iniustitia: illa tenet se ex parte vendentis, quia vendit id quod non est. Sed neq; illa iniustitia reperitur illic. Rõ est: quia scienti & propria sponte volenti non fit iniuria: sed emẽs censum sup nudam personam est sciens, qd emit, & propria sponte vult emere: ergo nulla fit iniuria illi. Et per hoc respõdetur ad aliud argumentũ huic simile, scilicet, non est licitũ emere à Rege iura fictitia, ergo neq; in casu posito emere cẽsum sup nudam personam. Respondetur. n. ad antecedens, ꝙ si ille qui emit iura fictitia ignorat esse fictitia, iniuriã patitur à Rege: si autẽ sciat esse fictitia, nullam patitur iniuriam si vult emere obligationẽ Regis ad soluendam pensionem. Atque hactenus de hoc secundo dubio.

C

D

E

De tertio vero sciendũ est quòd ex quadruplici capite sumitur multiplex diuisio censuũ, vel ex parte modi faciendi contractuũ, & sic alius est census reseruatiuus alius cõsignatiuus: reseruatiuus est, quãdo aliquis tribuit alteri sua bona reseruando sibi aliquã pensionem annuam. Sed de hoc sensu fit mentio in l. fi. C. de rerũ permutatione. Consignatiuus census est, quando aliquis retinens sua bona obligat illa ad soluendam annuã pensionem: & iste est frequentissimus in vsu. Secundò diuiditur census ex parte rei super qua constituitur, & sic alius census est realis constitutus super re temporali: alius dr personalis, quia cõstituitur immediatè super personã. Tertiò diuiditur ex parte ipsius pensionis soluẽdæ; & sic alius census est fructuarius, quando pensio est fructus alicuius rei: alius pecuniarius quando pensio est pecunia. Item eadẽ consideratione diuiditur census super quantitate pensionis, vel absolutam & certam, v. g. si pensio sit decem millia, vel proportionabilem, ut si pensio sit quinta pars fructus. Denique diuiditur census ex parte durationis, vnde deriuantur multæ diuisiones: alius est enim perpetuus, alius temporalis. Item temporalis alius constituitur pro certo tempore. v. g. 20. annis: alius pro certa vita, verbi gratia pro vita Ioannis, qui census dicũtur

vitali-

vitalitij. Item alius est census redimibilis, alius irredimibilis. Redimibilis dr, qñ venditor census pōt dato pretio qd recipit extinguere census: irredimibilis dicitur qn hoc non potest. Iam verò circa quartū punctū principale quæritur, vtrum oēs pdicti cōtractus sint liciti stando in solo iure naturæ? De qua re variæ sunt doctorū sniæ, quidam n. aiunt, ꝙ licet aliquis possit donare censum: non tn potest vendere. Huius snię est Henric. Gādauo quodl. 8. q. 22. & Arimin. quē citat Saly. in authen. ad hæc. C. de vsuris, & aliqui Iurisperiti in c. in ciuitate de vsuris. Alij vero aiunt, licitū esse vendere censum realē & non psonalē. Alij verò licitū esse fructuariū censum nō aūt pecuniarum. Huius sniæ dicitur esse Ancharanus.

PRO decisione sit vnica cōclusio. Stando in solo iure naturæ oēs cōtractus censuum pdictorum liciti sunt, si fiant iusto pretio. Probatur primo. Cuilibet licitū est bona sua pretio vendere; ergo & partē bonorum suorū. Rurius, sed pars bonorū est census ille: ergo pōt illū uendere. Secundo probatur. Cēsus ille habet rōnem mercis pretio æstimabilis, & pecunia habet rōnem pretij; ergo iustus erit contractus vbi pecunia pro censu datur. Tertiò. Omnis res quę donari pōt si non sit spiritualis potest vendi; sed census non est bonum spirituale: ergo si pōt donari pōt & vendi. Quartò. Fructus terræ sunt pretio æstimabiles; ergo si census fructuarius est licitus erit licitus pecuniarius. Vltimò probatur ex constitutionibus Martini V. & Calixti III. quæ habētur inter extrauagantes cōcs titu. de empt. & vend. & ex motu proprio Pij V. de censibus, quibus in locis Pontifices approbant cēsus, ét pecuniarios quibusdā conditionibus appositis. Item in Clementina prima, de rebus eccl. non alienandis, conceditur epis facultas alienā di bona ecclesiæ, pro tpe vitæ sue. Vnde colligimus quod census pro certo tpe sit licitus: De qua re erit specialis difficultas in dubio 3. Denique in legibus Hispaniæ eadē conclusio probatur, ut patet in Copilatione legum lib. 5. tit. 15. & quamuis in his legibus prohibeatur census fructuarius propter speciales rationes: tamen nos loquimur stādo in iure naturæ.

DVBIVM secundum est, an liceat emere censum cū pacto retro emendi, uel retrouendendi. v. g. vendit Petrus cēsum Ioanni, & obligatur Petrus redimere censum: tunc dr pactum retro emendi. Rursus. Si aūt non obligetur Petrus, sed Ioannes obligetur iterū vendere Petro qñ ipse voluerit: tunc dr pactum retro vendendi. Respondetur ergo ad dubiū, & sit prima conclusio. Licitū est emere censum cū pacto retrouendendi. Vt v. g. in casu posito licitū est Petro obligare Ioānem, vt qñ Petrus voluerit redimere censum dato pretio qd recepit, teneatur Ioannes admittere redemptionem illā. Probatur conclusio. Nam si quæ rō iniustitiæ esset in isto contractu maximè vsura; sed ista non est, ergo. Minor probatur, quia ad rōnem vsuræ requiritur mutuum: sed ibi non est ratio mutui neq; implicita quidē, qd patet, quia ad rōnē mutui pertinet, ut mutuatarius qui recipit pecuniam obligetur illam reddere. Sed in casu posito Petrus non obligatur reddere pecuniam, sed relinquitur in eius voluntate: ergo non habet rōnem mutuatarij. Secundò. Quæcunque alia res tē potalis pōt emi cum pacto retrouēdendi, vt domus & ager; ergo census. Verum est tn, ꝙ cum tali pacto retrouendendi debet diminui de pretio census, ut v. g. si mille æstimantur pretio triginta mille cum tali pacto retrouendendi, tunc cum tali pacto nō æstimabuntur nisi quatuordecim millium dipondiorum. Et denique conclusio cōlligitur ex Pontificibus citatis & legibus.

A Secunda conclusio. Vsura est emere censum cum pacto retro emendi, vt v. g. in casu posito illicitum est & vsura, obligare Petrū vt redimat censum reddendo principale non computatis singulis pēsionibus in ipso pretio. Ista conclusio ꝓbatur. Nam in tali contractu est mutuum implicite. Probatur. Nam Petrus obligatur reddere pretium quod accepit, & rursus reddere aliquid amplius singulis annis; ergo est vsura, s. mutuum ex lucro. Sed notandum est, ꝙ ista conclusio intelligenda est qñ persona Petri obligatur reddere pretium. Cæterum si non obligetur persona Petri, sed tantum res super quam constituitur census, licitum est emere censum cū tali pacto,
B ut emptor ipse posset exigere à re illa post aliquot annos pretium datum, non computando anntias pensiones quas receperat. Probatur: nam in tali casu nulla est ratio mutui ne implicitè quidem, quod probatur. De ratione mutui est, vt mutuatarius obligetur reddere mutuum: sed in casu isto mutuatarius non tenetur reddere: ergo ibi non est ratio mutui, ac per consequens neque est usura. Confirmatur. Nam mtuatarius semper obligatur reddere mutuum in omni euentu, sed in casu posito Petrus vendens censum non tenetur reddere pretium, si res super qua constituitur pereat: ergo non habet rationem mutuatarij. Secundò probatur. Nam aliæ
C res possunt vendi cum tali pacto retro emendi. Vt verbi gratia emit Ioannes vineam à Petro eo pacto ut Petrus teneatur post decennium iterum emere vineam à Ioanne eo pretio quo tunc æstimanda fuerit. Ergo similiter potest vendi census cum tali pacto, dummodo non obligetur persona reddere pretium quod recepit, sed ista exceptio intelligēda est, dummodo pretium quod datur pro tali cēsu sit maius quàm esset sine tali pacto: eo quòd pactum illud est in grauamen ipsius venditoris, alioquin posset esse iniustitia in tali contractu: eo quòd pretium est minus quam par est. Non autem erit vsura, quia nulla est ratio mutui. Et isto fortassis modo intel-
D ligenda est sententia Ioannis de Medina in quæstione de censibus, vbi tenet licitū esse emere censum cum pacto retro emendi, intelligendus est, non obligando personam sed rem ipsam.

DVBIVM tertium est vnde pensandum sit iustum pretium in censibus emendis? Respondetur & sit prima conclusio. Stando in solo iure naturali, illud est pretium iustum quod æstimatur à viris bonis & prudentibus, & quod est in vsu pro illo tempore. Hoc probatur: quia eadem est ratio quantum ad hoc sicut de alijs mercibus de quibus diximus in quæstione 77. illud esse pretium iustum. Sed est aduertendum, quòd ad æstimandum pretium iustum, oportet aduertere ad onus siue grauamen qd
E suscipit venditor vel emptor. Vt verbi gratia si uenditor obligatur ut nunquam redimat, debet esse maius pretium. Si autem emptor ipse obligatur extinguere censum redimēte uenditore, debet minui de pretio, quia illud est grauamen emptoris. Et denique attendendum est si res super qua constituitur census sit firma & tuta, sic enim pretium debet esse maius quam si res sit minùs tuta.

Secunda conclusio. Secundum leges regni Hispaniæ cēsus temporales redimibiles non possunt emi minoris quàm quatuordecim pro uno. Patet ex libro quinto, tit. 15. libro sexto, ubi irritantur contractus aliter facti, & tabellio qui interfuerit grauiter punitur Sed aduertendum est circa istam legem, quòd quia facta est in fauorem uendentium non ponitur terminus ꝓtij uersus magnitudinē sed uersus paruitatem. Itaque census redimibilis iustè ven-

ditur

ditur pluris quàm quatuordecim. Secundò aduertendum est, ꝙ in l. 4. ibidem Carolus V. reducit census fructuarios redimibiles ad pecuniarios respectu quatuordecim pro vno; sed quia non fecerat legem vniuersalem de cēsibus pecuniarijs: ideò eius filius in l. 6. fecit talem constitutionem, reducēdo omnes antiquos census redimibiles qui minori pretio fuerant constituti ad quatuordecim pro vno. Denique aduertendū est, ꝙ illa lex intelligenda est quando illa res super qua constituitur census fuerit satis tuta, alioquin si res non est satis tuta: poterit census minori pretio emi in foro conscientiæ, nam fortassis in foro exteriori non admittetur illa excusatio.

Dubium quartū est. Vtrum sit licitum emere censum temporalem pro certo tempore minori pretio quam fuerit tota summa singularium pensionum? V. g. vtrum sit licitū Petro emere mille singulis annis soluenda, pro quatuordecim millibus ad spatiū 20. annorum. Pro parte negatiua est argumentum. Petrus obligat Ioannem venditorem, vt intra viginti annos reddat viginti millia, ꝓ quatuordecim quæ modo recipit, quod videtur esse mutuum implicitè & vsura. Et confirmatur. Si Petrus obligaret Ioannem vt receptis quatuordecim modo, redderet post viginti annos viginti millia simul, esset aperta vsura, ergo etiam in casu posito. Patet consequentia: nā nihil refert quòd solutio fiat sigillatim vel simul.

Ad hoc dubium Soto lib. 6. de iust. q. 5. ar. 2. dicit, ꝙ si per talem contractum emantur fructus incerti, quamuis sit spes ꝙ sunt valituri magis quam pretiū datum, licitus est contractus: si autem census sit pecuniarius & certus, & nullis expensis recuperādus: inquit, non posse distingui à mutuo & vsura Oppositam sententiam tenet Conrad. vbi suprà. q. 80. & ratio eius est: quia 100. nummi præsentes, pluris æstimantur quàm 100. absentes; ergo poterit aliquis emere 100. de præsenti datis 110. in spatio quinque annorū, v. g. soluendos. Sed hæc ratio nulla est. Quia pari modo iustificaretur omne mutuum cum lucro Ioannes vero de Medina vbi suprà post longā dispu-
D tationem ait, ꝙ de rigore censendi scholastico, non possumus condemnare illum contractum: Nihilominus est suspectus de vsura.

PRO decisione sit conclusio. Licitus est ille cōtractus si fiat iusto pretio. Probatur primo. Nam census pro certo tempore licitus est, & ex iure approbatus, vt diximus; sed communiter ita celebratur ab omnibus, vt pretium sit minus quā tota summa pensionum: ergo ita est licitus. Confirmatur. Nā alias stultus iudicaretur qui daret quatuordecim millia simul, pro pensione millium soluendorum singulis annis pro spatio quatuordecim annorum. Secundo probatur. Census perpetuus emitur minore pretio
E quam sit tota summa pensionum soluendarum. Vt v. g. si emitur census mille dipondiorum pro triginta millibus, certum est, ꝙ transactis 30. annis excedit summam pensionum in infinitum pretium datum. Ergo multo magis licitum erit emere censum temporalem pro certo tempore, minore pretio quam sit summa pensionum. Patet consequentia. Nam census perpetuus pluris æstimatur ab omnibus. Deniq; probatur. Nam Petrus emens talem censum statim abdicat à se ius quatuordecim milliū dipondiorum, simul tribuens illa Ioanni; quod quidem ius pluris æstimatur saltem non minus quam ius percipiendi singulis annis mille pro spatio viginti annorum. Et ratio est: quia multa pecunia simul vtilior est & aptior ad quamlibet negociationem, quàm si sigillatim & per partes possideatur.

Ad argumentū in oppositum respondetur, ꝙ idē
A argumentum probaret non esse licitum emere censum perpetuum minore pretio quā ut summa pensionum soluendarum. Respondetur, ergo ꝙ ius recipiendi sigillatim & paularim. 2000. non p uris estimatur quam ius possidēdi simul quatuordecim millia. Ad confirmationem negatur consequentia propter rationem dictam, & quia in illo casu obligaret venditorem ut teneatur simul rependere quatuordecim millia & insuper sex millia.

Dubium vltimum est, quæ nam conditiones sint necessariæ vt contractus census redimibilis sit licitus. Pro cuius explicatione notandū est. Quòd sex conditiones colligebantur ex Decretis Calixti III.
B & Martini V. quæ habentur in summa Conciliorū in summa Concilij Florentini. Circa quas cōditiones erat differentia inter doctores; quidam enim dicebant Pontifices quidem definisse cōtractus factos cū illis conditionib. licitos esse, non tamen necessarias esse conditiones illas. Alij verò aiebant omnino necessarias esse, ut census esset licitus & iustus. Hanc tn differētiā diremit facilè Pius V. in proprio motu de censibus edito anno 1569. Vbi statuit nouē conditiones esse necessarias ut contractus census licitus sit. Prima conditio est, vt non cōstituatur nisi super re immobili & ex natura sua fructifera, & certis finibus determinata. Secunda conditio est, ꝙ nō
C constituatur census nisi numerata pecunia de præsenti coram testibus & notario celebrante simul cōtractū. Tertia conditio est, ꝙ solutiones pensionum non fiant anticipatæ. Quarta conditio est, vt conditiones & obligationes de casib. fortuitis nullę sint. Quinta conditio est, ꝙ pactum auferens uel restringens facultatē uendendi rem super qua constituitur census nullum sit, quin potiùs debitor habeat liberā potestatem vendendi re sine solutione decimæ partis, vel aliquota: dummodo res illa eodē pretio possit uendi à dño cēsus. Sexta conditio est, ꝙ pacta omnino sint irrita quæ continent, vt si venditor census fuerit morosus in solutione pēsionis, ꝙ teneatur ad lucrum cessans, & ad cambia & ad pensiones. Sed hæc conditio debet intelligi quantum est ex parte pacti qd interuenit inter emptorem & vēditorem; nam si aliàs iure naturæ tenebatur uenditor morosus ad lucrum cessans, uel ad damnū emergens: non excusabitur ꝑ istā constitutionē Pontificis. Septima conditio est, ꝙ census semel constitutus non augeatur neque minuatur super eadē re in fauorē ipsius emptoris. Octaua cōditio est, ut cēsus pereat perente re sup qua cōstituitur & minuatur minuta re: sed hoc intelligendum est, quando ita diminuitur ut nō possit integrum censum reddere. Item in eadem cō
E ditione statuit Pontifex, ut uenditor census possit illum extinguere eodem pretio quo uendidit. Nona conditio est, ut pacta quæ continent; ut pretium census ab inuito & inuoluntario exigantur, nulla sint, hoc est, ꝙ non fiat pactum retro emendi nisi in casu quo ipse uenditor uolens redimere cēsum, admonet ante duos menses dominū, quibus transactis statuit Pontifex ut dominus census intra annum possit repetere censum ab inuito & inuoluntario: quod si aliqua uia ille non potuit soluere pretium, nihilominus ei facultas maneat redimendi quando potuerit: ita ut non efficiatur perpetuus census. Deniq; declarat Pontifex, ꝙ pretium semel constitutum non possit crescere aut minui propter temporum aut personarum qualitatem.

Quas omnes conditiones Pontifex vult habere locum, non solum quando census de nouo creatur: sed etiam quando, constitutus iam de nouo uenditur, dummodo talis census fuerit creatus post promulgatio-

mulgationem istius motus proprii. His suppositis, respondetur unica conclusione ad dubium. Omnes istæ conditiones sunt conformes iuri naturali, & p cõsequens obligãt in foro conscíæ. Et probatur. Nã cõtractus census magnã materiam præbet palliandi usuras; sed per istas conditiones obuiatur his incommodis, ergo obligant in conscientia, & sunt conformes rectæ rationi. Item, quamuis multa pacta quæ Pontifex irritat ibi stando in iure naturæ essent ualida, tamen si attendamus idem ius naturæ, necesse erat, ut stantibus pactis illis, pretium augeretur: quia tamen non augebatur in consuetudine hominum, ideo Pontifex merito irritat illa pacta. Et deniq; probatur. Nam respublica ciuilis Christiana subdita est ecclesiasticæ in omnibus quæ pertinent ad salutem animarum: sed ad salutem animarum expediebat (ut ait ipse Pontifex) ꝓ tanto malo occurreretur: ergo tales leges obligant in foro conscientiæ. Neq; ualet dicere, ꝓ istæ sanctiones non sunt acceptæ. Quia reuera in tribunalibus Regiis admittuntur, & uiri timoratæ conscientiæ ita seruant: nec aliquãdo fuit supplicatum ab huiusmodi constitutionibus apud ipsum Pontificem. Atque hactenus de isto dubio.

A

B

DVBIVM ultimum est, An licitum sit uenditori redimere censum pro partibus, v.g. reddendo medietatem pretii quod recepit, uel tertiã partem, uel quartam: ita ut emptor teneatur extinguere partem census proportionabiliter. Pro solutione notãdum est, ꝓ in illis sex conditionibus antiquis Calixti III. & Martini V. tertia erat, ꝓ in ipso contractu census expresè daretur facultas uenditori redimendi censum per partes. Sed tamen huius conditionis non meminit Pius V.

C

Sit igitur prima conclusio. Illa conditio iam non est necessaria in illo contractu cẽsus. Probatur. Nam licet Pius V. non reuocauerit illam expresè, tamen dum constituerent omnes cõditiones necessarias ad iustificandum censum, uisus est illam quasi reuocasse, cuius non meminit.

Secunda conclusio. Licitum erit apponere illam conditionem ex contractu census, vt venditor possit redimere censum per partes. Probatur. Nã illa cõditio non est contra ius naturæ, neque prohibita lege humana, ergo, &c. Sed notandũ est, ꝓ cũ illa conditione dẽt minui pretiũ ipsius census, & tãto magis quanto per minutiores partes datur facultas reddimendi venditori. Ratio huius est, quia illa conditio est ei detrimentũ, vt obligetur extinguere cẽsum nõ recepto pretio quod semel accepit. Tertia conclusio. Si nulla fiat mentio huius conditionis in ipso cõtractu census, non tenetur emptor ex iustitia admittere redemptionem census per partes: nam emptor tantum obligatur emendo censum redimibilem, retrouendere. Probatur. Ille tantum obligatur retrouendere quando venditor primus voluerit; sed hoc pactum non est necessarium, vt admittat redẽptionem per partes, eo ꝓ ipse totum pretium dedit simul quando emit censum, & detrimentum patitur recipiendo per partes, ergo &c.

D

Notandum tamen est, ꝓ si modo de facto venditor velit redimere medietatẽ census, cogitur in foro exteriori emptor admittere talem redemptionẽ: fortassis magis ex quadam æquitate quam ex rigore iustitiæ, vel forte quia ipsa consuetudo videtur obtinere vim legis. Nihilominus admissa ista consuetudine, sit quarta cõclusio. Licitũ est in contractu census ponere expresè, vt nõ possit redimi nisi totus simul: dummodo augeatur pretiũ. Probatur, quia ista conditio non est contra aliquod ius, sed potius valde cõformis iuri naturæ, ergo potest apponi conditio, ut non redimatur nisi totus simul. Diximus autem, ꝓ debet augeri pretium supposita illa conditione: quia talis conditio est in fauorem ipsius emptoris vt venditor renuntiet illi consuetudini.

Vltima conclusio. Siue sit diues siue pauper qui vendit censum, idẽ debet esse pretiũ. Hanc conclusionẽ ponimus contra aliquos modernos qui opinãtur, ꝓ si sit pauper qui vendit censum, non dẽt obligari vt redimat simul totũ censum quando voluerit redimere: sed quòd possit per partes redimere. Et ratio illorũ est: quia efficitur census perpetuus si non admittitur à paupere redemptio illa per partes. Sed nobis hæc ratio per accidẽs videtur esse. Probatur. Quia pretium iustum census redimibilis idẽ est cõstitutum secundũ leges, siue sit diues siue pauper qui vendit. Et confirmatur. Nam iustum pretium tritici idẽ est omnino secũdũ leges, siue quẽ vendit sit pauper siue diues, ergo simili ratione erit idẽ pretiũ cẽsus redimibilis. Præterea probatur, quia cũ cẽsus ille sit redimibilis ex natura sua, poterit contingere, vt aliquis amicus pauperis redimat illũ sibi, atque adeo nunquã efficitur mihi perpetuus & securus. Denique, quia vel ille census constitutus est super aliqua re bona & tuta, & tunc ipse pauper poterit redimere vendendo illam: vel est constituta super re minus tuta, tunc census ipse minoris pretij est, vnde resarcitur in pretio dato secundũ leges, perpetuitas quę per accidens consequi potest, ex eo quòd est pauper qui vendidit. Hactenus dictũ sit de censibus quod attinet ad rationẽ iustitiæ. Cęterum quòd attinet ad rationẽ charitatis & misericordiæ, alia ratio esse poterit sępenumero. Nã continget quando pauper vult vendere censum diuiti, quòd sit in tanta necessitate ut diues peccet contra charitatem & misericordiam emendo: quia tenebatur mutuare gratis ex pręcepto charitatis. Tertio loco disputandum est de cõtractu assecurationis, de quo est titulus expressus in iure Ciuili in ff. & in C. de nautico fœnore, & in iure Canonico in c. nauiganti. de vsuris, disputant Canonistæ. Soto lib. 6. de iusti. q. 7. Couar. lib. 3. Var. c. 1.

A

B

C

D

PRO cuius rei intelligentia nota primò, quòd assecuratio est pactum de suscipiendo in se periculo rei ad alterum pertinentis, propter pretium. v. g. est negociator habens nauim onustam mercibus, quã parat mittere ad Indos: timens autem varia pericula maris, quærit assecuratorem totius capitalis dato pretio.

Secundo nota, quòd huiusmodi contractus assecurationis aliquando quidẽ uerus est & realis ex utraque parte. v. g. quando ille qui petit assecurationẽ habet nauẽ onustã mercibus expositã, uel exponendam periculo, & alter qui assecurat hẽt reuera bona sufficientia ad assecurationẽ totius capitalis. Aliquãdo vero talis cõtractus est fictitius & siccus. v. g. quãdo ille qui petit assecurationẽ non hẽt rem periculo exponẽdã, sed fingit se habere, vel ẽt ille qui assecurat, non habet bona sufficientia ad assecurationẽ rei periculo exponendæ. Sit igitur prima conclusio. Contractus primi generis iustus est dũmodo fiat iusto pretio pro magnitudine periculi. Hæc conclusio patet ex l. 1. & l. nihil. & ex l. periculi. ff. vbi sup. & ex l. 1. & 2. C. ubi sup. & est cõmunis omnium sententia. Et ratio est manifesta: quia suscipere in seipso huiusmodi periculum est pretio æstimabile, ergo iustum erit pro assecuratione pretium recipere, maius uel minus pro magnitudine periculi. Item etiã, quia iustitia in huiusmodi contractu põt reduci ad contractum qui dicitur depositionis, siue vadiationis, quod vulgo dicitur, apuesta, est. n. perinde talis assecuratio, atq; si assecurator deponeret 100. amittẽda, si na-

E

A

nauis perierit, contra quatuor lucranda si non perierit. Sed aduertendũ, quòd ut sit iustus contractus assecurationis, tenetur ille qui petit assecurationem explicare specialia pericula quibus exposita est res illa, quando quidem pericula nõ sunt manifesta omnibus, alias ipse non poterit recipere ab assecuratore pretium nauis si pereat. v. g. si nauigauit per aliã viã quam non explicauit assecuratori. Secunda conclusio. Si assecurator non habeat bona quæ fingit se habere ad assecurandã rem, iniustus est contractus ex parte illius, neque põt pretium recipere, ẽt si nauis salua peruenerit ad portũ. Probatur, quia tunc ille reuera nihil assecurat, cũ non habeat vnde soluat p̃tium rei, si forte perierit: sed potius totũ periculum imminet ipsi negotiatori. Quòd si aliquis obijciat, quòd ẽt assecurator suoijt periculũ carceris & multiplicis vexationis, ergo pro isto periculo poterit aliquid pretij recipere, si nauis salua fuerit. Respondetur, nego consequentiã: quia huiusmodi periculum non est vtile in aliquo, ipsi negociatori: sed potius molestũ erit vexare. Sed tamen quærit aliquis merito, an si ipse assecurator habeat saltẽ medietatem bonorum quæ fingit se habere. v. g. habeat 50. millia, & fingit se habere 100. millia: an tũc possit recipere medietatẽ pretij ꝑmissi pro assecuratione si nauis salua fuerit. Aliqui Theologi dicunt licitũ esse: quia ille se exponit periculo soluẽdi 50. millia. Sed nobis oppositum videt esse oĩno verum. Probatur: quia talis assecurator non alio titulo põt recipere illam medietatẽ pretij, nisi ex vi contractus assecurationis: sed ille contractus fuit nullus & inuoluntarius ex parte petentis assecurationem: ergo nihil põt recipere assecurator. Probo minorem: quia petens assecurationẽ, si sciret impotentiã assecuratoris, nullo modo faceret contractũ cum eo, sed potius cũ alio: ergo rationabiliter est inuoluntarius interpretatiuè; & per consequens contractus est nullus. Cõfirmatur, quia ille assecurator per fraudẽ fecit maximam iniuriã petenti assecurationẽ, quia ille petebat assecurationẽ totius nauis, & ipse assecurator reliquit eum expositum periculo amittendi 50. millia ducatorum contra suam voluntatem, ergo ex hac iniuria facta in tali contractu, nõ oritur aliquod ius ipsi assecuratori, vt recipiat medietatem pretij constituti. Cæterũ nascitur ius petenti assecurationem vt possit exigere saltim 50. millia quæ habet fraudulentus assecurator, si nauis perierit. Et ad argumentũ contrariæ sententiæ, scilicet, quòd assecurator exponit se periculo amittendi 50. millia regalia; Respõdetur nego consequentiã: quia ipse propria tm̃ voluntate se exponit tali periculo, sine voluntate alterius contrahentis, qui intendebat facere contractũ assecurationis pro toto, non autem pro parte. Tertia conclusio. Qui cum sciente & uolente facit contractum assecurationis nauis vacuæ, ita atq; si esset plena pretiosis mercibus, validus est contractus, & nulla est illic iniuria. Probatur, quia tunc talis contractus est contractus depositionis, seu uadiationis. Cæterum si talis contractus fiat cum ignorante nauim esse vacuam, quidã dicunt, quòd cõtractus est nullus: quia nihil est, qd assecuretur, & quia ipse assecurator est inuictus: si. n. sciret esse vacuã nauim non faceret talem contractũ: eo quòd timeret periculum nauis, quia non adhiberetur tanta diligẽtia seruandi nauim vacuã, atque si esset mercibus onusta. Vltima tamen sit conclusio. Talis cõtractus est validus si adhibeatur tanta diligentia in seruãda vacua naui, atque si esset onusta mercibus. Probatur, quia tunc nulla fit iniuria assecuratori, neque exponitur maiori periculo, sed omnino est contractus

B

C

D

depositionis siue vadiationis. Obseruãdum est tamẽ, ꝓ quando iste contractus fit cũ ignoranti, & nauis non periclitatur in toto, sed in parte. non tenebitur assecurator soluere totum pretiũ nauis, sicut si esset onusta mercibus. Ratio est euidẽs, quia si reuera nauis esset plena, poterit in tali casu vti ea merciũ parte quæ salua facta est, ad soluendũ pretiũ pro totis mercibus: si autem nauis illa oĩno submersa est: tenebitur soluere totũ pretiũ constitutum. Veritamen cõtra ea quæ diximus est vnicũ argumẽtũ, ex c. nauigãti. de vsuris. vbi dicit Pontifex nauiganti, vel eũti ad nundinas certã mutuãs pecuniæ quantitatẽ ex eo ꝓ suscipit in se periculũ, recepturus aliquid vltra sortẽ, vsurarius est, ergo non est licitũ pro assecuratione aliquid recipere. Rndetur, ꝓ tex. intelligitur in casu, vbi reuera nullũ erat periculũ, sed palliabatur vsura falso titulo assecurationis. Secundo rndetur, ꝓ licet esset aliqd periculũ, tn̄ illi mutuator non solum petebat iustũ lucrum ex vi contractus assecurationis: sed etiã aliquid amplius ex vi contractus mutui, ꝓ quidem erat vsura palliata cõtractu assecurationis.

A

B

Quarto loco differendũ est de contractu societatis. De qua re Scholast. 4. di, 15. D. Tho. hoc in loco art. 2. ad 5. & Caiet. Ibid. & in sum. verb. societas. & in opusc. 17. responsionũ. resp. 5. Soto vbi sup. q. 6. & in ff. & in C. agetur de hac re tit. pro socio. Itẽ in c. p vestras. de donat. inter vir. & vxor. Conrad. de contract. q. 92. Nauar. in Manua. c. 17. & super cap. primum. 14. q. 3. Couar. lib. 3. Variar. Resol.

C

Ante oĩa nota primò, ꝓ societas est cõuentio siue pactum quorundã ad negotiandum lucri gratia. Socij uero dicuntur, qui ad negociationem conferunt in communi pecuniam, siue industriam & operas.

Nota secundò, quòd contractus societatis duplex est. Quidã dicitur contractus eiusdẽ rõnis. v. g. qn̄ socij cõmuni pecunia, cõi industria, cõmunibus diligentijs & ministris negotiantur. Alter contractus est & dicitur diuersæ rõnis, quando v. g. quilibet sociorum cõfert in cõi rem differentẽ: ut si Petrus ponit pecuniã, Paulus industriã, Ioannes operas ministerij. Tertiò nota, ꝓ iste contractus diuersæ rõnis põt adhuc dupliciter fieri, vno modo ita ut qui pecuniã confert exponat eã periculo uel lucro proportionabiliter cum industria alterius socij, quæ tanti æstimatur quanti ipsa pecunia. Altero modo ita ut q pecuniã confert obliget alium sociũ ut saluam illã seruet. Denique nota, ꝓ de contractu societatis eiusdẽ rõnis, & de contractu societatis diuersæ rõnis prio re modo: nulla est dubitatio aut difficultas quin licitus sit talis contractus. Sicut definitur legibus citatis: & rõ est manifesta: quia negociatio, ut diximus, q. 67. art. 4. licita est, ac proinde impertinens est, ꝓ illa negociatio fiat ab uno uel duobus uel tribus, ergo si æqualitas seruetur inter ipsos socios licitè poterunt negociari.

D

E

DVBITATVR autem circa vltimũ modum societatis, Vtrum sit licitus ille cõtractus, qn̄ socius qui pecuniã confert, obligat alterũ sociũ, ut seruet eam integrã & insuper lucrũ rependat. Arguitur primo pro parte affirmatiua. Qui contulit pecuniã socio ad negociandũ, poterit postea cũ illo facere contractũ assecurationis talem. v. g. Petrus ponit mille apud Paulum ut Paulus negotietur, & praeterea ipse Petrus petit à Paulo ut assecuret mille pro 30. Itẽ petit ipse Petrus à Paulo, ut emat lucrũ ꝓ speratur pro 100. Tũc arguitur. Ecce Petrus in casu proposito saluo capitali qd contulit in societatem, recipit certũ lucrum ab altero socio obligãdo eum, ut reddat, ergo pars affirmatiua vera est. Probatur consequentia; qm̄ omnes cõtractus liciti sunt. Secundò arguitur.

Si

Si qua rõne illa cõtractus esset illicitus, maximè q̃a Petrus est mutuator & recepit lucrũ ex mutuo; sed non est mutuator, ergo. Probo minorẽ, quia depositarius qui assecurat depositũ nõ reducit depositũ ad mutuũ, ut habetur in c.fi.de deposito. Itẽ qui assecurat accõmodatum, non reducit illud ad mutuum, vt habetur in c.1.de cõmodato; ergo Paul. qñ assecurat Petro suas pecunias, non efficitur mutuatarius: sed potius depositarius ad negotiandũ. Arguitur tertiò. Esto ita q̃ in tali casu esset ratio mutui, tamen ratione lucri cessantis poterit Petrus aliquid petere à Paulo, vt.n. cessare lucrũ ipsi Petro dum uendit speratũ lucrũ Paulo. Quartò arguitur. Mille aurei expositi negociationi pluris æstimant quã nõ expositi, ergo Petrus põt exigere à Paulo socio & illũ obligare ut reddat plusquã mille, p̃ mille expositis negociationi.

PRO decisione difficultatis sit prima cõclusio. Exponere pecuniã negociationi, obligando socium vt assecuret capitale & aliquod certũ lucrum, etiam vt emat lucrũ quod speratur, vsura est & societas leonina, vt est in prouerbio desumpto ex l. si nõ fuerit. ff. pro socio, de quo vide Eras. Chiliada. 1. centuria. 7. adag. 88. & hæc sine dubio est cõmunis sentẽtia, & probatur ex l. citata, vbi ait Iurisconsultus quod contra legem societatis est, percipere lucrũ & aufugere damnũ. Secundò probatur, quia in tali contractu est verè lucrũ ex mutuo; nam in eo casu Paulus socius efficitur mutuatarius cũ maneat dominus pecuniæ illius absque obligatione ad negotiandũ; ergo cessat societas & lucrũ quod exigit Petrus ex rõne mutui. Et denique probatur, quoniam alias nullus contractus damnaretur tanquã vsurarius, si approbaretur iste, do tibi mille vt reddas 50. supra mille.

Secunda conclusio. Contractus societatis & contractus vẽditionis lucri possent fieri cum eodem socio: dummodo capitale relinquatur expositũ periculo. Probatur, quia illic non inuenitur aliqua inæqualitas, neque ratio vsuræ: igitur vera est conclusio. Probatur antecedens: quia tunc seruatur proprietas vtrinsque contractus, neque alter alterum destruit, & rursus lucrũ q̃ speratur æstimabile est iusto pretio secundùm contingentiam ut sit maius vel minus, ergo poterit designari quoddam medium in ipso pretio quod sit iustum.

Tertia conclusio. Contractus assecurationis capitalis, potest fieri cum eodem socio: dummodo nõ fiant contractus venditionis lucri, & dummodo iustum pretiũ detur socio pro assecuratione. Probatur conclusio, quia iste contractus assecurationis secundum se licitus est & iustus, nisi fortè corrumpatur ex coniunctione ad alterum contractũ, & reducatur ad lucrum ex mutuo; sed in prædicto casu non reducitur ad mutuum: ergo. Probo minorẽ, quia q̃ mutuũ ipse mutuatarius efficit dominus pecuniẽ, & potest eam expendere in quos velit vsus: sed Paulus socius in prædicto casu nõ efficitur dominus pecuniæ, sed tenetur ex contractu societatis cum ea negotiari incommodum Petri. Secundò probatur. Nam Petrus exponit se periculo amittendi pretium q̃d dedit pro assecuratione capitalis, si forte nullum fuerit lucrũ vel minus quam pretiũ assecurationis.

Quarta conclusio. Contractus assecurationis capitalis & contractus venditionis lucri possunt fieri cũ eodem socio: dummodo pretium assecurationis sit æquale cũ pretio venditionis lucri. Probatur. Nã tali casu illi contractus reducuntur & resoluuntur in vnũ contractũ mutui gratis. v.g. si Petrus confert 100. Paulo in societatẽ, & dat 20. pro assecuratione, & rursus recipit 20. pro lucro quod speratur, tunc certè remanebit Petrus cum 100. quę à principio de-

A derat absque aliquo lucro, vel damno.

Quinta conclusio. Si pretiũ assecurationis sit minus quam pretium qd datur pro lucro ipso qd speratur & venditur, vsura est in tali contractu. Probatur. Nã Petrus in tali casu saluo capitali, obligat Paulum vt aliquid amplius reddat, ergo est lucrũ ex mutuo. Confirmatur. Nam in tali casu Pau. manet dominus ipsius capitalis, neq; tenetur negotiari, ergo dissoluitur contractus societatis, & manet purè cõtractus mutuandi cum lucro mutuatoris, ac proinde est vsura saltem interpretatiuè.

Sexta conclusio. Si pretium assecurationis sit maius quam pretium lucri qd speratur, vel assecuratur,

B vel emitur ab altero socio: iniustus est cõtractus ex parte Pau. assecurãtis. Probatur, quia tũc Petrus recipit certũ detrimentum absq; spe lucri, ergo non est æqua societas ista, non tamẽ est illic vsura: quia Pau. qui facit iniuriã non est mutuator. Ex dictis sequitur, falsam esse sniam. Maior. in 4. di. 15. q. 48. & 49. asserentis, oes illos tres contractus supra dictos licitè fieri cum eodẽ socio, saluo capitali & lucro, quã sniam aliq ex modernis ad pauca respiciẽtes sequũtur. Itẽ sequitur, falsam esse aliorũ sniam q̃ dicũt, p̃ illos tres contractus dissolui quidẽ contractũ societatis, sed resurgere aliũ cõtractũ licitũ, s. venditionẽ

C mille aureorũ negociationi expositorũ pro mille & 50. Itẽ sequitur ut nobis vr, falsam esse sniam Caiet. responi. 11. vbi sup. vbi duo asserit. Primũ est, q̃ si à principio fiat contractus societatis cũ pacto vt postea fiant ẽt alij duo contractus, vsura est. Et in hoc optimè dicit Caiet. Dicit secundò, q̃ si à principio bona fide & liberè fiat contractus societatis, & postea socij sponte sua velit alios duos contractus celebrare: licitũ erit hoc. Ratio Caietani est, qa illi duo contractus posteriores fieri poterant cũ alio tertio: ergo ẽt cum socio. Probatur cõsequentia, quia socius qui bona fide contraxit societatẽ, non debet esse peioris conditionis quam alius tertius. Nihilominus hæc snia falsa est. Probatur ex prima, & quinta

D conclusione. Qm̃ siue fiant omnes illi contractus successiuè, siue simul cum eodẽ socio: semper reduc-
-o euntur virtualiter illi contractus ad cõtractum mutui cum lucro. Et ratio est: eo q̃ socius ille efficitur dominus pecuniarum quas alter socius contulit, neque tenetur amplius negotiari, sed duntaxat conferre lucrum alteri saluo capitali. Verum est tamen vt postea explicabimus, quòd si statim reddat capitale cum aliquo pretio pro spe lucri futuri, poterit esse licitus contractus: quia tunc non manet ratio mutui ac proinde neque vsuræ.

A D argumenta in oppositum respondetur. Ad

E primũ respondetur, qd ẽt si quilibet cõtractus seorsum licitus sit, tamen si fiant simul vel successiuè cũ eodem socio dissoluuntur & relinquitur vnicus cõtractus mutui cum lucro. Ad secundũ respõdetur, quòd nõ est eadẽ ratio de depositario assecurãte depositum, & de socio assecurãte capitale & lucro, qa depositarius non efficitur dominus depositi, etiam si assecuret depositum: sed tenetur seruare illud & habere in promptu ad voluntatẽ deponentis, at vero socius qui assecurat capitale, & lucrum, efficitur dñs pecuniarum uelut mutuatarius: neque tenetur amplius negotiari ad vtilitatem alterius socij.

Ad tertium argumentũ rñdetur, q̃ si reuera cessat lucrum, vt in casu tertiæ cõclusionis: cõcedimus licitum esse vẽdere socio lucrum quod speratur. At vero qñ gratis assecuratur capitale, & insuper datur vel p̃mittitur certum lucrũ: tunc efficitur rõ mutui cũ lucro ac p̃inde erit vsura: quod non cõtingeret cum alio tertio, quia ibi non est aliqua ratio mutui.

Ad

Ad quartum respondetur, quòd mille expositi negotiationi, pluris æstimantur quàm mille & 50. at uerò non possunt uendi eidem socio negocianti: quia

A tunc efficeretur ratio mutui cum lucro. Magister Soto lib. 6. de iustitia, quæst. 6. tenet nostram sententiam contra Caiet. & etiam Accursius in l. si non fuerit. ff. pro socio. Et Panor. in cap. per uestras. de donation. inter uirum & vxorem. Et quãuis Soto videatur uniuersaliter negare tres illos contractus esse licitos cum eodem socio: tamen ille loquitur quando saluo capitali speratur certum lucrum, vnde non est contrarius nostris tertiæ & quartæ conclusionibus. Reliquum est respondere ad vnum argumentum quòd potest fieri in fauorem Caiet. Esto ita, quòd Petrus de-

B derit Paulo 100. in societatem bona fide à principio, & in processu societatis ostenditur certa spes lucri magni, v.g. 30. tunc licitũ erit Petro petere à Paulo, ut si velit dissoluat statim societatem & det sibi 15. supra 100. est igitur argumentũ, ergo etiam erit licitum ut Petrus in eodem casu postulet statim 15. pro 30. quæ sperantur pro lucro relicto capitali apud sociũ assecurato, ergo uera est sententia Caiet. q̃ successiuè possunt fieri illi tres cõtractus cum eodem socio. Respondetur, q̃ si sententia Caiet. intelligatur in casu proposito à principio argumenti, scilicet, q̃ Paulus det statim capitale simul cum pretio lucri certo sperati uera est; quia tunc non est lucrum ex mutuo, imò verò

C etiã si relinquat Petrus capitale apud sociũ, poterit recipere aliquod lucrũ pro certo lucro sperato: eo q̃ cediturì suo recipiẽdi 30. supra 100. Cæterum quòd relinquat illa 100. apud Paulũ mutuata uel assecurata: hoc quidẽ facit gratis, quia poterat ille statim exigere à Paulo 100. illa. Tamen si sententia Caiet. uniuersaliter intelligatur, falsa nobis uidetur propter rationes prædictas. Cuius falsitas apparebit in casu, quo Paulus det aliquid lucri ipsi Petro vt relinquat apud Paulum capitale, tunc enim ipse Petrus erit usurarius.

DVBITATVR secundò, An sit licitus iste cõtractus societatis. v.g. Petrus conferat Paulo. 100. in societatem ea conditione, ut ex illis 100. Petrus non p̃ o-
-fit amittere nisi quinque: sed neque lucrari nisi quin-
-que, uidetur enim iustus contractus, quia Petrus exponit se æquali periculo & lucro.

Sed in oppositũ est, q̃ Petrus in eo casu nõ exponit negotiationi reuera nisi tantũ quinq; nã reliqua. 95. relinquit mutuata, uel assecurata apud Paulũ, sed moraliter loquẽdo quinq; negotiationi exposita nõ sunt apta ad lucrandũ alia quinq; ergo iniquus est contractus. Ad hoc dubium respondetur breuiter in doctrina Sot. li. 6. de iustit. quæst. 6. art. 2. ad secundum.

Sit ergo prima conclusio. Qui deponit multũ pecuniæ ad negociandũ, ea lege ut nõ subeat periculũ nisi certæ partis, non poterit recipere ex lucro nisi tantũ quantũ illi parti s̃m proportionẽ responderit, (s̃m in quã proportionẽ quã habet ad totũ cumulũ q̃ exponitur negotiationi). V. g. Petrus subit periculum in quinque, Paulus uero in 35. est autem lucrũ 16. tunc Petrus reportabit ex lucro duo: Paul. verò quòd reliquum est. Ratio est manifesta, quia sicut se habent, 5. quæ exposuit Petrus ad 40. ita se habent duo ad 16. est enim proportio suboctupla.

Secunda conclusio. Si autẽ Petrus faciat tale pactũ, s̃. si fuerit iactura tota usq; ad quinq;, sit mea tota, dũ modo si lucrum fuerit usq; ad quinq; sit etiam totum meum, reliquum uero tuum: licitus enim tunc poterit esse contractus: quia Petrus exponit se damno & lucro pariter similter & Paulus, &c.

Ad argumentum pro parte negatiua conceditur intentum, nisi pactum fiat eis cõditionibus quas posuimus in istis conclusionibus.

Bañes de Iustitia.

A DVBITATVR vltimo, quomodo debeat fieri diuisio lucri inter socios? Respondetur vnica cõclusione. Debet fieri diuisio inter socios, ita vt vnicuiq; tãtũ lucri eueniat, quãta est p̃portio pretij, q̃ cõtulit in societatẽ, ad totũ cumulũ q̃ exponitur negotiationi, & periculis eius. v.g. Petrus cõtulit in societatem 100. aureos, Paulus vero 50. cũ sua industria quæ toti dẽ æstimat. s. 50. Ioan. vero cõferat 50. sine industria; in hoc casu totus cumulus æstimat in 50. sup. bis 100. Sit aũt lucrũ 50. tunc debet dari Ioan. 5. pars lucri. s. 10. Pet. vero & Paul. diuidẽt æqualiter qd reliquum est.

Sed in oppositum est argumentum, ex. l. si non fuerit. ff. pro socio. vbi habetur quòd potest esse commune lucrum, licet vnus socius subeat totũ periculũ.

B Item Instit. de societatibus. §. de illa. dicitur, posse alterum socium lucri duas partes damni vero non nisi tertiam recipere. Respondetur, quòd in his legibus nomine periculi vel lucri intelligitur tantùm in ipsa pecunia. Quod patet ex ipso contextu legis, si non fuerit. Vbi Iurisconsultus reddit rationem: quia industria mercatoris solertis, plus cõfert in societatem quam pecunia. Sed pro maiori intelligentia huiusmodi partitionis lucri vel dãni inter socios nota q̃ alicuius negotiantis industria tripliciter potest æstimari. Primo modo secundum se, verbi gratia si socius locaret operas suas aliis socijs pro stipendio, v.

C g. 20. & isto modo non consideratur formaliter vt socius, sed vt purè minister conductitius. Altero modo potest considerari industria socij in ordine ad lucrandum in negotiatione societatis: & sic multo pluris æstimari solet ad societatem quam priori modo. v.g. æstimabitur vt 100. ita vt si alius socius contulerit 100. in pecunia sit æqualitas inter ipsos. Tertio modo considerari potest ista industria mixtim, ita vt ipse socius postquam locauerit suas operas aliis socijs tanquam minister ipsorum: dicat se velle conferre stipendium suum datum vel dandum in societatem, exponendo illud lucro vel damno. Dictum igitur est de priori illo modo, quòd talis socius nihil lucri, ni-

D hil damni reportaturus est respectu stipendij sui, vel industriæ: sed respectu aliarum pecuniarum quas ipse exponit negotiationi reportabit lucrum vel damnum: secundum proportionem illarum ad totum cumulum dummodo ex illis pecunijs soluatur etiam pars stipendij, quòd ipse accipit pro ministerio; non enim solum ministrat in utilitatem aliorum; sed etiam propriam. De secundo vero modo æstimandi industriam, aliqui solent ita iudicare, quòd si Petrus ponit industriam quæ æstimatur vt 100. ad negotiandum in societate, & Paulus ponit 100. aureos in pecunia: quòd tunc totum quidem lucrum diuidendũ erit inter illos: at verò si fuerit damnum in negotia-

E tione societatis, verbi gratia in parte pecuniæ quam posuit Paul. s. in 50. tunc ex aliis 50. quæ reliqua sunt nihil debet reportare Petrus, etiam si totam industriam amiserit quæ æstimabatur vt 100.

Sed in oppositum est, quod in ipso lucro supra 100. aureos quos posuit alter socius, debet esse æqualis, ille, qui posuit suam industriã quę estimabatur vt 100. ergo etiam in damno debet esse æqualis: at verò si ex illis 50. quę reliqua sunt quando sit iactura aliorum 50. nihil reportat qui posuit suam industriã: non manet æqualis sed peioris conditionis: siquidem ipse amittit totam operam quę estimabatur vt 100. alter vero non amitteret nisi 50. ergo de illis 50. quæ reliqua sunt debet reportare 25. Magist. Sot. lib. 6. de iust. & iure. q. 6. art. 1. aliter meditatur de diuisione facienda inter socios. Ait enim habendam esse rationem periculi cui exponitur pecunia, potius quam ipsius quãtitatis pecuniæ, v.g. confert Petrus mille aureos in

Dd societa-

societatem, Paulus verò 100. vel industriam que estimatur vt 100. ad lucrandum in societate; tunc dicit, quòd diuisio lucri debet esse æqualis inter ipsos si mille aurei quos contulit Petrus non sunt magis expositi periculo quam 100. inueniret enim ille aliquè qui assuecuraret illa mille pro 10. Sed tamen hæc regula fallibilis est. Et ratio euidens: quia licet Petrus non exponeretur nisi periculo vt 10. quia inueniret qui assecuraret pro 10. tamẽ neque ipse Paulus in ea dẽ negotiatione exponitur periculo nisi pro 10. inueniret enim qui pro 10. assecuraret 100. sicut alius inueniret qui pro 100. assecuraret mille, quapropter equalitas in lucro debet esse ,pportionalis, ita ut Paul. reportet 10. partem & nõ medietatem, vt dicebat Soto: quia ille ponit 400. in societatem & Paul. 1000. vbi est eadem proportio. Sed tota difficultas est, quando fuerit iactura in ipsa pecunia, altero socio non ponente nisi industriam quæ æstimabatur ad negotiandum & lucrandum æqualiter cum ipsa pecunia. Pro vtraque enim parte est optima ratio à nobis proposita. Nihilominus omnibus pensatis, quando fuerit iactura in proposito casu in ipsa pecunia nihil debet reportare de reliqua pecunia, qui posuit solã industriã. Et ratio est; quia industria eius æstimabatur æqualis cum pecunia ad lucrandum, negotiãdo sicut socius, non autem vt minister qui locauerit operas suas, neque fecerat talem locationis contractum sed merè societatis, vt ipse cum pura industria impenderet alterius socij pecunias in aliqua negotiatione ad lucrandum: quapropter alter socius qui posuit pecunias totas, non debet subire maius periculum vel detrimentum quam factum fuerit in ipsa negotiatione de sua pecunia: Cæterum alter socius qui posuit industriã tantùm, nil pretii potest exigere pro sua industria impensa: quia non locauerat illam, neque negotiatus est vt minister: si enim locaret industriam suam haberet titulum ad exigendum stipendium: siue contingeret lucrum siue damnum: sed tunc non æstimaretur tanti industria illius, vt v.g si æstimabatur vt centum in contractu societatis: æstimaretur vt decem, vel vt quindecim in contractu locationis. Et si quis dicat, quòd ille non debet esse peioris conditionis quàm minister: sed minister reportaret lucrum, etiam si fuisset in pecunia iactura: ergo socius debet etiam reportare lucrum. Respondetur, quòd eodem argumento probaretur, quòd si facta fuerit iactura totius pecuniæ, deberet reportare lucrum qui posuit industriã. Dicendum ergo est, quòd socius conditionis melioris, est quàm minister in contractu societatis: quoniam spes lucri maioris pretiosior, est quàm certitudo lucri ministri. Confirmãt hanc doctrinam leges citatæ, in quibus assertũ est, quòd potest vnus socius lucri quidem duas partes, damni vero non nisi tertiam recipere: quia præsupponunt quòd ille socius parum pecuniæ, scilicet, tertiam partem contulit, industriæ vero plurimum: ita vt pecunia quam posuit simul cum sua industria æstimaretur in duplum ad lucrandum in negotiatione, quam pecunia alterius socii qui non posuit industriam. Cæterũ in tertio modo æstimandi industriam, manifestum est quomodo debeat fieri distributio lucri vel damni. Etenim si fuerit lucrum, reportabit minister ille & socius partem lucri secundùm proportionem valoris stipendii sui: si autem fuerit iactura pecuniæ patietur etiam ille damnum secundùm proportionem sui stipendii: industria vero eius nihil amplius lucri aut dãni reportabit: q̃ p cõtractũ locationis taxata fuerat. Et ex hoc amplius apparet ꝙ dicebamus paulò ante. Etenim socius ille qui non locauit industriam & operam suã, pluris æstimaret spem maioris lucri quam stipendiũ certũ & iustũ sui laboris: & ex hac parte iustificatur ꝙ admittatur ad medietatẽ lucri, & fortassis ad aliqd amplius. Si aũt nõ fuerit lucrũ ipse vult ex ui cõtractus eius amittere industriã & ,ppriũ laborẽ. Denique circa omnia huiusmodi commercia & societates hoc uniuersale principium debet obseruari, vt vnicuique sociorum ,sit æqualis sua fortuna proportionabiliter cũ fortuna alterius socij, tam ad lucrum quàm ad damnum. At uero quãdo res dubia fuerit, an sit ista æqualitas in aliquo contractu, uel non: tunc poterunt socij cedere iuri suo, & reputare æqualem esse contractum: quemadmodũ diximus in materia de emptione & uenditione, quòd si aliquis nesciens pretium rei, conueniat cum emptore ignorante etiam pretium rei, illud erit iustum pretium in quo ipsi conuenerint, etiam si alias non esset iustum. Et ratio est, quia in tali contractu propter communem ignorantiam uterque se exponit pari fortunæ. Hactenus de societatis contractibus.

De Cambijs.

VLtima disputatio est de cambijs. De qua Theol. in 4. di. 15. Soto li. 6. de iustitia, quæst. 8. Sylues. in uerb. usura. 4. Caietan. in opusculo de cambijs. Contra dus q. 99. de cõtractibus, Io. de Medina in tract. de cãbijs. Couar. in c. nauigãti. de usuris, ubi uide Nauarrũ.

DVBIVM primum est, An cambiũ sit licitum? Pro cuius explicatione nota primò, ꝙ cambiũ in præsentia accipitur particulariter, prout est negotiatio in cõmutatione numismatum. Ex quo sequitur, ꝙ cum negotiatio fiat lucri gratia, ut supra quæst. 77. artic. 4. docet D. Thom. quòd etiam cambium sit lucri gratia.

Secundò nota, quòd cõmutatio numismatum multiplex est ex parte materiæ. Aliquando enim est inter numismata diuersarum specierum etiam physicè & naturaliter, ut quando permutantur aurei pro argenteis: aliquando uero est inter numismata eiusdem naturæ & rationis physicæ, alterius tamen rationis secundùm artem, ut quando commutantur coronæ duplices pro simplicibus: Aliquando uero est permutatio inter numismata omninò eiusdem rationis etiam secundùm artem, sed tamen permutantur, quia quædam pecunia est præsens loco quædam uero absens.

Tertio nota, quòd pecuniæ usus duplex est alius per se, alius per accidens. Vsus per se, est qui conuenit pecuniæ inquantum pecunia est, scilicet, inquantum est adinuenta ad negotiationes. Et iste usus est etiam duplex. Quidam qui competit pecuniæ per se primò, scilicet, ut sit mensura rerum uenalium, ad quẽ usum principaliter est instituta: alius est, qui competit pecuniæ per se secundariò, ut commutatio pecuniæ pro pecunia: & dicitur per se, quia competit pecuniæ inquantum pecunia: dicitur autem secundarius, quia per se ordinatur ad illum usum primarium. Solet afferri exemplum calcei, cuius usus per se primò est calceatio. secundariùs uero est uenditio calcei quem uendit artifex, qui per se ordinatur ad primarium usum. Rursus pecuniẽ usus per accidens, est qui competit ei, non inquantum pecunia est sed ob alias causas, ut v.g. pecunia aurea datur aurifici ad deauratum, uel etiam potest dari alicui ad ostentationem, uel etiam potest dari ad medicinam, item potest dari ad securitatem pro pignore.

Sit igitur unica conclusio. Cambium secundum se turpitudinem quandam denotat; potest tamen quanuis sit de genere male sonantium honestari iustis causis. Hæc conclusio probatur, ea ratione qua

qua D. Tho. suprà quæst. 77. art. 4. probat similem cõclusionem de negotiatione: cum igitur cambium sit negotiatio, similis erit ratio de illo. Est autem ratio D. Thom. hæc. Negotiatio importat quoddam fomẽtum cupiditatis, cui nullus est terminus, siquidem exercetur lucri gratia. Quòd autem possit honestari probat: quia lucrum potest ordinari, uel ad necessitatem uitæ, uel ad bonum reipublicæ, uel ad alias causas honestas. Cæterùm à quibusdam assignatur ratio specialis vituperandi cambium, non solum inquantum est negotiatio, sed etiam ex parte differentiæ inquantum est in permutatione numismatum. Sed nos dicimus nullam rationem specialem turpitudinis inueniri in Cambio vt sic, nisi inquantum est negotiatio, ad quam pertinet quòd lucri gratia fiat, vnde hęc differentia erit secundùm magis aut minus, nisi forte dicat aliquis, quòd uituperabitur specialiter: quia est maxima occasio pecunia ad fomentum cupiditatis: iuxta illud, crescit amor numi quantum ipsa pecunia crescit.

DVBIVM secundum est, an liceat commutare vel vendere pecuniam maiori pretio, quàm lege sit taxatam? V. g. an liceat coronam auream, quæ secundum legem æstimatur quadringentis dipondijs, cõmutare pro duodecim argenteis.

Pro parte negatiua arguitur primò: Pretium legitimum consistit in indiuisibili, vt pretium tritici: ergo nullo modo licet illud variare. Et si respondeas, quòd pecuniæ pretium taxatur lege in ordine ad vsum primarium pecuniæ, non autem in ordine ad secundarium, vel ad accidentarium, respectu cuius potest pluris æstimari pecunia, quàm lege taxetur contra hoc sic replico & arguitur secundò. Quando Princeps monetam cudit, habet rationem qualitatis materiæ. v. g. quòd sit aurum, vel argentum, vel æs & ita taxat pretium iustum; ergo pecunia nunquàm debet esse pluris æstimanda ex parte materiæ neque cõmoditatum, quæ ex materia sequuntur. Antecedens probatur. Nam princeps qui commutat illam pecuniam cum reipublica vel particularibus, nihil detrimenti accipit; ergo vendit illam tanti quanti æstimabilis est, etiam ratione materiæ. Tertiò ex opposita sententia sequeretur, quòd si quis debeat duodecim argenteos satisfacier creditori dando coronam vnã; consequens en absurdum, & hoc esset intolerabile in republica, ergo. De hoc dubio sunt tres sẽtẽtię. Prima est negatiua, quam tenet Ioannes de Medina, Soto ubi suprà, & multi alij Theologi. Secunda sententia est Caietani ubi suprà capite. 6. & Sylues. ubi suprà, quæ sententia distinguit in hunc modum, scilicet, ꝙ pecuniæ pretium dupliciter potest considerari uno modo secundum quòd pecunia est mensura rerum uenalium, qui est vsus primarius illius: altero modo ad alios vsus secundarios, vel accidentarios supradictos. Dicit ergo hæc sententia, quòd si priori modo consideretur, non est licitum eam pluris æstimari q̃ lege taxetur: bene tamen si secundo modo considere tur licitum est aliquid amplius recipere ad arbitrium boni viri. Tertia sententia est quam tenuit Cano præceptor meus, scilicet, licitum esse commutando pecuniam non solùm pro pecunia, sed etiam pro alijs rebus venalibus: aliquid amplius accipere pro illa quã sit lege taxatum.

PRO decisione prima conclusio sit. Licitum est commutare vel vendere pecuniam pro alia pecunia minutiore vel diuersi metallis, maiore pretio quàm lege taxetur. Hæc conclusio non reprobatur ab autoribus secundæ sententiæ. Et probatur à nobis primò ex vsu proborum hominum satis communi, qui cõmutant suas pecunias aureas pro alijs pecuniis maiore pretio quam lege taxentur. Secundo probatur. Nã causa augendi pretium rei venalis solet esse maius commodum quod secum affert res illa: sed pecunia aurea ex natura sua habet maiorem commoditatem multipliciter, nam est facilioris aliportationis, valet etiam in pluribus locis, item valet ad medicandum & ad alias commoditates, item habet maiorem securitatem: solent enim Principes inferiores pecunias antiquare cum detrimento possessorum, quod tamẽ non contingit in pecunijs alijs, ergo est maioris securitatis. Tertiò. Nam moneta quæ rarior est, solet pluris æstimari quàm lege taxetur propter necessitatem illius ad negotiandum. Et hoc modo pecunia ẽt inferioris metalli, solet pluris æstimari quàm inferioris, propter necessitatem ad negotiandum, & in tali casu licitum erit pro pecunia inferioris ordinis amplius accipere quam lege taxetur. V. g. licitum erit accipere argentum pro triginta duobus dipondijs.

Sed est maior difficultas in commutatione pecuniæ pro aliis rebus venalibus tunc enim est primarius vsus pecuniæ ad quem taxata est, ergo videtur necessarium, quòd tunc non varietur pretium lege taxatum.

PRO cuius explicatione nota, quòd commutationes pecuniæ pro aliis rebus sunt in duplici differentia: quædam ad quas tenetur homo ex antecedente iustitia: quædam vero ad quas libere procedit sine obligatione antecedenti. Exemplum primi, quando Petrus soluit mutuum vel mercedem operario Exẽplum secundi, quando Petrus vadit ad forum emere quæ libuerit, vbi nulla præcedit obligatio emendi neque vero vendendi.

Secunda conclusio. In commutationibus primi generis, non licet pecuniam pluris æstimari quàm lege sit taxata. Hæc est communis sententia & probatur, quia si in huiusmodi commutationibus non haberet locum taxatio legis esset omnino frustra.

Tertia conclusio. In commutationibus secundi generis, licitum est pro pecunia tali ampliùs accipere vel pluris illam æstimare quàm lege taxetur. Probatur primo quia licitum est, vt etiam concedit secũda sententia, emere merces viliore pretio quam cõmuniter valent, eo quòd solutio facienda est in auro; ergo simili ratione licitum erit stante pretio rerum venalium, augere pretium pecuniæ: eo quòd aurea sit. Patet consequentia moraliter loquendo eadem est equalitas vtriusq; partis. Item probatur. Nam licitum est vt diximus in prima conclusione in commutatione pecuniæ pro pecunia, aliquid ampliùs accipere ,ppter commoditatem alterius pecuniæ: ergo cum ista commoditas sit pretio æstimabilis, licitum erit emptori conuenire cum venditore vt aliquid ampliùs accipiat ex mercibus propter illam commoditatem eo, vel maximè quia ipse venditor libenter acceptat hunc contractum vnde nulla fit ei iniuria. Et confirmatur: Nam illa permutatio perinde est atque si emptor semel soluisset pretium in pecunia minùs commoda, & postea venditor permutaret illam cum alia pecunia emptoris magis cõmoda, dato ꝑtio & lucro.

Ad primum in contrarium respondetur primo, ꝙ pretium pecuniæ taxatur in ordine ad vsũ primariũ, nõ ad secundariũ & accidentariũ. Secundo respõdetur quatenus argumentum militat contra aliam conclusionem, ꝙ pecuniæ nõ taxatur pretium in ordine ad omnem vsum primariũ, sed in ordine ad vsũ primariũ qui est in cõmutationibus, quæ proueniũt ex antecedenti iustitia: non aũt in aliis voluntariis & liberis. Ex quo sequitur, quòd si aliquis semel fecerit contractũ emptionis certo pretio, nulla facta mẽtione de qualitate pecuniæ, non poterit postea minuere

de pretio, ex eo quòd ſoluit in auro, neque venditor tenebitur acceptare & admittere talem ſolutionem.

Ad ſecundum negatur conſequentia. Quia quamuis princeps habeat rationem qualitatis materiæ pecuniariæ ad taxandum pretium pecuniæ, & nullum detrimentum patiatur, quin potiùs commodum accipit & lucrum: quia reuera pecunia non habet tantum pretium & valorem ex parte materiæ & artificij, quan.i taxatur per legem, eo quòd admiſcetur aliquando metallum vilius cum excellentiori ad expẽſas pro miniſtris, & ad aliquod tributum debitum Regi: cæterum poſtea vna pecunia cum alia comparata habet commoditates pretio æſtimabiles.

Ad tertium negatur conſequentia, quia illa ſolutio prouenit ex antecedente iuſtitia. Sed circa ea quæ diximus aduertendũ eſt, intelligẽda eſſe ſtando in ſolo iure naturæ. Nam per legem humanã poterit cauere ne in aliqua prorſus permutatione æſtimetur pluris pecunia quàm lege ſit taxata. Et ita Carolus V. olim pragmaticam edidit, ne quis aureum duplum aliqua ratione permutaret niſi pro viginti duobus argenteis & duobus dipondijs; Cæterum illa pragmatica iam per contrarium vſum eſt abrogata, & antiquata.

DVBIVM tertium eſt, an in permutatione pecuniæ pro pecunia ſit vera & propria emptio & venditio? Pro quo nota, quòd pecunia multipliciter trãsfertur in alterũ. In emptione quidem, tanquàm pretium rei venalis. In mutuo transfertur cum obligatione vt iterum reddatur eadem, non in indiuiduo: ſed ſpecie. Item põt transferri in commodato ad oſtẽtationem & medicamen, & hoc gratis; quod ſi fiat propter lucrum, erit translatio locutionis. Et denique transfertur in cambio. De hoc ergo quærimus, an ſit venditio.

Pro parte negatiua arguitur primò. Pecunia eſt prima menſura rerum venalium: ergo ipſa non eſt venalis, aliàs eſſet menſura ſui ipſius: & eſſet proceſſus in infinitum. Secundò. Quando vna pecunia permutatur cum altera, non eſt maior ratio quare vna pecunia vendatur potius quàm alia; ergo vel vtraque venditur quod eſt inconueniens, vel neutra, quod eſt intentum. Ad hoc dubium reſpondetur, & ſit prima concluſio. Quando permutatur vna pecunia pro altera ſecundùm pretium vtriuſque lege taxatum, non eſt propriè venditio neque emptio, ſed permutatio inter res eiuſdem ordinis & rationis. Et hoc probat ſecundum argumentum.

Secunda concluſio. Quando vna pecunia permutatur cum altera maioris commoditatis, ratione cuius datur aliquod pretium ſupra illud quod lege taxatur pro pecunia: eſt ibi propriè venditio illius commoditatis quæ pretio diſtincto æſtimatur, ita vt illud quod amplius ſoluitur pro illa pecunia, nõ pertineat ad pretium illius pecuniæ vt pecunia eſt: ſed ad alias commoditates.

Ad primum argumentum reſpondetur, quòd pecunia vt pecunia eſt non eſt vendibilis, ſed inquantum habet maiorem commoditatem comparatione ad aliam pecuniam. Ceterum non eſt inconueniens, quòd pecunia ſit menſura pecuniæ, ſicut numerus eſt menſura numeri: neque eſt proceſſus in infinitũ, quia peruenitur ad vnitatem. Ad ſecundum reſpondetur, quod probat primam concluſionem.

DVBIVM quartum eſt, quot ſint genera cãbiorum? Reſpondetur, quòd primò diuiditur cambium in cambium reale, & fictitium, quod vulgo dicitur *cambio ſeco*, quæ diuiſio eſt analoga. Eſt enim cambiũ reale, quod reuera exercetur inter realem pecuniam ex vtraque parte, ſiue detur in præſenti loco ſiue in alio loco promittatur reddenda. Cambium autem fictitium eſt, quando aliquis fingit ſe habere pecunias Romæ reddendas, quas quidem non habet, ſed vult accipere in præſenti pecunias, vt expectetur tempus ſolutionis ad certum terminum.

Cambium autem reale diuiditur in multas partes. Primum dicitur minutum ſine manuale, quando de manu in manum commutatur vna pecunia pro altera.

Secundum cambium eſt ratione loci, vt quando indigens Petrus pecuniis Romæ, dat eas Salmanticæ ſub chirographo certæ fidei, cuius virtute accipiat eas Romæ. Et hoc appellatur cambium per literas.

Tertium cambium eſt ratione officii, quando mercator v.g. vel aliquis alius obligatur mutuum dare negotiatoribus, ea lege vt ſibi certũ lucrum conſignet.

Quartum cambium ſit ratione temporis, quando aliquis accipit pecuniam mutuò redditurus illam cum lucro ratione expectatæ ſolutionis.

Quintum cambium eſt ratione monetæ, vt quando pecunia vnius prouintiæ vel Regni permutatur cum pecunia alterius prouintiæ vel Regni, habita ratione pretij vtriuſque pecuniæ.

Sextum cambium eſt ratione cuſtodiæ, quando campſor ex eo quòd pecuniam cuſtodit negotiatorum, accipit aliquod lucrum quotieſcumque numerat illam pecuniam petenti.

Vltimum cambium eſt ratione copiæ uel inopiæ totius pecuniæ, vt v.g. in Hiſpania eſt maior copia pecuniæ quàm in Flandria, unde pluris æſtimatur pecunia in Flandria quàm in Hiſpania. Vt v.g. indiget aliquis Flandriẽ mille ducatis, neceſſe eſt ut in Hiſpania det pluſquàm mille, v.g. 50. & hęc eſt æqualitas pecuniæ ratione copiæ uel inopiæ.

DVBIVM primum eſt. An omnia iſta genera cambiorum ſint licita? Pro quo notandum eſt, potiſſimam difficultatẽ eſſe in 5.6. & 7. genere cambiorũ. Vnde pro alijs cambijs ſit prima concluſio. Cambiũ fictitium ſiue ficcum eſt uſurarium. Probatur. Nam reuera eſt mutuum cum lucro. Sed nota, quòd ſi Petrus bona fide dedit pecunias Salmanticæ Paulo fingenti ſe habere illas Romæ, non peccat Petrus tunc: ſed tamen poſtea cognita veritate tenetur reſtituere lucrum quod accepit in quantum factus eſt ditior. Cæterum ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis propter fictionem Pauli poteſt lucrum retinere.

Secunda concluſio. Cambium minutum ſiue manuale licitum eſt cum lucro moderato ſecundum vſum reipublicæ. Hæc concluſio probatur, ex his quæ diximus dubio ſecundo. Et extenditur concluſio et ad eos qui non ſunt campſores ex officio: quia eadẽ eſt ratio commoditatis pecuniæ, ſiue commodetur à campſore, ſiue à peculiari aliquo. Quanuis Caietanus in opuſculo citato cap. 1. dicat ſolis campſoribus ex officio licitum eſſe cambium minutum cum lucro. Et ratio eius eſt: quoniam uiolare legem taxationis pecuniæ iniuſtum eſt; ſed qui non ex officio cambiãt pecuniam cum lucro, uiolant legem; non enim excuſantur ſicuti campſores ex officio, qui poſſunt aliquid accipere ratione officij utilis reipublicæ. Cæterum hæc ratio differentiæ manifeſtatur inefficax ex eodem Caietano ubi ſuprà cap. 1. eo quòd pecuniæ non taxatur pretium in ordine ad uſum ſecundarium: unde propter alias commoditates maiores, quas habet una pecunia in ordine ad aliam, licitum erit poſſeſſori pretiũ accipere quicumque ſit ille ſiue ſit cãpſor ex officio ſiue alius quicunque permutator pecuniarũ.

Tertia concluſio. Cambium ratione loci, quod dicitur cambium per literas, licitum eſt, ſi fiat iuſto pretio. Verbi gratia Petrus deſiderat pecunias quas habet Salmanticæ habere Romæ, tunc Paulus qui promittit ſe Romæ daturum virtute chirographi certæ fidei, poteſt pretium recipere propter hanc commoditatem quam facit Petro. Probatur primò. Quia illa commoditas eſt pretio æſtimabilis ſecundùm arbitrium prudentum virorum & timoratorum, ergo iuſtè poteſt Paulus pro illa aliquod pretium recipere. Item, quia talis diligentia eſt valde utilis & neceſſaria reipublicæ ad cuitanda pericula & labores in aſportanda pecunia; ergo iuſtum eſt vt propter talem diligentiam detur pretium. Confirmatur. Licitum eſt agaſſoni aliquod pretium accipere pro aſportanda pecunia; ergo licitum erit campſori pretium recipere in caſu poſito, ſiquidem eandem præſtat vtilitatem, imo maiorem: quia campſor aſſecurat pecuniam à periculis omnibus, agaſſo vero non aſſecurat à periculo fortuito.

Quarta concluſio. Cambium ratione officij licitum eſt. Hæc concluſio probatur ex dictis quæſtione. 78. ubi definitum eſt, quòd pro obligatione ad mutuandum, licitum eſt pretium recipere à mutuatarijs; ergo etiam pro obligatione ad cambiendum.

Quinta concluſio. Cambium ratione temporis vſurarium eſt. Iſta concluſio probatur: quia nihil aliud eſt quàm mutuum propter lucrum. Et confirmatur. Nam hoc cambium nihil differt à cambio ſicco, niſi quòd in cambio ſicco palliatur vſura fictione quadam, at verò in iſto cambio manifeſtè accipitur mutuum cum promiſſione lucri.

DVBIVM ſextum eſt. Vtrum cambium ratione monetæ ſit licitum? Pro quo, nota ex Soto libro. 6. de iuſt. quæſt. 12. art. 1. quòd pecunia quadrupliciter poteſt pluris æſtimari in vno loco aut tempore quam in alio. Primò: quia pecunia conficitur ex auro vel argento puriori. Secundò ratione raritatis auri vel argenti. Tertiò ratione taxationis legitimæ. Quartò ratione raritatis totius generis pecuniæ. Eſt ergo noſtrum dubium, an ſit licitum accipere pecuniam, quæ in uno loco pluris æſtimatur, cum obligatione reddendi eandem prorſus in alio loco, vbi minus æſtimatur. Prima concluſio. Licitum eſt pecuniam quæ in vno loco pluris æſtimatur ex eo quòd eſt ex auro puriori recipere, reddendam eandem in alio loco, vbi propter illam rationem non tanti æſtimatur: dummodo taxatio pecuniæ in vtroque loco ſit eadem. Verbi gratia ſi ſcutum Hiſpanicum ſit ex auro puriori quàm ſcutum Germanicum: nihilominus utriuſque ſcuti ſit eadem taxatio legitima ratione pecuniæ, licitum eſt unum ſcutum pro alio cambire ſeu permutare, non ſolum in diuerſis locis: ſed in eodem. Probatur. Quia inter vtramque pecuniam eſt æqualitas ratione menſuræ; ergo eſt iuſtitia in permutatione. Patet conſequentia. Nam pretium taxatum maximè attenditur in ordine ad uſum primarium, ſcilicet ut pecunia eſt menſura rerum uenalium. Sed nota, quòd hæc concluſio non tollit id quod dubio. 2. definitur, licitum eſſe pretium recipere propter maiorem commoditatem vnius pecuniæ in comparatione ad alteram; ſed hic tantùm loquimur quantùm eſt ex parte permutationis pecuniæ pro pecunia, inquantum pecunia eſt.

Item etiam aduerte, quòd noſtra concluſio uidetur contraria primæ concluſioni, quam ponit Soto ubi ſuprà. Sed tamen reuera non eſt contraria: quia ille loquitur de permutatione pecuniæ pro alia pecunia ſecundùm pondus, quod vulgo dicitur, *apeſo*; quòd ſi aliter intelligatur; nos falſam repugnamus illam ſententiam. Eſt enim manifeſtum exemplum quod in Regno contigit. Erat enim pecunia quædam quæ uulgo dicebatur *tarias de a veynte*, erant aliæ tarjæ ut ita dicam, quæ dicebantur *tarias de a diez*, quæ quidem duplicatæ tanti æſtimabantur in ratione pecuniæ ſicut una *taria de a veynte* tamen in ratione ponderis non habebant tantum argenti ſicut *las tarias de a veynte*.

Sed eſt argumentum contra noſtram concluſionem principalem. Non eſt licitum commutare triticum minùs bonum pro meliori, nulla facta recompenſatione, ex parte minus boni; ergo non erit licitum commutare pecuniam ex metallo minùs bono, cum pecunia melioris metalli, niſi fiat recompenſatio. Reſpondetur, nego conſequentiam, quia triticum minùs bonum non tanti æſtimatur in foro ſicut melius; Cæterum pecunia ex auro minus puro, tanti æſtimatur in taxatione legitima: quanti pecunia ex auro puriori. Secundò reſpondetur, quòd ſi triticum minus bonum tanti æſtimatur in foro quanti magis bonum, licitum erit permutare triticum cum tritico. Hoc tamen non obſtat, quominùs qui habet melius triticum, poſſit illud permutare cum illo qui habet minus bonum triticum, exigendo aliquod pretium propter illam commoditatem qua ſe priuat: dummodo abſit fraus & dolus contra pragmaticam. Si enim fraus adſit erit illi cita permutatio propter malum finem. Verbi gratia ſi Petrus erat uenditurus facilè triticum optimum, & eadem facilitate uendit minus bonum non erit ei licitum permutare illud cum tritico minùs bono Pauli, exigendo ab illo maiorem menſuram tritici; hæc enim eſt fraus contra pragmaticam.

Secunda concluſio. Commutare pecuniam in uno loco ut ſimilis uel eadem reddatur in alio loco, ubi pluris æſtimatur in ratione pecuniæ: iniuſtum & iniquum eſt. Vt uerbi gratia. Si Petrus det Salmanticæ Paulo 100. aureos reddendos Romę ubi pluris eſtimantur ſingula ſcuta uerbi gratia tredecim argenteis, iniquum eſt. Probatur. Recipit Petrus amplius quàm dat; ergo eſt iniquus. Et ſi quis contra argumentetur. Licitum eſt dare frumentum Petro ut idem reddatur uel ſimile in quantitate, etiam ſi in loco & tempore ubi redditur, pluris eſtimetur, ergo licitum erit exigere tot aureos permutatos, etiamſi pluris æſtimentur ubi reddendi ſunt. Reſpondetur nego conſequentiam. Et ratio differentiæ eſt: quia triticum ſemper manet idem ſecundum uſum & commoditatem, licet pretium uarietur: at uerò pecunia non manet eadem ſecundum commoditatem uariato pretio.

Sed arguitur ſecũdò. Petrus poterat ſuas pecunias aſportare Romam, & ibi permutare pretio currẽte; ergo poteſt exigere à Paulo, ut det illas Romæ in tanto numero ſicut accepit. Reſpondetur nego conſequentiam: quia contractus permutationis pecuniæ ratione loci, non eſt contractus aſportationis: Nam in contractu aſportationis portator non efficitur dominus pecuniæ, at uerò in contractu permutationis ſtatim efficitur dominus pecunię qui recipit illam: unde non debet eam recipere maiori æſtimatione quàm ualeat in loco ubi recipit. Exemplum eſt: poterat Petrus ſuas merces aſportare Romam ſoluto pretio portitori, & ibi eas vendere pretio currente Romæ: at uerò ſi Salmanticę uendat & tradat portitori non poteſt ab illo exigere pretium quod Romę currit. Ita eſt de pecunia permutata, quod non debet eſtimari pluris quàm ualeat ubi traditur.

Tertia concluſio. Commutatam pecuniam, eandem uel ſimilem exigere quando Princeps auxit pretium illius iniquum eſt. Verbi gratia Petrus mutuauit

tuauit Paulo 100. scuta quorum singula valebant quadringenta dipondia, postea uero contigit, ut tempore solutionis Princeps auxerit pretium scuti usque ad 12. argenteos, dicimus quòd tunc Petrus non potest exigere à Paulo 100. scuta: sed tantum 98. Ratio est, quia si exigeret 100. plus reciperet quam dedit in ratione pecuniæ: quemadmodum si Petrus mutuasset Paulo, sanecam tritici, & postea tempore solutionis sanecia ipsa aucta fuerit à Principe, non potest Petrus illam integram accipere, quia est aucta mensura. Ita etiam in casu proposito non poterit recipere tot scuta: quia variatum est scutum in ratione mensuræ.

Et si quis contra istam conclusionem argumenteur, licitum est Petro qui mutuauit Paulo sanecam tritici recipere ab illo sanecam tritici immutatam, sed valentem maiore pretio quàm cùm mutuauit; ergo eadem est ratio de pecunia. Ad argumentum negatur consequentia. Nam vt diximus quando pecunia augetur, non manet eadem in ratione pecuniæ & mensuræ: at vero etiam si pretium tritici augeatur, manet tamen idem triticum in ratione tritici & commoditatis & vsus illius: vnde in commutatione tritici cum tritico, per accidens est quòd pretium augescat vel minuatur; nisi forte is qui permutat, obliget alium vt reddat quo tempore carius valuerit, tunc enim est vsura. Sed adhuc notandum est circa eandem conclusionem, quòd aliqui dicunt posse fieri pactum inter mutuantem, & mutuatarium, vt etiam si à Principe augeatur pecunia, teneatur mutuatarius eundem numerum scutorum reddere. Sed tamen nos dicimus, quòd istud pactum iniquum est & vsurarium, nisi excusetur propter æqualem fortunam vtriusque partis; quia tam possibile est quòd vilescat pecunia quàm quòd augescat: Aut etiam quia ille qui mutuat pecuniam seruaturus erat illam vsque ad tempus, quo probabiliter æstimatur augenda. Sed quid erit, si tempore mutationis non æstimabatur pecunia augenda vel minuenda; & postea breuissimo tempore notabiliter augmentata est? aliqui dicunt, quòd mutuatarius teneatur non ex rigore iustitiæ sed ex quadam æquitate, reddere totidem scuta quot accepit: maximè si qui mutuauit seruaturus erat vsque ad illud tempus. Nobis tamen nulla apparet ratio sufficiens ad obligandum mutuatarium sub peccato mortali, vt reddat tot scuta quot accepit. Quemadmodum viceuersa si breui illo tempore pecunia diminuta fuisset, non tenebatur Petrus qui mutuauit contentus esse 100. scutis. Sed mutuatarius redditurus erat tot scuta donec adimpleretur numerus dipondiorum quibus æstimabantur scuta quando illa accepit, ergo similiter si aucta fuerit pecunia non debet mutuatarius esse deterioris conditionis.

DVBIVM septimum est. Vtrum quando mercator remittit venditorem ad mensarium, vt ab eo recipiat pretium rei venditæ, licitum sit mensario exigere pretium à venditore pro numerata pecunia? Pro cuius intelligentia notandum est, triplex esse genus negotiatorum. Sunt enim quidam negotiatores qui dicuntur mercatores celebres, quorum officium est emere merces in Regno uel prouincia vbi est abundantia illarum: vt iterum uendant in alio regno vel prouincia, vbi est inopia. Et quia isti mercatores indigebant pecunijs in uarijs regnis & prouincijs, ad quas quidem, aut non est licitum transferri propter legem, quæ actat, uel cum magno periculo & labore transferentur ad tam uaria loca. Hinc ortum habuit secundum genus negotiatorũ, qui dicuntur campsores qui negotiantur in mera pecunia permutantes pecuniam quam habent in uno loco, pro pecunia reddenda in alio loco. Hinc etiam ortum habuit tertium genus negotiatorum, qui dicuntur mensarij & uulgo *banquieros*; quorum officium est habere in deposito pecunias mercatorum & campsorum, & rationem dati & accepti in suis libris, insuper sunt fideiussores ipsorum.

Et notandum est, quòd isti mensarij dupliciter solent consignare pecuniam in suo banco campsoribus & mercatoribus. Vno modo recipientes uera pecunia ipsam a campsoribus, & mercatoribus. Alio modo recipientes tantũ chirographia, & consequenter ipsi mensarij solent dupliciter soluere debita creditoribus uenientibus ad se. Vno modo numerantes pecuniam in præsentia; alio modo remittentes illos per syngraphas, idest, pollices ad alios mensarios.

Deinde notandum est, quàm communis sententia, & rationi naturali consona est, quòd isti mensarij iuste recipiunt stipendium à mercatoribus uel campsoribus quorum pecunias custodiunt. Probatur. Nam diligentia custodiendi, & ratio dati & accepti & fideiussio, hæc inquam pretio sunt æstimabilia. Cæterum quod nam sit iustum pretium huius diligentiæ iudicandum erit arbitrio boni uiri, si non fuerit lege taxatum.

His suppositis arguitur primo pro parte negatiua dubij propositi. ex. l. 5. titulo. 18. libro. 5. Copilationis legum Hispaniæ. Vbi reuocatur antiqua pragmatica in qua concedebatur mensarijs, ut ex mille numeratis acciperent quinque sibi ab illis quibus numerabant, ergo iam non est licitum.

Secundò mensarij suas operas impendunt in utilitatem campsorum & mercatorum; ergo ab illis tantum debent pretium accipere. Et confirmatur. Nam numerare pecuniam debitam uenditori pertinet ad mensarium uice & nomine illius cuius pecunias custodit, qui tenebatur soluere & numerare pecunias; ergo ab isto tantum debet exigi & recipi stipendium, & non à uenditore.

Tertiò. Venditor mercatori uendidit rem cuius pretium iustum erat 1000. ergo quando apud mensarium non datur illi integrum pretium sed minùs quinque iniuriam patitur, uel à mensario uel à mercatore uel ab utroque.

Quartò. Si Petrus mutuasset Paulo 1000. non satisfaciet Paulus soluendo apud mensarium illa 1000. minùs quinque, ergo neque satisfaciet uenditori mercator, qui pro re uendita pro mille remittit illum ad mensarium ubi accipiet quinque minùs.

Vltimò esto ita, quòd officium mensarij sit etiam utile uenditoribus; tamen non est iustum ut soli uenditores soluant totum stipendium mensarij, siquidem mensarij sunt etiam utiles mercatoribus & campsoribus: cuius tamen oppositum est in usu. Nam mercatores & campsores exigunt interdum aliquid pretij à mensarijs propter depositam pecuniam apud illos; uel aliquid pretio æstimabile, scilicet, ut mensarij sint fidei iussores pro maiore summa pecuniæ, quàm recipiant. Sed in oppositum pro parte affirmatiua est communis usus negotiatorum & mensariorum. De hoc dubio est prima sententia negatiua, quæ valde uerosimilis est propter facta argumenta, quam tenet Caietanus ubi suprà, & Nauarro super caput Nauiganti de usuris. nu. 37. & deinceps. Altera sententia est affirmatiua, quam tenet Soto in lib. 6. quæst. 11 art. unico.

PRO huius dubij decisione sit prima conclusio. Manifestum est, mensarios excusari ab iniustitia quando cognoscunt, quod res uendita non

ualebat numerata pecunia 1000. sed minus quinque. Et probatur. Nam illa quinque quæ accipit mensarius sibi, pertinent ad mercatorem non ad uenditorem.

Secunda conclusio. Non est sufficiens titulus ad excusandum mensarium & mercatorem, quòd illæ remissiones fiant inter ipsosmet mercatores qui interdum sunt uenditores, interdum mercatores. Dicunt enim aliqui, quòd mensarius iuste recipit à uenditore illa quinque, ut intendũ quando sit mercator, impendat illi tam operam. Nos autem dicimus, quòd iste titulus deficit in multis.

Primò: quia non est uniuersalis ad omnes uenditores. v. g. si agricola uendidit boues & remittitur ad bancum.

Secundò deficit, quòd non semper mercator & uenditor habent pecunias apud eundem mensarium.

Tertiò, quòd non toties est aliquis mercator, quoties uenditor: quæ omnia necessaria erant ad æqualitatem iustitiæ ratione huius tituli & ad hoc vt talis mensarius possit recipere illa quinque iuste à uenditore.

Tertia conclusio. Verosimilis est titulus ad excusandum mensarium, quòd illorum officium est necessarium ad negotiationes emptionis & uenditionis; etenim si non esset tale officium, non possent uenditores continuò recipere pecuniam numeratam; eo quòd mercatores non possent pecunias ad tam uaria loca secum deferre; & ideo quasi ex publico condicto decretum est stipendium mensarijs soluendum etiam à uenditoribus.

Quarta conclusio. Optimus titulus qui nobis uidetur ad excusandum mensarios est, quòd mensarij in rei ueritate totum stipendium recipiunt à mercatoribus & campsoribus quorum pecunias custodiunt. Nam si quando pecuniam numerant uenditoribus accipiant sibi quinque ex mille numeratis: tamen illa quinque non excipiuntur à pretio iusto debito uenditoribus: sed ex pecunia mercatorum, quia tali conditione recepit mensarius pecunias custodiendas, ut quoties numeraret mille cuius petenti in nomine mercatoris: acciperet sibi quinque. Cæterum mensarius non tenetur examinare an iustum pretium sit rei uenditæ mille præcisè, an mille exceptis quinque sed ipse uenditor uideat an mercator illa uia sibi satisfaciat.

Ad argumenta in contrarium. Ad primum respondetur, quòd illa reuocatio Pragmaticæ non est in usu. Secundò respondetur, quòd mensarius non accipit quinque à uenditore sed à mercatore: & ideo non facit contra legem.

Ad secundum argumentum & confirmationem respondetur, quòd probant quartam conclusionem. Secundò respondetur in fauorem tertiæ conclusionis quòd officium mensarij cadit in bonum uenditorum, & ideo iustum est, ut & ipsi aliquam partem stipendij soluant.

Ad tertium respondetur, quòd si aliqua iniustitia fit uenditori quia non datur illi integrum pretium, refundenda est in mercatorem, non in mensarium. Sed notandum est, quòd si uenditor sit peritus in huiusmodi negotijs, non fit illi iniuria si non reddantur mille integra, quando pretium constitutum est soluendum à mensario, sciebat enim ille, quòd minùs quinque recepturus esset. Si autem uenditor sit simplex agricola iniuriam patitur, si mercator non admoneat illum, quòd solutio facienda est apud mensarium ubi recipiet minùs quinque.

Ad quartum respondetur, quòd eadem est ratio de mutuatario, & de mercatore quando pretium rei uenditæ erant mille præcisè. At uerò si pretium rei uenditæ erant mille quatenus soluenda à mensario, non est eadem ratio: & ideò negatur consequentia.

Ad vlcimum respondetur, quòd iuxta quartam conclusionem totum stipendium soluit mercator. Sed iuxta tertiam conclusionem respondetur, quòd ex illis quinque quæ accipit mensarius de mille numeratis, aliqua pars pertinet ad uenditorem, quia erat necessaria ad complementum iusti pretij pro re uendita, alia uero pars pertinet ad mercatorem, quia non erat necessaria ad complementum iusti pretij. Et ita seruatur æqualitas inter mercatorem & uenditorem in ordine ad mensarium. Cæterùm quòd in eodem argumento insinuabatur, scilicet, quòd mercatores & campsores exigũt pretium à mensariis apud quos deponunt pecunias: iniquum & usurarium uidetur esse quibusdam, Sed nobis uidetur quidem iniquum, non tamen usurarium: quia ibi nulla est ratio mutui: siquidem mensarius non efficitur dominus pecunie, sed tantum est custos paratus reddere quotiescunque depositor petierit. Est autem iniquum, quia depositor tenebatur soluere stipendium mensario, uel saltem non grauare illum petendo ab eo pretium. Nihilominus mercatores, possunt se excusare ab iniustitia, dicẽtes quòd ipsi quidem soluunt stipendium mensariis, scilicet, quinque pro mille: sed quia hoc stipendium est excessiuum pro ministerio illorum, defalcant (ut ita dicamus) aliquod pretium ab illo stipendio, uel aliquid pretio æstimabile, scilicet fideiussionem, nihilominus quod superest mensariis ex stipendio est iustũ pretium ministerii sui. Nos autem dicimus, quòd si hæc narratio uera est nulla mensariis iniustitia fit. Sed uehementer suspicamur narrationem falsam esse, & iniustitiam fieri mensariis, quam ipsi patiuntur ut aliam maiorem irrogent aliis negotiatoribus & maiorem utilitatem capiant.

DVBIVM octauum est, An cambium ratione copiæ uel inopiæ totius pecuniæ sit licitum? Pro cuius intelligentia notandum est primò, quòd æstimatio pecuniæ inquantum pecunia est, dupliciter potest fieri. Vno modo per legem Principis, & dicitur æstimatio legitima. v. g. quando in Hispania scutum æstimatur quadringentis dipondiis, & hæc æstimatio dicitur legitima. Huic æstimationi superuenit alia interdum, quæ potest dici æstimatio quasi naturalis, eo quòd ex natura rei sequitur, ut ubi est maior abundantia pecuniarum minùs æstimentur pecuniæ, & ubi est minor copia magis æstimatur pecunia.

Secundò notandum est, quòd cum campsores ab uno regno in aliud cambiunt pecunias, rationem habent copiæ vel inopiæ monetæ in illis regni. Verbi gratia, qui numerat pecunias Metinæ, ut accipiat in Flandria, maiorem copiam pecuniæ numerat Metinæ, quam sit recepturus Flandriæ: quia in Hispania est maior copia pecuniæ.

Tertiò notandum est, quòd in eadem Prouincia diuersis temporibus solet esse maior inopia totius monetæ uel copia. Vnde ibidem non semper fit æquale cambium ad alia regna.

His positis arguitur primò pro parte negatiua. In una & eadem prouincia non est licitum cambium ratione copiæ uel inopiæ totius monetæ diuersis temporibus: ergo neque in diuersis prouinciis eodem tempore. Antecedens explicatur. Non est licitum Petro mutuare Paulo centum scuta quando est maior pecuniæ inopia, recepturus maiorem summam pecuniæ quando fuerit maior copia monetæ in eodem Regno. Et confirmatur. Non est licitum mutuare

tuare frumentum quando & ubi est inopia ipsius, ex lege ut quando fuerit maior copia frumenti, reddatur maior mensura frumenti, ergo est eadem ratio de pecunia.

Secundò. Nullus est titulus sufficiens ad iustificanda eiusmodi cambia quæ sunt in usu, ergo non sunt licita. Probatur antecedens inductiuè. Nam triplex est titulus qui assignari potest in fauorem cambiorum huiusmodi. Primus est, quòd pecuniæ absentes secundùm locum non tanti æstimantur, neque sunt tantæ vtilitatis, sicuti præsentes: eò uel maximè quòd sunt expositæ periculis. Secundus titulus est ratione asportationis. Tertius titulus est ratione copiæ vel inopiæ totius monetæ in diuersis Regnis & locis. Sed contra primum titulum est prima ratio, quòd in cambijs quæ sunt in usu, ille qui numerat pecuniam in Hispania, maiorem summam numerat quam sit recepturus in Flandria, ubi pecunia est absens domino suo: ergo pecunia absens non est minoris valoris. Item ipsi campsori pecunia absens non est minoris vtilitatis quàm præsens, neque est exposita maiori periculo: siquidem ita negotiatur cum absenti pecunia, atque cum præsenti, neque illam asportaturus est per itinera. Contra secundum titulum argumentum est, quia quanuis ille sit sufficiens ad recipiendum aliquid vt dictum est supra, tamen non sufficit iustificare inuentiones cambiorum quæ in usu sunt. Patet primò, quia qui numerat pecuniam vbi minor est copia, recipit amplius ubi maior est copia, ergo. Secundò. Quia licet sit eadem uia & eadem pericula ab Hispania in Flandriam, & è contra, tamen non est idem pretium cambiorum; ergo ratio lucri non est asportatio: neque asportatio est titulus sufficiens, alias idem deberet esse pretium. Tertiò. Quandoque fiunt cambia ad æquale, hoc est tanta summa pecuniæ numeratur in uno regno atque recipienda est in alio, ergo nihil soluitur ratione asportationis. Vnde iste titulus non iustificat cambia. Deinque cambia huiusmodi damnantur si fiant intra idem Regnum; ergo titulus asportationis non est sufficiens. Patet consequentia, quia etiam intra idem regnum esset sufficiens iste titulus.

Iam uero contra tertium titulum est primum argumentum. Impossibile uidetur, quòd eodem tempore sint duo iusta pretio distincta cambiorum quæ fiunt ab Hispania in Flandriam, & è conuerso: Sed ita est in usu, quòd sunt distincta pretia: ergo alterum est iniquum. Secundò. Si titulus ratione copiæ uel inopiæ totius monetæ iustificaret cambia in diuersis regnis, ergo etiam in eodem regno in diuersis locis erunt licita hæc cambia. Patet consequentia: quia in uno loco est maior copia totius monetæ quam in alio eiusdem regni.

IN decisione huius quæstionis difficillimæ, quidam doctores referunt iustitiam horum cambiorum ad primum titulum. Ita Caietanus in opusculo de cambijs, cap. 7. Syluest. verbo vsura, 4. quæstione. 4. Nauarro vbi supra. Alij uero referunt ad secundum titulum. Alij uero ad tertium, inter quos fuit Victoria & Soto libro. 6. de iustitia, quæst. 12. articulo. 2. quanuis ipse propter primum argumentum factum contra primum titulum, dicat sibi non patere quodnam illorum cambiorum iustum sit.

PRO decisione sit prima conclusio. Licitum est commutare pauciora dipondia, numerando illa vbi est penuria totius pecuniæ & recipere plura vbi est copia in alio regno. Probatur. Nam ubi est penuria totius monetæ, pluris æstimatur ab omnibus quam ubi est copia: ergo ratione huius æstimationis licitum erit recipere maiorem summam ubi est maior copia monetæ. Confirmatur. Licet permutare minorem mensuram frumenti in loco ubi plures æstimatur propter inopiam frumenti pro maiore mensura, reddenda ubi æstimatur minoris propter abundantiam: ergo idem erit de pecunia.

Secundò arguitur ab effectu. Res uenales vbi est minor copia pecuniæ minus ualent quàm ubi est maior copia totius pecuniæ, ergo licitum erit minorem summam pecuniæ in uno regno permutare cum maiore in alio regno. Patet consequentia, quia effectus, seu primarius finis ad quem ordinatur pecunia, est ad emendas res uenales; ergo ubi respectu huius finis pluris æstimatur pecunia, licitè permutabitur pro maiore summa pecuniæ reddenda in alio regno, ubi minoris æstimatur in ordine ad finem principalem.

Vltimò. Nam primus titulus & secundus non sufficiunt vt probatum est ad iustificandum cambia, ergo tertius titulus sufficiet, omnia enim damnare, durissimum est.

Secunda conclusio. Duo illa cambia de quibus fit mentio in argumento primo contra tertium titulum, possunt iustificari etiam si pretium sit distinctũ. Probatur. Iustum rerum pretium est illud quod æstimatur in communi foro, sed potest contingere, quòd æstimatio cambij fori Metinensis sit maior à Metina in Antuerpiam, quàm æstimatio cambii celebrati Antuerpiæ ad Metinam: ergo pretia distincta poterunt esse iusta.

Secundò. Multitudo emptorum est causa ut res uenales pluris æstimentur: sed contingit plures esse qui quærant cambia à Metina in Antuerpiam quam è contra: ergo iustè celebrabuntur maiori pretio Metinæ quàm Antuerpiæ.

Ad argumenta respondetur. Ad primum negatur consequentia, quia lucrum ex mutuo ratione temporis expectati est usura, non autem ratione diuersi loci. Concedimus tamen licitum esse mutuanti deducere in pactum cum mutuatario, ut reddat plus pecuniæ in ea quantitate quanta est necessaria ad emendum tantam copiam rerum uenalium quantam mutuator esset empturus, si non mutuasset pecuniam. Sed in isto casu non est lucrum ex mutuo, sed tantũ mutuator se indemnem conseruat. Ad argumenta uero contra primum & secundum titulum uon respondetur: sed concedo illorum intentum. Ad argumentum primum contra tertium titulum negatur antecedens propter rationem datam in secunda conclusione. Ad secundum negatur consequentia. Nam cambia eiusmodi prohibita sunt fieri intra idem regnum. Vt patet in l. 8. titulo. 18. libr. 5. Copilationis legum Hispaniæ. Secundo respondetur: quòd licet non esset ista lex, consequentia nihil ualet: quia intra idem Regnum est facilis asportatio pecuniæ de loco in locum & perinde est atque si ubique esset copia pecuniæ ad huiusmodi cambia transigenda: & ideo nihil pretij potest accipi ratione copiæ uel inopiæ: sed tantùm ratione asportationis. Cæterùm in diuersis Regnis regulariter loquendo non est facilis asportatio pecuniæ quia uel est lege prohibita, vel quia magis exponitur periculis. Vnde superest necessarium esse ad negotiationes in mercibus diuersorum Regnorum, quod eiusmodi cambia fiant. Dixi regulariter loquendo, quia potest contingere vt duo regna essent inter se ita conuenientia, vt pecuniæ liberè & facilè transferrentur de regno in regnum: & tunc non essent licita eiusmodi cambia de regno in regnum: sicut etiam viceuersa contingit, quòd in vno regno sint duo loca vsque ad eo distincta, vt transportatio pecuniæ sit difficillima & per multas ambages & pericula, & tunc licita erunt huiusmodi cambia ratione copiæ vel inopiæ totius monetæ intra idem regnum: nisi fortè lege prohibeatur. Sicut v.g. potest esse licitum cambium ab Hispania ad Indos & econuerso, & tamen idem regnum computatur sed propter difficultatem transferendi pecuniam & propter multam copiam pecuniæ apud Indos licitè fiunt huiusmodi cambia.

Plurimæ aliæ quæstiunculæ possent disputari circa casus particulares cambiorum: sed omnes ex prædictis facilè soluentur. Vt v.g. si quæratur, an quando campsor licitè remittit uenditorem, uel quemlibet alium ad mensariun, vt ibi recipiat pecuniam constitutam: an possit ipse campsor si nollet remittere accipere sibi, quinque ex mille numeratis? Respondetur, quòd secundùm quartam conclusionem & titulum ibi explicatum licitum est: quia illa, quinque ad illum pertinebant. Si uero titulus tertiæ conclusionis admittatur, respondetur, quòd non licet campsori retinere sibi, quinque integra quia pars illorum pertinebat ad uenditorem, sed licitum erit retinere medietatem. Cæterum ad alia dubia soluenda, duo principia sunt notanda. Primum est, quòd ratione temporis expectatæ solutionis non potest aliquid acrescere campsori, bene tamen ratione lucri vere cessantis uel damni emergentis. Ex hoc principio sequitur, ualde suspecta esse cambia quæ fiunt à Metina in Vlyssiponam secundùm æqualitatem, quod nulgò dicitur, *a ygual*. Ratio est: quia communiter ista cambia fiunt quia campsor Castellanus expectat plus temporis quam moris est. Nam alia cambia quæ communiter fiunt, non transiguntur ad æqualitatem sed pauciora dipondia dantur Vlyssiponæ quàm recipiantur Metinæ: & communiter expectatur tempus unius mensis. Quòd si quia dilatatur tempus hoc, cambium fiat ad æquale, est usura ex parte Castellani. Secundum principium est, quòd sicut in alijs mercibus pretium iustum iudicatur esse quod currit in communi foro, dummodo non fiat monopolium ab ipsis mercatoribus: ita etiam in cambijs æstimandum est pretium iustum, quod currit secluso monopolio pecuniæ ex parte campsorum. Quapropter si aliquis campsor accipiat in nundinis multam summam pecuniæ ad cambium ab alijs campsoribus, reseruaturus eam ad tempus in quo maxime necessaria erat: non poterit cariore pretio cambire quam futurum esset si ipse non fecisset monopolium: at uero propriam pecuniam poterit campsor reseruare cambiendam pro tempore quo carius cambietur. Sicut quisque potest reseruare proprium frumentum uendendũ tempore quo carius est ualiturum; non enim peccat contra iustitiam commutatiuam: poterit autem peccare in aliquo casu contra iustitiam legalem & contra charitatem patriæ propter necessitatem reipublicæ. Etenim secundùm legalem iustitiam quisque tenetur prouidere bono communi tempore necessitatis. Et proportionabiliter dicendum est de campsoribus. Atque hactenus de cambijs.

De Monte pietatis.

SVperest specialis disputatio de monte pietatis, an sit usurarius? De qua re Caietanus edidit opusculum longum, & Ioannes de Medina in tractatu de usuris, & Soto libro. 6. quæstione prima. articulo. 6. Nauarrus super caput primum. 14. quæstione. 3. nume. 46.

PRO cuius decisione notandum est primò, quòd mons pietatis est cumulus rerum vtilium, siue frumenti siue pecuniæ, destinatus ad subleuandas miserias pauperum per mutuum.

Secundò nota, quòd huius montis sunt tres conditiones. Prima est, quòd qui montis curam gerunt, teneantur pauperi petenti mutuum, dare certam summam. v.g. tres aureos, tres modios tritici soluendos intra annum. Secunda conditio, quòd pauper mutuatarius tenetur dare pignus custodiendum à ministris montis suo ipsorum periculo, ita quòd si pauper soluerit mutuum intra tempus præfixum, teneantur reddere integrum pignus: sin autem soluerit intra tempus, uenditur pignus & soluitur monti debitum, & reliquum redditur pauperi. Tertia conditio, ut pauper mutuatarius teneatur vltra capitale reddere aliquam pensionem pro singulis mensibus, non quidem ratione expectatæ solutionis, sed pro stipendio ministrorum montis.

Tertiò notandum, quòd inter operas ministrorum huius montis, quædam sunt dignæ pretio. v.g. habere rationem dati & accepti in libris, custodire pignora præsertim si sunt onerosa, conducere domum necessariam ad custodiam pignorum, & super hæc omnia obligatio montis ad mutuandum æstimabilis est pretio. Aliæ sunt operæ ministrorum quę debent exhiberi gratis, ut actio mutuãdi, redditio pignoris tempore solutionis.

Quartò notandum, quòd inter has operas ministrorum quædam sunt manifestæ in commodum pauperum, v.g. obligatio ad mutuandum, custodia pignorum; quædam sunt quæ videntur esse in commodum montis ut conseruetur, & in vtilitatem ministrorum. v.g. habere rationem dati & accepti.

Vltimò notandum est primam & secundam conditionem iustissimas esse, de quibus nulla est dubitatio. Item manifestum est, ministros montis posse recipere stipendium pro ministerio quod cedit in utilitatem pauperum. Est ergo tota difficultas. An pro alijs ministeriis. v. g. pro habenda ratione dati & accepti, pro expensis librorum, pro custodia pignorum quæ non sunt onerosa, ut v.g. anulus aureus: licitum sit aliquid pretii accipere ab ipsis pauperibus mutuatariis? Pro parte negatiua arguitur primò. Pauperes coguntur reddere stipendium ministris pro sustentatione, quod redundat in utilitatem ministrorum & non pauperum: ergo iniuriam patiuntur pauperes ipsi. Patet consequentia: quia nemo tenetur dare pretium alicui pro eo quod redundat in eius utilitatem.

Secundò. Nam & si pro diligentia custodiendi pignora onerosa, possit aliquid pretij à pauperibus exigi, tamen pro custodia pignorum quæ non sunt onerosa: non potest aliquid exigi à pauperibus; sed à ministris montis indifferenter exigitur æquale pretium à quolibet paupere: ergo iniuriam faciunt pauperi qui deponit pignus non onerosum.

Tertiò. Maius pretium cogitur soluere pauper qui maiori tempore retinet mutuum, quàm qui maiori tempore, ergo ratione temporis aliquid recipitur, & per consequens est vsura.

Vltimò. Si homo particularis segregaret aliqua bona sua. v. g. frumentum aut pecunias ad mutuandum pauperibus, cum conditionibus supradictis montis pietatis, esset usurarius, ergo & ipse mons. Sed in contrarium est. Quòd multi Pontifices approbauerunt montem pietatis, v.g. Paulus II. Sixtus III I. Innocentius VIII. & alij qui referuntur in Concilio Lateranensi Sessione 10. sub Leone 10. Et præsertim ipse Leo maximè montem pietatis approbat. & in Concilio Tridentino Sessio. 12. in decreto de reformatione, capi. 8. & 9. annumeratur mons pietatis inter opera pietatis. Nihilominus Caiet. ubi supra tenet

partem negatiuam quem sequitur Soto ubi supra. A

PRO decisione huius difficultatis, est prima conclusio. Mons pietatis cum omnibus conditionibus supra positis verè pius est & iustus. Ista conclusio probatur ex expressa definitione Concilij Lateranensis ubi supra, ubi commemoratis opinionibus contrarijs circa montem pietatis & rationibus opinionum, apertè & grauissimis uerbis definitur, montem pietatis licitum esse & pium, & prædicandum propter eius pietatem populis, etiam cum indulgentijs à sancta sede Apostolica concessis. Et ibidem excommunicantur qui oppositum dicere præsumpserint. Sed respondent autores contrariæ sententiæ, primò, quòd non omnia acta Concilij Lateranensis sunt vsu & more ecclesiæ recepta. Sed ista responsio nulla est. Nam quanuis interdum constitutiones Conciliorum non sint exequtioni demandate: tamen declarationes iuris naturalis uel diuini, non sunt annumerandæ inter constitutiones: sed inter institutiones fidei, & definitiones. Cùm ergo in dicto Concilio ex professo declaretur, iustum esse montem pietatis cum illis conditionibus: non pendet illa declaratio ex vsu & more ecclesiarum. Secundò respondent, quòd ibi non approbatur absolutè mons pietatis quantùm ad omnia capitula: sed solum declaratur licitum esse pro obligatione ad mutuandum aliquid pretij accipere. Sed neque ista solutio satisfacit: quia expressè ibi dicitur, licitum esse stipendium recipere pro expensis ministrorum necessarijs ad conseruationem montis, cò vel maximè quòd pretium pro obligatione ad mutuandum sub pignore, non sufficeret ad soluendum ministerium necessarium pro montis conseruatione. Denique respondent, quòd in prædicta Decretali approbatur mons pietatis cum omnibus suis capitulis & constitutionibus: quatenus sacris Canonibus non contrariantur. Et confirmant hanc responsionem: nam Caietanus qui interfuit illi Concilio optimè intellexit mentem illius Decreti: & tamen ipse adhibet istã solutionem in opusculo dicto, ergo bona est explicatio; præsertim quòd cùm Caietanus fuerit tempore Leonis X. nunquam fuit reprehensus propter illud opusculum. Sed hæc responsio in duobus peccat. Primò, quia in illo Decreto nusquam sunt talia uerba, scilicet quatenus sacris Canonibus non contrariantur; quin potius cùm ipsæ conditiones expressè numerentur & approbentur: declaratur, quòd sacris Canonibus non contrariantur. Secundò peccat responsio ignorantia historiæ; nam Caietanus in fine citati opusculi dicit se illud perfecisse anno 1498. at uero Concilium Lateranense indictum est à Iulio II. anno 1512. & sessio illa 10. citata, habita est sub Leone X. anno 1515. ergo constat quòd Caietanus in suo opusculo non explicauit decretum Concilij Lateranensis, sed illa verba quæ ipse dicit, referenda sunt ad aliam antiquiorem decretalem, quæ non est in corpore iuris: quin potius creditur Caietanus retractasse suam sententiam; quia cum in Concilio Lateranensi in Sessione citata interrogatum fuisset à toto Concilio, an placeret illud decretum: responsum est ab omnibus, placere: vno excepto Hieremia Archiepiscopo Tranensi. Cùm ergo Caietanus qui ibi aderat tanquam Magister ordinis Prædicatorum tacuisset, uisus est approbasse decretum & suam sententiam retractasse. Deinde probatur conclusio ratione naturali. Nam vt habetur de regulis iuris in 6. qui sentit commodum, sentire debet & onus: sed pauperes mutuatarij soli sentiunt commodum montis: ergo ad ipsos solos pertinet sentire onus. Præterea. Ministri propter operas necessarias ad conseruationem montis merentur stipendium: sed qui erexit montem non tenetur de bonis suis illud conseruare, satis enim piè egit relinquendo montem obligatum ad mutuandum pauperibus; rursus neque respublica ad quam pertinet cura administrationis montis tenetur soluere istud stipendium: ergo reliquum est, quòd pauperes teneantur ad soluendum stipendium necessarium ad conseruationem montis. Patet consequentia: nam conseruatio tantum cedit in utilitatem pauperum. Et confirmatur. Nam qui erexit montem cum illis conditionibus, abdicauit à se dominium montis & transtulit in rempublicam, uel quòd probabilius est in communitatem pauperum: & administrationem illius reliquit in republica. Quomodolibet ergo sit, semper tamen mons cedit in commodum tantùm ipsorum pauperum; ergo ad ipsos tantum pertinet soluere stipendium montis. B

Secunda conclusio. Multo prudentius & pius erigeretur mons, si autor illius relinqueret pensionem sufficientem pro ministris: etiam si mons ipse non esset tam pinguis. Hæc conclusio habetur expressè in Concilio citato, & ratione naturali patet. Quia meliùs est misericordia, subleuare miserias pauperum merè gratis, quam exigendo ab illis aliquod pretium pro ministris, ergo &c.

AD argumenta posita in principio dubij restat respondere. Ad primum negatur antecedens. Imo omnes operæ ministrorum cedunt in utilitatem pauperum: siquidem sunt necessariæ ad conseruationes montis, qui totus est dedicatus & obligatus ad mutuandum pauperibus. C

Ad secundum respondetur, quòd quando aliquod pretium est legitimum, non debet uariari propter conditiones indiuiduales mercis. v. g. sicut idem est pretium legitimum tritici, siue sit optimum, siue mediocre, siue commune sic etiam iustum pretium est, quod taxatum est statuto à republica confirmato: ad administrationem montis, ut quiuis pauper soluat recipiens mutuum pro singulis mensibus certam summam, siue det pignus onerosum siue non onerosum. D

Ad tertium respondetur, quòd ministri montis nihil recipiunt amplius propter expectatum tempus, sed propter suas operas quæ maiori tempore maiorem mercedem merentur.

Ad quartum respondetur primò nego consequentiam: quia homo particularis retinet apud se dominium montis, & potest cum uoluerit in alios usus illum conuertere, unde ad ipsum pertinebit montem conseruare de bonis proprijs: nam pro actione mutuandi nihil potest recipere. Cęterum qui erexit montem pietatis de quo loquimur, abdicauit à se dominium montis & transtulit in communitatem pauperum, cum obligatione ad mutuandum singulis pauperibus: & propterea administratio montis digna est stipendio dato à pauperibus mutuatarijs. Secundo respondetur, quòd neque homo particularis esset vsurarius, si obligaret montem ad mutuandum pauperibus in perpetuum, retinendo sibi dominium directũ dum uiueret, & transferendo dominium utile in utilitatem pauperum: & sic posset recipere moderatum pretium, sicut dictum est de monte pietatis. E

SED circa primam solutionem est dubium, An dominium montis transferatur in rempublicam, an potius in communitatem pauperum, & an sit uerum dominium? Ratio dubij est: quia ille dicitur dominus, qui potest uti re in quos uelit usus: sed neque respublica neque pauperum communitas potest uti hoc monte in quos uelit usus: ergo neutra est domina. Respondetur, quòd sue dominium maneat in republica siue in pauperibus, non tamen dominium est perfectum & absolutum, sed limitatum uoluntate antiqui-

te antiqui domini erectoris montis. Sicut etiam primogenitura maioricatus; est enim filius primogenitus dominus illius: & tamen non potest in quos uelit usus expendere illa bona. Et uxor est domina suæ dotis, & tamen non potest illam administrare uiuente uiro, sed tantum ipse uir. Secundò dico, quòd dominium montis pietatis translatum est ad communitatem pauperum; administratio uero pertinet ad rem publicam. Et ratio huius est, quia tota montis utilitas pertinet ad communitatem pauperum præcisè, ergo ad ipsam pertinet dominium potiùs quàm ad rempublicam. Hactenus de iustitia & partibus eius subiectiuis dicta sufficiant. De reliquis uerò partibus iustitiæ potentialibus in tertio tomo dicendum erit, Deo fauente, cui sit honor & gloria. A

LAVS DEO.